IHS

Meffreth. sermon. hyemal.

Y

HORTVLVS REGINÆ,

SIVE

SERMONES

MEFFRETH,

FIDEI

CATHOLICÆ

IN MISNIA PRÆCONIS

QVONDAM CELEBERRIMI.

Opus nunc denuo recognitum, & multis locis à mendis repurgatum.

PARS HYEMALIS.

SINGVLIS VERO PARTIBVS, SVVS CVIQVE INDEX PROPRIVS ADIVNCTVS EST.

EDITIO SECVNDA.



Cum gratia & priuilegio Cæs: Maiest. speciali.

MONACHII, ex Typographia NICOLAI HENRICI.

M. DC. XIV.

APPROBATIO.

Cum Hortulus Reginæ, siue liber Sermonum Meffreth, nihil quod fidei Catholicæ bonisq; moribus aduersetur, comprehendat; ideo eum in lucem dari permitto, ac mea manu fidem facio. Monachij Pridie Calend. Ianuarij. M. DC. XI.

Iacobus Golla SS. Theologiæ Doctor,
Sere.[mi] Bauariæ Ducis Consiliarius
& ad D. Virginem Decanus.

ADMODVM REVER.do
PATRI AC DOMINO
DOMINO
MICHAELI,
AD MONTEM
S. ANDECENSEM,
In Boijs
COENOBIARCHÆ RELIGIOSISSIMO,

NICOLAVS HENRICVS

Typographus,

MVLTOS ANNOS.

QVOD vnicè cupiebam pridem, vt per obſequia mea deuincire mihi Tuam Paternitatem, Religioſiſſime Pater, aliquando poſſem; id hodie demum conſecutum eſſe me confido. In manibus quippe habui veteres, & iam olim laudatas orationes MEFFRETI; quas, quia amplius annuo labore, in priſtinum, aut (vt verius dicam) in nouum decorem vindicatum ibam; & typo nitidiore excuſas, iuris communis facere cogitabam: erat vtique

de patrono mihi aliquo circumſpiciendum; qui TOLLERE hunc typographiæ partum, & adoptare vellet. Nec deerant fortaſſe, quibus animus eſſet, ad lucem ſuam huic operi accommodandam. Sed in optimorum copiâ, Tu vnus mihi videbare maximè idoneus, quem primum nouus libri titulus loqueretur. Præes enim tu principi loco, & Cœnobio per Boicam inclyto: vbi velut Conditorium Sanctorum, & præclara cæleſtiũ RELIQVIARVM apotheca viſitur. Certè, cuius loci breui aſpectu pleraque ſe Boica felicem memorat, eius tu aſſiduus Præſes, arbitérque agnoſceris. Quia ergo & Liber hic nil, niſi SANCTVM, continet; conueniebat eodem & ipſum mittere, quò conceſſiſſe tot SANCTORVM cineres recordabar. Tum deinde non neſciebam, eum Te eſſe librorum, ac præſertim ſacrorum, amatorem, vt vix aliud gratius tibi poſſet iucundiúſque accidere, quàm ſi intelligeres, etiam LIBROS in Tuam Clientelã confugiſſe. Deniq; aliæ & peculiares mihi ſunt cauſſæ: AFFECTVS, inquam, meus, in loci religionem: & ANIMVS tuis beneficijs dudum obſtrictus. Quo vtroque titulo, hunc Nomini Tuo, Pater Religioſiſſime, librum inſcribo: tibique ſecunda omnia votis omnibus precor. Nonis Ianuarij. M. DC. XII.

LECTO-

LECTORI CATHOLICO.
SVPER OPERE
MEFFRETI
Nouantiquo.
PROGRAMMA.

Cælestes, ANAGNOSTA, qui sapores,
Qui luxus meditaris inuidendos;
Nos hos scrinia dant Libellulorum,
Quos vel VLPIA *candidauit osse,*
Eburnóque ligauit vmbilico:
ARGILETICA *nec Taberna iactat,*
Nec SIMANDIVS *inter Abnepotes,*
Quos toto voluit coire Nilo:
Neu qui per Capitolij πρόθυρον
Stant Censu nimiùm TRIPHONIANO:
Est hæc, est nimis officina vana.
LVCERNAM *licet hic & hic* CLEANTHIS,
Epicteti olet hic & hic LVCERNAM.
Hic Demosthenis, ille Tullianam.
Olet plus LIBER ISTE: *Plus amabis.*
Qualem, scis, oleat Lucernam? OLYMPVM.

II.

SI qua dat abiectam terris Incuria Chartam,
Aut cadit in viduam veste Papyrus humum,
Tolli supplicuo vult LEX OTHOMANNICA *gestu,*
Ne contemtorem sentiat illa pedem.
PRISCA *Nouis hodie* LEX *est migrata tabellis;*
Nec minor est Chartis, quàm fuit antè, Pudor.
Sistimus ex longo hæc REDIVIVA VOLVMINA *Casu:*
Nolo, teras pedibus ILLA. *Quid ergo?* MANV.

✠

AVCTORVM CATALOGVS, QVI PRÆTER SACRAM SCRIPTVRAM ET IVS TAM CANONICVM QVAM CIuile, passim in his sermonibus MEFFRETH citantur.

A

Abbas de aula Regia.
Alanus Magnus D. Theol.
Albertus Magnus.
Albertus de Persis.
Albinus.
Albumazar.
Alcabitius.
Alexander Grammaticus.
Alexander de Hales.
Alexander Magnus.
Alexander III. PP.
Alexander Episcopus.
Alpharabius
Amandus.
Ambrosius.
Anacharsis.
Anselmus.
Apitius.
Apollonius.
Aponius.
Architas Tarentinus.
Aristoteles.
Arno.
Arnoldus in Narrario.
Arnulphus.
Athanasius.
Auerroes.
Augustinus.
Auicebron.
Auicenna.
Aureolus.
Azorius.

B.

Bartholomęus Brixiensis.
Basilius.
Benedictus PP.
Benzo.
Bernardus.
Bertirius Doctor.
Bertramus.
Boëtius.
Bonauentura.
Brigitha.
Brito.

C.

Cæsarius Arelatensis.
Cæsarius Hesterbacensis.
Calcidius Philosophus.
Cassidorus.
Cato.
Cicero.
Circulius.
Concilium Cartag. IV.
Concilium Lugdunense.
Constantinus, medicus.
Cosmas Vestitor.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Ierosolymitanus.

D.

Damascenus.
Dioscorus.
Dioscorides.
Dionysius Areopagita.

E.

Eberhardus. D.
Egesippus.
Egidius.
Romanus.
Ephræm.

Euari-

Pascha-

Paschasius.
Peranensis.
Petrus Alphonsus.
Petrus de Amore.
Petrus Comestor, siue Manducator.
Petrus de Crescentia.
Petrus Damianus.
Petrus Lombardus.
Petrus Rauennas.
Petrus Tarantasia.
Philaretus, Medicus.
Philibertus Cardinalis.
Philo Iudæus.
Platearius, qui & Ioannes Salernitanus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Possidonius Afer.
Prosper Rhegiensis.
Prudentius.
Ptolomæus.

Q.

Quadripartitus.
Quinctilianus.
Quintus Rhemnius Fannius Palæmon.

R.

Raimundus.
Rhabanus Maurus.
Remigius.
Richardus de media Villa.
Richardus de S. Victore.
Robertus Holkot.
Rupertus Linconiensis.

S.

Sallustius.
Sedulius.
Seneca.
Sex. Iulius Frontinus.
Sidonius.
Simon de Cassia.
Simplicius.
Solinus.
Strabo.
Suetonius.

T.

Tarentinus.
Themistius.
Theodolus, Poëta.
Theodorus Abbas.
Theophilus.
Theophylactus.
Theotimus.
Thomas de Aquino.
Thomas Argentinensis.
Thomas Cantipratensis.
Torstinus Rhemensis Archiepiscopus.

V.

Valerius Maximus.
Vincentius Beluacensis.
Vitæ sanctorum Petrum.
Volusianus.

Auctorum Catalogi FINIS.

SERMO-

SERMONVM MEFFRETH qui inscribuntur HORTVLVS REGINÆ. Pars hyemalis

PROLOGVS.

L*Abora sicut bonus miles Christi Iesu*. 2. Timoth. 2. In quo quidem verbo beatus Apostolus quemlibet Christi militem, *primo* & principaliter ad laborem exhortatur, cum dicit; *Labora*. *Secundo* discretio laboris explanatur, ibidem; *Sicut bonus miles Christi*. Quia autem aliquis labor est delinquentium & peccatorũ, aliquis studentium & scolasticorum, de *primo* Ierem. 9. *Vt iniquè agerent, laborauerunt*. Et certè illi laborant, vt dicere possint, Luce 5. *Per totam noctem laborantes nihil*, id est, peccatum *cepimus*. De *secundo* dicit Sapiens: Non est viri timore laborem, generosos animos labor nutrit. Iste labor est in studendo, prædicando, colligendo & scribendo, vt posteris possit prodesse. De quo dictum Apostoli 2. Tim. 2. intelligitur *Labora*, inquit, *sicut bonus miles*. Idcirco indignus ego seruus & spiritualis miles Christi Iesu, cunctis diebus, quibus nunc milito, exhortationi sancti Apostoli aurem accommodans, opus dudum de sanctis Dei aggressum, Anno Domini scilicet 1443. ob profectum humilium studentium, & desiderium prædicantium, prout Dominus dedit, consummaui. Eodem igitur anno ad honorem Dei & intemeratæ perpetuæq; Virginis Mariæ, Sancti Matthæi, sanctarumq; Virginum Vrsulæ videlicet & sodalium eius, nec non ad exaltationem fidei Catholicæ, ob honorem deniq; Misnensium, cuius Diecœsis sedem pro tunc Reuerendus in Christo pater & Dominus Ioannes Doctor egregius feliciter gubernauit, opus hoc præsens de Tempore, confisus de Spiritus S. adiutorio inchoaui: Et licet me ab hoc retrahere potuisset scientiæ tenuitas & penuria, alexit tamen econtrà vtilitas & causa varia.

PRIMA est peccatorum effugatio, quoniam sicut otium & voluptas sunt arma antiqui hostis, ad miseras animas captiuandas, secundum Innocentium III. Extra. de renuntiat. c. Nisi cum pridem §. Verum. Sic labor & studiositas vitijs obicẽ ponunt, & armis diaboli tentationibusq; obsistunt. A Causæ operis suscepti.

A

obſiſtunt. Quia dicit Haymon ſuper Apocalypſin; Scio nimirum, quòd eum quem hoſtis noſter antiquus in labore conſpexerit, de periculoſis atq; pernitioſis vitijs non tentabit. Legitur enim in vitis Patrum lib. 2. cap. 1. Abbas Antonius reſidens in eremo, ſpiritu tentatus acediæ, cogitationibusq; diuerſis implicatus, dicebat ad Deum: Domine, ſaluari deſidero & cogitationes meæ non permittunt. Quid faciam in tribulatione mea? quonā modo ſaluari valeam, dignanter oſtende. Et poſt paululum ſurgens, quendam ſibi ſimilem ſedentem vidit, & torquentem funiculum, & ſurgentem ex opere & orantē. Erat autem Angelus ad emendationem Antonio miſſus, qui ait: Et tu ſic fac, Antoni, & ſaluaberis. Idcirco Beatus Hieronymus de conſecr. diſt. 5. C. Nunquam, facito, inquit, aliquid operis, vt ſemper diabolus inueniat te occupatum.

SECVNDA cauſa eſt, mentis reſtauratio. Quia dicit Caſſianus in lib. colla. Patrum. Felix ille labor, qui obſeruitium domini aſſumitur. A quo etſi caro conſumitur, mens tamen diuinitus inſtauratur.

TERTIA eſt interna conſolatio, iuxta illud Hugonis de ſancto Victore: Quies igitur conſolationis interne labore corporis tribuitur mediante.

QVARTA eſt multiplex exoratio. Multi enim ſtudioſi verbi Dei ſeminatores, cum adhuc colligens operi de Sanctis inſudarem, me ad colligendum aliqua de Tempore induxerunt.

Vt igitur peccatum à me fugaretur, mens diuinitus inſtauraretur, quies conſolationis mihi daretur, & deſiderium ſtudioſorum impleretur, hoc opus arduum & vires excedens ſum aggreſſus. Quod quidem Hortulum Reginæ volui nominare. Et pro tanto dico hunc librum hortulum nominari, Quia quemadmodum in hortulis diuerſæ plantantur arbores, tam dulces, quàm amaros fructus ferentes, ſic in hoc libro ſunt plantatæ arbores ſpirituales ferentes fructus dulces æternæ beatificationis & amaros ſempiternæ damnationis. Arbores ferentes dulces beatificationis ſunt cedrus contemplationis, altæ. Cypreſſus famæ odoriferæ, roſa patientiæ, oliua miſericordiæ, & platanus fidei neceſſariæ. quæ omnes in hunc hortulum & plures aliæ arbores virtutum ſunt plantatæ; Vt patet cuilibet regiſtrum intuenti. Arbores & herbæ inutiles ac amaræ in hoc hortulo ſubortæ, ſunt ſalices ſuperbiæ, & ſpinæ auaritiæ. raphanum iracundiæ, quercus gulæ, vrticæ luxuriæ, tribuli inuidiæ, lappæ acediæ. de quibus habemus plenius Dominica Lætare, ſermone, *eijce annullam.*

Ratio tituli operis huius

B

Sed pro tanto dicitur hortulus Reginæ, non Reginæ Angliæ, Franciæ,

ciæ, aut Hungariæ &c. ſed reginæ ſanctæ Eccleſiæ, de qua Pſalmus 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu de aurato circumdata varietate.* Quia varijs libris magnis & diffuſis & quam amplis pomerijs ſanctorum Doctorum & aliorum ſolennium ſermonum collectorum eſt circumdata, propter quos hunc librum modicæ reputationis, decreui hortulum reginæ nuncupare. Quia ſancta Eccleſia ſecundum beatum Auguſtinum ſermone de dedicatione Eccleſiæ, eſt illa regina, quæ ex partibus Æthiopiæ venit audire ſapientiam Salomonis 3. Reg. 10. Quæ quidem regina non modo in vna regione, ſed quaſi in vniuerſis mundi partibus reges paritura venit. Et ſicut reginæ ſeculares hortulos ſpirituales habentes, interdum alias reginas ſibi charas cum puellis ſuis in illos introducunt; ſic hæc immaculata regina Eccleſia ſine ruga, reginam illam valde ſibi charam de palatio ſummi regis egreſſam, charitatem videlicet potiſſimam cum duodecim puellis ſuis egregijs, per me indignum famulum eius introduxit, ſicut patet ſermone 1. in Quinquageſima. Et hoc ideo fecit, vt eam tradat filijs ſuis & deſponſet. Et vere felix ille eſt cui hæc regina charitas fuerit deſponſata. quoniam cum illa habet omnia alia dona. Vnde dicit Auguſtinus ſuper illo verbo Matth. 25. & Lucæ 19. *omni habenti dabitur & abundabit.* Quiſquis charitatem habuerit etiam omnia dona percipit: quiſquis autem charitatem non habet etiam dona, quæ percepiſſe videbatur amittit. Hæc ille. Vt autem hortulus ille magis frequentetur & ametur, ponam in eo myſticos fructus ſimilitudinum & exemplorum, quæ multum animas recreant & delectant, Iuxta illud Auguſtini lib. 2. ad Iouinianum. Cum aliquid myſticè & ſimilitudinariè proponitur, plus diligitur, plus mouet, plus delectat, & plus honoratur, quàm quod verbis proprijs apertiſſime dicitur. De exemplis dicit Ariſtoles 9. poeticæ. Exemplis vtimur in docendo, vt facilius intelligatur, quod dicitur. Nec tædeat ſtudentem, quod ſermones ita prolongaui, quia poteſt prouidus prædicator in vna parte principali ad proponendum populo contentari. Generat enim prolixitas tædium, & ſpernitur, quod longo ſermone proponitur. Vnde plus debet quilibet prædicator ad breuitatem ſermonis, quam ad prolixitatem declinare. Si.n. facundus eſt in prædicando, doctrina eius breuis auidius à populo exauditur. Quia quod parcius apponitur auidius ſumitur, inquit Gregorius in Homilia. Eſt n. de cibo verbi Dei, ſicut de cibo corporali. Vnde dicit Ioan. Meſue in lib. de regi. ſanit. Eſuriente adhuc ſtomacho ceſſandum eſt à cibo, quoniam parcitas cibi & potus multum valet, vt calor naturalis digerens rei digeſtibili dominetur, ne

nauſea & abbreuiatio vitæ comitetur. Sic etiam à cibo verbi Dei tunc eſt ceſſandum, cum deſiderantius prædicator attendere videt populum congregatum, ne propter prolixitatem ſermonis nauſeam. & tædium generet populo, ſicq; minori affectu audiatur. Si autem prædicator non eſt facundus, nec bene expreſſiuus, libentius auditur citius ceſſans quàm prolixè prædicans. Et ſic fit, quod ille, qui non laudatur prædicando, commendatur tamen in ceſſando. Inſuper in illo hortulo nullam plantam moralitatis vel doctrinæ de ſenſu meo inſerui. Ex quo dicere poſſum cum Sapiente, *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum, non didici ſapientiam & non noui ſcientiam ſanctorum.* Prouerb. 30. Sed de hortis aliorum Doctorum plantas accommodaui, & huic hortulo complantaui. In quo indebitè plantata committo ſapientioribus emendanda: pro benè verò inſertis obſequia & laudes Deo tribuo.

DOMI-

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Sermo Primus.

Hora est iam nos de somno surgere. Roman. 13.

CONSVETVDO est, quando rex terrenus, vel alius dominus in suam peruenerit prouinciam vel ciuitatem, quod consueuit in turribus sui castri vigiles ordinare, quorum aliqui in nocte vigilant, alij vero in principio diei dormientes cornu vel buccina excitant, vt ad labores se disponant. C

SPIRITVALITER Christus (vt dicit Psalm. 56) est *rex magnus super omnem terram.* Hic venit per incarnationem suam in hunc mundum, vt dicit Apostolus. 1. Timot. 1. *Venit Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere.* Venit, inquam, in mundum, qui suus est ratione creationis, Ioan. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Ideo [illegible]: *In propria venit, & sui eum non repecerunt.* Erubescant igitur Iudei infide[illegible]em suum recipere noluerunt, & ipsum venisse hucusq; negaue[illegible] nondum venit, vbi est eorum regalis dignitas, quæ cessauit [illegible]dis Ascalonitæ, sub quo natus est, sicut prophetauit Patriarcha Iacob, Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.* Sed cum ipsi suscipere eum nolunt, nos Christiani gratanter recipere ipsum debemus, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 23. Igitur veniens in hunc mundum in turribus sanctæ matris Ecclesiæ, vigiles S. Apostolos ordinaria, qui super homines in nocte peccati diligenter vigilauerunt. Ideo figurati sunt. Cant. 5 per vigiles de quibus dicitur: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Et sicut mos est vigilum, quod clamant & vigilare mandant; sic S. Apostoli non solum vigilauerunt, sed vigilare alios iusserunt. sicut Petrus, qui ait. 1. Petri 5. *Vigilate,* quasi dicat; diligenter à peccatis præcauete, *quoniam aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Similiter & sanctus Paulus in principio diei gratiæ, buccina sui oris excitauit dormientes, cum dixit: *Hora est iam nos de somno surgere.* Et certe eos ideo suscitauit, vt se ad labores bonorum operum darent, & peccata vitarent. In quibus verbis duo facit. *Primo* merendi, horam publicando: ibi, *Hora est iam. Secundo* à somno peccati suscitando, ibi; *A somno surgere.*

Cur Apostoli nos vigilare iubent.

De PRIMO est NOTANDVM. Petrus de Crescentio, lib. 2. ruralium commodorum cap. 21. Attendendum est, inquit, in omni seminatione, vt seminetur semen, quando adiutorium maius habet à cœlo: & hoc est, quando magis iuuatur calido & humido, & viuifico lumine solis & lunæ simul. Luna enim quia terræ vicinior est, regit omnia terrena ad pullulationem & inundationem. Sol autem quoniam suo lumine est calefactiuus. ideo est aliquantulum humidi seminis adustiuus. Vult idē Petrus quod incenso primo lumine in luna, cum ipsa tunc est calida, temperata, & humida, iacienda sunt semina, quoniam tunc conuenientius iuuatur virtus eo-

 rum-

rum à luna. Ideo dicit Sapiens, *Omnia tempus habent; Est tempus seminandi, & tempus metendi*, Eccl. 3. Ideo dicit Macrobius in saturnalib. quod segetes debent meti luna iam decrescente, quia luna accrescente, vel plena existente, multum inferiora humectat contra naturam solis, Ideo segetes non ita aridæ sunt, nec possunt tunc bene reponi ad seruandum, sicut in defectu eius.

MORALITER. Tempus præsens concessum est homini ad seminandum & metendum, sed in futura vita erit tempus domini ad iudicandum. Et ponit similitudinem Anselm. lib. 9. cap. 75. dicens: Ille qui ludit ad decios, facit anatagiū compari suo quādo dat ei decios, vt iaciat, quo voluerit. Sic facit Deus peccatori, quando quasi decios ei dat tempus ad bene operandū. Modo enim habemus decios, id est, tempus iuxta illud Senecæ. Tempus enim nostrum est: sed post mortem non erit nostrum, sed Dei. Et tunc accipiet & habebit decios, id est, tempus, & contra nos iactabit. sicut ipse testatur Psal. 79. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Ideo dicit Hieronymus 13. q. 2 In præsenti seculo scimus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos adiuuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob. nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquā. vbi vult quod tempus merendi non est nisi in præsenti. Cui consonat B. Augustin. lib. de fide ad Petrum. Tempus, inquit, acquirendi vitam æternā in ista tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit pœnitentiam esse fructuosam: quia in hoc tempore habemus maius adiutorium à Deo & sanctis eius, quam in futuro tempore. Ideo ait Dauid. *Adiutorium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*. Quare homo in præsenti tempore debet iacere semen bonorum operum, secundum quod iubet Sapiens, *Mane*, inquit. *semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua*. Eccles. 11. Quia Deus astat hic homini, vt possit bonum operari. vnde Psal. 5. ait. *Mane astabo tibi & videbo*.

D — Hic tempus messis est, ibi iudicij erit.

Psal. 120.

Et de hoc tempore merendi dicit Apostolus in verbis præmissis, *Hora*, id est, tempus iam promerendi. Vbi NOTA; Hora est tempus vitia pœnitendi, pro uenia exorandi, in gratia proficiendi, aduersa sustinendi. Dico, quod est hora vitia pœnitendi, quia secundum B. Augustinum in lib. de fide ad Petrum hîc facienda est pœnitentia fructuosa, quia potest hic homo deposita malitia bene viuere, & mutata volūtate iniusta, merita simul & opera mutare, & in timore Dei gerere ea, quæ Deo placent, Quod qui in hac vita non fecit, habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet. Hæc Augustinus.

Hora pœnitendi.

Et NOTA quod pœnitentia in præsenti facta, facit multa bona, peccatorum dissimulationem, vitiorum expulsionem, à carcere liberationem. PRIMO quidem facit peccatorum dissimulationem. facit enim peccata dissimulare, cuius exemplum naturale est. Leo qui leænæ cum pardo coniunctionem odore cognoscit, totus in vltionem consurgit. hoc autem ex naturali instinctu congnoscens leæna, se in flumine lauat. Quo facto nihil leo percipit, sicque factum inultum permittit vt dicit Plinius in spec. naturali.

E — Pœnitentia in hac vita fructuosa.

SPIRITVALITER. Leo significat Christum Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*. Leæna vero significat animam peccatricem, quæ tunc pardo, id est, diabolo se coniungit, quando ei mortale peccatum faciendo consentit. Idcirco Deus contra eam prouocatur secundum illud Deut. 32 *Deum, qui te genuit, dereliquisti*. scilicet, per peccatum, *& oblitus es domini creatoris tui*. Et sequitur, *Vidit Deus, & ad iracundiam concitatus*

Christ' leo.

concitatus est. Quare prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Hoc igitur sciens anima, debet lauare se in pœnitentiæ flumine, peccati maculam auferendo, vt Deus non inferat vindictam. Et hoc iubet Chrysostomus de pœn. dist. 1. c. Quis aliquando. Quod, inquiens, defendi non potest, ablui debet. Lauant lacrimæ delictum, quod pudor est voce confiteri. Hoc autem, vt dicit Bartholomæus Brixiensis non est intelligendum sine confessione, sed sic: Si est peccatum adeo graue, vt cum pudore confiteamur, non ideo est desperandum. quia lauant lacrymæ delictum, &c.

Videns igitur Christus de tribu Iuda, quod anima per leænam signata in pœnitentiæ flumine & lacrymarũ sit lota, dissimulat eius peccata. Sap. 6. *Misereris omniũ, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Quod sic intelligitur: *dissimulas peccata*, id est, differs ea punire. Quod figuratũ fuit 3. Reg. 21. de Achab, qui fecit malũ in conspectu dñi. Insuper fecit lapidari Naboth ꝓpter vineam suã. Ideo dixit Helias ei in persona dñi. *Ecce inducam super te malũ, & interficiam de domo Achab clausum*, id est, captiuũ, *& nouissimũ*, id est vilem, *vsq; mingentem ad parietẽ.* Per quod *vno modo* secundum literam intelligitur canis; *alio modo* infirmus & debilis, qui iuxta lectum non potest mingere, nisi appodiet se ad parietem. vt sit sensus. Si percutiatur canis, qui propter vilitatem non deberet tangi, vel debilis, cui debebat parci, multò magis illi de domo Achab exterminabuntur. *Cum audisset sermones istos, scidit vestimenta sua, cooperuitq; cilitio carnem suam, & ieiunauit, dormiuitq; in sacco*, secundum Gloss. in signum pœnitentiæ & humilitatis coram Deo. *Et factus est sermo domini ad Eliam: Nonne vidisti Achab humiliatũ coram me? quia ergo humiliatus est coram me, non inducã malum in dieb. eius.* Ecce mitis leo propter pœnitentiam distulit punire culpam. F

SECVNDO pœnitentia facit vitiorum expulsione, ideo assimilatur Sapphiro, propter septem eius virtutes septẽ vitia mortalia expellentes. PRIMA virtus Sapphiri est, quod habet virtutem sudoris & sanguinis restrictiuam, vt dicit Dioscorides. Hoc conuenit pœnitentiæ, in quantum restringit *vitium gulæ.* ex qua prouenit sanguinis superfluitas & sudoris. Quod aũt pœnitentia restringit vitium gulæ, patet in primis parentib. quia ex vitio gulæ concedendo de fructu ꝓhibito peccauerunt, Gen. 3. Sed per pœnitentiam longam, sanguis peccati restrictus est, cum satisfecerunt & saluati sunt. Sicut dicitur de Adam, Sapien. 10. *Illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit eum à delicto suo.*

Sapphiri virtutes. I. Restringit sudorem & sanguinem.

Ex quo soluitur quæstio, qua quæritur an peccatum primorum parentum remissibile fuit. Quia secundum Doctores egerunt pœnitentiam. igitur saluati sunt, quod non esset, si peccatum eorum irremissibile fuisset. Et merito peccatum eorum remissibile fuit. quia non ex malitia propria, sed ex suggestione diaboli primus homo peccauit, vt habetur de summa Trinit. & fide Catho. c. Firmiter.

SECVNDO Sapphirus habet virtutem castitatis amatiuam. Vnde omnes naturales consentiunt, quod hæc gemma est amatrix castitatis. Et ideo ne eius virtus vel effectus per immunditiam portantis impediatur, oportet eum portantem castè viuere, vt testatur Poëta. *Si quis gestat eum, castissimus esse iubetur.* G

II. Amat castitatem.

Hoc competit pœnitentiæ inquantum reprimit vitium luxuriæ, & castitatem seu continentiam diligit. Quamuis aliam in coniugalis, aliam in viduis, & aliam in virginibus sanctis.

Quod

Quod autem pœnitentia luxuriam expellit, patet exemplum in Vitis patrum lib. 4. cap. 5. §. 25. de quodam fratre, qui à ſpiritu fornicationis tentatus dixit ſeni.

Pater, occidit me ſordida cogitatio. Dixit ei ſenex. Mulier quãdo ablactare vult filium ſuum, amarum aliquid ſuperungit vberib. ſuis, vt cũ venerit infans, ex conſuetudine ſugere lac, ſentiens amaritudinem refugiat. Sic tu pone in anima tua amarã cogitationem mortis & tormentorum, quæ in ſeculo futuro peccatoribus præparantur, vt cum diabolus venit ſuggerendo lubricas cogitationes aliquid amarum ſentiat, & ſic fugiat, vnde libereris.

MYSTICE mulier eſt S. mater Eccleſia, quæ eſt mater illibata, quæ cupiens ablactare filios vel filias ſuas, à lacte luxuriæ, proponit his amaritudinem pœnitentiæ. quia hic grauis pœnitentia, & in futuro grauior erit eis imponenda. Quia dicit Doctor Amandus in horol. Sapien. lib. 1. cap. 10. Luxurioſi, qui in delicijs carnem ſuam nutrierant, à ſerpentibus deuorabantur, & bufonibus, ignitisq; aculeis, vſq; ad viſcera replebantur, ſicut in ſpiritu vidit. *Et ſubdit.* Qui carnali amori dediti fuerant, vtriuſq; ſexus terram infernalem præ dolore mordebant. Quoniam eos dæmones nimium affligebant.

Nam ſpicula ignea habentes, & æſtu vehementiſſimo eos inſequentes ſæuiſſimis vulneribus repleuerunt.

Punitio luxurioſæ mulieris.

Quod autem diabolus inſequitur luxurioſos puniendo, legitur in horto animæ. Mulier quædam fornicaria in Diœceſi Moguntinenſi moritura, calceos ſibi fieri fecit bene catenatos, & cum magna inſtantia petiuit dicens. Sepelite me cum eis, quia multum erunt mihi neceſſarij. Quod cum factum fuiſſet, nocte ſequente luna ſplendente, miles quidam equitans cum ſeruo ſuo, fœmineos audiuit vlulatus: Mirantibus illis, Ecce mulier veloci curſu ad illos properans clamauit: Adiuuate me. Mox miles de equo deſcendens & gladio ſuo ſibi circulum circumducens, fœminam bene notam intra illum recepit, ſola camiſia & illis calceis indutam. Et ecce ex remoto quaſi vox venatoris horribiliter buccinantis, & latratus canum venatorum audiuntur.

Quibus illa auditis, nimium contremuit, Miles vero cognitis canibus, equum ſeruo committens, comas cappillorum eius brachio ſiniſtro circumligauit, dextera tenens gladium extentũ. Appropinquante illo venatore infernali, ait mulier militi, ſinite me currere, qui appropiant, perſequuntur me nimis. Illo autem fortiter eam tenente, miſera illa diuerſis vocibus tonantibus, militem pulſabat, vt eam dimitteret.

Tandem ruptis crinibus auffugit, quam diabolus inſequens cepit, & equo ſuo inijciens deduxit ita, quod caput cum brachijs ex vna parte penderet & onera ex altera.

Poſt paululum venator ille horribilis militi obuians, captam predam ad infernum portauit. Miles mane ad villam rediens, quod vidit, expoſuit; crines oſtendit, apertoq; ſepulchro fœminam capillos reperit perdidiſſe. Hoc miraculum propter verbum

rerbum Amandi, scilicet, æstu vehementissimo eos scilicet luxuriosos insequentes, nserui huc & locaui. Ecce quantam amaritudinem S. mater Ecclesia proponit filijs uxuriosis, & quid aliud intendit, nisi vt eos à tali delectatione declinare faciat.

TERTIO Sapphirus habet virtutem timoris & inflammationis seductiuam, quia apostemata reprimit, si in principio noxiæ collectioni cito appositus fuerit, vt dicit Dioscorides. Et hæc competit pœnitentiæ, in quantum repellit timorem & inflammationem superbiæ, & maxime in principio, antequam superbia inueterascit. Si ad humilitatem pœnitentiæ oratio deducatur, sicut patet de Nabuchodonosore Dan 4. qui in spiritu elationis dixit: *Nonne hac est ciuitas Babylon magna, quam ego ædificaui n domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Cumq; sermo adhuc esset in ore regis, venit vox de cœlo dicens: *Tibi dicitur Nabuchdonosor rex: Regnũ tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum feris erit habitatio tua; fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur, super te; donec scias quia dominetur excelsus. Eadem hora sermo completus est super eum & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est: donec capilli in similitudinem aquilarum crescerent & vngues eius quasi auium.* Et illam amentiam debuit septem annis sustinere. Sed Magister in Scholast. hist. dicit, quod precibus Danielis hi septem anni mutati sunt in septem menses, in quibus quadraginta diebus insaniam patiebatur, & interim per quadraginta dies rediens ad cor, flebat & à Deo supplicabat, vt ex nimijs fletibus oculi eius vt caro facti sunt. Ecce quantam pœnitentiam egit. Ideo dicit Augustin. 23. q. 4. c. Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam. *Et subdit:* Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rursus accepit? quasi diceret, sic. Et hæc quidem pœnitentia expulit superbiam. quod patuit ex verbis istis Danielis 4. *Nunc ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli quia omnia opera eius vera, & via eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* De Nabuchodonosore vide infra ser. 1. Dominicæ 3. G. A. H III. Sedat timorem & inflãmationem.

QVARTO Sapphirus habet virtutem caloris febrilis repressiuam, si iuxta venas cordis pulsatiles suspendatur. Est autem auaritia inordinatus ardor quidam & febrilis calor, qui quietem omnium tollit, & sitim inexstinguibilem gignit. hunc calorem pœnitentia mirabiliter exstinguit. Exemplum habetur in B. Matthæo, qui sedit in telonio vt auarus Matth. 9. vocatus autem à Christo ad pœnitentiam venit, propria reliquit, qui aliena rapere consueuit, vt dicit Beda. I IV. Reprimit calorẽ febrilẽ.

QVINTO habet virtutem venositatis expulsiuam, vt dicit Dioscorides. Si araneam in pixidem posueris, & verum Sapphirum Indicum vel alium super orificium aliquantulum tenueris, eius virtute victa subito moritur. Ex quo patet, quod habet virtutem veneni penitus extinctiuam. Sic pœnitentia exstinguit & expellit venenum inuidiæ Et hoc figuratum est Gen. 37. in fratribus Ioseph, qui adeo erant intenti, & accensi inuidia erga ipsum, quod non poterant ei quicquam pacificè loqui. Sed cum venisset ad eos in agrum, dicebant: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum* sed tamen vltimatè eum vendiderunt Ismahelitis in Ægyptum. Cum autem missi essent à patre in Ægyptum, vt emerent frumenta, angustiati sunt à Ioseph, qui dixit eos exploratores esse, & posuit eos in carceres. Tunc pœnituerunt, cum dixerunt Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* sicq; per pœnitentiam extinxerunt inuidiã, & deinceps benigni erant erga ipsum, & ipse pascebat eos, vt habetur Gen. 50. V. Expellit venenum.

K VI. Habet vim dissidentes reconciliandi.

SEXTO habet virtutem discordiæ reconciliatiuam, vt dicit Dioscorides. Nam plurimum dicitur valere præsentia eius ad pacem inter discordes reformandam. Et hoc competit pœnitentiæ, non solum in quantum animam reconciliat, sed etiam in quantum de cordibus pœnitentium iram fugat & odium, vt ad receptas offensas dimittendas & per consequens ad pacem inclinet. Exemplum patet in Paulo Act. 9. qui sperans gloriam ex feruente spiritu iræ *minarum & cædis in discipulos domini petijt à Principibus sacerdotum literas in Damascum*, vt puniret Christianos. Sed cum iret post eos, ipsum in terram prostrauit. Et tunc pœnituit, cum dixit: *Domine, quid vis me facere?* quasi diceret, paratus sum pœnitere, & tibi in omnibus obedire: sicq; lupus iracũdus factus est agnus mansuetus. Vtinam adhuc pœnitentia de cordibus aliquorum fugaret iram. Sed heu quamuis confitentur & pœnitent, tamen iram contra proximos diutius seruant. Contra quod dicit Canon, dist. 25. c vnum orarium. §. Alias. Ira hominis si longo tempore seruatur, est mortale peccatum. & Hugo de S. Victore. Melius est, inquit, sæpius irasci, & iram mox extinguere, quam irasci rarius, & in ira stare inflammatus.

Ira diu retenta est peccatum mortale.

L VII. Lætificat corpus.

SEPTIMO. Sapphirus habet virtutem corporis lætificatiuam. Vnde valet contra cardiacam passionem, & melancholiam. Et hoc pœnitentiæ competit, in quantũ acediam expellit, quæ animam tristem & grauem facit, iuxta illud Fortunati in Homil. Qualis, inquit, consolatio illi debetur, qui in laude Dei torpet, tristitiaq; tenetur? quasi diceret, nulla. Si autem acedia per pœnitentiam est expulsa, alleuiatur & lætificatur anima. Quod attestatur Chrysost. in serm. Acediam si abieceris, mox ineffabilẽ percipies lætitiam Dei, & dulcorem. Ex his iam dictis patet apertè, quod pœnitentia expellit septem peccata mortalia. De hoc dicit Chrysostom. Pœnitentia respuit auaritiam, abhorret luxuriam, fugat furorem, firmat timorem, calcat superbiam, excludit inuidiam, continet linguam, mores componit, malitiam odit, libenter omnia sufferre cogit, ligata soluit.

M

TERTIO. Pœnitentia facit à carcere liberationem quia à carcere peccati liberat, & gratiam Dei redonat. Et hoc ostenditur ex somnio pincernæ Pharaonis, Gen. 40. vbi ait: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines crescentes paulatim in gemmas*, vulgariter Beer, oder Rebaugen *Et post flores vuas maturescere; calicem q́ Pharaonis in manu mea: Tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respondit Ioseph. Tres propagines tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabis q́ ei calicem iuxta officium tuum sicut ante consueueras. Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit.*

Significatio pincernæ, vitis gemmarum.

Hanc figuram exponit Anselm. lib. 7. cap. 24. dicens: Iste Pincerna reus, & in carcere positus, & postea tamen liberatus, significat eos, qui etsi peccant, tamen per pœnitentiam liberantur. Vitis autem est pœnitentia, cuius tres propagines sunt; humilis contritio, vtilis confessio, facilis satisfactio. Ex quibus producuntur gemmæ bonarũ cogitationum, & flores bonarum affectionum, & fructus maturarum & sanctarum operationum, & exprimuntur vuæ per tolerantiam passionum Christi, quod exprimit in calicem regis.

Tres propagines, quid?

Ad hoc idem refertur interpretatio, quia tres propagines sunt tres dies, id est, tres animæ illuminationes. *Primus* in peccati recognitione, quam facit contritio. *Secundus* in peccati pro palatione, quam generat confessio. *Tertius* in peccati redemtione,

quam

quam generat satisfactio. Post quos Pharao, id est, Deus recordatur peccatoris & restituit eum ad pristinum statum gratiæ. Quod autem sequitur, *Memento mei, cum tibi benè fuerit,* est verbum, quod per Christum dicitur, vt qui percussus tribulatione vel infirmitate est, memor eius sit, & redeat ad cor, & pœniteat, vt liberetur iuxta illud Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum.* & quandoque tales postquam liberati sunt, & ad sanctitatem & proprietatem redacti, non amplius recordantur Dei, nec quod inceperunt, prosequuntur; sicuti de isto pincerna scribitur. postquam liberatus est, succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui.

Quod autem pœnitentia restituit peccatorē pristinæ gratiæ, probat Thomas Brabantinus siue Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 51. part. 2. In Germaniæ, inquit, partibus quidam nobilissimus comes, sed ferus pauperum spoliator & oppressor, ex misericordissima pietate diuina, graui infirmitate correptus est, & amarissima pœnitentia contritus. quia sciuit illud Sap. 5. *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum,* omnia ad restitutionem posuit, quæ habebat, & irremediabilibus lacrymis quotidie lectum rigās, angelos ac sanctos Dei ad impetrandam misericordiam deuotius implorabat. Decumbens vero suo corpori tantum ingerebat supplicium, vt talos pedum, & crura fricaret ad lignum: & cutem, carnem, ac neruos assiduitate euelleret violenta: Aquam etiam frigidam in hyeme quasi ad bibendum acceptam illam pectori superfundebat & membris, vt ex hoc glaciali frigore torqueretur. Nec diu pòst in agonia positus, tanto spiritu & repletus, vt sicut Christus de publicano Euangelistam: ita de isto faceret prophetam. De seipso enim dixit, quod sine purgatorio ad requiem volaturus esset: & quod Henrico regi defuncto tota Thuringia maximis calamitatibus subiaceret, quod & factum fuit. N

In hoc exemplo vide optimum modum pœnitendi. Volens enim vere pœnitere peccator, debet omnia ablata restituere. Quia dicit Augustin. in epist. ad Macedoniū: & ponitur 14. q. 6. c. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest. Et dicitur NOTANTER, si restitui potest. Si enim non est in posse restituendi, non est compellendus. Quare subdit Augustin. Qui non habet vnde restituat, huic non possumus (hoc est secundum gloss. non debemus) dicere, redde quod abstulisti. Hoc intellige, quando raptor vel fur non est soluendo, sed si est soluendo, licet res quam abstulit, sine culpa sua periisset, tamen tenetur reddere æstimationem illius.

Sed quibus est restitutio facienda? *Respondet* Raymundus, quod spoliatis, aut eorū heredibus si possunt inueniri: si autem non inuenirentur, tunc de consilio Prælatorum distribuantur in pias causas, & maxime in Eleemosynam pauperum, & redemptionem captiuorum, & hoc fiat in loco, vbi rapina est facta. Sed Archidiaconus Guido in rosario dicit: (imo credo,) quod ipse raptor bona incerta non debet pauperibus erogare, absque auctoritate vel scientia Episcopi, vel alterius iudicis Ecclesiastici, vt satis colligitur. Extra de vsu. c. Cum tu. Vnde de illo nobili comite, sequitur, quod omnia ad restitutionem posuit, quæ habebat, & quod lectum lacrymis rigauit exemplo Dauid, qui ait Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes: lectum meum latrymis meis stratum meum rigabo.* Quia dicit Chrysostomus super Matth. Nemo ad Deum flens accedit, qui non postulatum accipit. *Et sequitur;* quod Angelos & sanctos ad impetrandum

gratiam inuocauit. quia dicit Iob. 5. *Voca si est qui tibi respondeat. & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Ideo dixit Dauid Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes*, id est, in sanctos, qui sunt montes spirituales, *vnde veniet auxilium mihi.*

P

Hora pro venia exorādi.

SECVNDO dixi, quod hîc hora est pro venia exorandi, ideo dicit Dominus Ieremiæ 33. *Clama ad me & exaudiam te.* Et 1. Machab. 4. *Nunc*, scilicet in tempore gratiæ, *clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Deus.* Et ipse Dominus hortatur nos ad orandum Luce 11. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis.* Et merito est hîc pro venia exorandum. quia in præsenti tempore oratione venia impetratur, tentatio superatur, vita prolongatur, cœlum reseratur.

Cur pro venia exorandum.

PRIMO enim venia impetratur exemplo publicani, qui hac breui oratione, *Deus propitius esto mihi peccatori* Lucæ 18. veniam meruit, & iustificatus in domum suam intrauit. In inferno autem damnati, & qui hoc tempus gratiæ neglexerunt, non orant pro venia Isa. 64. *Homo non est, qui inuocet nomen tuum.* Sed dicunt illud Ierem. 8. *Transijt æstas, finita est messis, & nos saluati non sumus.* Ideo narrat quidam religiosus apud Clareuallem, quod quidam vir sanctus dum staret quadam vice in oratione, audiuit quandam vocem in spiritu miserabiliter clamantem & lamentantē, & eo quærente, quis esset? Respondit: quod esset anima cuiusdam damnati, suam plangens damnationem. Addens, quod inter omnia, quæ ipsum & alios damnatos excitarent ad planctum, esset maxime temporis amissio sibi de gratia Dei collati. In cuius vna morula fecisse pœnitentiam potuissent, quæ eas à pœna inferni præseruasset. Ideo dicitur Cantic. 2. *Tempus putationis aduenit*, tempus inquam, in quo peccatum decidatur, & venia impetretur.

Tentatio superatur.

SECVNDO tentatio superatur. Quod patet in exemplo ex lib. doct. Patrum, de fornicatione, num. 8. Quidam pater paruulum filium in eremo nutrierat, quem adultū diabolus de luxuria tentabat. Quod cum patri indicasset, iussit eum, antequam seculum intraret, solum quadraginta diebus ieiunijs & orationibus vacare. Expletis vero viginti diebus vidit teterrimam mulierem & nimis fœtidam nudam super se irruere. Cuius fœtorem non valens sufferre, cœpit eam à se repellere. Et illa: Cur, inquit, me in tantum horrescis, cuius amore plus exardebas? Ego enim sum luxuriæ imago, quæ dulcis & pulchra in cordibus hominum appareo, & nisi patri tuo obedisses, à mea tentatione prostratus fuisses. Ecce quod hîc oratione tentatio superatur. Ideo hortatur dominus Matth. 26. *Orate*, inquiens, *ne intretis in tentationem.*

Oratio vitā prolongat.

TERTIO hîc oratione vita prolongatur Exemplum de Ezechia, cui dixit Isa. 4. Regum 20. & Isa. 38. *Dispone domui tuæ quia morieris, & non viues. Et ille conuertit se ad parietem*, secundum Gloss. vt oraret, & ait: *Memento domine quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum fuit coram te, fecerim. Et Dominus ad Isaiam: Reuertere, & dic Ezechiæ. Audiui orationem tuam, & sanaui te, & addam diebus tuis viginti & quinque annos.*

Cœlum reserat.

QVARTO hîc oratione cœlum reseratur, quod patet in latrone, cui hac breui oratione *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. cœlum reseratum est, dicente Domino? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* In futuro autem oratio pro damnatis erit inutilis: quia Deus nec sanctos pro eis exaudit. Ierem. 7. *Noli orare pro populo hoc, & ne assumas laudem pro eis: quia non exaudiam te.*

Q

TERTIO hîc est hora in gratia proficiendi. Proficere enim & crescere potest homo in vir-

in virtutibus, quamdiu durat in præsenti vita: cuius similitudinem ponit Anselmus lib. 2. cap. 101. Ceruis, inquit, crescunt cornua vsque ad septimum annum, quia vsq; ad septimum annum pullulant omni anno cornua eius vnum ramum augendo. Vnde eorum ætas per cornua deprehenditur. Quid per septem annos? certe vniuersum tempus vitæ nostræ designatur. Accipiemus ergo, inquit Anselmus in septenario annorum tempus dierum nostrorum Scriptum est enim Isa. 4. *Diem pro anno dedi tibi.* Et in Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Septenarius ergo per denarium multiplicatus in septuagesimum consurgit, vt sic innuatur, quod totum tempus annorum nostrorum debemus dedicare, per profectum virtutum, quarum principaliter septem sunt, quatuor Cardinales & tres Theologicæ, quæ significantur per augmentationem septem cornuum. Hora in gratia proficiendi.

Contra hoc autem fuerunt quidam hæretici Begardi dicti & Beginæ, de quibus habetur in Clementina de hæret. c. Ad nostrum, qui dixerũt, quod homo in præsenti vita tantum perfectionis in virtute gradum posset acquirere, quod redderetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeret. Nam, vt dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri. Quorum errorem condemnat sancta Ecclesia, ne de cætero hoc aliquis audeat temerariè tenere, defendere, vel approbare.

Sed NOTA licet sit hic hora proficiendi in gratia, non tamen in futura vita, quia ibi nemo melior fieri potest eo quod est extra tempus meriti: Ideo dicit Sapiens Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Quod exponit Nicol. de Lyra, per lignum intelligitur homo, qui dicitur arbor euersa à Philosophis, & lib. 2. de anima dicit Aristoteles quod radices in plantis similes sunt ori in animalibus quia per illos arbores accipiunt alimenta. Dicitur ergo lignum cadere, quando per mortem scinditur à statu vitæ. Si ergo ceciderit ad Austrũ, id est, ad partem electorum, qui intelliguntur nomine Austri, vel ad Aquilonem, id est, ad partem reproborum, qui nomine Aquilonis intelliguntur. Ierem. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ibi erit, id est, immutabiliter remanebit. Propter quod in pręsenti vitia, vbi prodest proficere in virtutibus debet homo facere id, quod potest. iuxta illud, Eccl. 9. *Quodcunq; potest manus tua, instanter operare.* scilicet in præsenti vita proficiendo in gratia & merito. *Quia nec opus*, scilicet exterius, *nec ratio*, scilicet mentis meditatio, *nec scientia* de humanis, *nec sapientia*, scilicet de diuinis *erunt apud inferos, quo tu properas.* quasi diceret, ibi non est status in gratia proficiendi.

QVARTO hic est hora aduersa sustinendi. Ex quo enim dictum est statim supra, *Hora est iam nos de somno surgere*, scilicet proficiendi in gratia. Qui ergo habet gratiam Dei, aduersitas prodest ei. Si autem ipsam non habet, aduersitas ei nocet, quod probat Anselmus lib. 3. cap 4 de prio. Pirum, inquit, post cibum commestum prodest ex eo, quod est laxatiuum. Nam comprimit cibaria ad locum decoctionis, & neruos orificij stomachi confortat. Sed ante prandium sumptum constipat. & si quis multa & sæpe ex eis comederit, vermes in ventre generant, & cholicam passionem durum & incurabilem prouocant. Et subdit hoc declarando. Cibus, inquit, & nutrimentum, est gratia Dei. Nam sicut Philosophus dicit: Ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. SPIRITVALITER autem sumus per gratiam Dei, secundum illud Apostoli: 1. Cor. 15. *Gratia Dei nutrimur.* Si quis hoc cibo igitur vel nutrimento refectus sit, videlicet, R Hora aduersa sustinẽdi.

quod gratiam Dei habeat in se, vtiliter pirum sumit. Quia ei non obest, si tribulationem incurrit, licet enim tribulatio grauis sit ad portandum, tamen laxat, purgat peccatum, & confortat animum, & ad bonum roborat. *Nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. Si quis autem hoc nutrimento est vacuus & ieiunus, gratiam illius non habens, tribulatio aut aduersitas ei nocet, ex eo, quod generat ei plerunque constipationem, id est, diuturnæ mentis desperationem, impatientiæ inquietationem, aut cholericam, id est, iracundiæ implicationem seu implicabilem passionem. Quod autem vtilis est aduersitas gratiam habentibus, patet 2. Regum 24. de Dauid, qui cum numerasset populum, aduersa sustinuit, eo quod populum suum mori ex pestilentia vidit, attamen pœnituit dicens: *Ego sum, qui peccaui*. Sed gratiam non habentibus aduersitas duritiam mentis inducit, sicut patet de Pharaone, qui intra flagella sua semper durior effectus est, vt patet in Exodo & 23. q. 4. c. Nabuchodonosor. Ideo bonũ est gratiam habentibus vt hic premantur aduersitatibus quia secundum Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo secundus.

Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ad Rom. 13.

DICVNT naturales. Balustia est quidam flos malogranati, & est frigidus & siccus, & habet virtutem restringendi & desiccandi honorem. ideo valet contra disenteriam & sanguineum fluxum ventris. Vomitum etiam cholericum restringit, si cocta aceto super furculam pectoris ponatur, vt volunt medici.

MORALITER hic flos significat deuotos & bonos homines mundi, qui quotidie florent in virtutibus; iam in humilitate, iam in castitate, & interdum in caritate: de quibus Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* De his dicitur Can. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra.* De ipsis etiam dicit Christus, Eccles. 24. *Flores mei fructus honoris & honestatis*. & recte. Sicut enim flos balustiæ, cum cadit de arbore siue ramo, colligitur à medico; sic homines deuoti, cum cadunt de mũdo, scilicet operibus eius non consentiendo; colliguntur à Christo cœlesti medico. & ratio est, quia ad instar balustiæ flores sunt frigidi, ab æstu scilicet auaritiæ continentes, & sunt sicci ab humore & fluxu luxuriæ & ventris, restringuntq; vomitum choleræ, id est, impetum iræ. Quod autem Christus hos colligit, quos mundus abijcit, figuratum est. 1. Regum 30. vbi legitur de *puero Ægyptio, qui in via ægrotare cœpit, quem Amalecita ægrotum in via deseruit*. Dauid vero inde transiens eum inuenit, cibo refecit, & ducem itineris sibi fecit.

Puer, vnde dicatur. MYSTICE puer dicitur à puritate, & significat homines bonos, quem Amalech, qui interpretatur gens bruta, significans malos, abijcit & dimittit. Sed verus Dauid Christus hos colligit, & cibo suæ doctrinæ eos pascit. Ideo Dauid Psal. 83. ait: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei*. Et quia Deus bonos colligit & deuotos, ideo necesse est, vt opera tenebrarum abijciamus, & virtutes induamus. ad quod hortatur Apostolus in verbis prælibatis. *Abijciamus* ergo *opera*: In quibus ad duo nos monet: scilicet ad vitiorum

:iorum abiectionem,ibi; *Abijciamus opera tenebrarum.* Ad virtutum induitionem, bi; *Et induamur arma lucis.*

De PRIMO NOTANDVM. Homo qui vult ascendere montem,si super se habet aliquod graue pondus vel onus, difficulter aut nequaquam potest ascendere, ideo necesse est,vt pondus dimittat in valle. MYSTICE, quilibet homo nititur ascendere in montem cœlestis curiæ, sicut de hoc dicit venerabilis, Boëtius in lib. 3. de consol. prosa. 2. Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Sed certè homo habet super se pondus graue peccatorum,& potest dicere cum David Psal 38. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue,&c.* Ideo si voluerit ascendere, necesse habet onus illud in valle huius mundi abijcere. quia cum Dauid quæreret Psalm.9. *Domine,quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondit in spiritu. *Qui ingreditur sine macula.* Et Psalm.23. *Quis*,inquit,*ascendet in montem Domini,aut quis stabit in loco sancto eius, &c.* Responsum fuit: *Innocens manibus,&c.* quasi diceret: Qui abiecit opera tenebrarum, & onera peccatorum,& induit arma lucis,id est,virtutum. Vbi NOTA,animalia irrationabilia docent nos abijcere vitia. Ideo Iob remittit nos ad ea, cum dicit Cap.12. *Interroga animalia; & docebunt te: & volatilia Cæli,* & indicabunt tibi. T

PRIMO igitur qui vult abijcere à se hæc tria nociua,elationem mentalem,damnationem temporalem,prosperitatem mundialem,interrogare debet ceruum,& docebit eum. Dicunt naturales, ceruus inter omnia animalia solus mutat cornua. quia eius cornua sunt solida,& ideo ponderosa: quare ea abijcit propter ponderositatem, vt vult Magister lib. 14. proprieta. rerum. & dicit Aristoteles lib.8. animalium: Ceruus eijcit cornua sua; vbi difficile est ea inuenire. Ideo dicitur in Prouerbio: *Vade, vbi ceruus abijcit cornua sua.*

Quid MORALITER per cornu intelligitur? *Vno modo* elatio mentalis, iuxta illud Psal.73. *Nolite exaltare in altum cornu vestrum.* id est. Nolite vos exaltare in superbia. Hoc cornu diabolicum abijcere debemus propter multa. V

Cornu quid mysticè significat.

PRIMO, quia eum impedit ideo deijcit. propter quod cornu comparatur tonitruo, qui turres altas concutit & deijcit. Ipsa enim elatio deiecit Luciferum cum suis complicibus de cœlo in terram, vt Ezech cap.28. *Eleuatum est*, inquit, *cor tuum in decore tuo, & in terram proieci te.* Et hoc miratur Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Ipsa deiecit Adam de Paradiso, Gen.3. Saul de regno. 1. Regum. 15. Hoc perpendens Dauid, ait; Psal.18. *Emundabor à delicto maximo.*

SECVNDO, Quia infatuat. imò ad modum ebrietatis, Abac.2. *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus.* Vinum secundum Glossam; hoc modo potantem decipit. *Ingreditur enim blande,* Prouerb. 23. Sed postea dominatur in homine, & facit eum fatuè credere & loqui. Sic enim superbia facit de se credere vel loqui fatuè. Nonne superbè locutus est Lucifer, cum ait: *Ero similis altissimo?* Isa 14. Nonne fatuè loquebatur Nicanor dux? 2 Mach. 15 cum dicerent ei Iudæi, *Deus potens est in cœlo, qui iussit septimum diem celebrare.* Respondit, *Et ego potens sum in terra, qui iubeo sumere arma.*

Alio modo infatuat eodem modo, quo inflatio faciei solet ipsum iussum impedire superbia enim est inflatio faciei interioris, de quo Iob 15. *Operuit faciem eius crassitudo.* Hanc

do. Hanc inflammationem mentis interioris habuit B. Augustinus ante conuersionem. Ideo dixit, facies mea inflata non sinebat me videre.

TERTIO, superbia condemnat, Sap. 5. dicunt damnati. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* quasi diceret, contulit nobis condemnationem.

QVARTO, cuncta peccata de se parit, Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia, qui tenuerit eam, replebitur maledictis*. id est vitijs. Vbi dicit Glos. interl. De superbia nascitur hæresis, schisma, detractationes, inuidia, verbositas, iactantia, contentiones, & huiusmodi Hæc mala & plura alia tangit metrista. de superbia, vt habetur ex margarita super decretum.

Deijcit, infatuat, condemnat, deprimit, inflat:
Crimina cuncta parit, virtutum germina perdit.

X. *Alio modo* per cornu intelligitur damnatio vel potestas temporalis, iuxta illud Psal. 88. *Exaltabitur cor nostrum*, id est, potestas nostra. & iterum Psal 74. *Cornua peccatorum confringam*. id est, potestates impiorum disperdam. Vbi NOTA; potestas humana assimilatur brachijs.

Cur brachiis assimiletur potestas humana.

Primo, sicut duo sunt brachia, dextrum videlicet & sinistrum, ita duplex est potestas, videlicet spiritualis & temporalis. Spiritualis est, vt dextrum brachium. temporalis vt sinistrum. Et sicut brachium dextrum excellit sinistrum, ita potestas spiritualis excellit secularem de hoc Innocent. Extra de maio. & obedi. c. Solide ad Cōstantinum Imperatorem. Quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Super quo Laurentius Doctor: cum luna sit septies maior terra, restat vt Pontificalis dignitas quadragesies octies sit maior dignitate regali.

Secundò, sicut brachia sunt in ossibus grossa, & medulla plena, sed exterius parum carnosa, sic debent in potestatibus, vel damnationibus cōstituti, esse interius magni in virtutibus, & exterius parum carnosi, & non voluptuosi. Quia dicit c. vilissimus. 1. q. 1. Vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior. Prælatum igitur esse peiorem populo absurdum est. Et est ratio, quare debent esse virtuosi, quia sunt tanquam signum positi ad sagittam. Vnde inferiores vitam eorum inspiciunt, vt Extra. de accu. c. qualiter & quando. Si ergo sunt magni in virtutibus, inferiores ab eis sumunt exempla virtutum. Quia dicitur de voto & vot. redemp. c. Magnæ deuotionis. per Innoc. III. Quod à prælatis agitur, facile trahitur à subditis in exemplum. Quare autem non debent esse voluptuosi, ratio est, quia voluptuosos appellat Philoso. 1. Ethic. homines bestiales, vitam pecudum eligentes. Sed quare non decet rectores aliorum esse bestiales, sed valde rationales iuxta illud Aristotelis 1. Polit. Homines intellectu & ratione vigentes, naturaliter sunt domini & rectores aliorum. Ideo non debent esse voluptati dediti. Sed de multis potentibus mundi, dicit Laborintus: Indulgentes plurimum cibo delicato, toto visu seruiunt ventri, delicatè viuunt sine regula, sicut pecus in prato.

Cur Prælati debent esse virtuosi.

Voluptuosi sūt bestiales.

Tertiò. brachia sunt valde vtilia scilicet ad leuandum, purgandum, stringendum, repellendum, impugnandum, & operandum, sic illi, qui sunt in potestate constituti, debent leuare humiles, portare debiles, stringere, id est, amplecti vtiles, repellere nocentes, impugnare hostes, & operari iustitiam in omnes, quia ipsi sunt duces gregis & pastores, vt dicitur 7. q. 1. c. Sciscitaris.

Quarto-

Quarto brachia sunt flexibilia circa tres iuncturas, scilicet circa armum, circa cubitum & circa manum. Sic in potestate constituti debent esse flexibiles circa armos, id est, circa superiores suos per obedientiam & humilitatem, quia dicit B. Augustinus lib 2. confessio. In potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præparatur. Sed circa cubitos, id est circa medios, debent esse flexibiles per beneuolentiam & affabilitatem, exemplo Titi Imperatoris, de quo refert Suetonius, qui cum adeptus esset imperium, conuiuia instituit magis iucunda quàm rius: Affabilis fuit suis nulli ciuium aliquid accepit, sed in solidis colationibus contentus stetit. Sic autem nunc non faciunt domini terreni, qui vanas occasiones quærunt contra ciues suos, & rusticos, & occasione habita auferunt bona eorum Sed audiant tales Sapientem. *Tunc*, scilicet in die iudicij, *stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* Sapien. 5. Titi Imper. affabilitas.

B. Augustinus serm. 20. tractans illud Lucæ 16. *Mortuus est diues*, &c. Si, inquit, in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, vbi putas, qui inuasit rem alienam, mittendus est? Si cum Diabolo ardere debet, qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est qui eundem spoliauit? Sed circa manus, id est, infimos debent esse domini terreni flexibiles, per subuenientiam & pietatem quia debent pauperibus subuenire, eosq; nutrire Quia dicit Augustinus de verbis domini serm 6. loquens de Prælatis. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tortor tuus est. Et certè magis sunt iam tortores pauperum, quam nutritores: plus flectuntur ad rapacitatem & impietaté, quàm ad pietatem. Ideo dicit de ipsis Haymon super Apocalypsin: Qui potestate sua abutitur contra egenum & pauperem, potestas datur de omnibus Deo contra eum. Bonus Prælatus nutritor est: malus verò tortor.

QVINTO sicut brachia sunt quandoq; mortis indicatiua: quia sicut habetur in prænost Hypocrat. Denudatio brachiorum & inquietatio eorum, in acutis morbis est mortiferum signum: Sic similiter est in potestate constitutis, si sunt interius denudati virtutibus & inquieti, pacem subditorum destruentes, signum est, quod Respublica perit & ruit. Prouerb. 28. *Regnantibus impiis mina hominum.*

Vlterius NOTA. quod dicit Apostolus ad Rom. 13. *Non est enim potestas nisi à Deo.* Concordat B. Augustinus 23. q. 1. c. Quid culpatur. Potestas non est nisi ex Deo, siue iubente, siue sinente. Ideo non est semper abijcienda & spernenda ab illis, maximè qui benè sciunt præesse, & ad similitudinem esse brachiorum sustentatores egenorum. quia dicit B. Augustinus lib. cõtra Manichæos, & habetur 8. q. 1. c. Olim. Qui cum lucrandorum refugit aliorum, in se impletum portabit opprobrium. Sed tamen multi & heu quasi omnes potestatibus sibi à Deo datis abutuntur, Deo contradicẽtes, iuxta illud Hieronymi contra Iouinianum. Omnis potestas quæ in hoc mundo erit, potestati diuinæ contradicit: Ideo non est appetenda, sed magis abijcienda & fugienda, iuxta illud Eccles. 16. *Noli quærere ab homine ducatum, neq; á rege cathedram honoris.* Et B. Hieronymus: Caue, inquit, honores, quos sine culpa tenere non potes. Ideo refert Hugo Floriacen. de Vespasiano, quem cum milites sui vidissent strenuum in obsidione Hierusalem, & maturum ad consulendum, rogauerunt, vt susciperet dominationem Imperij Romani. Ille se indignum reputans, renuit. victus tamen eorum precibus, inuitus suscepit. Nunc autem ingerunt se potestatibus non vocati & qui es habent timere illud dictum Chrysost. super Sapien. 6. Potentissima habebit

contra se infernorum agmina, qui potestate fulcitus fuerit in hac vita potentiaque mundana.

Y Abijcienda mundi prosperitas. Prosperitas fabæ comparatur. TERTIO per cornu intelligitur prosperitas mundialis. vt patet in Prouerbio: *Fortuna arrisit illi pleno cornu*, id est prosperitate. Sed hæc est abijcienda propter duo: scilicet peccatorum causationem, & tormentorum euasionem. PRIMO igitur est abijcienda, quia causat multa peccata. Ideo vt dicit Anselmus lib. 3. cap. 63. comparatur fabæ, quæ secundum Magistrum lib 17. proprie humorem grossum habet, & inflationem gignit, stomachum lædit, somnia vana & terribilia inducit. Sic temporalis prosperitas inducit inflationem superbiæ, voracitatem gulæ, per quam ad literam stomachus læditur. Ideo dicit Senec, 36. epist. In quieta res est, felicitas; ipsa se exagitat, mouet cerebrum, non in vno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, & totos resoluit. Ecce quanta vitia causat. Ideo legitur 2. Paral. 33. *Manasses in regia potestate constitutus erat homo pessimus, nam obseruabat somnia, sectabatur auguria, habebat secum magos, & incantatores, & multa mala fecit coram domino*. De hoc quære infra plura Dominica 3. in Aduentu serm 1. F. G.

Z Prosperitas damnat. SECVNDO prosperitas est abijcienda quia damnat quia dicit Anselmus lib. 9. cap. 58. prosperitas temporalis est signum perditionis, & aduersitas est signum saluationis *Et subdit*. Qui enim in hoc mundo prosperantur, similes sunt infirmis desperatis, voluntati suæ à medicis derelictis. quibus nihil quod expetunt, denegatur. de quibus etiam dicit B. Gregorius. Desperatis ægris medici quicquid poposcerint, dari præcipiunt. Et qui reduci possunt ad salutem, quæ appetunt, dari contradicunt. Sic dicit Anselmus Peccatores, quibus prospera abundanter affluunt, de æterna salute desperati sunt: sed qui sunt saluandi, aduersitatibus coërcentur. Vnde dicit Gregorius. Mactandus vitulus liber ad pascua dimittitur, seruandus iugo premitur. Et B. Hieronymus, Mirum est, inquit, quod sub pedibus damnandorum non succrescit luna in solatium, sed magis mirum est, quod in æternum saluandis omnes lapides non surgunt in offendiculum. Hæc ille. O igitur felix est ille, qui dicere habet illud Oseæ cap. 8. *Consolatio*, scilicet humana, *abscondita est ab oculis meis*.

Cur beati qui aduersa patiūtur. Sed verè nimium beatus prædicatur, qui aduersitatibus quatitur propter quatuor: quia à Deo visitatur, in anima purgatur, à peccatis præseruatur, & in cœlum eleuatur.

I. *Primo*, tunc à Deo visitatur. Dicit enim Dauid Psal. 33. *Iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde*. & Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*. Super quo dicit Bernardus: Quantumcunque sæuiat tribulatio, non putes de derelictum: sed memineris scriptū, *Cum ipso sum in tribulatione*. In signum illius vidit Nabuchodonosor in fornace ardente cum tribus pueris quartum similem filio hominis, Dan. 3. Ideo inquit Bernardus. Da mihi semper tribulationem, vt semper possis esse mecum.

II. *Secundo* in anima purgatur. Malach. 3. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui*. Et B. Greg. quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio facit viro iusto. Ideo dixit Christus.

Ioan. 16: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum.*

III. *Tertio* à peccatis præseruatur. Est enim quasi myrrha à putrefactione custodiens. hæc Paulum custodiuit, ne superbiret. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus sathanæ, vt me colaphizet*.

IV. *Quarto* in cœlum eleuatur Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*,

iam, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ideo dicit Amandus in horol. sap. lib 1. c. 3. Tribulatio est nutrix humilitatis, doctrix patientiæ, custos virginitatis, & comparatrix æternæ felicitatis. Et hoc probat B. Gregorius lib. 4. dial. ca. 14. & homil. 15. in Euang. de quodam viro nomine Seruulo, quem longa dissoluerat ægritudo, ita quod stare non poterat, nec in lecto surgere, vel iacere valebat. Gratias tamen semper in doloribus suis studebat agere, nec non hymnis & Dei laudibus die nocteq; vacabat. Sed cum tempus remunerationis adueniebat, vt de tanta patientia remunerari demisisset, dolor membrorum ad vitalia rediit, & anima eius pauco interuallo facto, cœlos perpetuo conscendit. Tribulatio nutrix humilitatis.

SECVNDO, debemus abijcere folia instabilitatis animorum, & folia superfluitatis verborum, & hoc exemplo arborum. Dicit enim Plinius in spec. naturali; quæque arbores celeriter & totaliter abijciunt folia tempore autumnali. Abijcienda instabilitas animi.

MORALITER, per arbores homines figurantur, iuxta illud Matth. 8. *Video homines, ut arbores.* Per folia verò intelligitur instabilitas animorum propter duo. *Primo*, propter *leuitatem*: quia sicut folium leue est, & facilè à vento rapitur, Iob. 13. *Contra folium, quod à vento rapitur.* Sic etiam homo instabilis animi, leuis est in credendo, Eccles. 19. *Qui citò credit, leuis est corde.* Contra quod 1 Ioan. 4. vtrumque vitium est, omnibus credere, & nulli. *Secundò*, propter *mobilitatem*: quia sicut folium ad omnem ventum mouetur, & instabile inuenitur; Sic homo instabilis animi, est mobilis in suis operibus veniente vento tentationis: quia non perdurat in opere incepto, sed faciliter vnum dimittit, & aliud incipit, iuxta illud Iacob. 1. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* quia secundum Gloss. nec vult seruire Deo, nec mundo; sed peccato: Contra, quod dicitur. 4. Regum 18. *Vsque quo claudicatis in duas partes? si*, id est, quia, *Dominus est Deus, sequimini eum*, & Matth. 6 dicit Dominus: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Ideo instabilitas est abijcienda, quia dicit Boëtius de disci. schola. tract. 2. cap. 2. Quid in opusculo lucidius constantia? id est, stabilitate? quasi liceret; Nihil: Quid inconstantia nequius? Prima parit: Secunda parta dissoluit: procedit prima, retrocedit secunda: Prima colligit, secunda collecta dissoluit. 2.

Secundo per folia intelligitur verbositas verborum, quæ ad instar arborum est abjcienda. PRIMO, quia gratiam Dei aufert. Vnde Bernardus: Leuis res sermo, sed grauiter vulnerat: aufert etiam gratiam homini, Eccles. 20. *Sapiens in verbis amabilem se facit: gratiæ autem fatuorum effundentur.* Et Prou. 10. *Os stulti confusio in proximum.* Et Eccles. 5. *Honor & gloria in sermone sensati, lingua imprudentis subuersio illius.* Verborum superfluitas aufert gratiam Dei.

SECVNDO, superfluitas verborum est abijcienda, quia multis nocet. *Primò*, nocet sibi sicut testatur Iuuenalis lib. 8. Nocet multis.

Garrulus ipse nocet sibi dum prodesse videtur.

Alio modo, nocet proximo, ideo comparatur gladio in Psal. 63. *Acuerũt vt gladium linguas suas.* Ideo B. Augustinus in libello de admonitione ad matrem. c. 6. dicit: Hortor te, vt in locutione sis continens, vt assiduè cum Psalmista decantes; *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Psalm. 38.

Sed vt Augustinus in libello de conflictu vitiorum & virtutum, ca. 21. scribit; Sic multiloquus dicit: Non reus tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur: sed potius ille, qui rara & mala dicere approbatur. *Ad quod respondet* discreta taciturnitas. Verum, inquit, est quod dicis. Sed dum multa mala approbare videtur, sæpe contingit, vt

git, vt à bonis locutio inchoata ad aliquod prauum deriuetur. Hoc ipsum sacra scriptura pronuntiante, Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudẽtissimus est*. quia inter minima verba sæpe in criminosa declinatur. Sed nunquid declinari poterunt inutilia atque otiosa, de quibus ratio in futuro erit reddenda? quasi diceret; sic. Tenendus ergo modus est in loquendo, & ab ipsis nonnunquam vtilibus verbis parcendum. Sicut legitur Psaltes fecisse. Dicit enim: *Humiliatus sum, & silui à bonis.*

Psal. 38.

Abijcienda mala consuetudo.

TERTIO, abijcere debemus pellem malæ consuetudinis, & pellem prauæ societatis, exemplo serpentis Nam per pellem intelligitur mala consuetudo. Sicut enim serpens tegitur pelle, sic homo mala cõsuetudine. Vide ergo qualiter serpens abijcit pellem. Dicit enim Auicenna & Plinius in spec. nat. & Physiologus lib. 9. Isidorus lib. 12. Quando se sentit senio grauatum, pluribus diebus abstinet à cibo, vt sic pellem suam faciliter relaxet; deinde gustata quadam herba amara prouocatur ad vomitum, & euomit humorem virulentum, qui erat causa suæ infirmitatis. Tandem vt cutem rugatam corrumpat, & ab ea se absoluat, quærit arctam rimam in petra, & per eam intrat per violentiam detrahens cutem se denudat, & tandem se soli exponens desiccat, & nouum corium reponit.

Hoc exponens Anselmus lib. 2. cap 12. ait: Exemplo serpentis debemus vitam nostram innouare. *Primo*, ieiunando non tantum à cibis, sed etiam à vitijs. Quia dicit Augustinus contra Faustum: Non sufficit ad salutem ieiunasse te à cibo, nisi etiam ieiunaueris à delicto. Quia, id est, principale ieiunij, quod homo se abstineat à peccato. vt dicitur de consec. dist. 5. c Ieiunium. *Secundo*, amaram herbam contritionis gustando, venenum peccati per confessionem euomendo, aqua lacrymarum, vel doctrinæ, nos abluendo, in arcto foramine exuuias veteris hominis, id est, malæ consuetudinis abijciendo, vel deponendo. Deinde ad calorem solis, id est, ad amorem Christi desiccando, vt nouum corium, id est, bonam consuetudinem, vel nouum hominem qui secundum Deum creatus est, induamus: Quia dicit Canon. Consuetudines, quæ grauamen Ecclesiis inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere. Extra de consuet c. Consuetudines. Et dicit idem Gregorius in Regist. Sed Gloss. ponit, quod hoc intelligitur de onerosa consuetudine, & quæ multum lædit, quæ est penitus extirpanda, vt probatur 8. dist. 1. c. Mala. & 12. q. 2. c. bonæ rei.

Vitæ innouatio exemplo serpentis instituenda.

SECVNDO, per pellem intellige prauam societatem reproborum, iuxta illud Abacuc. 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian*. id est, impij damnabuntur. Ab illis debemus nos separare, & eos à nobis spiritualiter abijcere, scilicet eos non imitando. Quia dicunt naturales, quod serpens propter inimicitias, quos cum homine habet, ab eo se separat, & sub spinis in deserto latitat. sic etiam debet se bonus & prudens à malis separare. Quia dicitur Psalm. 13. *Cum peruerso peruerteris*. Ideo dicit Cyprianus. 24. q. 1. c. Didicimus. Inuenimus, inquit, in tali facinore non solum duces & auctores, sed etiam participes eorum, pœnis destinari, nisi à cõmunione malorum se separauerint.

Abijcienda mala societas.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo tertius.

Hora est iam nos de somno surgere. ad Rom. 13.

CON-

A

CONSTANTINVS libro de melan. docet quod homines profundè dormientes, non sunt durò cum clamore, sed leuiter excitandi. Et ponit rationem dicens: Cum quis à somno quem cœpit, subitò & cum terrore fuerit excitatus, in posterum ex hoc interdum posset quis vesanus fieri. Ideo dicit Sponsus, Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis*, scil. cum clamore, *nec euigilare faciatis dilectam, quousq; ipsa velit.*

MORALITER per homines dormientes, intelliguntur ipsi peccatores, quia sicut dormientes nihil laborant, sic peccatores nihil meritorum operantur ad salutem, Psal. 72. *In labore hominum non sunt*: & sequitur, *ideo tenuit eos superbia*, &c. hi inquam non austeriter à somno peccati per inclamationes confessorum excitandi sunt, cum consilium & veniam quærunt. Quia legitur in vitis Pat. lib. 4. c. 5. §. 1. quod frater quidam impugnabatur à spiritu fornicationis, & venit ad senem, & retulit ei cogitationes suas. Ille autem, quia expers erat, indignatus est, & miserabilem eum dixit, & indignum monachi habitu. Sed in hoc malè fecit & insipienter: quia dicitur 2. q. 4. c. Quanto: sicut in contumacia persistentibus seueros non esse cõuenit, sic humilibus & pœnitentibus locum veniæ negare non debemus. Audiens hæc frater ille, desperans reliquit propriam cellam, rediens ad mundum. Sed iuxta Dei dispositionem occurrit ei Abbas Apollo, & videns eum tristem, dixit. Fili, quæ est causa tantæ tristitię? At ille; Cogitationes, inquit fornicationis inquietant me, & confessus sum illi seni, & secundum verbum eius non est mihi spes salutis. Desperans ergo, ad seculum redeo. Cui Apollo: Noli mirari, fili, nec desperes de teipso. Nam & ego ab his tentationibus valde inquiętor. Ne ergo deficias, sed da mihi, quod peto. Reuertere ad cellam tuam. Ille autem audiens lenem & salubrem admonitionem, reuersus est in cellam suam. Et que quem ille prius per suam duram increpationem & correctionem in desperationem duxerat, iste mite consolans & exhortans ad spem reuocauit. Ideo B. Apostolus more pij patris dormientes in peccatis leuiter excitat, seipsum includendo, cum dicit: *Hora est iam nos de somno surgere*. In quibus verbis duo tangit: *Primo*, somni diuersitatem. ibi; *Hora est*. *Secundo*, surgendi necessitatem, ibi; *De somno surgere.*

B

Circa hoc NOTANDVM. Plinius in spec. nat. lib. 1. c. 6. dicit quod apes in nocte quiescunt vsque ad mane, donec vna omnes excitat gemino, aut tribus bombis ac buccinæ & tunc vniuersæ surgunt, & ad labores peruolant, si dies mitis fuerit. — *Somni diuersitas.*

MORALITER per apes intellige homines peccatores, Isa. 8. *Sibilabit dominus api.* quasi diceret, immũdum peccatorem per inspirationem ad se vocat. Isti inquam peccatores in nocte antiquæ legis quieuerunt in peccatis, iuxta illud Psal. 75. *Dormitaerunt somnum suum* quieuerunt, inquit, vsq; ad mane. Per quod intelligitur, *Vno modo* tempus incarnationis Christi, iuxta illud Isa. 21. *Venit mane*. quasi dicat, tempus incarnationis appropinquat. *Alio modo* per mane intelligitur initium fidei, Exod. 16. *Mane saturabimini panibus*. *Tertio* per mane intelligitur illuminatio Spiritus sancti. Can. 7. *Mane surgamus ad vineam*. quasi dicat, Spiritu sancto illuminati, sanctorũ fulciamur exemplis. In hoc igitur mane incarnationis, fidei, & illuminationis Spiritus sancti, vna apis, per quam intelligitur scilicet Paulus, excitauit omnes buccina oris sui ad labores spirituales, cum ait; *Hora est iam nos de somno surgere*. Ideo nos ad similitudinem apum surgere debemus, *& bonum operari, dum tempus habemus*. Vbi dicit NOTANTER, quod surgere debemus à somno. Quintuplex est somnus; discessionis irreme- — *Per Mane quidnam intelligendum.* — *Gal. 6.*

Somnus quintuplex. irremediabilis, requietionis tolerabilis, contemplationis optabilis, pigritiæ detestabilis nequitiæ culpabilis.

I. Somnus mortis. PRIMVS igitur somnus est discessionis irremediabilis. & de illo dicit Iob. 27. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos & nihil inueniet.* De hoc dicit Christus, *Lazarus amicus noster dormit.* Ioan. 11. Et hic somnus dicitur mors: & merito somno comparatur propter tria. *Primo* propter quietis suauitatem; *Secundo* propter dormientis firmitatem. *Tertio* propter eiusdem mutabilitatem.

PRIMO igitur mors sanctorum principaliter comparatur somno propter *quietis suauitatem*, quia sicut dormiens nullorum laborum meminit, sed suauiter quiescit; sic sancti & boni homines per somnum mortis à laboribus requiem capiunt. Apoc. 14. *A modo dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et de beato Stephano Act. 7. dicitur, quod *in domino obdormiuit.* Et sicut somnus mortis bonis est suauis, sic amarus

Morte impiorum nihil dolorosius. est malis. sicut testatur Chrysostomus super Matth. Morte impiorum nihil dolorosius: Sed econtra morte bonorum nihil dulcius. Ideo quilibet bonus cum decedit, dicere potest illud Psal. 4. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.*

SECVNDO, propter *dormientis firmitatem.* Sicut enim homo cum dormit, nullius aduersarij potentiam pertimescit, sic sancti per somnum mortis de omnium aduersariorum manibus eruuntur, & æternæ securitatis fiducia perfruuntur. iuxta illud Senecæ. Mors omnium malorum remedium est. Cui consonat Cato:

Remedium malorū mors *Mors bona si non est, finis tamen illa malorum est.*

Ideo dicit Sapiens; *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Eccles. 8. Cuius ratio est; quia mors est egressio à miseria; natiuitas verò ingressus ad miseriam. Quem ingressum deflet Papa Innocent. in lib de vilit. hum. conditio. lib. 1. cap. 1: Quis det, inquit, oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam humanæ conditionis ingressum, culpabilem conuersationis progressum, humanæ dissolutionis miserabilem egressum? Intellige hoc vltimum, quoad malos. Idcirco melior est egressus à miseria, quàm ingressus. Ideo dicit Gregorius. Quid est vita mortalis nisi via? & qualis sit, fratres mei, dementia, perpendite, in via lassari, nolle finire.

TERTIO propter *dormientis mutabilitatem*, quia exterius videtur mortuus, qui maxime viuit interius: Sic sancti licet mortui sunt secundum carnem, viuunt tamen secundum animam. iuxta illud Psalmi 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas domini, &c.*

Et dicit NOTANTER, quod somnus discessionis est irremediabilis, quoniam mederi non potest seu euitari. Quia 2. Regum 14. *Omnes morimur, & sicut aqua in terra dilabimur.* Ideo dicit Seneca in lib. de remedijs fortunæ. Morieris, inquit. Et respondet sibiipsi: Hac conditione intraui, vt exirem: Gentium nunquid lex est, vt moriaris? Et

Vita nostra est peregrinatio. respondet: Peregrinatio est vita, cum multum ambulaueris, demum redeundum est, vt moriaris Stultum, inquit, est timere, quod vitari non potest. Non effugit etiam, qui distulit.

Mortis solatia tria. Est tamen NOTANDVM, quod contra timorem huius mortis tria sunt solatia. *Primum*, quia ipsa nostrum hostem familiarem occidit, scilicet corpus. De quo dicit Au-

1. gustinus lib. soliloq. Caro, cum qua habito, semper me ducere vult ad peccatum: mecum vult coronari, sed non mecum decertare. Nullum peiorem patior hostem, quàm corpus, in quo habito. Est enim quasi leo subuersor in domo mea, vndiq; me

morsu

morsu pestifero dilanians. Ecce ab isto hoste mors nos liberat. *Secundum* est, quoniam finem imponit peregrinationi laboriosæ & amaritudinibus plenæ. De qua Boetius lib. 2. de conso. prosa. 4. Quàm multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est. *Tertium* est sequentis vitæ immortalitas. De qua dicit Tullius: Non est lugenda mors, eo quòd immortalitas sequatur. 2. 3.

SECVNDO somnus est requietionis tolerabilis. De quo dicit Dominus, Matth. 26. *Dormite nunc & requiescite* Vnde autem causetur iste somnus, dicit Aristoteles de som. & vigil. Somnus causatur ex euaporatione cibi & potus, qua vadit ad cerebrum, & infrigidata descendit, facitque somnum. Quare post cibi sumptionem fiunt fortes somni. Ideo somnus est tolerabilis, quia est requies, quæ data est animalibus secundum Aristotelem. vbi suprà. De illo etiam dicitur 4. Ethicor. Requies & ludus necessaria sunt in vita humana. *II.* Somnus quietis.

Sunt tamen circa hunc quinque reprehensibilia. *Primum* est *nimietas*, quæ est reprehensibilis: quia dicit Architarantinus in lib. de euentibus in natura. Omne quod in vniuersitatis ordine nimium & abundans fuerit, ad corruptionem protinus & ad nihilum ipsum venit. Ideo dicit Aristoteles de som. & vigil. Et similiter Commentator: Homo debet esse medius inter somnum & vigiliam, vt non ad vnum declinet magis, quàm ad aliud. Debet tamen homo plus ad vigiliam quàm ad somnum declinare. Ad quod hortatur Cato: C Naturalis somni vitia. *I.*

Plus vigila semper, nec somno deditus esto. Nā diuturna quies vitijs alimenta ministrat.

Sunt tamen quidam, qui plus æquo curant de somno. Contra quos dicit Sapiens, *Vsquequo piger dormis?* Prouerb. 24. *Secundum* reprehensibile, est *brutalitas.* quando aliquis dormit vt porcus. Sicut faciunt ebriosi, qui dormiendo stertunt. Contra quod dicit Bernardus. Caue, inquit, serue, in quantum potes, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati. *Tertium* est, *tristitia* in surgendo. quam dissuadet Sap. *Hora surgendi non contristet te* Eccles. 32 *Quartum* est *pigritia* in surgendo. de qua dicit Laborintus: Scitne moram piget? cum ter vocetur, obaudit. Et Sapiens; *Sicut ostium voluitur in cardine suo, ita piger in lecto suo.* Prouerb. 26. dicit Glossa. Quamuis vigilat, non tamen surgit; sed pigritia retentus in lecto se reuoluit. *Quintum* est *inoportunitas*, vt est orationis vel psalmorum neglectio, & breuiatio: quod est valde reprehensibile. Refert enim Thomas Brabantinus siue Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 40. part. 11. Erat quidam monachus, qui ad matutinas frequenter dormitare solebat. Contigit quadam nocte, ad matutinas in choro in Laudibus eo dormiente, vt videret in somnis dæmonem teterrimum cum pice in patella liquefacta monachos singulos visitare, & dormientibus quibusdam offerre ferreum cochlear pice plenum. Ad se verò cum venisset dæmonium, & cochlear feruens ori dormitantis offerret, retracto subito capite, ad accubitum sedium, cui innitebatur, se offendit, & euigilans se saucium & vulneratum inuenit. Ideo dicit Petrus 1. epist. cap. 4. *Estote prudentes & vigilate in orationibus.* Vel etiam tunc est inoportunitas, cum quis dormit in lectione vel sermone. quia dicitur Eccl. 22. *Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam.* *II.* *III.* *IV.* *V.*

TERTIO somnus est contemplationis optabilis. de hoc dicitur, Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et merito comparatur contemplatio somno propter setem, vt dicit Anselm, lib, 6. c, 16. PRIMO quia somnus corporalis est animaliū brutorum, *III.* Somnus contemplationis. D

torum, virtutis ſcilicet ſenſitiuæ & motiuæ, quietatiuus. Sic de contemplatione ſimili modo. Quieſcunt enim ſenſus in ſomno ab exterioribus actionibus. Quare dicit Ariſtoteles de ſomn. & vigilia. Somnus eſt ligamentum omnium ſenſuum. Similiter contemplatiua vita requirit quietem ab exterioribus motibus & actionibus, ſicut dicit Beda in homil. Contemplatiua vita eſt charitatem Dei & proximi tota mente retinere, id eſt, ab exteriore actione quieſcere, ſolum deſiderio conditoris inhærere, vt nihil iam agere libeat, ſed calcatis curis omnibus ad videndum faciem creatoris ſui animus inardeſcat. Ideo Maria Magdalena, quæ vitam contemplatiuam repræſentat, quieta fuit à corporali miniſterio & actione, *ſedens ad pedes domini audiebat verbum illius.* Lucæ 10.

Somnus cõfortat vires.

SECVNDO ſomnus eſt naturalium virium confortatiuus, iuxta illud Philoſophi; Somnus eſt quies animalium virtutum, cum intentione naturalium. Naturalis enim virtus in ſomno fortius operatur. Ideo in dormiente virtus digeſtiua intenditur, tum propter reuocationem caloris ad interiora, tum quia anima requieſcit ab actionibus ſenſitiuæ & intellectiuæ potentiæ, & ideo vehementius operatur ſecundum virtutem. Similiter cum anima in contemplatione trahitur ab exterioribus actionibus ſiue occupationibus, pigri mens ad interiora reducitur. Vnde vis naturalis, quæ eſt naturalis & propria virtus hominis, vehementius inflammatur, & intellectiua altius eleuatur, Thren. 3. *Sedebit ſolitarius & tacebit, & leuabit ſe ſuper ſe.*

Somnus reſtaurat ſpiritus.

TERTIO ſomnus eſt ſpiritus reſtauratiuus, vt probat Auicenna de his, qui per medicinam ſunt euacuati. In quibus quidem ſpiritus diſſoluuntur, ſed per ſomnum ſpiritus reparantur, & ſuæ virtuti redduntur. Sic etiam feruor ſpiritus, qui per peccata etiam venialia facile ſæpe minuitur, per profunditatem, id eſt, contemplationem intimam recreſcit & reſtauratur.

Infrigidat corpus.

QVARTO ſomnus eſt exteriorum partium corporis infrigidatiuus. quod probat Ariſtoteles in lib. de ſom. & vigil. Calor, inquit, naturalis aliter ſe habet in vigilante quàm in dormiente. quia in vigilante procedit ab interioribus ad exteriora: ſed in dormiente è contrario retrahitur ab exterioribus ad interiora, ſcilicet ad ſtomachũ, & alias partes. & ideo exteriore corporis remanent frigida. Ideoque indiget dormiens plus cooperiri quàm vigilans. Similiter contemplatio reuocans hominem ad ſeipſum, inflammat eum circa cordis interiora, id eſt, circa ſpiritualia, vt dicere poſſit cum Pſal. 38. *Concaluit cor meum intra me &c.* ſed frigefacit eum circa exteriora, id eſt, circa temporalia, vt non curet de eis, neque diligat: ſicut patet de Paulo, qui ait ad Phil. 3. *Propter quem,* ſcilicet Chriſtum, *omnia detrimenta feci, & arbitror ſicut ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Et infra dicit. *Noſtra conuerſatio eſt in cœlis.*

Reparat humores.

QVINTO, ſomnus eſt humorum reparatiuus & clarificatiuus. Si enim ſomnus ſit moderatus, cibus bene digeritur, corpus impinguatur, calor naturalis augmentatur, humores reparantur & clarificantur. Sic etiam per contemplationem ſobriam & diſcretam fit, quod non plus quærat ſapere quàm oportet. Cibus naturalis, ſcilicet doctrinæ digeritur, mens deuotionis augmentatur, & humor, id eſt, affectus & cogitationes interiores, reparantur & clarificantur. Ideo contemplatio eſt ſomnus, de quo Eccleſ. 31. *Somnus ſanitatis in humore parco,*

Vnit virtutes.

SEXTO, ſomnus eſt virtutum vnitiuus. quia virtus in vigilia diſperſa, in ſomno reunitur, dum ad intima reuocatur à corpore dormientis, vt dicit Auicenna. ſic anima

:ontemplans, ad seipsum & in seipsam colligitur & vnitur. & ideo circa spiritua-
ortior reperitur, Lucæ 10. *Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem*
t, quæ non auferetur ab ea.

ɪᴇᴘᴛɪᴍᴏ, somnus est ægrotantium alleuiatiuus. Nam, in infirmis somnus si fue- quantitate & qualitate temperatus, ægritudinem alleuiat, & futuram victoriam .tra morbum donat. Ideo dixerunt Apostoli de Lazaro Ioan. 11. *Domine, si dor- saluus erit,* id est, sanus. Sic à simili, homo qui fortiter agit circa exteriora, vt :atus quodam modo infirmatur. Talis si vult alleuiari, debet se orationi & con- ıplationi dare. quia maximè per hanc victoriam obtinebit. Et dixi NOTANTER ıniam somnus *contemplationis* est optabilis propter tria. Alleuiat infirmitates.

ᴾRIMO, quia est securus. Valde enim est secura vita contemplatiua, respectu uæ. Prouer. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Vbi dicit Glos. Faci- uadit laqueos in terris, qui habet oculos in cœlis. scilicet per contemplationem. ᴾrouerb. 3. de ipsa. *Omnes semitæ eius pacificæ.* E. Contēplatio optabilis.

S.CVNDO, quia est pulcher & mundus. In signum illius dicitur de Rachel Genes. *quoniam decora erat facie & venusta aspectu,* Prouerb. 3. *Viæ eius, viæ pulchræ.*

TERTIO, quia est vitæ cœlesti similior. Ideo eadem opera videntur ad contem- tionem pertinere, quæ assignat Augustinus beatæ vitæ, lib vlt. de ciuit. Dei, di- is: Ibi vacabimus & videbimus; videbimus, & amabimus & laudabimus.

QVARTVS somnus est pigræ detestationis. De quo Matth. 25. *Moram autem fa- ate sponso. dormitauerunt omnes & dormierunt.* Hæc pigritia aufert homini bona, ·dendo eum malis culpæ. De *primo* legitur Matth. 25. de seruo pigro, vbi dicitur: *:lite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & ·ndabit, & qui non habet. etiam quod videtur habere auferetur ab eo.* Glos. qui non)et studium, vel voluntatem operandi, sæpe aufertur ei facultas iusto Dei iudi- ; vt ille, qui non vult operari, cum possit, postea non poterit, cum velit. *De se- do* dicitur, Prouerb. 24. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti; ·ece totum repleuerant vrticæ & operuerunt superficiem eius spinæ.* Dicit Glos. sicut r pigri hominis spinas profert & tribulos, & cetera inutilia, nisi vtilibus semina- fuerit. sic homo spinas & tribulos vitiorum germinat, nisi vtilibus occupatio- ·us se repleat. De labore vide supra in prologo huius operis A. A. F Somnus pigritiæ. Simile.

QVINTO, somnus est nequitiæ culpabilis. de quo 1. Cor. 11. *Inter vos infirmi dor- unt multi.* Hic somnus peccati est duplex: scilicet peccati venialis & mortalis. *·mo* somno, omnes dormiunt. quia dicit Augustin. in libro de dogmatibus. Nul- tam sanctus & iustus est, qui careat peccato. Et Cato ei alludit. Somnus nequitiæ seu peccati.

Nemo sine crimine viuit.

Alius somnus est peccati mortalis. & hic non stat in gloria. Et assimilatur pecca- n somno, vt dicit Anselmus lib. 6. cap. 4. propter quatuor. scilicet voluntatem, :uitatem, insensibilitatem, & falsitatem. *Primo* igitur ratione voluntatis, quia luntariè ad dormiendum se ponit, & propriæ voluntatis arbitrio in peccatum .t, iuxta illud Augustini lib. de vera religione cap. 24. Vsque adeo, id est, in tan- m peccatum voluntarium est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntari- ı. Idem in c. De duabus naturis. Nusquam, inquit, nisi in voluntate est pecca- m. Quod exponit Magister lib. 2. sen. d. 41. Ecce, inquit, qualiter illud accipi- G Peccatum somno assimilatur. 1.

 endum

endum sit, scilicet, vel de primo peccato hominis, vel de omnibus generaliter peccatis mortiferis. quorum quædam licet dicantur non voluntaria, quæ scilicet per ignorantiam, vel infirmitatem fiunt; eadem tamen ratione possunt dici voluntaria, quoniam sine voluntate non fiunt.

I *Secundo*, ratione breuitatis. Cum enim ad dormiendum se quis ponit, non diu dormire intendit, sed tamen frequenter decipitur. quia non quando vult, excitatur. Sic quando ille qui peccato consentit, & de peccato citò exire proponit, vt in plurimum decipitur; eo quod diutius in peccato detinetur. quia secundum Psalm. 77. *Homo est spiritus vadens*, scilicet libere ad peccatum, *& non rediens*, scilicet per se de peccato; sicq; quandoque moritur in eo, sicut lethargicus moritur dormiendo. Ioan. 8. *Moriemini in peccatis vestris*. In signum istius legitur Iudic. 4. quoniam *Sisara dormiens in tabernaculo Jahel occisus est ab ea*. Sisara interpretatur exclusio gaudij & significat peccatorem, qui per peccatum excluditur à gaudio cœlesti: hic dormiens in tabernaculo Iahel, quæ interpretatur vanitas, occiditur ab ea; quia peccator à vanitate mundi occiditur seu interficitur.

Sisaræ & Iahel interpretatio.

Tertio ratione insensibilitatis. quia somnus ligat & immobilitat sensum sic somnus peccati ligat, & immobilitat sensum mentis, vt scilicet peccator non recte sentiat, vt oportet; aut non eligat facere, quod sentit, vel cognoscit esse faciendum. Vnde peccatum tollit virtutem cordis operatiuam, siue motiuam, ad bene operandum, scilicet caritatem; sine qua nullum bonum fit, vt dicit Magister lib. 2. dist. 41. Nullum implet mandatum, nullumq; bonum opus facit, qui caret fide & caritate.

Somnia ligant sensū.

Quarto, ratione falsitatis. Frequenter enim somniant dormientes, & somniando decipiuntur per somnia illusiua falsa & deceptiua. Itaque peccatum in hominibus inducit falsas æstimationes, & temeraria, & non vera iudicia. Prouerb. 14. *Stultus illudet peccatum*. Quantum ad SECVNDVM, viso de diuersitate somniorum, videndum est de necessitate surgendi eorum qui dormiunt

Fallunt somnia.

H

Necessitas surgendi à somno mortis in die iudicij.

Circa quod NOTA de *primo* somno, scilicet decessionis irremediabilis, tunc est hora surgendi, scilicet in die nouissimo, quando erit generalis omnium resurrectio. Circa quod quæruntur plura.

Quæstio. Quando resurgemus.

PRIMO. Quando ab hoc somno surgent? an in nocte, vel in die? *Respondent Doctores*, quod probabiliter dici potest, quoniam surgent in crepusculo matutino seu diluculo, sole existente in Oriente, & luna in Occidente. quia in tali dispositione creata creduntur sol & luna; etiam in tali diluculo secundum Augustinum Christus surrexit.

An tempus sciri possit.

SECVNDO, An tempus resurrectionis possit determinate sciri? *Respondet* S. Thomas super 4. sentent. distinct. 43. Quod non. Non enim potest sciri per motus cœli calculationem, neque per reuelationem. vt homines sint semper solliciti, & parati occurrere Christo, quacunque hora venerit.

Qua ætate resurgemus.

TERTIO. In qua ætate surgent? *Respondet* ad illud Magister lib. 4. distinct. 44. quod omnes in eadem ætate surgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit. Et dicit Gloss. Quoniam resurgent quantum ad perfectionem corporis, non quantum ad mensuram. Non enim omnes eandem naturam habebunt. Ideo dicit Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 15. Non est fas dicere, quod in resurrectione accedat corporis magnitudo.

QVAR-

QVARTO, an omnes integri resurgent? *Respondetur*, quod omnes tam boni, quàm nali, tam senes, quàm iuuenes surgent in membrorum omnium integritate. De hoc dicit Magister lib. 4. distinct. 44. Nec de substantia, de qua homines creati sunt, aliquid peribit, sed omnium particularum ante dispersarum collectione reintegrabitur naturalis substantia corporis. Et hoc, vt quidam dicunt, erit tam in bonis, quàm in malis. quia omnes surgent sine naturæ deformitate ac defectu, puta sine gibbositate, mutilatione & membrorum indispositione, in situ vel ordine. Vnde hæc omnia tollentur propter perfectionem & veritatem naturæ. Ideo dicit Apostol. 1. Cor. 15. indifferenter de omnibus. *Et mortui resurgent incorrupti.* id est, in membris integris. — An integri resurgemus.

Dices; Impij resurgent ad pœnam. Ideo defectus & deformitates merito debent in eis manere. *Respondetur* quod surgent ad pœnam æternam, & non ad temporalem. Ideo defectus & deformitates naturæ, pertinentes ad pœnam temporalem, merito seu de congruo debebunt ab eis auferri, vt multi volunt; Licet Augustinus in Enchirid sub dubio relinquat sed Magister vbi suprà dicit; Sanctorum corpora surgent sine vitio fulgida, sicut sol, præcisis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt. — Obiectio.

QVINTO. Vtrum vngues & capilli, & quicquid est de veritate naturæ humanæ, resurgent? *Respondetur*, quod sic, Luc 22. *Capillus de capite vestro non peribit*. Vngues enim & Capilli resurgent, quoniam sunt ad corporis decentiam. — Resurgem[us]ne etiam [cum] vnguibus & capillis.

De SECVNDO somno requietionis tolerabilis, surgendum est de nocte interdum, ad Deum laudadum, exemplo Dauid, qui ait Psal 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* Dicit etiam Aristoteles in lib. Oeconom. Surgere de nocte ad sanitatem, & ad Philosophiam, & ad disputationem vtile est. Sed tamen quidam non solum non surgunt de nocte, sed etiam exspectant ortum solis antequam solent surgere. Contra quos dicit Augustinus: Indecens est Christiano, si radius solis inuenit eum in lecto suo. Et addit Gulielmus: Sol posset dicere, si potestatem loquendi haberet: Amplius laboraui heri quàm tu, & tamen cum ego surrexerim, tu adhuc dormis. Et debet homo surgere de hoc somno, maximè sacro hoc tempore Aduentus Domini in carnem. — Necessitas surgendi à nocturno somno.

De TERTIO somno scilicet contemplationis optabilis, surgendum est pro tempore, ad exteriorē operationē. quia excitat sponsus sponsam Cant. 2. *Surge, propera amica mea*. Surge, inquam à contemplatione, & propera ad vitam actiuam Vnde Bernardus super Cant. Noli nimis insistere oculis contemplationis, quoniā meliora sunt verba operationis. Nam etsi Rachel. id est, visio, vel contemplatio sit pulchra, Lia tamen. id est, laborans, vel vita operatiua est fœcunda. Ideo legitur. 3. Reg. 19. Elias veniens in montem Dei Oreb, mansit ibi in spelunca. Ideo dictum est ei. *Quid agis hic Elia?* quasi diceretur; Non est adhuc tempus perfectæ contemplationis & quietis, sed laboris pro salute proximorū. Et in hoc arguit illos, qui pro quiete contemplationis salutem dimittunt proximorū. De talibus dicit Gregorius in quadam Homilia. Qui solitudinis loca quærunt, hoc scire debent, quod tot animarum sunt rei, quot in publicum prodeuntes prodesse poterant. — Necessitas surgendi à somno contemplationis. — Salus proximi, propter contemplationem non negligenda.

Sed diceres. Tamen sponsus Cant. 2. inhibens, ne sponsa de somno contemplationis excitetur, *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, &c. Respondet* Orosius:

Omnia tempus habent. Vnde oportet spirituale, tempore pacis in contemplatione quiescere, sed tempore persecutionis contra hæreses & hostes prædicando, & docendo pugnare.

Necessitas surgendi à somno pigritiæ.

De QVARTO somno scilicet pigritiæ detestabilis surgendum est propter tria. *Primo,* propter temporis breuitatem: quia Iob. 14. dicitur: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore.* Et ibidem; *Breues dies hominis sunt. Secundo*, propter rerum velocitatem, quia velociter & quasi cursu festino pertranseunt. Iuxta illud Sapien. 5. *Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens. Tertio*, propter malorum strenuitatem. Valde enim pedes eorum currunt & festinant, vt effundant sanguinem. Si enim mali non quiescunt, sed strenue agunt, vt malum faciant, quid nos pigritamur facere bonum? Ideo secundum Bernardum: Magna confusio. Ardentius considerant seculares perniciosa, quàm nos vtilia; & alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam.

Necessitas surgendi à somno peccati.

De QVINTO somno, scilicet nequitiæ culpabilis surgendum est propter duo. PRIMO propter *attractionem* peccatorum. Nequitia enim aut peccatum, à quo homo non statim surgit, mox aliud ad se trahit. Oseæ 4. *Sanguis sanguinem tetigit.* Quod exponit Magister lib. 2. distinct. 36. id est, peccatum peccato additum est. Et in Psalm. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Ideo dicit B. Gregorius 50. moralium. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit. SECVNDO propter *considerationem tormentorum*. qui enim peccant, & à peccato non resurgunt, æternas pœnas & tormenta incurrunt. Qui enim negligunt hic correctiones, & emendationis virgam, in futuro habebunt ollam succensam, sicut figuratum est Ierem. 1. Vbi Dominus dixit ad Ierem. *Quid tu vides, Ieremia? Et ille: Virgam vigilantem ego video.* Et sequitur: *quod factum est verbum ad Ieremiam secundo dicens: Quid tu vides? Ieremias ait: Ollam succensam ego video.* Quod exponit Anselmus lib. 7. cap. 27. Correctio in pœnitenti assimilatur virgæ vigilanti, quia excitat peccatorem à somno culpæ, & iustum à somno negligentiæ. 1. Cor. 15. *Euigilitate iusti, & nolite peccare.* Sed futurum supplicium assimilatur ollæ accensæ, qua mali puniuntur, si non emendantur. In olla enim carnes includuntur, & significat locum inferni, in quo includuntur damnati propter peccata, quæ in carne viuentes commiserunt. Sed ollæ succensio significat gehennæ incendium, de quo Iob 41. *De naribus ipsius procedit fumus sicut succensa olla atque feruentis.*

Negligens se hic emendare, ollam succensam non euadet.

Olla locus inferni.

DE EADEM DOMINICA
SVPER EVANGELIVM.
Sermo Quartus.

Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem oliueti. Matth. 21.

I CONsuetudo est, quando reges terreni, qui habent multas ciuitates, interdum personaliter relinquunt vnam, & visitant alia, deinde tertiam, & sic de alijs; vt sic videant, an omnia sint benè ordinata. Et si in

n aliqua est discordia, præsentia sua hanc emendant, & ad vnitatem ciues reuoant, & concordant: eo quod secundum Hieronymum. Concordia paruæ res creunt, discordia magnæ dilabuntur.

SPIRITVALITER. Dominus noster Iesus Christus est rex omnium regum, quia omnes reges suo diriguntur imperio, sicut testatur Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt; per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Iste inquam rex magnus habet multas ciuitates. *Prima* est cœlum. quia secundum Psal. 47. est ciuitas magni regis. Ideo præmittitur. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri. &c.* De hac ciuitate infra habentur plura, Sermone 2. Dominicæ. II. D. Z. Hanc ciuitatem ipse reliquit ad tempus, vt ipse dicit Ierem. 12 *Reliqui domum meam, diuisi hæreditatem.* quoniam ciues eius, scilicet sancti Angeli, erant concordes, & omnia erant benè ordinata. Sicque venit in sanctam ciuitatem, quæ significat virginem Mariam. De qua dicit Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* vbi dicit Glos moralis: Virgo MARIA. est ciuitas, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, id est, in virtutibus altissimis. De ipsa sunt dicta valdè gloriosa. *Primum,* quod sine semine viri fuit fœcundata, iuxta illud, quod canit Ecclesia: *Non ex virili semine, sed mystico spiramine, verbum Dei factum est caro.* *Secundum,* quod sine grauamine fuit grauida. *Tertium,* quod sine dolore puerpera. Contra illud Genes. 3. *In dolore paries filios tuos.* *Quartum,* quod fuit mater patris sui. *Quintum,* quod fuit filia filij sui. Quæ maior his gloria? Certe nulla. Ideo de ipsa dicitur Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias.* Portæ huius ciuitatis sunt quinque sensus, de quibus Psalm. vbi suprà. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* quoniam erant humiles & modesti, apti ad omne bonum, & clausi ad omne inhonestum. In hac ciuitate moratus est Christus Dominus nouem mensibus, sicut ipse testatur, Eccles. 24. *In ciuitate sancta similiter requieui, &c.*

Gloriosa dicta sunt de B. Virgine: 1. 2. 3. 4. 5.

Sed quoniam in ipsa erant omnia benè ordinata per caritatem, iuxta illud Cant. 2. *Ordinauit in me caritatem.* Ideo exiuit ab ea, & venit scilicet in carne in tertiam ciuitatem, quæ est mundus, de qua Eccles. 9. *Ciuitas parua, & pauci viri in ea.* Hæc benè dicitur parua respectu cœli, & pauci viri in ea, quod pauci erant virentes in virtutibus respectu malorum. Quia Psalm. 13. dictum fuit; *Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum; non est vsque ad vnum.* id est, valde pauci faciunt bonum.

Sed quia in hac ciuitate scilicet mundi, erant discordiæ & de ordinationes multæ. Ideo necesse fuit Christum in carne passibili triginta tribus annis, & tribus mensibus in ea manere, & discordias sua præsentia remouere. Et de hoc Aduentu in carnem dicit Euangelista secundum sensum mysticum. Similiter & de secundo, scilicet in Virginem Mariam. Ideo dicit, *Cum appropinquasset Iesus, &c.* In quo quatuor tanguntur scilicet saluatoris incarnatio. ibi; *Cum appropinquasset.* Prædicatorum destinatio. ibi; *Misit duos ex discipulis.* Peccatorum absolutio, ibi; *Et statim inuenietis.* Obsequiorum exhibitio, ibi; *Plurima turba.*

K

PRIMO tangitur Saluatoris incarnatio, cum Euangelista incipit, *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem oliueti.* Vbi NOTA, quod compertum est, quod Reges terreni, qui populum suum dilexerunt, insignia

Incarnatio Christi.

regia deposuerunt, habitumque pauperis induerunt, ne cognoscerentur, & in manus inimicorum pro salute suorum se dederunt. Cuius probationem ponit B. Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei, & Valerius in Policrate lib. 2. Verba Augustini hæc sunt: Cum instaret bellum inter Athenienses & Peloponenses, acceperunt ab oraculo Apollinis responsum, quod illi essent futuri victores, quorum dux occideretur. Cumque responsum venisset ad regem Paliparium aduersarium Codri regis Atheniensis, præcepit exercitui suo, ne quis occideret regem. Quod ille audiens, & videns, terram non posse pace frui, nisi ipse ab hostibus occideretur, deposuit regis insignia, habitumque pauperis assumpsit, & castra hostium inermis ingressus, quendam ad iram prouocauit, post cuius obitum exercitus suus triumphauit.

MYSTICE. Rex Athenarum significat Christum, quia Athenæ interpretatur dissipator. Christus enim secundum Psal. 32. *Dissipat consilium gentium.* vel ipse est dissipator inimicorum. Rex autem Peloponensis gerit figuram diaboli. Sicut igitur bellum fuit inter regem Atheniensem & Peloponensem, sic fuit inter Christũ & Dęmonẽ. Nam Dæmon statim post creationẽ suam voluit sibi Dei honorem & æqualitatem vsurpare. Cum ait Isa. 14. *In cœlum*, id est, ad Dei æqualitatem conscendam, *super astra cœli*, id est, super alios angelos, *exaltabo solium meum, & ero similis altissimo.* Sicq; voluit pręliari cum Domino Apoc. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo.* Sed Christus præualuit, cum ipsum de cœlo trusit. Quia dicit Magister lib. 2. dist. cap. 2. Tantæ superbiæ merito, de cœlo, scilicet empyreo, in quo cum alijs fuerat, deiectus est in istum caliginosum aërem cum omnibus suæ prauitatis consortibus. Sed cum Regem Christum superare non potuerit, cum eius familia scilicet Adam & Eua bellum inchoauit, & ambos prostrauit. Et hoc ratione inuidiæ. Videns enim hominem diabolus, vt dicit Magister lib. 2. distinct. 21. cap. 1. per obedientiæ humilitatem posse ascendere, vnde ipse per superbiam corruerat, inuidit ei. Et qui prius per superbiam fuit diabolus, id est, deorsum lapsus, sola inuidia factus est Sathanas; id est, aduersarius. Hæc verba iam dicta etiam sunt Hugonis, lib. 12. cap. 2. Quo facto, scilicet prostrato homine protoplasto, humanum genus nunquam potuit existere victor, nisi rex eius occideretur. Responso ergo accepto ab oraculo Apollinis, scilicet sanctæ Trinitatis, Christus insignia regalia deposuit, quando Deitatem occultauit; & vestem pauperis induit, cum humanitatem assumpsit. de quo Apostolus ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset.* id est, vnus in essentia cum Deo Patre ab æterno, *non arbitratus rapinam, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* id est, humanam naturam, *in similitudinem hominum*, scilicet quantum ad naturam passibilem, non quo ad culpam, *& habitu inuentus est vt homo.*

De hoc ad sensum mysticum dicit præsens Euangelium, quod sic incipit; *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti.* In quibus verbis Euangelista quoad sensum spiritualem sex tangit; scilicet incarnationis congruitatem, incarnati dignitatem, temporis qualitatem, veniendi vtilitatem, aduentus causabilitatem, recipientis quantitatem.

PRIMO igitur tangit temporis incarnationis congruitatem, in hoc, cum dicit; *Appro-*

Appropinquasset. Quod tempus Apostolus vocat *gratia*, ad Gal. 4. & plenitudinem temporis, dicens: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Quod declarat Magister lib 3. distinct. 1. Tempus, inquit, plenitudinis dicitur tempus gratiæ, quod ab Aduentu Saluatoris, scilicet in carnem, exordium sumpsit. Hoc est tempus miserendi & tempus benignitatis, in quo gratia & veritas per Iesum Christum facta est. *Gratia*, quia per caritatem impletur, quod in lege præcipiebatur. *Veritas*, quia per Christi Aduentum exhibetur, atque perficitur humanæ redemptionis sponsio facta ab antiquo. Hæc Magister. Quia Deuter. 18. promittebatur per Moysen: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Et hoc impletum fuit tempore gratiæ, de quo dicit: *Cum appropinquasset*, scilicet tempus gratiæ, quod fuit congruum incarnationi. de quo Psalm. 101. *Tu exsurgens misereberis Sion.* id est, Ecclesiæ. *quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Et Isa. 14. *Prope est, vt veniat tempus eius.* Sed quod hoc tempus gratiæ fuit congruum incarnationi, dicam infrà in fine huius serm. Christus tẽpore cõgruo incarnatus.

SECVNDO, tangit incarnati dignitatem, cum dicit; Iesus. Non est enim dignius sub sole nomen sicut nomen Iesus. Et sicut dicit Gloss. super illo verbo. Et tandem incarnatus Dei filius Iesus. De summa Trinitate & fide Cath. cap. Firmiter. Quod nomen Tetragrammaton sit ineffabile, non quod dici non possit; sed quia rem designat ineffabilem, scilicet Dominum Iesum. quod patet ex nominibus & literis simul iunctis. Scribitur enim quatuor litteris, I. E. V. S. quæ secundum Hebræos scribuntur Iod. Heth. Vau. He. Inde dicitur Tetragrammaton, à πτρα, quod est quatuor, & γράμμα, quod est littera. Id enim sonat principium. Heth, vitæ: Vau, ipse: He pauor. Inde principium vitæ pauor ipse. Fuit enim quo ad humanitatem Christus pauidus & tremebundus; quasi diceret, per passionem huius quam significat nomen hoc Tetragrammaton, reparabitur vita in Adam perdita. Vnde in hoc nomine IESVS picto vel scripto, sunt tres litteræ distinctæ, I. H S. Prima littera I. id est, principium omnium numerorum, signat Patrem, qui est principium omnium. S. signat Spiritum sanctum: quoniam tam Pater, quàm Spiritus Sancti operati sunt incarnationem IESV. Sed H. non est littera, Et quoniam quasi nihilum reputatur, ideo signat Christum, qui semetipsum exinaniuit, vt suprà. Et ideo in superiore parte huius litteræ H. Hebraicè scriptæ, quasi crux depingitur, ad denotandum, quod Christus crucifixus fuit, & quasi nihil reputatus, Isa. 4. *Nihil reputauimus eum.* Sunt etiam in Ly. Iesus, syllabæ duæ, ad designandum quod habet duas naturas in vna eademque persona: scil. diuinam & humanam. Secundum naturam diuinam æqualis est Patri: secundum formam humanam minor Patre, vt dicit Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 2. Dei filius æqualis Patri secundum Dei formam, in qua est; & minor Patre secundum formam humanam, quam accepit, in qua non solummodo Patre, sed etiam Spiritu S. & seipso minor inuentus est. Incarnati Christi dignitas. Ex nomine IESV.

TERTIO, tangit temporis qualitatem ibi; *Hierosolymis.* Si igitur quæritur; quale tempus fuit, quando Christus incarnari voluit; Dicere debemus, quod fuit tempus pacis. de quo prædixit Mich. cap. 5. *Erit pax Assyrijs, cum venerit.* Et Isa. 2. *Conflabũt gladios suos in vomeres. & lãceas suas in falces.* quasi diceret. Tanta pax tũc erit, quod non Incarnationis temp...

indi-

indigebunt homines gladijs, neque lanceis. Et hæc significat Euangelista, cum, dicit *Hierosolymis* quæ interpretatur pacifica, vel visio pacis. Quia quando fuit pacifica huius mundi habitatio, facta est Christi incarnatio.

L

Vtilitas incarnationis.

QVARTO, tangit veniendi vtilitatem cum dicit; *Et venisset.* Vbi NOTA, quoniam sunt aliquæ vtilitates propter quas venit. Prima, vt medians inter Deum & hominem, offensam eorum mitigaret. Et hoc fuit figuratum Numeri 16. Postquam terra absorbuerat Dathan & Abyron, cœpit populus murmurare contra Moysen & Aaron, dicentes: *Vos interfecistis populum Domini. Cumq; oriretur seditio, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, & postquam ingressi sunt, operuit eos nubes, & apparuit gloria Domini. & dixit Dominus ad Moysen: Recedite de multitudine: etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron. Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens citò ad populum, vt roges pro eis. Cumq; cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit Thymiana, & stans inter mortuos & viuentes, pro populo deprecatus est, & cessauit plaga.*

SPIRITVALITER. Moyses interpretatur attractans, & significat Patrem. de quo Ioan 6. *Nemo venit ad me, nisi traxerit eum Pater meus.* Qui dixit ad Aaron, qui interpretatur mons fortis, & significat Christum, vt tolleret thuribulum humanitatis, & hausto igne, per quem intelligitur anima caritatis, imponeret incensum orationis, & sic medians inter viuentes angelos & mortuos homines per peccatum offensam mitigaret. Ideo 1. Tim. 2. dicit Apostolus *Mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Secundo,* venit inquam, vt nos saluans honoraret sicut testatur Augustinus, venit negotiator cœlestis accipere contumelias, dare honores, haurire dolorem, salutem dare, subire mortem, & dare vitam. *Tertia* vtilitas. Venit enim, vt languores fugans nos sanaret de hoc dicit Bernardus. Venit Medicus ad ægrotos, redemptor ad perditos, via ad errantes, vita ad mortuos: venit qui proijciat omnes infirmitates nostras in profundum maris: Venit qui proprijs humeris ad principium nostri originis nos reducat. Hæc ille. Vtilitates veniendi Christum, vide plures infra in *Quarto* principali eiusdem sermonis.

Cur Christ' incarnati.

QVINTO, tangit aduentus causalitatem cum dicit, Bethphage. Sunt enim quatuor causæ quare aduenit.

M

Clamor.

Interpretationes vocis Bethphage.

PRIMA fuit clamor Prophetarum. Et hæc causa lucet ex prima interpretatione Bethphage. Interpretatur enim domus oris. in quo significatur, quoniam mundus per os Prophetarum desiderabat aduentum Christi. *Primus* Moyses clamauit, Exod. 4. *Obsecro, domine, mitte* quem missurus es. *Secundus* Dauid, Psal. 143. *Domine inclina cœlos tuos, & descende.* Et iterum. *Mitte manum tuam,* id est, filium tuum, *de alto. Tertius* Isaias clamauit cap. 6. *Mitte Domine agnum dominatorem terræ.* Et capit. 64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.*

N

Error.

SECVNDA causa fuit error populorum, & hoc notatur in secunda interpretatione. Interpretatur enim domus erroris significans mundum, in quo homines multipliciter errabant. Psal. 106. *Errauerunt in solitudine, in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Ideo necesse fuit Christum venire, vt viam veritatis monstraret. Rectè, sicut facit Elephas si viderit hominem in solitudine errantem, decli-

declinat ad ipsum paulatim, ipsum præcedens viam ostendit, vt dicit Plinius in spec. nat. lib. 1. c. 2. Ideo promisit Sapiens in persona Christi, Prou. 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi: ducam te per semitas æquitatis.*

TERTIA causa fuit dolor laqueorum. Et significatur in interpretatione tertia. Interpretatur enim domus laquei. quoniam in mundo fuit laqueus doloris, Isa. 24. *Formido & fouea laquei super te qui habitator es terræ.* Ideo venit Christus, vt laqueos istos disrumperet, vt promisit Ierem. 3. *In die illa* scilicet incarnationis meæ, *conteram iugum eius, & vincula eius disrumpam & non dominabuntur ei alieni.* O Dolor.

QVARTA causa fuit amor doctrinarum. quia quarto interpretatur Bethphage domus disciplinæ, ad denotandum, quod Christus ad domum disciplinæ huius mundi venturus esset, & docturus disciplinam. Isa. 41. & Lucæ 4. *Euangelizare mansuetis misit me.* P Amor.

SEXTO, tangit recipientis quantitatem. ibi; *Ad montem Oliueti*, intellige Virginem Mariam, quæ Christum venientem in hunc mundum primo recepit in vteri sui hospitium. Vnde Lucæ 10. dicitur ad sensum mysticum. *Mulier quædam Martha nomine accepit illum in domum suam.* Dignitas matris, in qua incarnatus est.

Quantitas sua & magnitudo NOTATVR in hoc, quod dicitur mons. Et rectè dicitur mons Oliueti, propter virtutum impugnationem, debilium refectionem, sauciatorum curationem, deuotorum vnctionem, excœcatorum illuminationem. Quantitas.

PRIMO igitur, sicut mons Oliueti secundum Augustinum super Ioannem, & mōs pinguedinis respectu oliuarum; sic Maria habuit virtutum pinguedinem. Eccles. 24. *In me omnis gratia viæ & virtutum:* Hieronymus: Si, inquit, Mariam inspexeris, nihil virtutum inuenis, quod non in ea resplendeat. Ideo dicitur de ipsa, Psal. 47. *Mons Dei, mons pinguis.* Q Mons pinguedinis.

SECVNDO. Etiam Maria dicitur mons refectionis. quia debiles reficit per suam misericordiam & pietatem Ideo dicit Bernardus in sermon. Nos quidem in ceteris virtutibus congaudemus tibi, sed in misericordia tua potius nobismetipsis. quasi diceret, quia per ipsam reficimur. *Et subdit:* Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia sapit miseris dulcius. TERTIO, sicut mons olieti est mons curationis propter oleum, quia curat vulneratos; ita Maria oleo suæ pietatis curat vulnera peccatorum. quia secundum Bernardum, Maria tenetur peccatori subuenire: quia si homo non esset peccator factus, facta non esset mater Christi. Refectionis. Curationis.

QVARTO, sicut mons ille est mons vnctionis, eò quod oleo vngitur. Sic Maria dicitur mons vnctionis. quoniam ipsa vncta fuit oleo caritatis & exultationis, Psal. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* R Vnctionis.

QVINTO, sicut mons ille est mons illuminationis, mane illuminabitur à sole, vespere à fulgore luminarium templi; Sic Maria est mons à Christo illuminatus, & alijs præbet lumen gratiæ. Ideo dicit Bernardus. O virgo Maria nomen tuum interpretatur quasi stella illuminans, nobis tenebras lustrans. Illuminationis.

Quantum ad SECVNDVM subiungit prædicatorum submissionem. ibi; *Tunc misit duos &c.* Circa quod NOTA. Domini terreni non possunt omnia per se suis intimare, ergo habent nuntios, quos ad diuersas ciuitates student destinare: vt voluntas sua populis intimetur. Et hi debent esse audaces, mundi, obedientes, &c. vt propter audaciam non terreantur, propter munditiam verò citius suscipiantur, & propter obedientiam Prædicatores quales & quæ eis necessaria.

dientiam diligantur. Sic Dominus cœli & terræ IESVS Christus habet suos nuntios Prædicatores, qui intimant populis suam voluntatem, quos mittens in mundum dicit; *Ite in castellum.*

5 Ideo necessaria sunt illis iam prædicta. sicut hoc patet in visione Apostoli, Apocal. 6. *Vidi & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum in manu sua: & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Vbi innuuntur septem eis necessaria. PRIMVM est audacia. Et hoc signatur in equo. Equus verò non intrepidè, sed audacter vadit ad bellum & ad prælium: & sic prædicator veritatis debet habere audaciam securitatis contra tentationum & tribulationum insultus. Idem etiam signatur in Apostolo Andrea quem dicunt aliqui à Christo missum cum Petro. Andreas enim interpretatur virilis. significans, quod prædicator debet esse virilis, contra vitia prædicando, & Christum confitendo. Quia dicit Dominus, Matth. 8. *Qui me confessus fuerit.* id est, verba mea, *& filius hominis confitebitur eum.*

I. Audacia.

SECVNDO, necessaria est ei munditia, & hoc significatur in ly, albus. Hæc albedo est puritas mentis, vel carnis, in qua ambulare debet prædicator. Ideo dicit Gregorius in Registro, & ponitur 1. q. 1 Necesse est, vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida sequens lutum tenet. & 3. q. 7. c. Qui sine sic dicitur Reuocentur intus ad conscientiam, vt propria prius corrigant, & tunc aliena reprehendant, per Gregorium in moralibus.

II. Mundicia.

TERTIO necessaria est ei obedientia, quæ notatur, cum dicitur; *Et qui sedebat super illum.* Oportet enim, vt prædicator sit subditus Christo. sicut equus sessori. Ideo notatur in Petro, quem misit Christus: qui & Simon, id est, obediens dicitur, in signum obedientiæ: vt scilicet Christo obediat, & ipse sit rector eius Et NOTA. Vt homo benè sedeat in equo, necesse est vt habeat frænum, sellam & calcaria. Sella prædicatoris est iustitia, quæ parat locum sessori Christo, iuxta illud Psalm. 88. *Iustitia & iudicium præparatio sedis eius.* Frænum autem, quo ducitur equus hinc inde, est obedientia, Iac. 3. *Si equis fræna in ora mittimus, ad consentiendum nobis omne corpus eorum circumferimus.* Vel fræna eorum sunt exempla sanctorum, quæ debent prædicatores in ore portare, & secundum ea ambulare. Ideo dicitur dist. 2. c. De quibus. Exempla sanctorum tam in Scripturis, quàm in factis perspicaciter sunt recordanda. Sed calcaria quibus stimulatur equus, sunt timor & amor 2. Cor. 2. *Caritas Christi vrget nos.*

III. Obedientia.

Equiti quæ nam necessaria.

QVARTO necessaria prædicatori est scientia sacræ Scripturæ. Et hoc notatur ibi; *Qui habebat arcum* id est, sacram Scripturam, qua defenditur Ecclesia. Et per arcum congruè intelligitur sacra Scriptura. Arcus enim fit ex duobus: scilicet ex ligno duro & chorda molli, quæ licet sit mollis, tamen durum lignum inflectit Lignū est duritia veteris testamenti, & chorda est gratia noui. vel, chorda est misericordia, lignum iustitia. Quod autem debent iustum arcum portare, ostendit Dominus Genes. 9. *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, cœli.* id est, in his, qui per contemptum mundanorum & desiderium æternorum sunt à terra eleuati, per compunctionem lacrymarum aquosi, per contritionem lucidi, per contemplationem alti, per prædicationem fluidi per bonam operationem coruscantes, per comminationem tonantes. Qui talis non est, non debet portare arcum, id est, prædicationis officium. Item quod prædicator debet habere scientiam, patet in Petro, quem Dominus misit:

IV. Scientia.

Quid per arcum designetur.

sit, qui interpretatur agnoscens, in signum quod debet esse notus in scientia. Ideo dicit Eccles. 5. *Si tibi sit intellectus, responde proximo tuo: Sin autem, digitum super os tuum pone: ne capiaris verbo indisciplinato.*

QVINTO necessaria est perseuerantia, sine qua nemo coronabitur. Et NOTANTVR in eo, quod dicit; *Data est ei corona.* Prædicator enim qui perseuerat prædicare verbum, habet aureolam, secundum illud Metristæ: V. Perseuerantia.

Aureolam Doctor, Virgo, martyrq́; meretur.

Ipsi, inquam habent coronas non solum per se, sed per alios, qui per eos saluati fuerunt. Quod probatur exemplo. Quidam frater in ordine prædicatorum in conuentu Coloniensi defunctus, post mensem apparuit infirmario, gloriosum pulcherrimumq; monile habens in pectore, & multos lapides intextos, aureamque coronam in capite. Cumq; frater quæreret ab eo, quid illa insignia denotarent? Monile inquit, significat rectam intentionem in Deum: lapides preciosi animas, quas conuerti: corona gloriam prædicationis. & sic disparuit. Ideo super illud Apostoli ad Phil 4. *fratres mei charissimi & desiderantissimi gaudium meum magnum & corona.* dicit Ambrosius. Per quos in præsenti lætificor, & in futuro coronabor. Discipulus enim in agone victoriosus dignus erit corona magistri. Præmium concionatoris defuncti.

SEXTO necessaria est prudentia, ad quam pertinent multa. *Primo*, vt ipse laudabiliter viuat, Augustinus in lib. de doctrina Christiana: Non obedienter auditur, qui seipsum non audit. Et Greg. in mora. Cum imperio docetur, quod prius agitur, quàm docetur. *Secundo*, vt orationem præmittat. Augustinus: Si orauit regina Esther pro suæ gentis temporali salute locutura apud regem, vt in os eius sermonem congruum dominus daret; quanto magis etiam orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat. *Tertio* vt sententiam plus quàm verba diligat Augustinus: Bonorum ingeniorum insigne est, in verbis verum amare, non verba. Idem de doctrina Christiana: Quid prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? Et quid obest lignea, si potest? quoniam nihil quærimus quàm patere, quod clausum est. *Quarto*, vt in docendo veritatem non deserat. Idem de doctrina Christiana. Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant, quæ dicuntur, præ falsitate & iniustitia, ac si dicta non sint, videntur. *Quinto*, vt in docendo facilitatem habeat Augustin. in eodem. Quid prodest integritas, quam non sequitur intellectus audientis? Ideo dicit Sapiens, Prouerb. 19. *Doctrina prudentis facilis est.* Et Iesus Syrach Eccles. 4. *Ne abscondas sapientiam in eius decore.* Quibus concordat Ambrosius. Melius est, vt nos intelligant populi quàm vt commendent Grammatici. T VI. Prudentia. 1. 2. Esther 5. 3. 4. 5.

SEPTIMO necessaria est prædicatori potentia, scilicet vel vincat diabolum, mundum & carnem; vt sic exeat vincens. quia dicitur Apocal. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo meo.* Hæc sunt necessaria prædicatoribus, quos mittit Dominus. VII. Potentia

Postquam igitur misisset Dominus Prædicatores & Prælatos, subiungit; *Ite in castellum*, id est, in mundum, *quod contra vos est.* Dicit NOTANTER, *Ite* quasi diceret non equitate, quod est contra multos prælatos, qui equitant magnos & pingues equos. Vbi NOTA, quadrupliciter potest apparere superbia Prælatorum in equitaturis. V Prælatorum æquitatus.

Primo in multiplicatione, quæ prohibita etiam fuit regi. Deut. 16. *Cũ fuerit rex constitutus, nõ multiplicabit sibi equos: nẽ reducet populũ in Ægyptũ equitatus numero subleua-* I.

II. *tur.* *Secundo*, in non necessario vsu equorum. Sicut accidit in illis, qui per dimidiam leucam ire nolunt, nisi equitando: qui pro nihilo videntur habere pedes, cum non ambulent illis. de quibus Psal. 113. *Pedes habent, & non ambulabunt.*

III. *Tertio* ex nimia exquisitione equorum. Sicut accidit in illis, qui volunt habere equos impinguatos, ad pascendum hominum oculos, & forte pauperes dimittunt famelicos & moribundos. Quod tamen est contra B. Ambrosium in lib. de offic. & ponitur 86. dist. c. Pasce famæ morientem. Quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti. quasi diceret: Si tu Prælate, potes equos tuos impinguare, posses & vtique pauperem cibare. quod quia non facis, eum occidis.

IV. *Quarto*, in superbo ornatu equorum. Sicut patet in illis, qui equos suos phaleris deauratis & deargentatis ornant, & pauperes nudos dimittunt. Contra illud Isa. 58. *Si videris nudum, operi eum & carnem tuam ne despexeris.* & Tob. 4. *De vestimentis tuis nudos tege.* Sed quia multi prælati hoc non faciunt, sed potius equos suos de parte pauperum fulciunt, ideo refert venerabilis Apiarius de quodam archidiacono, qui solebat habere equos grandes & phaleratos. Ille enim quodam die sedens in equo phalerato & grandi de eo cecidit, & fractis ceruicibus subito exspirauit.

I. Idcirco multa sunt, quæ possunt eos ab hac superbia cohibere. PRIMVM est multiplex comminatio, quam facit scriptura equitantibus. *Prima* est Zach. 9. *Confundantur ascensores equorum.* *Secunda* est eiusdem c. 12. *In illa die dicit Dominus percutiam omnem equum in stupore & ascensores eius in amentia.* *Tertia* est Isa 31. *Væ, qui descendunt in Ægyptum in equis sperantes*

II. SECVNDVM est exemplum Christi, qui non legitur equitasse, sed tantum semel asinum equitasse, & tunc ibat ad mortem suam in signum, quod multi equitando transeant ad mortem æternam. Multum etiam deberet mouere exemplũ illud Zach. 9. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus iustus, & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam & pullum filium asinæ: & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem.* Mirum est, quod non erubescat seruus equitare, ex quo dominus vadit pedester. Ideo dicit Bernardus: Intolerabilis imprudentiæ est, vt vbi se exinaniuit maiestas, inflet se vermiculus & tumescat.

III. TERTIVM est exemplum sanctorum. Indecens enim est, ex quo filij Dei, scilicet viri sancti & iusti pedites incedunt, seruos diaboli equites incedere. De Apostolis legitur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes.* Ecce principes cœli & terræ sancti Apostoli transeunt, & nunc serui eorum prælati equitant. Ideo hoc præuidens in spiritu Salomon, ait Ecclesiast. 10. *Vidi seruos in equis & Principes quasi seruos ambulantes super terram.* Vbi per Principes intelliguntur Apostoli, quibus Apostolis Dominus præcepit dicens: *Ite.* quasi diceret: non in equis sicut superbi, sed pedites, vt humiles. *Ite in castellum* inquit, *quod contra vos est.* Vbi per castellum intelligitur mundus, qui respectu cœli est quasi castellum, & ciuitas parua. de qua Eccles. 9. *Parua ciuitas & pauci viri in ea.* Venit contra eam rex magnus, qui vallauit eam, & extruxit munitiones per gyrum. Inuentus est in ea vir pauper & prudens, qui liberauit vrbem per sapientiam suam & nullus deinceps recordatus est pauperis illius.

X. MORALITER. Ciuitas parua est mundus, qui paruus est respectu cœli. quia sphæra mundi comparata ad sphæram cœlestem, est quasi nullius quantitatis. Quod probat Boetius lib. 2. de consolat. phil. prosa 7. Omnis terræ ambitus, ad cœli spatium, scilicet

cet

cet comparatus, puncti constat obtinere rationem. *Et subdit exponendo.* Ita vt si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spacij prorsus habere iudicetur, quasi diceret: Quantitas terræ nullius æstimationis est in ordine ad quantitatem cœli. *Et subdit:* Huius tam exiguæ in mundo regionis quarta ferè portio est, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Dicit enim auctor sphæræ materialis, Ioan. de sacro Bosco; quoniam tres partes terræ coopertæ sunt aquis, & terra natat in aquis, & solum quarta pars discooperta est propter vitam animantium tuendam. Ideo dicit etiam Aristoteles 4. Meteorum. Locus apud nos, qui est sphæra actiuorum & passiuorum, est quasi nulla pars respectu cœli. Quare merito dicitur ciuitas parua per sapientem, vel castellum quasi paruum castrum per os Christi. Sed per regem magnum, qui vallauit mundum, intellige diabolum, *qui est rex super omnes filios superbiæ*, Iob. 41. Vir autem pauper & prudens Christus est, qui mundum per suam prudentiam liberauit secundum illud Iob. 26. *Prudentia sua percussit superbum.* Sed certe nullus recordatur illius pauperis, vt ei grates referat. Mittens igitur Christus discipulos dixit: *Ite in castellum quod contra vos est.* quia superbi mali, & tyranni in mundo, sunt contrarij prædicatoribus sicut figuratum est, Num. 23. de Balaam. cui dixit Angelus: *Peruersa est via tua, contriaq; mihi.* Balaam interpretatur deuorans, vel perturbans populum, & significat quemlibet tyrannum, qui hic in mundo, vt dicit psaltes: *Deuorat pauperem in abscondito, & perturbat eum.* Sed per angelum intellige quemlibet prædicatorem, qui *dicitur angelus exercituum*, Malach. 2. Cui contrariantur mundani homines, sicut testatur B. Ambrosius: Liberè, inquit, & absque vlla adulatione veritatem prædicantes, non habent gratiam apud homines, sed tamen non propter hoc debent dimittere prædicationes: sicut nec angelus cessauit impedire Balaam. Isa. 58. *Clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.*

Balaam designat tyrannum.

Quantum ad TERTIVM comprehendit peccatorum solutionem, cum dicit: *Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi.* Circa quod est NOTANDVM: per asinum intelligitur peccator vel genus humanum: quia asinus est ponderosus ad cadendum, tardus ad pœnitendum, piger ad operandum, timidus ad amittendum, stolidus ad prouidendum, aptus ad onus peccati portandum, & patiens ad sustinendum.

Y

Per asinum intelligitur peccator vel genus humanum.

PRIMO igitur Asinus est ponderosus, quia est animal melancholicum, frigidum & siccum: ideo naturaliter est ponderosum. Sic omnis peccator est frigidus, propter peccati pœnitentiam, & siccus per gratiæ carentiam. Ideo benè dicitur ponderosus. & lacrymabiliter posset dicere cum Dauid Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* id est, rationem oppresserunt. Caput enim animæ est ratio. *Et sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Sunt enim peccatores similes Æthiopi, de quo legitur in vitis Patrum, quod B. Arsenius, qui habitauit in eremo Lyciæ, talem vidit visionem. Venit ad eum vox dicens: Egredere, & ostendentur tibi opera hominum. & egressus vidit Æthiopem nigrum cum securi scindente lignum, & facientem grandem sarcinam, & tentauit leuare eam, & præ magnitudine non poterat. & iterum cedebat alia ligna, & addebat sarcinæ. Æthiops niger est homo peccatis denigratus. Threnorum 4. *Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis.* Hic enim cum sit oneratus peccatis multis, tamen superaddit alia, & sic adeo ponderosus fit, vt disponatur ad casum æternæ damnationis. Quia dicit Cassiodorus super verbo, *Sicut onus*

I.

Asinus est ponderosus

Aethiops, homo est peccatis denigratus.

graue &c. Peccata velut plumbum deorsum deprimunt ac demergunt, & quia peccati ponderositas disponit ad cadendum, ideo dicit Dominus Isa. 1. *Vae genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis.*

Z II. Tardus. Peccatoris tarditas vnde proueniat

SECVNDO peccator est tardus ad pœnitendum. rectè enim sicut asinus est animal tardum, & causat hoc debilitas caloris, quia ex quo sunt debilis caloris, caro eorum redditur grossa & dura, quæ quidem durities causat tarditatem. Sic etiam peccator tardus, propriè langsam ad pœnitẽdum venit. Illa tarditas causatur ex hoc, quoniam peccator longam vitam sibi repromittit. sed hæc repromissio est nequam, nequior, nequissima, iuxta illud Ecclesiast. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Est enim ideo nequam, quia sibi vsurpat peccator in hoc, quod proprium est Dei, scilicet de futuro tempore disponere. De quo dicitur Actuum 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Nequior vero est, quia cum tempus infiniti valoris sibi à Deo datum tam fatuè expenderit, adhuc tamen præsumit, quod Deus multum temporis sit sibi daturus. Tali fatuitate laborans, laborat quasi ille, qui thesaurum sibi magnum à patre datum ad negociandum, fatuè expendisset, & adhuc largè expendere vellet dicens: Bene possum expendere, quia pater meus adhuc diues, satis dabit mihi. Cui responderi posset: Verum est quia ista benè custodisti, quæ tibi iam dedit. Tales deberent aduertere, quod dominus hoc tempore Noe accepit de tempore pœnitentiæ hominibus promisso, secundum Strabonem super Genesi, viginti annos, eo quod videbat, quia homines pœnitere nolebant. Si verò tunc dominus promissum tempus nolentibus pœnitere abstulit, quid faciet de istis, quibus nunc tempus pœnitentiæ promisit? Ideo dicit Sapiens Eccles. 6. *Ne tardes conuerti ad dominum & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Nequissima verò est, quia talis tempus non solum sibi datum perdit, imo etiam in contumeliam ipsius largientis expendit, & futurum tempus in contumeliam eius exponere disponit, Ad quod potest referri illud Iob. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutuntur eo in superbiam.*

A III. Piger.

TERTIO sicut asinus piger est ad operandum, quia nisi vapulet, piger incedit: Sic peccator piger est ad operandum illud, quod ad salutem suam videtur pertinere, aut necessitatem vitæ.

Piger quodnam malum incurrat.

Igitur qui piger est ad operandum pro salute animæ, manifestum est quod cœlum non potest recipere: quia cœlum est merces eorum, qui operarij fuerunt, Matth 20. *Voca*, inquit *operarios, & redde illis mercedem.* In paradisum terrestrem etiam non recipietur, quia Gen. 2. dicitur: *Tulit dominus hominem & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur.* In purgatorium etiam non recipietur, quia dicitur Psal. 72. *In labore hominum non sunt & cum hominibus non flagellabuntur.* scilicet in purgatorio. Ideo solum in infernum digni sunt recipi. Ideo beatus Augustinus in homilia 26. Quantum, inquit possumus fructum iustitiæ adferre, studeamus, timentes illud Matth. 13. *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur.* Hæc sententia euidenter ostendit, quod non solum malum fecisse, verum etiam bonum non egisse damnabile est. Hæc ille. Si autem piger non operatur pro necessarijs vitæ, erit in egestate: iuxta illud Prouerbior. 21. *Piger semper in egestate est.* & Prouerb. 6. *Si fueris piger, veniet tibi quasi viator egestas. Qui autem operatur terram suam satiabitur panibus.* Prouerb. 12. Ideo legitur in Vitis Patrum, lib. 4. cap. 10. §. 11. quod

11.quod Abbas Ioannes parua statura, dicebat, se magis velle securum esse, sicut angeli securi sunt, nihil operantes, sed Deum semper tantummodo collaudantes. Et proiecto pallio, egressus est in eremum, factaque septima die, regressus est ad fratrem suum, pulsans ad ostium; & ille ei non aperuit. Et dixit: Tu quis es? Qui dixit: Ego sum Ioannes. Respondit ei frater, & dixit: Ioannes angelus factus est, & vltra inter homines non est. Ille autem negat: non sum dicens: Noluit tamen frater ostium aperire, donec luceret. Manè dixit ad eum. Si homo es, necesse habes operari, vt pascaris. At ille se proiecit ad pedes eius, pœnitentiam agens, & dixit: Ignosce mihi, frater, quia peccaui.

QVARTO peccator est timidus ad amittendum. Rectè sicut asinus propter naturam melãcholicam semper timidus est, sic peccator est semper timidus. Timet enim amittere temporalia, & alia sibi mala euenientia. & hoc est signum quod Deus recessit ab eo. Cain post peccatum fratricidij tremulũ caput habuit, & adeo timidus fuit, vt domino diceret. *Omnis qui inuenerit me, occidet me*, Genes. 4. Et propter hunc timorem ipse pius fuit, quia ciuitates murauit, timens quos lædebat, & ob securitatẽ se & suos in vrbibus colligebat, vt dicit Vincen. in spec. hist. lib. 2. c. 57. At idem legitur Leuit. 26. *Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, hoc quoque faciam vobis. Corruetis enim coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos. Fugietis enim nemine persequente.* Et ibidem dicitur: *Terrebit vos sonitus folij volantis.* Sed talem timorem iusti non habent: quia Prouerb 12. dicitur. *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* Ideo ait Dauid Psal. 22. *Si ambulem in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* B IV. Timidus.

QVINTO peccator est stolidus ad prouidendũ. Sicut enim asinus est animal stolidum, sic peccator est fatuus ad bona sibi prouidenda. Contra quos dicit Apostolus 2. Cor. 8. *Prouidemus bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* V. Stolidus.

Est tamen NOTANDVM, quod multæ sunt stultitiæ peccatoris. PRIMA, quod ipsum diabolus illaqueat, Iob. 18. *Immisit in rete pedem suum.* Vnde, sicut, qui pedem in rete mittit, non cum voluerit, eijcit, sic qui peccatis se inijcit, non cum voluerit surget. quia dicitur Prouerb. 2. *Iniquitates sua capient impium.* Gloss. Pascasij: Sicut hamus piscem, sicut laqueus auem, & sicut fouea lupum, sicut latro mercatorem, & sicut leo venatorem, sic peccator funibus peccatorum suorum constringetur (Gloss. eiusdem) vt nec pedem boni effectus moueat, nec manus boni operis, sed sicut latro vinctus ad patibulum ducatur. C Multæ stultitiæ peccatoris. 1.

SECVNDA, quoniam quasi insanus in seipsum manus mittit infligendo sibi vulnus insanabile. Dicitur enim de peccato Ecclesiast. 11. *Plaga illius non est sanitas.* imo quod plus est, seipsum occidit: Iuxta illud Sapient. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Ideo legitur Luc. 10. de illo *qui incidit in latrones, qui exspoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Et dicit NOTANTER, *semiuiuo*: quia licet peccator viuat secundum corpus; tamen quoad animam mortuus est. secundum illud Augustini. Anima per peccatum præsentia Christi carens, quæ est vita animæ, meritò dicitur mortua. D 2.

TERTIA stultitia peccatoris asini, quia omnia bona animæ per peccatum proijcit. sicut conqueritur Propheta Osee 7. *Proiecit Israel bonum*, Omnia enim bona quæcunque 3.

cunque facit amittit: bona etiam quæ agit in ſtatu illo, vera bona non ſunt: quia non ſunt ſibi meritoria. Vnde qui peccatum mortale committit, facit ſicut qui ignem in propria domo ponit, qui omnia deſtruit.

4. QVARTA ſtultitia, quod ſe cariſſimè à Deo emtum, diabolo viliſſimè vendit. Anima enim peccatoris fuit emta pretioſo ſanguine Chriſti, vt patet 1. Petr. 1. *Non*, inquit, *corruptibilibus auro & argento emti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni incontaminati.* Sed (heu) hanc pro viliſſimo pretio, ſcilicet pro ære vendit peccatorum, ſicut dicit Ambroſius in lib. de vera vita beata. & ponitur 15. q. 1. c. Non eſt. Neminem diabolus iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe ei prius ære peccatorum vendiderit. Sed quia peccatum eſt nihil, Ioan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt, peccatum. Ideo dicit Sapiens. Prouerb. 9. *Cor impiorum pro nihilo vendetur*. Et Iſa. 3. *Gratis venundati eſtis* ſcilicet ſtultitia, quem auctorem omnium rerum vel bonorum deſerit. Ideo non eſt mirum, ſi malè ei ſit. Quia dicit Auguſtinus: Tale bonum eſt Deus, vt nemini eum deſerenti benè ſit. Quare comminatur eis æternum væ, qui à Deo receſſerunt, Oſeæ 7. *Væ eis quoniam receſſerunt a me.*

VI. Aptus ad onera. SEXTO peccator eſt aptus ad peccatorum onera portandum. Sicut enim molendinator, aptiori & fortiori aſino maius onus imponit, & debiliori debilius: ſic diabolus aliquibus hominibus maiora onera imponit viuorum, vt torqueantur in inferno fortioribus crutiatibus, Iuxta illud Sapient. 6. *Fortioribus fortior inſtat cruciatus.* Aliquibus etiam minora imponit, ſecundum quod videt eos poſſe portare. Et ſic ſecundum peccata pœnam ſuſtinebit vnuſquiſq; , quia dicit Bernardus lib. med. cap. 3. Iuxta qualitatem culpæ ſuſtinebit vnuſquiſque gehennæ ſimiles iugiter cruciatus.

VII. Patiens. SEPTIMO peccator eſt patiens ad inſtar aſini, ad laborem mundi ſuſtinendum: ſicut claret primo de auaris, qui ſuſtinent patienter multos labores, vt fiant diuites. De quo Metriſta.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignem:

E SECVNDO etiam patet de luxurioſis, quod multoties per annum patienter vigilias, & labores multos ſuſtinent, vt peccatum illud expleant. ſicut ponit exemplum Salomon Prouerb. 7. dicens: *De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos, conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateam, iuxta angulum. Et ecce occurrit ei mulier in habitu meretricio, apprehenſum deoſculatur iuuenem.* Vbi per tranſitum per plateas, vult innuere vigilias, quas faciunt luxurioſi & labores. Spinæ ſunt vigiliæ timoris. Ideo dicit Dominus Oſeæ 3. *Sepiam vias tuas ſpinis.* Spinæ iſtæ ſunt vigiliæ timoris, expenſæ, & ſollicitudines præcedentes hoc peccatum. De quo dicit Bernardus, quantæ vigiliæ, quàm modicum feſtum in nimia libidine.

TERTIO manifeſtum eſt de ſuperbis, quod patienter ſuſtinent labores, vt per hos veniant ad honores. Sed neſciunt quod dicit Innocentius Papa de huiuſmodi ſuperbis lib. 2. cap. 24. Eſto, inquit, vt ſublimetur quis in altum, prouehatur ad ſummum ſtatum; curæ ſuccreſcunt, ſollicitudines commutantur, extenduntur ieiunia, vigiliæ producuntur. Ex quibus natura corrumpitur, ſpiritus infirmatur, corpus deſtruitur, amittitur virtus & attenuatur, & ſic in ſeipſo deficiens non dimidiat dies ſuos, ſed miſerabilem vitam miſerabili fine concludit. Hæc ille.

Hæ

Hæ autem sunt septem similitudines, quare asino comparantur peccatores. F

II.

Ideo dicit Dominus; *Statim inuenietis asinam, & pullum cum ea.* Sanctus enim Ambrosius per asinam intelligit Euam, sed per pullum Adam. Quia sicut pullus fit ab asina; sic Adam factus est asinus ab Eua. Quia vt probat Magister libro secundo, dist. 22. Plus peccauit mulier, quæ voluit vsurpare diuinitatis æqualitatem, & nimia præsumptione elata credidit ita esse futurum, sicut serpens dixerat. Adam verò illud non credidit & de pœnitentia & misericordia DEI cogitauit: tamen vxori morem, id est, voluntatem gerens, eius persuasioni consensit, nolens eam contristare, & à se alienatam relinquere, ne periret. Asina est Eua, pullus Adam.

Ex quo patet, quod Adam factus est, quasi pullus asininus ab Eua. Ideo etiam dicit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Adam non est seductus*, scilicet primò, secundum Augustinum, sed Eua. Et hoc est quod dicitur Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi.* Vnde Ambrosius, super Matthæum. Ideo asinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque sexus fuit expulsus, ita & in duabus animabus vterque reuocaretur.

Sed per asinam alij intelligunt Iudæos, qui alligati erant lege & pentateucho: per pullum vero qui liber erat, intelligunt gentiles, qui libertate fruebantur. Alia explicatio asini & pulli.

MORALITER. Hæc animalia significant quemlibet peccatorem, quem diabolus ligatum tenet catena peccatorum, quam diabolus facit secundum Augustinum in lib. confess. Facit enim malam voluntatem, ex qua facit libidinem: deinde consuetudinem, ex illa necessitatem; ex necessitate obstinationem, & tandem obdurationem. Et sic miser peccator ligatur adeo durè, quod per se non potest se soluere. Quia tamen propitius Dominus, qui perire neminem vult, mulcens prædicatores præcipit eis; *Soluite & adducite mihi.* Quid est soluere & adducere Christo.

G

Ad quod intelligendum dicit Magister libro quarto Sententiarum dist. 18. Quidam arbitrati sunt, cum peccator dupliciter teneatur ligatus, scilicet mentis contagione à cæcitate, & debito futuræ pœnæ, alterum curari per dominum, alterum solui per sacerdotem. *Et infra.* Quod inquit, in resuscitatione Lazari signatum est, quem Christus per se prius interius viuificauit: deinde foras iussit exire, cumque adhuc ligatum soluere Apostolis præcepit. Gloss. quod est iniungere satisfactionem. *Et infra*: Soluunt sacerdotes, cum de satisfactione aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. Et hoc est, quod dicit Euangelium, quod discipuli adduxerunt asinam & pullum ad IESVM.

Quod autem vestimenta imposuerunt asinæ, significatur quod prædicator vel confessor debet imponere peccatoribus bona opera, vt largitionem eleemosynarum auaris, sicut Dominus ait, Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Vel castitatem luxuriosis, humilitatem superbis, &c. vt sic sedere possit super eos Dominus hic in gratia, & in futuro in gloria. Vestimenta imponere asinæ, quid?

Quantum ad QVARTVM ponit obsequiorum exhibitionem, cum dicit Euangelista; *Plurima autem turba.* &c. Consuetudo est hominum laudabilis, vt cum rex ipsorum venit in regnum, quod occurrunt ei, deponentes vestimenta vilia, & induunt meliora. Et si talis rex veniret ad vincendum inimicos, merito cum ramis palmarum ei in signum victoriæ obuiarent: Si autem esset rex pacificus, cum ramis oliua-

Idcirco prouocatus eorum gemitibus ait Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Ex hoc patet, quod propter peccata hominum venit Christus in mundum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Nulla causa Deo veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tollere morbos, auferre vulnera. Totum enim genus humanum perierat, ex quo vnus peccauerat, in quo totum fuerat. Ideo venit sine peccato, vt omnes saluos faceret sub peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed peccata.

IV. Vt socius ad tribulatos solandos.

QVARTO venit vt socius ad tribulatos consolandos. Ideo assimilatur chrysolito lapidi pretioso. De quo dicit Hugo in didascal. quod in auro positus & in sinistro latere portatus, terrere dicitur, & fugare Dæmones. qui etiam contra timores nocturnas iuuat, & melancholiam euacuat. Hæc verissimè Christo conueniunt Ante cuius aduentum homines in tribulatione fuerant propter terrores dæmonum. propter quod dixit Dauid Psal. 54. *Timor & tremor venerunt super me.* sed ille verè Chrysolitus Dominus noster Iesus Christus in auro fuit positus, quando à sanctis patribus vt eorum consolator fuit dilectus; sicut à Dauid, qui ait Psal. 17. *Diligam te domine fortitudo mea.* Et sicut aurum omnia metalla excellit; ita amor sanctorum Patrum excellens fuit: sicque Christus positus in dilectionis auro, in sinistro latere ab eis portabatur, quando tribulationem & aduersitatem pro Christo libenter & patienter patiebantur, scientes veraciter ipsum venturum, & ipsos consolaturum. Ideo dicere potuerunt illud dictum beati Ambrosij in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, qui mala nostra omnia abbreuias, alleuias, in gaudiumque commutas. Idcirco ipse sic desideratus & patienter exspectatus venit; & Dæmonia fugauit, quando ea ab obsessis eiecit, Matth. 8. Vel etiam per Dæmones intelliguntur tempestates manifestæ, quas Christus fugauit, & timores nocturnos, id est, tentationes occultas, quæ magis sunt timendæ: & euacuauit melancholias & tristitias, consolationem infundendo. vt tunc quilibet dicere potuisset cum Dauid Psal. 97. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,* &c.

K

V. Venit vt Dominus, ad seruos præmio donandos.

QVINTO venit Christus, vt Dominus ad seruos præmiandos. Ipsi enim sancti homines in antiqua lege, & patres laborabant, & pondus diei & æstus portabant. qui signati sunt in illis Matth. 20. qui dicebant: *Nos portauimus pondus diei & æstus. Et quia dignus est mercenarius mercede sua* Lucæ 10. ideo dignum fuit, vt Christus Dominus IESVS veniret, & hos qui tamdiu operati sunt, iuuaret perducendo eos in refrigerium æternum. De tribus vltimis vtilitatibus aduentus CHRISTI dicit Beda in persona Christi: Venio, vt infirmum sanem, vt pugnantes ab hostibus defendam, & triumphantem remunerem. Ecce rex iste venit vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos erigendos, &c.

Quomodo debeamus Christo occurrere cum palmis.

Idcirco debemus ei occurrere, & more puerorum & Hebræorum obsequia exhibere. Primo igitur quia iste rex venit ad vincendum inimicos nostros, ideo laudabile est, vt cum ramis palmarum ei occurramus, in signum suæ victoriæ, eo quod palmarum rami significant victoriam. Quia dicit Isidor. lib. 17. Palma est arbor victorialis, sic dicta eo quod manus obtinentis victoriam est ornatiua.

I. Cum palma humilitatis.

Sed MORALITER palma significat quemlibet hominem. PRIMO propter humilitatem quia sicut palma habet radicis profunditatem, sic debet quilibet in aduentu Christi

Christi habere mentis humilitatem. Quis enim Christo cum humilitate non occurrat, ex quo ipsum tantum pro nobis humiliatum videat? *Exinaniuit*, inquit Apostolus ad Philip. 2. *semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Ecce homo, verus Isaac ambulabat in agro humilitatis. Idcirco descende de camelo elationis. fac inquam ad exemplum Rebeccæ Genes. cap. 24. quæ cum videret Isaac ambulare per agrum, descendit de camelo, in quo sedebat, & dixit ad seruum, qui eam ducebat; *Quis est ille homo, qui venit per agrum? Cui seruus: Ipse est Dominus meus. At illa citò tollens pallium & operuit se.* Rebecca interpretatur, multum accepit, & significat animam hominis, quæ certè multum accepit à Christo. sicut de hoc venerabilis Hugo in libr. de arrha animæ dicit: Quid, inquit, dedit tibi, ô anima mea, sponsus tuus? tu nosti, quod accepisti, & necesse habes adhuc melius nosse ne incipias de his, quæ accepisti, præsumere, gratias non referre. *Et subdit:* Præcogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt esse inceperis; hæc cuius dono acceperis. Nunquid amplius dedit? Non solum esse, sed pulchrum esse, & formosum esse. Adhuc aliquid plus dedit: scilicet, magis te ad similitudinem traxit suam. Hæc ille. Ecce quam magna accepit anima nostra, hæc & plura alia.

Rebeccæ significatio.

Anima nostra multum accepit à Deo.

L

Videat igitur anima nostra Isaac, qui interpretatur risus, significans Christum, qui est risus & gaudium sanctorum, pedibus ambulantem per agrum in humanitate assumpta, iuxta illud Baruch 3. *Post in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & postquam viderit, eum interroget: Quis est iste homo, qui venit per agrum, scilicet humilitatis? Tunc respondent serui domini: Primus, Dauid Psalm. 23. *Ipse est Dominus fortis & potens in prælio.* Secundus, est Isaias cap. 63. *Iste formosus in stola sua,* scilicet humilitatis. Tertius est princeps Apostolorum Petrus, qui habet ad hanc interrogationem respondere. *Iste est, in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petri 1. Ad vltimum respondet B. Thomas. Cum quærit anima, quis est iste? Ipse, inquit, est *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20. His rationibus auditis, merito descendit anima lachrymas à camelo propriæ voluntatis, & pedibus graditur humilitatis, Christo humiliter occurrendo, & eius incarnationem admirando, & eum toto corde venerando. Quia dicit Bernardus: Iusto Dei iudicio hic damnatur, qui non aduentum Christi in carne toto corde & anima veneratur.

M

II. Cum palma castitatis.

SECVNDO palma significat hominem propter castitatem. Sicut enim palma habet stipitis firmitatem, sic homo volens occurrere, debet habere cordis puritatem, & corporis castitatem. Si enim aliquis vellet occurrere regi terreno, vt eum honoraret, conueniens esset, vt iste regis oculis non displiceret. sic est de incastis, qui displicent regi Christo. Ideo dicit Dionysius in cœlesti Hierarchia: Absque perfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ.

N

Cum palma victoriæ.

TERTIO propter hostium superabilitatem. Sicut enim palma significat victoriam, sic homo qui vult occurrere Christo, debet hostes vincere. Est enim triplex hostis: mundus caro, & diabolus. Mundum debet vincere per rerum abdicationem, considerando quod Christus pauper venit in hunc mundum, non habens proprium domicilium. Vnde Bernardus de paupertate Christi. Vide pauperem Christum, natum sine hospitio, iacentem inter bouem & asinum in præsepio, inuolu-

Idcirco prouocatus eorum gemitibus ait Psal. 11. ***Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*** Ex hoc liquet, quod propter peccata hominum venit Christus in mundum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Nulla causa Deo veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tollere morbos, auferre vulnera. Totum enim genus humanum perierat, ex quo vnus peccauerat, in quo totum fuerat Ideo venit sine peccato, vt omnes saluos faceret sub peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed peccata.

IV. Vt socius ad tribulatos solandos.

QVARTO venit vt socius ad tribulatos consolandos. Ideo assimilatur chrysolito lapidi pretioso. De quo dicit Hugo in didascal. quod in auro positus & in sinistro latere portatus, terrere dicitur, & fugare Dæmones. qui etiam contra timores nocturnas iuuat, & melancholiam euacuat. Hæc verissimè Christo conueniunt Ante cuius aduentum homines in tribulatione fuerant propter terrores dæmonum. propter quod dixit Dauid Psal. 54. ***Timor & tremor venerunt super me.*** sed ille verè Chrysolitus Dominus noster Iesus Christus in auro fuit positus, quando à sanctis patribus vt eorum consolator fuit dilectus; sicut à Dauid, qui ait Psal. 17. ***Diligam te domine fortitudo mea.*** Et sicut aurum omnia metalla excellit; ita amor sanctorum Patrum excellens fuit: sicque Christus positus in dilectionis auro, in sinistro latere ab eis portabatur, quando tribulationem & aduersitatem pro Christo libenter & patienter patiebantur, scientes veraciter ipsum venturum, & ipsos consolaturum. Ideo dicere potuerunt illud dictum beati Ambrosij in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, qui mala nostra omnia abbreuias, alleuias, in gaudiumque commutas. Idcirco ipse sic desideratus & patienter exspectatus venit; & Dæmonia fugauit, quando ea ab obsessis eiecit, Matth. 8. Vel etiam per Dæmones intelliguntur tempestates manifestæ, quas Christus fugauit, & timores nocturnos, id est, tentationes occultas, quæ magis sunt timendæ: & euacuauit melancholias & tristitias, consolationem infundendo. vt tunc quilibet dicere potuisset cum Dauid Psal. 97. ***Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,*** &c.

K

V. Venit vt Dominus, ad seruos præmio donandos.

QVINTO venit Christus, vt Dominus ad seruos præmiandos. Ipsi enim sancti homines in antiqua lege, & patres laborabant, & pondus diei & æstus portabant. qui signati sunt in illis Matth. 20. qui dicebant: ***Nos portauimus pondus diei & æstus. Et quia dignus est mercenarius mercede sua*** Lucæ 10. ideo dignum fuit, vt Christus Dominus IESVS veniret, & hos qui tamdiu operati sunt, iuuaret perducendo eos in refrigerium æternum. De tribus vltimis vtilitatibus aduentus CHRISTI dicit Beda in persona Christi: Venio, vt infirmum sanem, vt pugnantes ab hostibus defendam, & triumphantem remunerem. Ecce rex iste venit vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos erigendos, &c.

Quomodo debeamus Christo occurrere cum palmis.

Idcirco debemus ei occurrere, & more puerorum & Hebræorum obsequia exhibere. Primo igitur quia iste rex venit ad vincendum inimicos nostros, ideo laudabile est, vt cum ramis palmarum ei occurramus, in signum suæ victoriæ, eo quod palmarum rami significant victoriam. Quia dicit Isidor. lib. 17. Palma est arbor victorialis, sic dicta eo quod manus obtinentis victoriam est ornatiua.

I. Cum palma humilitatis.

Sed MORALITER palma significat quemlibet hominem. PRIMO propter humilitatem quia sicut palma habet radicis profunditatem, sic debet quilibet in aduentu Christi

Christi habere mentis humilitatem. Quis enim Christo cum humilitate non occurrat, ex quo ipsum tantum pro nobis humiliatum videat? *Exinaniuit*, inquit Apostolus ad Philip. 2. *semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Ecce homo, verus Isaac ambulabat in agro humilitatis. Idcirco descende de camelo elationis. fac inquam ad exemplum Rebeccæ Genes. cap. 24. quæ cum videret Isaac ambulare per agrum, descendit de camelo, in quo sedebat, & dixit ad seruum, qui eam ducebat; *Quis est ille homo, qui venit per agrum? Cui seruus: Ipse est Dominus meus. At illa citò tollens pallium & operuit se.* Rebecca interpretatur, multum accepit, & significat animam hominis, quæ certè multum accepit à Christo. sicut de hoc venerabilis Hugo in libr. de arrha animæ dicit: Quid, inquit, dedit tibi, ô anima mea, sponsus tuus? tu nosti, quod accepisti, & necesse habes adhuc melius nosse ne incipias de his, quæ accepisti, præsumere, gratias non referre. *Et subdit:* Præcogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt esse inceperis; hæc cuius dono acceperis. Nunquid amplius dedit? Non solum esse, sed pulchrum esse, & formosum esse. Adhuc aliquid plus dedit: scilicet, magis te ad similitudinem traxit suam. Hæc ille. Ecce quam magna accepit anima nostra, hæc & plura alia.

Rebeccæ significatio.

Anima nostra multum accepit à Deo.

L

Videat igitur anima nostra Isaac, qui interpretatur risus, significans Christum, qui est risus & gaudium sanctorum, pedibus ambulantem per agrum in humanitate assumpta, iuxta illud Baruch 3. *Post in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & postquam viderit, eum interroget: Quis est iste homo, qui venit per agrum, scilicet humilitatis? Tunc respondent serui domini: Primus, Dauid Psalm. 23. *Ipse est Dominus fortis & potens in prælio.* Secundus, est Isaias cap. 63. *Iste formosus in stola sua,* scilicet humilitatis. Tertius est princeps Apostolorum Petrus, qui habet ad hanc interrogationem respondere. *Iste est, in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petri 1. Ad vltimum respondet B. Thomas. Cum quærit anima, quis est iste? Ipse, inquit, est *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20. His rationibus auditis, merito descendit anima lachrymas à camelo propriæ voluntatis, & pedibus graditur humilitatis, Christo humiliter occurrendo, & eius incarnationem admirando, & eum toto corde venerando. Quia dicit Bernardus: Iusto Dei iudicio hic damnatur, qui non aduentum Christi in carne toto corde & anima veneratur.

M

II.

Cum palma castitatis.

SECVNDO palma significat hominem propter castitatem. Sicut enim palma habet stipitis firmitatem, sic homo volens occurrere, debet habere cordis puritatem, & corporis castitatem. Si enim aliquis vellet occurrere regi terreno, vt eum honoraret, conueniens esset, vt iste regis oculis non displiceret. sic est de incastis, qui displicent regi Christo. Ideo dicit Dionysius in cœlesti Hierarchia: Absque perfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ.

N

Cum palma victoriæ.

TERTIO propter hostium superabilitatem. Sicut enim palma significat victoriam, sic homo qui vult occurrere Christo, debet hostes vincere. Est enim triplex hostis: mundus caro, & diabolus. Mundum debet vincere per rerum abdicationem, considerando quod Christus pauper venit in hunc mundum, non habens proprium domicilium. Vnde Bernardus de paupertate Christi. Vide pauperem Christum, natum sine hospitio, iacentem inter bouem & asinum in præsepio, inuolu-

Idcirco prouocatus eorum gemitibus ait Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Ex hoc liquet, quod propter peccata hominum venit Christus in mundum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Nulla causa Deo veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tollere morbos, auferre vulnera. Totum enim genus humanum perierat, ex quo vnus peccauerat, in quo totum fuerat. Ideo venit sine peccato, vt omnes saluos faceret sub peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed peccata.

IV. Vt socius ad tribulatos solandos.

QVARTO venit vt socius ad tribulatos consolandos. Ideo assimilatur chrysolito lapidi pretioso. De quo dicit Hugo in didascal. quod in auro positus & in sinistro latere portatus, terrere dicitur, & fugare Dæmones. qui etiam contra timores nocturnas iuuat, & melancholiam euacuat. Hæc verissimè Christo conueniunt. Ante cuius aduentum homines in tribulatione fuerant propter terrores dæmonum. propter quod dixit Dauid Psal. 54. *Timor & tremor venerunt super me.* sed ille verè Chrysolitus Dominus noster Iesus Christus in auro fuit positus, quando à sanctis patribus vt eorum consolator fuit dilectus; sicut à Dauid, qui ait Psal. 17. *Diligam te domine fortitudo mea.* Et sicut aurum omnia metalla excellit; ita amor sanctorum Patrum excellens fuit: sicque Christus positus in dilectionis auro, in sinistro latere ab eis portabatur, quando tribulationem & aduersitatem pro Christo libenter & patienter patiebantur, scientes veraciter ipsum venturum, & ipsos consolaturum. Ideo dicere potuerunt illud dictum beati Ambrosij in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, qui mala nostra omnia abbreuias, alleuias, in gaudiumque commutas. Idcirco ipse sic desideratus & patienter exspectatus venit; & Dæmonia fugauit, quando ea ab obsessis eiecit, Matth. 8. Vel etiam per Dæmones intelliguntur tempestates manifestæ, quas Christus fugauit, & timores nocturnos, id est, tentationes occultas, quæ magis sunt timendæ: & euacuauit melancholias & tristitias, consolationem infundendo. vt tunc quilibet dicere potuisset cum Dauid Psal. 97. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,* &c.

K

V. Venit vt Dominus, ad seruos præmio donandos.

QVINTO venit Christus, vt Dominus ad seruos præmiandos. Ipsi enim sancti homines in antiqua lege, & patres laborabant, & pondus diei & æstus portabant. qui signati sunt in illis Matth. 20. qui dicebant: *Nos portauimus pondus diei & æstus. Et quia dignus est mercenarius mercede sua* Lucæ 10. ideo dignum fuit, vt Christus Dominus IESVS veniret, & hos qui tamdiu operati sunt, iuuaret perducendo eos in refrigerium æternum. De tribus vltimis vtilitatibus aduentus CHRISTI dicit Beda in persona Christi: Venio, vt infirmum sanem, vt pugnantes ab hostibus defendam, & triumphantem remunerem. Ecce rex iste venit vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos erigendos, &c.

Quomodo debeamus Christo occurrere cum palmis.

Idcirco debemus ei occurrere, & more puerorum & Hebræorum obsequia exhibere. Primo igitur quia iste rex venit ad vincendum inimicos nostros, ideo laudabile est, vt cum ramis palmarum ei occurramus, in signum suæ victoriæ, eo quod palmarum rami significant victoriam. Quia dicit Isidor. lib. 17. Palma est arbor victorialis, sic dicta eo quod manus obtinentis victoriam est ornatiua.

I. Cum palma humilitatis.

Sed MORALITER palma significat quemlibet hominem. PRIMO propter humilitatem quia sicut palma habet radicis profunditatem, sic debet quilibet in aduentu Christi

Christi habere mentis humilitatem. Quis enim Christo cum humilitate non occurrat, ex quo ipsum tantum pro nobis humiliatum videat? *Exinaniuit*, inquit Apostolus ad Philip. 2. *semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Ecce homo, verus Isaac ambulabat in agro humilitatis. Idcirco descende de camelo elationis. fac inquam ad exemplum Rebeccæ Genes. cap. 24. quæ cum videret Isaac ambulare per agrum, descendit de camelo, in quo sedebat, & dixit ad seruum, qui eam ducebat; *Quis est ille homo, qui venit per agrum? Cui seruus: Ipse est Dominus meus. At illa citò tollens pallium & operuit se.* Rebecca interpretatur, multum accepit, & significat animam hominis, quæ certè multum accepit à Christo. sicut de hoc venerabilis Hugo in libr. de arrha animæ dicit: Quid, inquit, dedit tibi, ô anima mea, sponsus tuus? tu nosti, quod accepisti, & necesse habes adhuc melius nosse ne incipias de his, quæ accepisti, præsumere, gratias non referre. *Et subdit:* Præcogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt esse inceperis; hæc cuius dono acceperis. Nunquid amplius dedit? Non solum esse, sed pulchrum esse, & formosum esse. Adhuc aliquid plus dedit: scilicet, magis te ad similitudinem traxit suam. Hæc ille. Ecce quam magna accepit anima nostra, hæc & plura alia. Rebeccæ significatio. Anima nostra multum accepit à Deo.

Videat igitur anima nostra Isaac, qui interpretatur risus, significans Christum, qui est risus & gaudium sanctorum, pedibus ambulantem per agrum in humanitate assumpta, iuxta illud Baruch 3. *Post in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & postquam viderit, eum interroget: Quis est iste homo, qui venit per agrum, scilicet humilitatis? Tunc respondent serui domini: Primus, Dauid Psalm. 23. *Ipse est Dominus fortis & potens in prælio.* Secundus, est Isaias cap. 63. *Iste formosus in stola sua,* scilicet humilitatis. Tertius est princeps Apostolorum Petrus, qui habet ad hanc interrogationem respondere. *Iste est, in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petri 1. Ad vltimum respondet B. Thomas. Cum quærit anima, quis est iste? Ipse, inquit, est *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20. His rationibus auditis, merito descendit anima lachrymas à camelo propriæ voluntatis, & pedibus graditur humilitatis, Christo humiliter occurrendo, & eius incarnationem admirando, & cum toto corde venerando. Quia dicit Bernardus: Iusto Dei iudicio hic damnatur, qui non aduentum Christi in carne toto corde & anima veneratur. L

M

SECVNDO palma significat hominem propter castitatem. Sicut enim palma habet stipitis firmitatem, sic homo volens occurrere, debet habere cordis puritatem, & corporis castitatem. Si enim aliquis vellet occurrere regi terreno, vt eum honoraret, conueniens esset, vt iste regis oculis non displiceret. sic est de incastis, qui displicent regi Christo. Ideo dicit Dionysius in cœlesti Hierarchia: Absque perfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ. II. Cum palma castitatis.

N

TERTIO propter hostium superabilitatem. Sicut enim palma significat victoriam, sic homo qui vult occurrere Christo, debet hostes vincere. Est enim triplex hostis: mundus caro, & diabolus. Mundum debet vincere per rerum abdicationem, considerando quod Christus pauper venit in hunc mundum, non habens proprium domicilium. Vnde Bernardus de paupertate Christi. Vide pauperem Christum, natum sine hospitio, iacentem inter bouem & asinum in præsepio, inuolu- Cum palma victoriæ.

Idcirco prouocatus eorum gemitibus ait Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Ex hoc liquet, quod propter peccata hominum venit Christus in mundum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Nulla causa Deo veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tollere morbos, auferre vulnera. Totum enim genus humanum perierat, ex quo vnus peccauerat, in quo totum fuerat. Ideo venit sine peccato, vt omnes saluos faceret sub peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed peccata.

IV. Vt socius ad tribulatos solandos.

QVARTO venit vt socius ad tribulatos consolandos. Ideo assimilatur chrysolito lapidi pretioso. De quo dicit Hugo in didascal. quod in auro positus & in sinistro latere portatus, terrere dicitur, & fugare Dæmones. qui etiam contra timores nocturnas iuuat, & melancholiam euacuat. Hæc verissimè Christo conueniunt. Ante cuius aduentum homines in tribulatione fuerant propter terrores dæmonum. propter quod dixit Dauid Psal. 54. *Timor & tremor venerunt super me.* sed ille verè Chrysolitus Dominus noster Iesus Christus in auro fuit positus, quando à sanctis patribus vt eorum consolator fuit dilectus; sicut à Dauid, qui ait Psal. 17. *Diligam te domine fortitudo mea.* Et sicut aurum omnia metalla excellit; ita amor sanctorum Patrum excellens fuit: sicque Christus positus in dilectionis auro, in sinistro latere ab eis portabatur, quando tribulationem & aduersitatem pro Christo libenter & patienter patiebantur, scientes veraciter ipsum venturum, & ipsos consolaturum. Ideo dicere potuerunt illud dictum beati Ambrosij in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, qui mala nostra omnia abbreuias, alleuias, in gaudiumque commutas. Idcirco ipse sic desideratus & patienter exspectatus venit; & Dæmonia fugauit, quando ea ab obsessis eiecit, Matth. 8. Vel etiam per Dæmones intelliguntur tempestates manifestæ, quas Christus fugauit, & timores nocturnos, id est, tentationes occultas, quæ magis sunt timendæ: & euacuauit melancholias & tristitias, consolationem infundendo. vt tunc quilibet dicere potuisset cum Dauid Psal. 97. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,* &c.

K

V. Venit vt Dominus, ad seruos præmio donandos.

QVINTO venit Christus, vt Dominus ad seruos præmiandos. Ipsi enim sancti homines in antiqua lege, & patres laborabant, & pondus diei & æstus portabant. qui signati sunt in illis Matth. 20. qui dicebant: *Nos portauimus pondus diei & æstus. Et quia dignus est mercenarius mercede sua* Lucæ 10. ideo dignum fuit, vt Christus Dominus IESVS veniret, & hos qui tamdiu operati sunt, iuuaret perducendo eos in refrigerium æternum. De tribus vltimis vtilitatibus aduentus CHRISTI dicit Beda in persona Christi: Venio, vt infirmum sanem, vt pugnantes ab hostibus defendam, & triumphantem remunerem. Ecce rex iste venit vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos erigendos, &c.

Quomodo debeamus Christo occurrere cum palmis.

Idcirco debemus ei occurrere, & more puerorum & Hebræorum obsequia exhibere. Primo igitur quia iste rex venit ad vincendum inimicos nostros, ideo laudabile est, vt cum ramis palmarum ei occurramus, in signum suæ victoriæ, eo quod palmarum rami significant victoriam. Quia dicit Isidor. lib. 17. Palma est arbor victorialis, sic dicta eo quod manus obtinentis victoriam est ornatiua.

I. Cum palma humilitatis.

Sed MORALITER palma significat quemlibet hominem. PRIMO propter humilitatem quia sicut palma habet radicis profunditatem, sic debet quilibet in aduentu Christi

Christi habere mentis humilitatem. Quis enim Christo cum humilitate non occurrat, ex quo ipsum tantum pro nobis humiliatum videat? *Exinaniuit*, inquit Apostolus ad Philip. 2. *semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Ecce homo, verus Isaac ambulabat in agro humilitatis. Idcirco descende de camelo elationis. fac inquam ad exemplum Rebeccæ Genes. cap. 24. quæ cum videret Isaac ambulare per agrum, descendit de camelo, in quo sedebat, & dixit ad seruum, qui eam ducebat; *Quis est ille homo, qui venit per agrum? Cui seruus: Ipse est Dominus meus. At illa citò tollens pallium & operuit se.* Rebecca interpretatur, multum accepit, & significat animam hominis, quæ certè multum accepit à Christo. sicut de hoc venerabilis Hugo in libr. de arrha animæ dicit: Quid, inquit, dedit tibi, ô anima mea, sponsus tuus? tu nosti, quod accepisti, & necesse habes adhuc melius nosse ne incipias de his, quæ accepisti, præsumere, gratias non referre. *Et subdit:* Præcogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt esse inceperis; hæc cuius dono acceperis. Nunquid amplius dedit? Non solum esse, sed pulchrum esse, & formosum esse. Adhuc aliquid plus dedit: scilicet, magis te ad similitudinem traxit suam. Hæc ille. Ecce quam magna accepit anima nostra, hæc & plura alia.

Rebeccæ significatio.

Anima nostra multum accepit à Deo.

L

Videat igitur anima nostra Isaac, qui interpretatur risus, significans Christum, qui est risus & gaudium sanctorum, pedibus ambulantem per agrum in humanitate assumpta, iuxta illud Baruch 3. *Post in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & postquam viderit, eum interroget: Quis est iste homo, qui venit per agrum, scilicet humilitatis? Tunc respondent serui domini: Primus, Dauid Psalm. 23. *Ipse est Dominus fortis & potens in prælio.* Secundus, est Isaias cap. 63. *Iste formosus in stola sua,* scilicet humilitatis. Tertius est princeps Apostolorum Petrus, qui habet ad hanc interrogationem respondere. *Iste est, in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petri 1. Ad vltimum respondet B. Thomas. Cum quærit anima, quis est iste? Ipse, inquit, est *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20. His rationibus auditis, merito descendit anima lachrymas à camelo propriæ voluntatis, & pedibus graditur humilitatis, Christo humiliter occurrendo, & eius incarnationem admirando, & cum toto corde venerando. Quia dicit Bernardus: Iusto Dei iudicio hic damnatur, qui non aduentum Christi in carne toto corde & anima veneratur.

M

II. Cum palma castitatis.

SECVNDO palma significat hominem propter castitatem. Sicut enim palma habet stipitis firmitatem, sic homo volens occurrere, debet habere cordis puritatem, & corporis castitatem. Si enim aliquis vellet occurrere regi terreno, vt eum honoraret, conueniens esset, vt iste regis oculis non displiceret. sic est de incastis, qui displicent regi Christo. Ideo dicit Dionysius in cœlesti Hierarchia: Absque perfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ.

N

Cum palma victoriæ.

TERTIO propter hostium superabilitatem. Sicut enim palma significat victoriam, sic homo qui vult occurrere Christo, debet hostes vincere. Est enim triplex hostis: mundus caro, & diabolus. Mundum debet vincere per rerum abdicationem, considerando quod Christus pauper venit in hunc mundum, non habens proprium domicilium. Vnde Bernardus de paupertate Christi. Vide pauperem Christum, natum sine hospitio, iacentem inter bouem & asinum in præsepio, inuolu-

cunque facit amittit: bona etiam quæ agit in ſtatu illo, vera bona non ſunt: quia non ſunt ſibi meritoria. Vnde qui peccatum mortale committit, facit ſicut qui ignem in propria domo ponit, qui omnia deſtruit.

4. QVARTA ſtultitia, quod ſe cariſſimè à Deo emtum, diabolo viliſſimè vendit. Anima enim peccatoris fuit emta pretioſo ſanguine Chriſti, vt patet 1. Petr. 1. *Non,* inquit, *corruptibilibus auro & argento emti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni incontaminati.* Sed (heu) hanc pro viliſſimo pretio, ſcilicet pro ære vendit peccatorum, ſicut dicit Ambroſius in lib. de vera vita beata. & ponitur 15. q. 1. c. Non eſt. Neminem diabolus iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe ei prius ære peccatorum vendiderit. Sed quia peccatum eſt nihil, Ioan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil,* id eſt, peccatum. Ideo dicit Sapiens. Prouerb. 9. *Cor impiorum pro nihilo vendetur.* Et Iſa. 3. *Gratis venundati eſtis* ſcilicet ſtultitia, quem auctorem omnium rerum vel bonorum deſerit. Ideo non eſt mirum, ſi malè ei ſit. Quia dicit Auguſtinus: Tale bonum eſt Deus, vt nemini eum deſerenti benè ſit. Quare comminatur eis æternum væ, qui à Deo receſſerunt, Oſeæ 7. *Væ eis quoniam receſſerunt a me.*

VI. Aptus ad onera. SEXTO peccator eſt aptus ad peccatorum onera portandum. Sicut enim molendinator, aptiori & fortiori aſino maius onus imponit, & debiliori debilius: ſic diabolus aliquibus hominibus maiora onera imponit viuorum, vt torqueantur in inferno fortioribus crutiatibus, Iuxta illud Sapient. 6. *Fortioribus fortior inſtat cruciatus.* Aliquibus etiam minora imponit, ſecundum quod videt eos poſſe portare. Et ſic ſecundum peccata pœnam ſuſtinebit vnuſquiſq;, quia dicit Bernardus lib. med. cap. 3. Iuxta qualitatem culpæ ſuſtinebit vnuſquiſque gehennæ ſimiles iugiter cruciatus.

VII. Patiens. SEPTIMO peccator eſt patiens ad inſtar aſini, ad laborem mundi ſuſtinendum: ſicut claret primo de auaris, qui ſuſtinent patienter multos labores, vt fiant diuites. De quo Metriſta.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignem:

E SECVNDO etiam patet de luxurioſis, quod multoties per annum patienter vigilias, & labores multos ſuſtinent, vt peccatum illud expleant. ſicut ponit exemplum Salomon Prouerb. 7. dicens: *De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos, conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateam, iuxta angulum. Et ecce occurrit ei mulier in habitu meretricio, apprehenſum deoſculatur iuuenem.* Vbi per tranſitum per plateas, vult innuere vigilias, quas faciunt luxurioſi & labores. Ideo dicit Dominus Oſeæ 3. *Sepiam vias tuas ſpinis.* Spinæ iſtæ ſunt vigiliæ timoris, expenſæ, & ſollicitudines præcedentes hoc peccatum. De quo dicit Bernardus, quantæ vigiliæ, quàm modicum feſtum in nimia libidine.

Spinæ ſunt vigiliæ timoris.

TERTIO manifeſtum eſt de ſuperbis, quod patienter ſuſtinent labores, vt per hos veniant ad honores. Sed neſciunt quod dicit Innocentius Papa de huiuſmodi ſuperbis lib. 2. cap. 24. Eſto, inquit, vt ſublimetur quis in altum, prouehatur ad ſummum ſtatum; curæ ſuccreſcunt, ſollicitudines commutantur, extenduntur ieiunia, vigiliæ producuntur. Ex quibus natura corrumpitur, ſpiritus infirmatur, corpus deſtruitur, amittitur virtus & attenuatur, & ſic in ſeipſo deficiens non dimidiat dies ſuos, ſed miſerabilem vitam miſerabili fine concludit. Hæc ille.

Hæ

Hæ autem ſunt ſeptem ſimilitudines, quare aſino comparantur peccatores.

F

II.

Ideo dicit Dominus: *Statim inuenietis aſinam, & pullum cum ea.* Sanctus enim Ambroſius per aſinam intelligit Euam, ſed per pullum Adam. Quia ſicut pullus fit ab aſina; ſic Adam factus eſt aſinus ab Eua. Quia vt probat Magiſter libro ſecundo, diſt. 22. Plus peccauit mulier, quæ voluit vſurpare diuinitatis æqualitatem, & nimia præſumptione elata credidit ita eſſe futurum, ſicut ſerpens dixerat. Adam verò illud non credidit & de pœnitentia & miſericordia DEI cogitauit: tamen vxori morem, id eſt, voluntatem gerens, eius perſuaſioni conſenſit, nolens eam contriſtare, & à ſe alienatam relinquere, ne periret.

Aſina eſt Eua, pullus Adam.

Ex quo patet, quod Adam factus eſt, quaſi pullus aſininus ab Eua. Ideo etiam dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. *Adam non eſt ſeductus*, ſcilicet primò, ſecundum Auguſtinum, ſed Eua. Et hoc eſt quod dicitur Geneſ. 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi.* Vnde Ambroſius, ſuper Matthæum. Ideo aſinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque ſexus fuit expulſus, ita & in duabus animabus vterque reuocaretur.

Sed per aſinam alij intelligunt Iudæos, qui alligati erant lege & pentateucho: per pullum vero qui liber erat, intelligunt gentiles, qui libertate fruebantur.

Alia explicatio aſini & pulli.

MORALITER. Hæc animalia ſignificant quemlibet peccatorem, quem diabolus ligatum tenet catena peccatorum, quam diabolus facit ſecundum Auguſtinum in lib. confeſſ. Facit enim malam voluntatem, ex qua facit libidinem: deinde conſuetudinem, ex illa neceſſitatem; ex neceſſitate obſtinationem, & tandem obdurationem. Et ſic miſer peccator ligatur adeo durè, quod per ſe non poteſt ſe ſoluere. Quia tamen propitius Dominus, qui perire neminem vult, mulcens prædicatores præcipit eis; *Soluite & adducite mihi.*

Quid eſt ſoluere & adducere Chriſto.

G

Ad quod intelligendum dicit Magiſter libro quarto Sententiarum diſt. 18. Quidam arbitrati ſunt, cum peccator dupliciter teneatur ligatus, ſcilicet mentis contagione à cæcitate, & debito futuræ pœnæ, alterum curari per dominum, alterum ſolui per ſacerdotem. *Et infra.* Quod inquit, in reſuſcitatione Lazari ſignatum eſt, quem Chriſtus per ſe prius interius viuificauit: deinde foras iuſſit exire, eumque adhuc ligatum ſoluere Apoſtolis præcepit. Gloſſ. quod eſt iniungere ſatisfactionem. *Et infra*: Soluunt ſacerdotes, cum de ſatisfactione aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad ſacramentorum communionem admittunt. Et hoc eſt, quod dicit Euangelium, quod diſcipuli adduxerunt aſinam & pullum ad IESVM.

Quod autem veſtimenta impoſuerunt aſinæ, ſignificatur quod prædicator vel confeſſor debet imponere peccatoribus bona opera, vt largitionem eleemoſynarum auaris, ſicut Dominus ait, Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Vel caſtitatem luxurioſis, humilitatem ſuperbis, &c. vt ſic ſedere poſſit ſuper eos Dominus hic in gratia, & in futuro in gloria.

Veſtimenta imponere aſinæ, quid?

Quantum ad QVARTVM ponit obſequiorum exhibitionem, cum dicit Euangeliſta: *Plurima autem turba.* &c. Conſuetudo eſt hominum laudabilis, vt cum rex ipſorum venit in regnum, quod occurrunt ei, deponentes veſtimenta vilia, & induunt meliora. Et ſi talis rex veniret ad vincendum inimicos, merito cum ramis palmarum ei in ſignum victoriæ obuiarent: Si autem eſſet rex pacificus, cum ramis

 oliua-

oliuarum esset ei obuiandum. Si verò esset mundus vel castus, cum floribus esset honorandns.

H Quomodo Christus ad nos venerit. SPIRITVALITER Dominus noster IESVS Christus *rex magnus super omnem terram*, vt dicitur Psal. 46. dignatus est venire ad nos, vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos subleuandos, vt socius ad tribulatos consolandos, vt dominus ad seruos præmiandos.

I. Vt pater, & quare. PRIMO enim dico, quod venit ad nos, vt pater ad filios visitandos propter septem vtilitates. *Primo*, vt nos filios suos in fide generaret. Sicut enim pater carnalis filios generare naturaliter appetit, vt naturam, quam non potest seruare in se,
1. seruet in alijs: sic Christus ideo in mundum venit, vt nos in fide spiritualiter generaret. Ante enim Christi aduentum fuit varius error, ita vt etiam viri magni errarent, sicut Dauid; qui dixit Psal. 118. *Erraui sicut ouis quæ perijt*. Ideo veniens Christus errores abstulit, & nos filios Dei parturiuit. Ideo dicit Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius.*

2. *Secundo*, vt nos filios Dei adoptaret. Sicut enim pater ad filiorum generationem de sua substantia transfudit, cum hoc tamen suam naturam non minuit; Ita Christus vt nos filios faceret Dei, sine diuinæ naturæ diminutione seipsum nobis dedit. Nam idem manens in Deitate, apparuit in humanitate, sicut canitur: *Id quod fuit, permansit; & quod non erat, assumsit.*

3. *Tertio*, vt nos locupletaret. Sicut enim pater intimè diligens pueros suos, sæpe sibi necessaria subtrahit vt eos nutriat & pascat; sic Christus adeo dilexit nos, vt pauper appareret in terris, vt nos diuites faceret. Iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 8. *Scitis*, id est, scire debetis, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* De hoc dicit etiam Bernardus in sermone. Fortè aliquis arbitraretur, aliqua filio Dei sublimia esse quærenda palatia, vt cum gloria rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc à regalibus
Prouerb. 3. lis sedibus venit. Nam in sinistra eius diuitiæ & gloria; in dextera longitudo dierum. horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porro in terra abundabat, & nesciebat homo precium eius. Hanc inquam filius Dei concupiscens descendit, vt eam eligeret sibi, & nos quoque sua egestate faceret pretiosos.

4. *Quarto*, vt nos informaret. Sicut enim pater erudit filios, secundum illud Eccl. 7. *Si filij tibi sint, erudi eos: & curua eos à pueritia eorum.* sic ad nos ideo Christus venit, vt nos verbis & exemplis erudiret. Ideo dicitur Actor. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.* Et Apostolus ad Timoth. 5. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, scilicet verbo & exemplo, *erudiens nos, vt abnegantes impietatem*, id est, idololatriam, *& secularia desideria, sobriè*, scilicet in nobis, *& iustè*, scilicet ad proximum, *& piè*, scilicet ad Deum, *viuamus in hoc seculo.*

5. *Quinto*, vt filios suos castigaret. Sicut enim pater ex amore filios suos corrigit & castigat, iuxta illud Ecclesiast. 30. *Qui diligit filium, assiduat illi flagella & verbera, vt lætetur in nouissimo suo.* Sic & CHRISTVS ideo venit, vt flagellaret filios malos. vt patet Ioan. 5. *Quod fecit flagellum de funiculis, & eiecit vendentes, & ementes de templo.*

Sexto.

Sexto, vt filios suos sub custodia manciparet. Sicut pater cum decedit, filios suos sub custodia tutoris constituit, sed quamdiu cum eis est, curam eorum gerit. Sic Christus cum per suam incarnationem esset cum filijs suis, in cura eos habuit. sicut dixit Ioan. 17. ad Patrem: *Cum essem cum eis, ego seruabam eos, in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui*: Quando autem per mortem abijt, sub tutela prælatorum dimisit: quorum vnus fuit Petrus & principalis, cui commisit oues suas Ioan. 6. *Pasce oues meas*. Ideo dicit Apostolus ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.* Quod exponit Anselmus dicens: Talis debet esse bonus Christianus, id est, hæres futurus, cœlestem patriam sperando, paruulus se humiliando, seruus mandata Dei custodiendo, dominus omnium, scilicet temporalium ea contemnendo, sub tutoribus, id est, Prælatis se voluntariè subijciendo. 6.

Bonus Christianus qualis debeat esse.

Septimo, vt nos hæreditate condonaret. Sicut enim pater filijs hæreditatem acquirit & donat, nec potest eos exhæredare, nisi ex certis causis, quæ ponuntur in Gloss. Exhæredare. C. Quintauallis. de iureiuran. & habentur originaliter in Authentic. c. vt cum. de appell. cogn. §. Causas, coll. 8. Sic Christus ideo venit, vt cœlestem hæreditatem nobis acquireret & donaret. Quare dixit Apostolus ad Gal. 4. *Iam non est seruus, sed filius, quod si filius, & hæres per Deum.* 7.

SECVNDO venit Christus vt frater ad lapsos subleuandos. *Ipse enim frater & caro nostra est*, Genes. 37. Quare de lapsu primi parentis doluit, & ad ipsum cum suis posteris subleuandum venit. Quod Physiologus declarat de elephante dicens: Cum elephas vult pausare, accumbit arbori, quam notat venator, & occultè arborem concauat, & clam sedens requiem eius spectat. Veniens igitur Elephas seruus vt prius, arbori incumbit, & cum ruente, id est, cadente arbore ruit: & si homo non adest, gemit Elephas, & barrit. Tunc vnus Elephas currit & eleuare cupit: sed cum nequeat plorat & barrit: sicque multi alij conueniunt. & cum non possunt subleuare, simul voces emittunt, & tandem veniens minimus eleuat ipsum rostro suo. Quod exponit sic Hieronymus: Sic homo primus, scilicet Adam per lignum cecidit: quem Moyses voluit tollere, at non potuit: post hunc prophetæ voluerunt, & non potuerunt. Ipsorum precib. venit tandem dominus, qui cum sit paruus, quia Deus homo factus, sic releuauit eum reconciliando reum. II.

Venit vt fratres ad lapsos subleuãdos.

TERTIO venit vt medicus ad infirmos curandos. Cum enim homines sani sunt, de medico non curant; neque enim aduocant. Si autem infirmitates sentiunt, medicum rogant, vt ad eos curandos festinet. Sic Patres antiquæ legis qui aduertebant, ad infirmos vocabant medicum cœlestem, & pro sanitate petebant. Eorum vnus fuit Dauid Psal. 6. dicens: *Miserere mei domine, quoniam infirmus sum. Sana me domine, quia peccaui tibi.* Alius fuit Ierem. 17. cap. *Sana me domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero. quoniam laus mea tu es.* Alij dixerunt, Psal. 18. *Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui domine libera nos.* quasi dicerent: Tu nominaris Deus noster, & medicus, & tu Deus noster, & nos populus tuus, & ideo liberatio & sanatio pertinet ad gloriam nominis tui, domine. *& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* imo propter tuam bonitatem & non nostram iustitiam. Sic clamabant & ingemebant infirmi aduentum Christi. III.

Vt medicus ad infirmos curandos.

Idcirco prouocatus eorum gemitibus ait Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Ex hoc liquet, quod propter peccata hominum venit Christus in mundum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Nulla causa Deo veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere, tollere morbos, auferre vulnera. Totum enim genus humanum perierat, ex quo vnus peccauerat, in quo totum fuerat Ideo venit sine peccato, vt omnes saluos faceret sub peccato. Non enim de cœlo traxerunt eum nostra merita, sed peccata.

IV. Vt socius ad tribulatos solandos.

QVARTO venit vt socius ad tribulatos consolandos. Ideo assimilatur chrysolito lapidi pretioso. De quo dicit Hugo in didascal. quod in auro positus & in sinistro latere portatus, terrere dicitur, & fugare Dæmones. qui etiam contra timores nocturnas iuuat, & melancholiam euacuat. Hæc verissimè Christo conueniunt Ante cuius aduentum homines in tribulatione fuerant propter terrores dæmonum. propter quod dixit Dauid Psal. 54. *Timor & tremor venerunt super me.* sed ille verè Chrysolitus Dominus noster Iesus Christus in auro fuit positus, quando à sanctis patribus vt eorum consolator fuit dilectus; sicut à Dauid, qui ait Psal. 17. *Diligam te domine fortitudo mea.* Et sicut aurum omnia metalla excellit; ita amor sanctorum Patrum excellens fuit: sicque Christus positus in dilectionis auro, in sinistro latere ab eis portabatur, quando tribulationem & aduersitatem pro Christo libenter & patienter patiebantur, scientes veraciter ipsum venturum, & ipsos consolaturum. Ideo dicere potuerunt illud dictum beati Ambrosij in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, qui mala nostra omnia abbreuias, alleuias, in gaudiumque commutas. Idcirco ipse sic desideratus & patienter exspectatus venit; & Dæmonia fugauit, quando ea ab obsessis eiecit, Matth. 8. Vel etiam per Dæmones intelliguntur tempestates manifestæ, quas Christus fugauit, & timores nocturnos, id est, tentationes occultas, quæ magis sunt timendæ: & euacuauit melancholias & tristitias, consolationem infundendo. vt tunc quilibet dicere potuisset cum Dauid Psal. 97. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,* &c.

K

V. Venit vt Dominus, ad seruos præmio donandos.

QVINTO venit Christus, vt Dominus ad seruos præmiandos. Ipsi enim sancti homines in antiqua lege, & patres laborabant, & pondus diei & æstus portabant. qui signati sunt in illis Matth. 20. qui dicebant: *Nos portauimus pondus diei & æstus. Et quia dignus est mercenarius mercede sua* Lucæ 10. ideo dignum fuit, vt Christus Dominus IESVS veniret, & hos qui tamdiu operati sunt, iuuaret perducendo eos in refrigerium æternum. De tribus vltimis vtilitatibus aduentus CHRISTI dicit Beda in persona Christi: Venio, vt infirmum sanem, vt pugnantes ab hostibus defendam, & triumphantem remunerem. Ecce rex iste venit vt pater ad filios visitandos, vt frater ad lapsos erigendos, &c.

Quomodo debeamus Christo occurrere cum palmis.

Idcirco debemus ei occurrere, & more puerorum & Hebræorum obsequia exhibere. Primo igitur quia iste rex venit ad vincendum inimicos nostros, ideo laudabile est, vt cum ramis palmarum ei occurramus, in signum suæ victoriæ, eo quod palmarum rami significant victoriam. Quia dicit Isidor. lib. 17. Palma est arbor victorialis, sic dicta eo quod manus obtinentis victoriam est ornatiua.

I. Cum palma humilitatis.

Sed MORALITER palma significat quemlibet hominem. PRIMO propter humilitatem quia sicut palma habet radicis profunditatem, sic debet quilibet in aduentu

Christi

Christi habere mentis humilitatem. Quis enim Christo cum humilitate non occurrat, ex quo ipsum tantum pro nobis humiliatum videat? *Exinaniuit*, inquit Apostolus ad Philip. 2. *semetipsum, formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo.* Ecce homo, verus Isaac ambulabat in agro humilitatis. Idcirco descende de camelo elationis. fac inquam ad exemplum Rebeccæ Genes. cap. 24. quæ cum videret Isaac ambulare per agrum, descendit de camelo, in quo sedebat, & dixit ad seruum, qui eam ducebat; *Quis est ille homo, qui venit per agrum? Cui seruus: Ipse est Dominus meus. At illa citò tollens pallium & operuit se.* Rebecca interpretatur, multum accepit, & significat animam hominis, quæ certè multum accepit à Christo. sicut de hoc venerabilis Hugo in libr. de arrha animæ dicit: Quid, inquit, dedit tibi, ô anima mea, sponsus tuus? tu nosti, quod accepisti, & necesse habes adhuc melius nosse ne incipias de his, quæ accepisti, præsumere, gratias non referre. *Et subdit:* Præcogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt esse inceperis; hæc cuius dono acceperis. Nunquid amplius dedit? Non solum esse, sed pulchrum esse, & formosum esse. Adhuc aliquid plus dedit: scilicet, magis te ad similitudinem traxit suam. Hæc ille. Ecce quam magna accepit anima nostra, hæc & plura alia.

Rebeccæ significatio.

Anima nostra multum accepit à Deo.

L

Videat igitur anima nostra Isaac, qui interpretatur risus, significans Christum, qui est risus & gaudium sanctorum, pedibus ambulantem per agrum in humanitate assumpta, iuxta illud Baruch 3. *Post in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & postquam viderit, eum interroget: Quis est iste homo, qui venit per agrum, scilicet humilitatis? Tunc respondent serui domini: Primus, Dauid Psalm. 23. *Ipse est Dominus fortis & potens in prælio.* Secundus, est Isaias cap. 63. *Iste formosus in stola sua,* scilicet humilitatis. Tertius est princeps Apostolorum Petrus, qui habet ad hanc interrogationem respondere. *Iste est, in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petri 1. Ad vltimum respondet B. Thomas. Cum quærit anima, quis est iste? Ipse, inquit, est *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20. His rationibus auditis, merito descendit anima lachrymas à camelo propriæ voluntatis, & pedibus graditur humilitatis, Christo humiliter occurrendo, & eius incarnationem admirando, & cum toto corde venerando. Quia dicit Bernardus: Iusto Dei iudicio hic damnatur, qui non aduentum Christi in carne toto corde & anima veneratur.

M

II.

SECVNDO palma significat hominem propter castitatem. Sicut enim palma habet stipitis firmitatem, sic homo volens occurrere, debet habere cordis puritatem, & corporis castitatem. Si enim aliquis vellet occurrere regi terreno, vt eum honoraret, conueniens esset, vt iste regis oculis non displiceret. sic est de incastis, qui displicent regi Christo. Ideo dicit Dionysius in cœlesti Hierarchia: Absque perfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ.

Cum palma castitatis.

N

TERTIO propter hostium superabilitatem. Sicut enim palma significat victoriam, sic homo qui vult occurrere Christo, debet hostes vincere. Est enim triplex hostis: mundus caro, & diabolus. Mundum debet vincere per rerum abdicationem, considerando quod Christus pauper venit in hunc mundum, non habens proprium domicilium. Vnde Bernardus de paupertate Christi. Vide pauperem Christum, natum sine hospitio, iacentem inter bouem & asinum in præsepio, inuolu-

Cum palma victoriæ.

 tum

rum in vili panniculo, fugientem in Ægyptum, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo.

O Quam ergò magna abusio est, vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis & dominus Sabbaoth voluit pauper fieri? Ideo ait B. Paulus ad Philip. 3. *Omnia reputaui vt stercora.* Carnem autem debet vincere per macerationem: sic enim Christus veniens in hunc mundum suum corpus adeò macerauit, vt diceret Psal. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Quanto magis ergo debet homo per labores & castigationes corpus suum macerare, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* Sed diabolum debet vincere per humilitatem. Quia legitur in Vitis Patrum lib. 2. §. 131. quod B. Antonius vidit omnes laqueos inimici super vniuersam explicatos terram, & suspirans dixit: Quis hos poterit transire? audiuitque vocem dicentem: Humilitas sola pertransit, Antoni. Ideo dicit Iacob. 2. cap. *Resistite diabolo*, scilicet per humilitatem, *& fugiet à vobis*, scilicet victus & confusus.

Citro maceratione vincenda.

P SECVNDO venit Christus ad faciendam pacem secundum illud ad Coloss. 3. quod dicitur de patre: *Omnia*, inquit, *in ipso pacificans.* & propter hoc in proœmio decretalium dicitur Christus rex pacificus. Et quia venit pacificus Christus, meritorum oliuarum ramis ei occurrimus. In ramis oliuarum significatur pax sicut figuratum est, Gen. 8. in columba, *quæ tulit ramũ oliuæ virentibus foliis in ore suo in arcam.* Istam igitur pacem debet habere, qui vult Christo occurrere. *Primo* cum Deo, iuxta illud 1. Cor. 5. *Obsecramus*, id est deuotè hortamur, *pro Christo*, id est, loco Christi, *reconciliamini cum Deo. Secundo* cum nobismetipsis, ad Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur inuicem. Tertio* cum proximo, ad Rom. 12. *Si potest fieri, in quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habentes.* Idem ad Heb. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.*

Quomodo nos debeamus venienti Christo obuiare cum ramis oliuarum. Cum ramis pacis.

Q Et est NOTANDVM quod in ramis oliuarum pacis, etiam est oleum deuotionis; & rectè in oleo deuotio signatur. PRIMO, quia oleum habet virtutem illuminatiuam, propter quam infunditur luminaribus. Et ideo signat deuotionem ex puritate & charitate pœnitentiæ. & hoc est oleum quod præcipitur offerri, Exod. 25. *ad luminaria continuanda*, quia deuotio claritatis conscientiæ nutritur in nobis per reuelationes diuinas. SECVNDO, quia habet virtutem clarificatiuam, & alleuiat dolores: ideo medetur doloribus. Et ideo significat deuotionem in tolerantia præsentis miseriæ, deuotionem inquam ex passionis Christi consideratione, quæ alleuiat nobis præsentes tribulationes. Ideo dicit Bernardus super Cantic. Super omnia reddit te amabilem mihi, bone Iesu, calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ. Hæc oratio amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hic inquam est, qui nostram deuotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. TERTIO oleum habet virtutem euacuatiuam; & ideo superfertur humoribus. Propterea significat deuotionem & prægustationem cœlestis gloriæ, Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* & sic occurrendo Christo cum oliuarum ramis pacis, debemus habere oleum deuotionis, deuotè scilicet meditando, qualiter Christus per suum aduentum in mundo operatus est salutem omnium nostrorum. Ideo dicit Sapiens, Eccles. 29. *Gratiã fide iussoris ne obliuiscaris.* Gloss. sed cogita de eius aduentu, doctrina, & liberatione. & subdit rationem: *Dedit enim animam suam pro te.*

Cum ramis deuotionis. 1. Oleum illuminat. 2. Clarificat. 3. Euacuat.

TER-

TERTIO venit castus & mundus, quia est candor lucis æternæ, & speculum sine macula. Sapien. 7. ideo occurrere debemus illi cum floribus. quia flores significant Christum. *Primo* propter generationem. Sicut enim veniente tempore veris, flores generantur à calore solis, & infusione roris, ita veniente tempore gratiæ, de quo ad Gal. 4. & lib. 3. sententiarum dis. 1. Venit Christus in mundum, & in vterum virginis, quæ est in terra benedicta, iuxta illud Psalm. 118. *Benedixisti domine terram tuam Conceptus est de spiritu sancto*, Luc. 1. sicut ros à calore solis, sic & ros diuinæ gratiæ superuenit, iuxta illud Luc. 1. *Aue gratia plena*, per quam virgo Deo placuit; & sicut flos sine apertione terræ gignitur, ita Christus sine corruptione virginalis vteri conceptus fuit. Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet*, &c. — Cur debeamus occurrere Christo venienti cu florib. Cur flores significent Christum. — I.

Secundo propter distinctionem. Sicut enim, vt ait Pythagoras, flos habet in cœlo patrem, scilicet solem, & in terra matrem, scilicet plantam; sic in simili si occurrimus cum floribus, debemus intelligere, quod Christus, qui dignatus est venire in mundum, habet in cœlo patrem, de quo est ante secula genitus Deus: & in terra matrem, scilicet Mariam, de qua est in seculo homo natus, vt dicit Athanasius in symbolo. Et sic facimus distinctionem inter patrem Christi cœlestem, & matrem eius terrestrem. Ideo dicit Origenes in homilia, *Cum esset desponsata mater eius*. Dicit mater eius: cuius eius? illius qui est in excelsis sine matre, & in terris sine patre. II.

Tertio propter fugationem. Sicut enim dicit Plinius in spec. nat. flores per suum odorem, & præcipuè flores vinearum fugant animalia immunda, vt serpentes & bufones; sic Christus per suum odoriferum aduentum fugauit serpentes infernales, & ab eius potestate genus humanum liberauit: & de fouea, in quam lapsus fuit, diabolo procurante. Rectè simul in simili refert Solinus in libr. de mira. mundi, quod venator facit foueam in via Elephantis, in quam incidit ignoranter: de qua surgere non potest. tunc venator veniens percutit & pungit ipsum cum lancea. non tamen eum sic domare potest. Ideo venit alius venator percutiens primum, quasi ipsum fugaret & repelleret: adiuuat Elephantem liberans eum de manu percussoris, & de fouea extrahens, ei pabulum administrat: quod videns Elephas ipsum tanto amore diligit, quod statim domesticatur, & tanti beneficij memor ipsum sequitur & obedit. — III. — Venator vt capiat Elephantum.

SPIRITVALITER primus venator est diabolus, qui fecit foueam in tentatione Adæ in huius mundi nemore, in quam cecidit Elephas, id est, homo per peccatum. Iuxta illud Psalm. 7. *Incidit in foueam, quam fecit*. scilicet diabolus. In hac fouea percussit ipsum lanceis diuersarum tentationum & tribulationum, Iuxta illud Psal. 55. *Tota die impugnans tribulauit me*. Ideo secundus venator, scilicet Christus venit in illo aduentu, primumque venatorem scilicet diabolum percussit & fugauit, & hominem de fouea peccati extraxit & redemit. Iuxta illud Magistri dictum lib. 3. Sent. dist. 18. cap. 1. Meruit Christus redemptionem membris, à peccato, à diabolo, à pœna, & regni regenerationem, vt amota ignea romphæa libere pateret introitus. Ideo debet homo ipsum diligere, & tanti beneficij memor esse, & dicere cũ B. Bonauentura in li. de stimulo amoris. Adoramus te Christe, rex Israël, lux gentiũ, princeps regũ terræ, domine Sabbaoth, virtus omnipotẽtis Dei altissimi: adoramus te pretium nostræ redemptionis, hostia pacifica, quæ sola odoris tui inæstimabili suauitate, patrem, qui in cœlis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, & filijs placabilem — R — Venator diabolus. — Venator Christus.

reddi-

reddidisti. Tuas misericordias Christe prædicamus; tuæ suauitatis memoriam cum abundantia eructamus; tibi Christe sacrificium laudis immolamus propter multitudinem bonitatis tuæ. Hæc illæ. Ecce flos cœlestis Christus veniens per suum aduentum gloriosum, fugauit serpentem inferni antiquum.

IV. Christus viola, lilium & rosa.

Quarto propter variationem. Sicut enim sunt multa genera florum, vt violæ, lilia atque rosæ: sic Christus in suo aduentu habuit se vt viola humillima, vt lilium purissimum, & vt rosa patientissima. De *primo* dicit Apostolus ad Phil. 2. *Qui cum in forma Dei esset*. Gloss. id est, vnus in essentia cum Deo Patre, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit*. Gloss. id est, maximè humiliauit, *formam serui accipiens*, id est, humanam naturam. De *secundo* dicit Isidorus lib. 4. c. 53. & 1. Petri 2. *quod peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. De *tertio* dicit Apostolus ad Gal. 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. non sum ingratus gratiæ Dei*. sic habet litera vna. Et Chrysostomus: Non est, inquit, omnino aliquis, non pater, non mater, non amicus, non alius quispiam, qui ita aliquando nos dilexit, quemadmodum ille fecit, scilicet Christus.

S

Quinto propter apparitionem. Sicut enim flores, tempore pluuiarum & roris, apparent pulchriores & iucundiores, qui tamen tempore ardores solis arescunt; Iuxta illud Iac. 1. *Ortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & decidit flos eius: decor vultus eius perijt*; sic Christus, qui est *flos campi*, Cantic. 2. voluit apparere iucundior & plenior in pluuia lacrymarum & desideriorum sanctorum Patrum. Nihil enim in hoc loco per pluuiam nisi antiquorum Patrum intellige desiderium, & lacrymas pro CHRISTI incarnatione. De quo dicit B. Augustinus in libro, Cur Deus homo cap. 4. Antiqui patres summo desiderio æstuabant, vt redemptor acceleraret de cælis descendere, quatenus tenebrarum locis eos quanto citius erueret, atque ad supernam patriam reduceret, quam perdiderant. Sciebant enim quòd post primi parentis lapsum, nemo ex eius stirpe more naturali propagandus erat, qui se vel alios erigere valeret, nisi deorsum veniret, qui virtute Deitatis de peccatrice carne sine peccato acciperet humanitatem, cum qua impios iacentes erigeret, & de palude, cui inhæserant, valde magno, vt ita dicam, conamine extraheret. Illo quippe desiderio priores patres cruciabantur, & in tali spe pariter refocillabantur, vsque ad illud optatũ tempus; quo Deus mirabile opus adimpleuit, quod per multa iam tempora promiserat. Huic prophetæ tripudiabant, suique Saluatoris aduentum vocibus moribusque signabant, & quasi astra fulgentia per huius vitæ noctem transeuntia, veri solis ortum, diu sedentibus in tenebris & vmbra mortis, plurimis argumentis præcinebant. Tamdiu itaque vaticinando & valde desiderando non quieuerunt, donec summi patris Verbum à regalibus sedibus venit, & caro factum, inter homines habitauit. Hæc ille.

Desiderium antiquorum Patrum per pluuiam designatur.

Dixi NOTANTER, quod sicut flos post tempus pluuiale apparet iucundior, sic Christus post fletum sanctorum Patrum in sua humili humanitate apparuit benignior. Ideo dicit Bernardus: Priusquam apparebat Dei humanitas, lucebat eius bonitas. Apparuerat autem Dei potentia in rerum creatione, & apparebat sapientia in eorum gubernatione, sed benignitas misericordiæ maxime apparuit in humanitate,

T Cur tamdiu

Sed roget quis, An decuit tamdiu differri Christi incarnationem. Videtur quod non, quia tempus incarnationis secundum Apostolum ad Gal. 4. dicitur *tempus plenitudinis*.

tinuenis. sed plenitudo perfectionem importat: Cum ergo perfectio vniuersi consummata fuit die septimo, quia tunc *perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum*, Gen. 2. videtur quod tunc Christus debuit incarnari. Sed in contrarium est sancta Ecclesia, de summa Trinit. & fide Catho. c. Firmiter, dicens: Tandem vnigenitus Dei filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria virgine sancti Spiritus cooperatione conceptus, verus homo factus ex anima rationali & humana carne compositus. Vbi in hoc verbo (*Tandem*) innuere videtur multam dilationem & magnam. Pro quo NOTA; quod Deus dispensator temporum & creator omnium, cuius spiritu, vt dicitur Eccles. 3. *omnia tempus habent*, tempus elegit congruum incarnationi Christi. Et ideo valde decuit maiestatem suam ineffabilem tamdiu differre incarnationem suam, vt homo redimendus, qui per superbiam peccauerat; de suo defectu expertus ad humilitatem rediret. Ideò etiam dicit Innocentius in sermone de aduentu. Si filius Dei subitò post lapsum hominis venisset, & eum reduxisset, ille videns de facili se sanatum, ingratitudinis vitium incurrisset, dicens: Modicum vulnus se habuisse peccati, & non tanto medico indiguisse; attribuens proprijs viribus & industriæ naturali recuperationem nostræ salutis.

dilata Christi incarnatio.

Postquam autem diuturna exspectatione medici grauitatem morbi, & difficultatem sanationis & saluationis agnouit, videns omnium medicorum spiritualium, patriarcharum & prophetarum, non sufficere medicinam, exclamabat necessariò; *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Hæc ille.

Psal. 40.

Ad *obiectionem* inductam dicitur, quod triplex est perfectio: gratiæ, naturæ, & gloriæ. Perfectio *naturæ* in septimo die fuit creationis, in principio seculorum. Perfectio *gloriæ* erit post finem seculorum. Et quia perfectio *gratiæ* disponit ad perfectionem gloriæ, congruum est, vt perfectio gratiæ esset in fine seculorum. Et hoc innuit Ecclesia superius in dictione, TANDEM.

Triplex perfectio.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Sermo primus super Epistolam.

Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Ad Roman. 15.

PALLADIVS in libr. suo de agricultura dicit: Si quis vult puteum fodere vt sciat, in quo loco possit aquam inuenire, istum modum tenere debet. Manè ante ortum solis his locis appropinquare debet, in quibus aqua est quærenda, & æqualiter versus solem depresse iacens in terra spectare debet Orientem, & in quo loco crispum subditis nebulæ aerem surgere viderit, & velut rorem spargere, aliquo signo vel vicinæ arboris debet prænotare. Nam constat siccis locis, vbi hoc fit, aquam latere.

MORALITER. Per puteum intellige sacram Scripturam, iuxta illud Ioan. 4. *Puteus altus est.* Est enim sacra Scriptura alta respectu præmij æterni. & hoc testatur B. Gregorius

Sacra scriptura comparatur puteo.

gorius super Ezechielem: Sacra, inquit, scriptura ostendit altitudinem in promissione præmiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. sed per aquam intellige sapientiam, de qua Eccles. 15. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Modo ad propositum.

Quicunque vult fodere puteum sacræ Scripturæ, vt inueniat aquam sapientiæ, debet iacere in terra humilitatis, & respicere ad Orientem per quem Christus intelligitur; iuxta illud Zachariæ 6. *Ecce vir Oriens nomen eius.* quia debet humiliter sapientiam sacræ Scripturæ & eius mysteria perscrutari; & à Christo postulare, vt habetur, Iac. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo; qui dat omnibus affluenter.* Vnde in terra humilitatis iacens, & ad Orientem Christum conspiciens, subtilem nebulæ vaporem conspicit, qui se velut rorem spargit. quia qui humili mente à CHRISTO sapientiam petit, primo hanc subtilis & tenuis vaporis consideratione percipit; quod pòst paulatim excrescens, velut ros desuper veniens, copiosius & largius se infundit. Quia *vbi humilitas, ibi est sapientia.* Prouerb. 11. Humilitas enim est debita dispositio ad sapientiam. Nam secundum Pascasium, ipsa est aqua semper fluens ad ima, Psal. 18. *Sapientiam præstans paruulis.* Et de hac scriptura hoc verbum præassumptum est, *Quæcunque scripta sunt,* in quo innuitur quadruplex vtilitas nobis ex scriptura proueniens & procedens.

S. Scripturæ quadruplex vtilitas.

Intelligentiæ claritas.
Sustinentiæ soliditas.
Internæ lætitiæ suauitas.
Obtinendæ gratiæ securitas, ibi; *Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

X

DE PRIMO sciendum, quod speculum clarum & bene politum, demonstrat nobis & dat intelligere maculas facierum. quia dicit Hugo in Didascal. libro quarto: Quanto aliquod corpus mundius & purius fuerit, tanto magis in ipso macula apparebit. quod potest intelligi de speculo puro. Speculum clarum sacram Scripturam significat, iuxta illud Gregorij sacra Scriptura mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi & pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantū proficimus, & à profectu quàm longè distamus. Hæc Gregorius. Et sicut in speculo omnia, quæ ante ipsum sunt, repræsentantur, sic in sacra Scriptura omnia nobis necessaria ad sciendum conscribuntur. Sunt enim scripta, facilitas mandatorum ad operandum, exemplaritas sanctorum ad imitandum, prauitas peccatorum ad erubescendum, iucunditas gaudiorum ad acquirendum, æternitas tormentorum ad declinandum.

S. Scriptura speculū est.

Y

I.

Ex Scriptura S. patet leuitas mandatorum.

PRIMO dico, quod in sacra Scriptura est leuitas mandatorū ad operandum. Consuetudo est Rectorum ciuitatum, vt statuant aliqua mandata, secundum quæ incolæ debent se regere, nec ea excedere. quia dicit Aristoteles 6. Polit. Non facile est ciuitatem permanere sine legibus & consuetudinibus compositum. Si autem excesserint, homines in ciuitate commorantes, mandata & statuta superiorum, secundum hoc, quod delinquunt, puniuntur, & de communitate exterminantur, secundum illud Aristotelis 10. Ethic. Oportet bonos prouocari ad virtutes per præmia, malos verò per pœnas insanabiles totaliter exterminari. Sic etiam Christus Dominus in ciuitate huius mundi dedit præcepta per ministrum suum Moysen

Num.

Num. 15. dicens ad filios Israel, vt *faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacinthinas, quas cum viderint, recordarentur omnium mandatorũ Dei.* Et promisit præmium seruantibus mandatum duplex.

PRIMVM est *terra promissionis facilis ingressio, & eius pacifica possessio*, Deut. 4. Quid per terram promissionis, quæ fluebat lacte & melle, aliud intelligitur nisi terra viuentium, quæ fluit lacte purissimæ humanitatis, & melle suauissimæ CHRISTI deitatis? In hanc intrant faciliter omnes, qui seruant mandata Dei. Iuxta illud Prouerb. 7. *Serua mandata mea, & viues.* Gloss. vitâ gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Z I. Præmia seruantium mãdata Dei.

SECVNDVM est, rerum multiplicatio, Leuit. 26. *Si mandata mea custodieritis, dabo vobis pluuias temporibus suis; & terra gignet germen suum: & pomis arbores replebuntur; panem vestrum comeditis in saturitate; auferam inimicos de finibus vestris. Quinque de vestris, persequentur centum, & centum de vobis decem millia.* Et hoc sit ad literam mandata Dei custodienti. Sed MORALITER sic exponit Lyra: Dabo vobis pluuias, id est, doctrinas salutiferas, Deut. 32. *Concrescat in pluuia doctrina vestra.* Et hæ doctrinæ dantur temporibus suis: quia est *tempus loquendi, & est tempus tacendi*, Eccl. 3. Hoc est vnum præmium illi, qui seruat præcepta Dei. Aliud tangitur ibi; *Et terra gignet germen suum*, hoc est, corpus humanum excitatur per opus meritorium. II.

TERTIVM tangitur; *Et pomis arbores replebuntur*, id est, vires animæ interiores bonis actibus interioribus applicabuntur. III.

QVARTVM innuitur ibi; *Panem vestrum comedetis in saturitate*, intellige panem Eucharistiæ. quæ dat hic plenitudinem gratiæ, & postea gloriæ. Hæc Lyra. Et sicut duplex promisit temporale præmium seruantibus mandata; sic & duplex non seruantes mandata DEI sequitur supplicium. PRIMVM fuit de terra promissionis eiectio. Deuter. 4. *Vbi mandata non seruantibus comminatur eiectionem de terra illa*, & captiuitatem in terra aliena, vt Dijs seruirent alienis. SECVNDVM malum & supplicium est, rerum temporalium imminutio. quod patet Deuter. 28. vbi dicitur, *Si non custodieris mandata Dei, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledicta reliquiæ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum.* Ideo meritò in sacra Scriptura est leuitas mandatorum ad operandum, iuxta illud, Matth. 11. *Onus meum leue.* A IV. Non seruantium mandata Dei, pœna, 1. 2.

SECVNDO. Scriptura est exemplaritas sanctorum ad imitandum. Dicit enim Ambrosius in hexam. quod apes tempore veris & æstatis flores capiunt, & ceram de floribus faciunt, & in conuehendis floribus quandoque inter eas rixæ fiunt: sed iniectione pulueris aut fæni tota discutitur. Per tempus veris aut æstatis intelligitur vita gratiæ in præsenti, per flores verò exempla sanctorum, de quibus Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra.* Sicut igitur apes tempore veris colligunt flores, ad mel operandum: sic nos colligere debemus exempla sanctorum ad imitandum. Et hoc iubet Sapiens Catol, dicens; B II. Scriptura sacra proponit exempla sanctorum.

Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris,
Quæ fugias: nobis vita est aliena magistra.

Et rationem ponit Gregorius lib. 23. moral. c. 5. Qui sanctorum virorum exempla respicit, eorum comparationem pensans, iniquum se esse comprehendit. Ideo dicit Quare sanctorum exempla imitãda.

 ibidem

ibidem cap. 15. Boni in hac vita sanctorum Patrum exemplis pascuntur, quibus refici indigemus, donec præsentis mortalitatis vmbras transeamus, vt sic semper honestè ambulemus. Hæc illæ. Vt autem sciamus, qui sint flores exemplorum sanctorum Patrum, quatenus ea colligere valeamus ad imitandum, Venerabilis Thomas Brabantinus in libr. 2. qui intitulatur, Bonum vniuersale, vel Apiarius, in vnum colligit valde pulchrè cap. 15. part. 1. In via, inquit, virtutis iustitiæ Noë saluatus est, *Gen. 6. & 7.* In fide Abraham, *Gen. 15.* In timore Isaac, *Gen. 31.* In propagatione Iacob, *Gen. 29. & 30.* In innocentia Iöseph, *Gen. 37. & 40* In mansuetudine Moyses, *Numer. 12.* In obedientia Iosue, *Num. 14. & Ios. 1. & 5.* in lenitate Samuel, *1. Reg. 12.* in humilitate Dauid: *2. Reg. 6.* Elias in zelo: *3. Reg. 19.* Ezechias in oratione & lacrymis. *4. Reg. 20.* Iosias in omnimoda perfectione. *4. Reg. 23.* Iob in patientia, *Iob 1. 2. & toto libro.* Daniel in abstinentia, *Dan. 1. 9. & 10* Tobias in misericordia. *Tob. 1. 2 3. 4* Isaias in veritatis annunciatione. *Isa. 1. & 6.* Ieremias in sanctificatione. *Ier. 6* His floribus antiqui patres vernantissimè micuerunt.

Exempla sanctorum veteris legis.

Sed & his patres nouæ legis singulariter floruerunt. In Maria matre CHRISTI, quæ est totius virtutis exemplar, cum virginitatis & fœcunditatis honore effulsit humilitas. *Luc. 1.* In Ioanne contemplationis assiduitas: *Ioan. 1.* In Petro fidei, *Luc. 22.* In ceteris Apostolis charitas, *Actor. 5.* In Maria Magdalena deuotio & pœnitentia *Luc. 7.* In Paulo labor cum prædicationis doctrina præfulsit. *1. Cor. 7.* Hæc ille.

Exempla nouæ legis.

Ex his scilicet exemplorum floribus, collige cum Noë iustitiam, cum Abraham fidem, cum Isaac timorem, & sic de alijs; vt ceram laudis in Apiario Ecclesiæ facias, & mel dulcis recordationis post te derelinquas. Sicut ille, de quo scribit supradictus Thomas Cantipratensis lib. 1. Apum, cap. 14. par. 2. Dilectum, inquit, valde socium habui in scholis. Hic à puero vsq; ad finem vitæ à mulieribus incommixtus permansit omnino. qui in adolescentia sacerdos factus in Brabantiæ partibus, regimen suscepit animarum. Quibus tam diligenti, tam sincera cura præfuit: vt quos in bono vincere admonitione non potuit, multimodis prouocare studeret exemplis. Alijs comedentibus, ieiunus ipse manebat: alijs dormientibus, vigilabat: atque alijs intentis vanitatibus, ipse orationibus intendebat. Quicquid in vsus suos deputatum erat, commune pauperibus faciebat. Si quam ex ouibus errare videbat, importunè & oportunè ad reuocandum instabat. Hæc foris, præter illa, quæ interius maiora latebant. Talibus actibus ferè viginti annis cunctis emicuit imitandus. Cum autem Altissimo placuit, tali fine defunctus est. Febre acutissima per dies aliquot laborabat: & ecce vbi Sacramentis salutaribus præmunitus est, & attenuato spiritu animam felicem emisit, mox sine aliquo interstitio coruscatio tanti luminis resplenduit, vt per vnam leucam circumquaque, & eò amplius, quasi dies esset clarissima, in lucem subitam noctis tenebræ verterentur. *Et subdit:* Quid mirum? Illum recedere sine luce non decuit, vt qui multos illustrauit exemplo, altioris vitæ, volatus primos feliciter sibi vendicaret. Facta est autem in morte beati viri dicta coruscatio lucis, diffusa per patriam, prima hora noctis, adhuc vigilantibus plurimis, & ipsum lumen emissum multa millia hominum vndequaque viderunt, qui ad maioris & gratioris agnitionis & veritatis lucem, in tanta iussione miraculi valde profecerunt. *Et concludit dicens:* Beatus ergo ille Prælatus, qui subditis suis viam vitæ exemplaris ostendit.

T.R.

Tertio scriptura est prauitatis peccatorum ad erubescendum, Ioan. 8. dicitur: *Iesus inclinans se, digito scribebat in terra* & dicit Gloss. quod scribebat peccata & adulteria accusantium mulierem. Consuetudo est regum temporalium & secularium, vt in libris annalium non solum scribere iubeant facta bonorum, sed etiam peccata malorum. sicut patet de rege magno Assuero, Ester. 2. Qui peccata duorum Eunuchorum, ipsum occidere volentium, & præmiationem sollicitam Mardochæi, ne ipse occideretur, iussit scribi in annalibus coram eo, occidendo hos duos scilicet in patibulo suspendendo, & Mardochæum pro secundo præmiando. Assuerus, qui interpretatur beatitudo, significat Christum: qui non solum exempla & virtutes meritorias sanctorum, sed etiam peccata prauorum mandauit scribi in libris sacræ Scripturæ, vt boni de virtutibus laudem habeant, & mali de peccatis erubescant.

C
III.
S. Scriptura ostendit prauitatē peccatorum.

Et dicit Notanter, *ad erubescendum*. Quia peccatum ex sua turpitudine erubescentiam causat. sicut patet de primis parentibus, Genes. 3. Qui cum transgressi fuissent mandatum Dei peccando, *videntes se nudos erubuerunt*. Idcirco perizomata sibi de ficulneis fecerunt, quibus pudenda tegebant. Ex hoc patet, quod magis est erubescibile peccatum, quàm nuditas totius corporis. quod patet ex hoc: quoniam peccatum nuditatem facit erubescibilem. parentes enim primi non erubescebant ante peccatum, licet essent nudi.

D
IV.
E. S. Scriptura iucūditas gaudiorum multiplex capitur.

Qvarto scriptura est iucunditas gaudiorum ad acquirendum. Eccl. 15. dicitur de quolibet electorum, *iucunditatem & exultationē thesaurizabit super eum*. Et Apocal. 14. *Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur* Sed meritò habent sancti iucunditatem gaudiorum propter certas occasiones, quæ habentur in his versibus, quos ponit Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum c. 54. par. 2.

Primo Deum supra, subtus contraria victa:
Ante sacros cœtus, & retro pericula luxus:
Sanctos in dextra, damnatos parte sinistra.

I.

Primo igitur Deum supra se vident sancti, Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt*, & de hoc spirituale gaudium habebunt. valde enim iucundissimum & beatissimum erit Christum videre in patria, si tam dulce Petro fuit eum videre in terra, vt tria hic oportaret fieri tabernacula, Matth. 17. De visione Dei refert idem Thomas in libr. 2. Apum cap. 54. par. 4. de quadam sanctimoniali, quæ fuit in Aquiria. hanc quæsiuit Abbatissa nobilis Bertha, Et in angulo quodam in contemplatione eam diuini vultus in Ecclesia inuenit: Quæ vbi à facie eius velum incircumspectè detraxit, vultus eius omni flamma radiantibus coruscauit: cuius fulgore subitò conuentis Abbatissæ temeritas repercussa est, & ferè exanimis cecidit resupina. *Et subdit:* Quid mirum? Legimus, quod facies Moysis splendida facta sit, ex illa ænigmatica collatione diuina, ita vt videntes filij Israel in tabernacula fugerint; Sic & illius memoria dignæ monialis, cuius supra facta est mentio, postquam in visione Christi faciem vidit, ad instar lucidissimi speculi beati oculi eius micuerunt.

Monialis instar flammæ radiātis coruscabat.

Exod. 34.

E
II.

Secvnda occasio iucunditatis gaudiorum erit, videre subtus contraria victa, hoc est dæmones, qui nos olim in diuersis tentationibus afflixerunt. sicut hoc figuratum est Iosuæ 10. vbi quinque reges Amorrhæorum, qui afflixerunt populum Dei, apprehensi sunt, & à cunctis Principibus, [illegible]

conculcari. Et hoc signum est atque figura: quoniam aduersarij nostri atque dæmones, nullam post illud extremæ examinationis iudicium potestatem habebunt tentandi sanctos.

Et dicit NOTANTER, quod vident subtus se contraria victa, scilicet dæmones. Et certè non solum dæmones, sed etiam malos homines, qui eos hic afflixerunt. Hoc etiam fiet post diem iudicij; sicut testatur Magister libro quarto, Sentent. dist. 50. dicens. Boni malos, & mali bonos vident vsque ad iudicium. Post iudicium verò boni videbunt malos; sed non mali bonos. Et facit Magister ibidem quæstionem dicens: Sed cum sancti malos in tormentis videant, nónne aliqua compassione erga eos mouentur? nónne eos de tormentis liberari cupiunt? & respondet: Recole illud Euangelicum, Lucæ 17. quod Abraham diuiti respondit: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui hinc ad vos transire volunt, non possint, neque inde huc transmeare.* Gloss. per voluntatis in bonam mutationem. Quid, inquit, est chaos illud intra bonos & malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, quæ nullatenus sociari possunt. *Tunc enim subdit:* Adeo enim sancti iustitia DEI induti sunt, vt nulla compassione ad reprobos transire velint nulla pro eis inter sanctos sit intercessio, sed secundum illud Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.*

Vtrum sancti erga damnatos compassione moueantur.

E

III.

TERTIA occasio iucunditatis gaudiorum erit videre, ante sacros cætus. Hoc est, angelos, qui in mensa CHRISTI ante conspectum eius in singulis officijs ministrabunt, Iuxta illud Danielis 7. *Millia millium ministrabunt ei.* Et in signum huius, regina Saba. 3. Regum 10. legitur dixisse Salomoni, *Beati serui tui, & hi qui assistunt coram te omni tempore.* Gaudebimus tunc planè lætissimis visionibus angelorum, quos cum viderimus circumstantes, magnifica virtute tot adiutores contra dæmones, & diuersa pericula nos defendentes, profectò plurimum gaudebimus. De hoc narrat exemplum Thomas Cantipraten. libro secundo, Apum cap. 54. par. 10. Elisabeth quædam virgo deuotissima de Grauio apud Niuellam in Brabantia cum socia deuota & bona ibat de Niuella in Lenlos, ad duo fere milliaria: & contigit eis in via, quod deuiarunt penitus, tristes factæ quod nemus ante se viderent. Ergo propter siluarum pericula proximarum, flere ceperunt. Subito iuuenis apparuit coram eis, crine crispo & croceo, alba indutus tunica, atque albo pariter collobio superducto. Salutatis illis, ab eis, quò pergerent, inquisiuit. Respondentibus verò eis in Lenlos ire vellemus. Si viam sciret, inquirunt. Et ille. Scio, inquit, me sequimini. Illum igitur cum silentio præcedentem sequuntur & illæ. Nec fuit aliqua earum, quæ aliquid loqui poterat, præ nimo mentis gaudio vel stupore. Vbi autem properantes villam viderunt, subitò in ictu oculi, ductorem iuuenem perdiderunt, & DEUM ex hoc glorificauerunt Ecce si tantum gaudium de visione Angeli, in specie iuuenis, hic in terris habuerunt, quanto magis habebunt in patria, vbi eis in magna claritate ministrabunt?

Duę sorores ab angelo ductæ gaudio perfunduntur.

IV.

QVARTA occasio iucunditatis gaudiorum, erit videre retro pericula luxus. quæ semper sanctis, dum adhuc viuerent, in timore fuerunt. Vnde Augustinus in libr. 19. de ciuitat. DEI, dixit. Quamdiu vitijs repugnamus, plena pax non est: quia illa quæ resistunt periculo, debellantur prælio; & illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. In illa ergo resurrectionis gloria confidenter dicere poterimus, cum Psal. 123. *Laqueus contritus est,*

Non est plena pax, dum vitijs repugnamus,

& nos

& nos liberati sumus. & cum Isa. 25. *In die illa præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.*

QVINTA occasio iucunditatis gaudiorum est, videre sanctos in dextera, quibus dicetur Matth. 25. *Venite benedicti patris mei.* Magnum erit gaudium habere societatem cum matre Christi, Patriarchis, & Apostolis, quorum etiam sola hic audita memoria cor exultatione iam replet. Si ergo hic dici potest, *Ecce quàm bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum*; Vbi tamen boni permixti sunt pessimis; quid erit ibi, vbi nullus deerit bonus nullus commiscebitur malus? G V. Psal. 132.

Refert Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 54, par. 14. quod in exercitu regis Tartarorum fuit quidam nobilis, regis scilicet consobrinus, adhuc gentilis, hic cum febri acutissima laboraret, materia ad cerebrum ascendente, in furiam raptus est, & dormientibus omnibus, qui circa illum erat, aufugit nudus, & tribus diebus & totitem noctibus per eremum vastissimam oberrauit. Tertia ergo nocte, digesta materia creticauit, & ad se rediit compos mentis: qui in tenebris horrens solitudinem, quid faceret, quò se verteret, nesciebat. Et ecce post instans modicum, discussis tenebris, vidit in montis cacumine ingens lumen. Reptans ergo manibus & pedibus ascendit in montem. Et ecce super solis fulgorem, regem admirabilem vidit in throno aureo residentem, & ad eius dexteram reginam incomparabili decore fulgentem; videt mixtim seniores & iuuenes in thronis aureis asidentes, ministrosq; ex omni parte vultibus sidereis rutilantes. Hæc vt vidit gentilis, obstupuit. Nec mora, transiit vnus ministrorum à rege missus cum vestibus nudum induit, & ad regem duxit. Cui Rex. Nihil, ait, in rebus humanis simile vidisti? Et ille: Nihil, inquit, domine. Et rex ad eum. Ego sum Christianorum Deus, rex & dominus sempiternus. Tu autem redibis ad populum tuum, & perquirens inuenies in gente Vngarica, quæ immixta est genti tuæ, duos presbyteros Christianos talis habitus & talis formæ, à quibus erudieris ad normam fidei Christianæ. Hæc vt audiuit gentilis, renuit beatorum societate frustrari. Et mox ad eum rex: Impossibile, inquit, est talem te remanere nobiscum. Sed si Christianorum fidem susceperis, vt præcepi, societate ista iucundissima perfrueris. Hoc dicto, miles sedens in equo albo suscepit eũ, & in exercitum tartarorum populo mirante reduxit, fuitque apud illum tribus diebus, & post disparuit repente. Nobilis autem vt iussus erat, presbyteros quæsiuit & inuenit: & eruditus ad fidem cum multis millibus Tartarorum sacrum baptisma suscepit, & Christianè postmodum ac sanctè vixit. Vestes autem, quas nudus acceperat, præcipui coloris erant atque molles. Opus verò earum nec plumarium, id est ex acu factum aduerti poterat, nec textrinum: sed super omne artificium hominis diuina virtute erat contextum. Nobili gentili Christus apparuit cinctus sanctorũ consessu.

SEXTA occasio erit videre damnatos parte sinistra, quibus dicturus est Rex, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Ex illa tamen iussione non turbabuntur vt statim suprà Magistrum allegando declaraui. Idem probat Thomas Episcopus in lib. 2. Apum c. 54. par. 18. in exemplo de venerabili domina dicta Maria de Oegnies, quæ valde sollicitabatur de anima matris suæ. Cumque quadam die ad missam iuxta altare sederet, vidit prope se spiritum tenebrosum stare. Interrogatus autem dixit: Se matrem suam esse. Cui illa: Quomodo, inquit, est tibi mater mea? Malè, inquit, quia æternaliter damnata sum. Quod audiens ancilla Dei, in matre damnata H Damnatis nullus compatitur.

iustum.

iustum iudicium Dei benedixit, nec fleuit amplius perpetuæ morti matrem traditam, per quam carnis initia sumpserat: quia ratio incorruptibilis animæ, quam solus creauit omnipotens, iudici vniuersorum Deo subdita concordabit.

I

I. Scriptura sacra patet æternitas tormentorum. Asbestus lapis Arcadiæ inextinguibilis.

QVINTO scriptura est æternitas tormentorum ad declinandum, Iob. 13. *Scribis enim contra me amaritudines* scilicet ignis æterni & tormenti: Ignem inferni esse inextinguibilem & æternum, præcipue per diuinam potentiam non est incredibile. Refert enim Solin. in libr. de mirab. mundi, quod Asbestos, qui est lapis Arcadiæ ferrei coloris & in igne semel accensus nunquam extinguitur. Et si hoc potest natura, multo magis naturæ creator. Ideo dicit B. Gregorius 15. lib. moral. exponens illud Iob. 15. *Deuorauit eum ignis, qui non succenditur.* Ignis enim corporeus esse non valet, nisi succensus sit, nec subsistere valet, nisi refotus sit corporeis somentis. Hæc contra gehennæ ignem sunt, qui cum sit corporeus in seipso, reprobos corporaliter exurit: nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed datus semel durat inextinguibilis, & successione non indiget, & ardore non caret. Hæc ille. Ideo dixit Isaias cap vltimo *Ignis eorum non extinguetur.* Et Deut 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.*

Quomodo damnati patiantur ab igne, nec cõsumantur.

Sed quomodo damnati ab igne infernali non occidantur neque incinerentur, vide probationem in Salamandra serpente, de quo Plinius scribit in speculo naturali lib. 10. cap. 47. Et de corio eius fiunt lichnia in lampadibus & lucernis, quæ perpetuo ardore probantur. Et si hæc habet potentia naturæ, quanto magis in damnatorum corporibus fieri poterit diuina virtute. Ideo dicit deuotus Amandus in horol. Sapient. lib. 1. cap. 10. quod damnati clamant: Væ væ nobis, iam nunc & in æternum. Væ quia nati sumus, nec vltra mori valemus. Væ quia malè torquemur, nec à tormentis vnquam liberamur. O quis est qui ista recogitet supplicia, & hæc nostra ad cor ponat tormenta. Hæc enim talia sunt vt quicquid in hoc mundo horribile excogitari possit, his comparari in crudelitate non valeret. *Et post pauca:* O æternum væ finem nunquam habiturum, perpetuum mortis supplicium: O finis sine fine: Mors grauior omni morte, semper mori, & tamen mori non posse.

K

Vtrum damnati patiantur ignem corporalem.

Sed diceres. Videtur quod animæ in inferno non patiantur ab igne corporali, *quod probatur sic:* Quia quæ agunt & patiuntur, ad inuicem habent materiam communem, vt dicit Boetius in lib. de duabus naturis in Christo: scil anima cum sit spiritus, non habet communem materiam cum igne, qui est corpus, ergo, &c. *Alio modo probatur:* Actio ignis est corporalis, qui non fit nisi per contractum, sed anima cum non sit extensiuè quanta, non est tangibilis, quia tangentia sunt, quorum vltima sunt simul, vt habetur 5. & 6. Physicorum. Vnde videtur sicut anima non est tangibilis ab igne, ita nec palpabilis. Sed in contrarium est illud Lucæ 16. Vbi anima diuitis in inferno clamans dixit: *quia crucior in hac flamma.* Et beatus Augustinus in lib. de ciuit Dei, dicit: Habebunt spiritus licet in corporibus igneis accipientes ab ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. *Solutio.* Animæ damnatorum in inferno ac spiritus maligni patiuntur in inferno. ab igne corporali, quia ignis ille agit in eos actione spirituali, scilicet per speciem tanquam per instrumentũ diuinum imprimit in spiritũ immediatè, & affligit ipsum. *Ad obiectionem primam dico,* quod Boetius loquitur de actione & passione purè naturali, secundum quam ignis tali modo

Responsio.

in ani-

in animam agere non poteſt. *Ad ſecundum dic*, quod in huiuſmodi actione ignis corporeus, & anima quæ eſt ſpiritus, tangunt ſe non ſecundum vltima quantitatis molis, ſed tangunt ſe ſecundum vltima virtutis & tactu metaphorico; ſicut intelligentia tangit corpus cœleſte, quod mouetur, & ſicut anima tangit ſuum corpus.

Diceres SECVNDO. An ille diues epulo fuerit corpore & anima in inferno? dicit enim *Crucior in hac flamma, & guttam aquæ petit ſibi dari ab Abraham ſupra linguam*. Vnde euidenter apparet, quod fuerit corpore & anima in inferno. Et ſi ſic: Inconuenienter adducitur in contrarium de diuite epulone, quod ignis in eius animam egerit per hoc, quod dicit: *Crucior in hac flamma. Reſpondetur* ſecundum B. Thomam de Aquino, quod eius anima duntaxat cruciabatur in igne per detenſionem. eſt enim de natura ſpiritus eſſe ſeorſum, & eſſe liberum. vnde ſi detinetur, punitur. Et quod ſibi petit dari guttam aquæ ſuper linguam, non eſt intelligendum, quod ſibi fuerit corporea lingua, ſed quia peccauit grauiter in lingua. quotidie enim ſplendidè epulabatur. Vnde refrigerium, imo minutionem pœnæ petit pro peccato, quod commiſit in lingua. L An epulo Euangelicus fuerit etiam corpore in inferno.

Quæras TERTIO, an animæ exiſtẽtes in inferno, interdum exeant? Et videtur quod non: quia infernus ſimilis eſt naſſæ, quam faciliter piſces intrant, ſed eſt impoſſibilis exitus Sapient. 2. *Non eſt agnitus, qui ſit reuerſus ab inferis.* An animæ ex inferno egrediantur.

In contrarium eſt illud, quod legitur in legenda ſancti Brandini, qui vidit hominẽ condemnatum in viridi prato incedentem, à quo cum quæreret; cur ibi iret: cum eſſet damnatus? Reſpondit: Se ibidem recreare ad tempus propter bona aliqua, quæ fecit in vita, quorum remunerationem non accepiſſet, vt dicit præpoſitus. Idem patet de anima Traiani, quæ ad preces B. Gregorij exiuit de pœnis inferni, vt habetur in legenda S. Gregorij. *Solutio:* Exitus inferni poteſt intelligi dupliciter. *Vno modo*, vt ſimpliciter vnus inde exeat, ita vt iam amplius locus eius non ſit infernus: & ſic nullus inferno deputatus inde exire poteſt. Et quoad hunc modum dici poteſt quod anima Traiani non fuit in infernum finaliter deputata, vel ſecundum potentiam Deo non ordinariam, ſed abſolutam, extra ſumpta. *Alio modo* poteſt dici, vt exeat inde ad tempus; Tum propter remunerationem, vt patet ſupra de anima, quam vidit Brandinus in prato amœno: Quia dicit Boetius libro quarto, de conſolat. proſa. 3. ſicut nullum bonum manet impunitum, ſic nullum bonum manet irremuneratum: Tum propter viuentium eruditionem & vitæ emendationem. ſicut legitur in Annulo c. 29. tale exemplum. M Reſponſio.

Erant duo Canonici in Saxonia, conſanguinei nobiles, qui in huius mundi delitijs ambulabant: mortuo vno & ſupra feretrum locato, nocte apparuit cum magno ſtrepitu in camera ibi exiſtente ſocio & dolente: At ille ſtupefactus, quid ibi ſit, inquirit. Et ille terribiliter reſpondit: Ego ſum tuus conſanguineus mortis æternæ filius; & niſi te correxeris, ſimilia patieris. Sed tamen (heu) ex illa iuſſione minimè ſe correxit: tum propter dolentium ſecuritatem. ſicut patuit ſupra de beata Maria de Oegnies, cui dolenti mater horribiliter apparuit, & eam de ſua damnatione ſecurauit. Tum propter viuentium terrorem. Non tamen frequenter hoc accidit.

Primo quia damnati ſunt ita pœnis oppreſſi, vt de ſua miſeria magis doleant quàm alijs apparere curent.

Secundo quia hoc non poſſunt niſi diuinitus permiſſi. Neque etiam quando ſic ap-

parent, damnati sunt liberi à pœna inferni. quia locus inferni cedit in pœnam vel dolorem animæ, ex eo, quod tali loco deputata est. Ab hoc autem non soluitur, quamuis ad horam exire permittatur: sicut nec captus soluitur à vinculis, vel carcere, ex eo, quod ad horam exeat inde. Vnde pœna inferni siue dolor manet in anima, etiam extra infernum, vt dicit Anselmus libr. similitudinum 9. cap. 30. *Et subdit.* Quamuis damnati principaliter sint in loco, vbi apparent; non tamen credendum est, quod istud accidat semper. Quia aliquando huiusmodi apparitiones fiunt vel dormiendo, vel vigilando bonorum vel malorum, ad instructionem vel deceptionem viuentium. Sicut etiam viui homines aliquando alijs apparent, & eis multa dicunt in somnis; cum tamen constet non esse præsentes, & sicut Augustinus per multa exempla probat in libro de cura pro mortuis agenda.

Patientia vtilitas.

Quantum ad secundum, ponitur in verbis præmissis sustinentiæ vel patientiæ soliditas ibi. *Vt per patientiam.* Vbi NOTA patientiæ vtilitas triplex reperitur, vt habetur in sacra Scriptura: Christi ad exspectandum; Prælati ad remittendum: Subditi ad sustinendum.

I. Christi patientia teredini similis.

PRIMA est patientia Christi ad exspectandum: Patienter enim exspectat peccatores, & certe non conuersos durius puniet. Idcirco patientia ipsius comparatur teredini, quæ secundum Isidorum mollis est in substantia, & tamen comminuit diuersimodè ligna, & in subtiliorem puluerem redit quàm ipsa tinea facere possit. Sic ipse Christus est mollis in exspectando, & seuerior & durior postea in puniendo. Quamuis enim patientia eius tamdiu peccata hominum tam leniter & molliter ferat, ipsos tamen finaliter conterit & sæuissimo iudicio punit. Quare dicit Apostolus ad Roman. 2. *An ignoras* quasi diceret, si ire debes, *quoniam benignitas Dei*, Gloss. te tolerans & exspectans, *ad pœnitentiam te adducit?* quantum in se est. Sed quia sunt multi qui ipsum benignè exspectare non aduertunt, nec ad pœnitentiam se conuertunt; ideo subdit: *secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas* id est, accumulas *tibi iram* id est pœnam, *in die iræ*, imò vltionis extremæ, *& reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Ideo figuratur in Dauid, de quo 2. Regum 23. *Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus*, qui scilicet dum tangitur, est lenissimus, sed dum tangit vel corrodit, durissimus.

N Quis est lenissimus vermiculus, nisi Christus noster dominus? qui dicit Psalmo 21. *Ego sum vermis & non homo.* Hic tum tangitur peccatis nostris, lenissimus, id est, misericordissimus est nobis, conuersionem nostram exspectando. Sicut de hoc dicit Gregorius 2. moral. Misericors Deus diu peccata hominum tolerat, & cum iam vitiorũ finem respicit, plerunque mentes hominum immutat. *Et post pauca.* Pius conditor facturam suam non deserit: mala hominum per suam patientiam tolerat, & per eorum quandoque conuersionem relaxat. Hæc Gregorius. Idem etiam dicit Iesus Syrach. *Patiens sustinebit vsque ad tempus.* Eccles. 1. Si autem conuerti nolumus, tandem fit in punitionẽ durissimus. Iuxta illud Deut. 33. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripiet iudicium manus mea, reddã vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuã.*

Christus mulieri grauidæ similis.

SECVNDO Christus assimilatur grauidæ mulieri, quæ conceptum fætum, quem diu portauit, postea cum magno dolore eijcit. Sic Deus diu tolerat per patientiam, & exspectat ad pœnitentiam. Sapientiæ 6. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*, Sed diu exspectatum & non emendatum diu percutit, & cum magno dolore

lore

lore à se proijcit, quem diu tolerauit. Isaiæ 1. *Heu* inquit, *consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Supra quo dicit Origenes. O quanta benignitas Dei, neminem enim punit nisi inuitus, & more pij patris punit & plangit. Et Valerius in Polycrate lib. 1. Lento, inquit, gradu ad vindictam diuina procedit ira tarditatemque supplicij grauitate compensat.

Refert enim Thomas Cantiprat. lib. 1. Apum, cap. 3. par. 4. Iuuenis quidam in Teutoniæ partibus, ex sanguine principum plane generosus, sed degener vita & moribus, Episcopatum malè acquisiuit. Qui rapinis & luxuriæ verecundè primò: sed inuerecundissimè postmodum operam dedit. Exspectauit eum Dominus diutius, & castigauit flagello multiplici: Sed cũ abuteretur eo in superbia, dedit eum Dominus in reprobam mortem. Qua in hora venerabilis Conradus Deo dignus Hildemensis Episcopus ad matutinas intempestæ noctis silentio surrexit: illisque dictis resedit ad studium, facturus in die sermonem. Nec mora, raptus in spiritu, videre sibi visus est Episcopum quendam velata facie, sed infulis insignitũ ad tribunal iudicis rapi. Mox adsunt truci vultu satellites, & accusant Episcopum vnus in rapina, alius in cæde hominum, atq; alij in luxuriæ lubricitate. Tunc iudex assessoribus suis. Accusata discutite; deliberate iudicium: ferte sententiam. Nec mora, assessores parent iudici, ferunt in cõmune sententiam. Iudex approbat totam. Accedunt ministri fuligine nigriores, & ablata mitra de capite, annulum, casulam, dalmaticam, ac reliqua Episcopalia indumenta detracta ad pedes iudicis ponunt, nudumq; relictũ cum clamore rapiunt, à facie iudicis trahunt ad tartara, nihil secum portantẽ nisi peccata. Mox assessores iudicis surgunt, & cum cantico sonoro subiungunt: *Dum tempus habemus, operemur bonũ ad omnes.* His visis in spiritu, Hildemensis Episcopus reuersus in se, cogitare cœpit: Quis nam fuerit ille miserabilis præsul. & ecce quidam ad ostium pulsans, intromissus est clamans cum lacrymis, talem Episcopum in proximam villam venisse vespere. *Et subdit:* Eadem hora repentina morte subtractum. Quo audito sanctus Præsul miserrimo illi defuncto condoluit, & licet inaniter quantum ad subuentionem, pro pietate tamen lacrymas amarissimas fudit.

Visio de Episcopo repentè mortuo ac damnato.

Gal. 6.

SECVNDA patientia est Prælati in remittendo. Dicit Ambrosius in Hexam. de rege apum, qui mansuetudine est clarus, licet habeat aculeos, non tamen vtitur eis ad vindicandum; sed apes, quæ non obtemperant regi, propria condemnatione se stimulant, & aculeo sui vulneris moriuntur. In quo MORALITER docentur Prælati, quod sint patientes, & mites, proprijs iniurijs remittendis. Quia Philosophus ait: Nunquam scelus scelere vincendum est. *Et iterum*; Res magnæ clementiæ est, indulgendo corrigere peccata, non corrigendo. Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere. si quis irascitur, & ab alio pœnas expetit, à se exigit. Magnanimi est proprium, placidum esse, tranquillumque, iniurias atque offensiones spernere atque despicere. Ergo si magnanimus es, nunquam tibi iniuriam vindicabis. Ideo refert Eudoxus in libr. de gestis Philosophorum de Physitarcho nobili duce Atheniensium. Contra quem quidam, Aristippus nomine, in tantum exarsit, vt ipsum voce ac verborum procacitate ineptè obrueret: & tandem in faciem conspueret. Ac princeps sic gestum, animũ ob iram patienter sustinuit & cohibuit, vt putaretur nõ suscepisse vel audiuisse iniurias, sed laudes gloriæ & honoris. Ideo refert Seneca lib. 3. de ira, de patiẽtia Philippi regis. Ad quẽ cum venissent legati

O II. Patientia prælati.

Iniurias & offensiones cõtemnere, indicium est magnanimitatis.

Atheniensium, audita eorum legatione, benignè ait; Quid sit gratum Atheniensibus? Cui respondit Democritus, vnus ex legatis: Suspendere te, esset gratum Atheniensibus. Cumque circumstantes in eum vellent irruere, iussit illum rex incolumen dimitti, dicens ceteris legatis: Nuntiate Atheniensibus, multò deteriores esse qui ita dicunt, quàm qui impunè audiunt.

Nobilis alteri mortē fratris indulsit.

Ad idem refert Thomas sæpe allegatus in libr. 2. Apum cap. 18. par. 3. Nobilis quidam fratrem vterinum à quodam plebeio suo & ignobili occisum perdiderat. Fugiente ergo de patria occisore, contigit quod ille nobilis cum multo comitatu peregrè profectus, impræmediatè soli in agro occurreret occisori, qui mox extracto gladio vbi inimicum expetijt, in terram prostratus occisor, clamauit: Miserere mei, nobilissime vir, propter illum, qui tui misertus est, & omnem mundum istum sua morte redemit. Repentè nobilis animus in lacrymas resolutus, illam, quam extenderat, manum retraxit. Sed cum hoc ignauiæ adscriberetur à suis, & iterum manus extenderet in prostratum, iterato reus ob remissionem omnium peccatorū eius veniam petens, secundò deposuit manum. Tertioq; increpatus à suis, cum mortem tertio intentaret, & miser ille ob euasionem angustiæ, quam omnis caro in extremo iudicio esset perpessura, veniam peccaretur. Respondit nobilis genere, sed nobilior mente. Ego, inquit, tibi prorsus mortem fratris indulgeo & remitto. Nec mora, eadem die vt audiret Missam introgressus Ecclesiam, vbi coram imagine Crucifixi tertiò flexit genua, visus est à quodam sancto viro, ad singulas genuflexiones nobilis illius. Crucifixus caput suum inclinare humiliter. Seorsum ergo vir sanctus, qui hoc viderat solus, nobilem euocauit. Quis esset, interrogauit Et ille: Miles, inquit, dicor in terra, in qua natus sum Et rursum ille: Dicas mihi, carissime, nihil celes. In quo confidis te magis misericordiam inuenisse? Tunc miles, peccator (inquit) sum, & seculo deditus, in nullo prorsus, nisi forsitan hodie veniam promerui. Et hoc dicens quod actum est retulit. Mox ille, quid vidisset, exposuit, & ad actum grati[oris] meriti, nobilem exhortatur. Et subdit Thomas: Dignè quidem de vero nobili hoc auditur: quia Philosophus dicit: Vera ingenuitas non recipit contumeliam. Nihil enim est tam præclarum, tamq; magnificum, quod non desideret temperantiæ moderamen.

P

Prælati debent miscere cū patientia seueritatē

Est tamen circa hoc solerter NOTANDVM, quamuis Prælati debent esse patientes iniurias sibi illatas remittendo; debent tamen assumere seueritatem, peccata subditorum corrigendo quia dicit B Gregorius in Pastorali: Nisi asperitatem sibi assumpserit Prælati, nullus inferiorum de se faceret quicquam operis virtuosi. Et B. Augustinus lib. confessionum, & ponitur allegatiuè, 5. q. 5. c. omnis. Melius est cum seueritate diligere quam cum lenitate decipere Nisi enim Prælatus asperitatem assumpserit vitia corrigendo, subditis errantibus videtur consentire: & nisi ipsi Prælati rectè vixerint à vitiis subditos reuocando, cum eis in æternum: sine fine damnantur. Ad hoc sonat Prosper inquiens: Si Rector rectè viuat in se tantum, & subditos male viuentes non corrigat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, & ipse peribit. Et hoc patet de Heli. 1. Regum 2. *Qui filios suos nimis molliter correxit*, cecidit de sella sua retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. Et B. Hieronymus. Pro iniquitate filiorum, inquit, Heli mortuus est, & damnatus.

Sed expositor Lyra, & alij plures moderni dicunt licet Heli punitus sit in persona propria & filijs, quantum ad pœnam temporalem; ipse tamen in persona propria e-

uasit

nasit æternam. quia cum Samuel ei prædixit mortem filiorum, & quod Dominus iudicaturus esset domum eius propter iniquitatem, eo quod nouit indignè agere suos filios, & non corripuit eos, patienter acceptauit Dominum suum dicens: *Dominus est.* quasi diceret, faciet mecum secundum misericordissimam voluntatem suam. & in acceptione veræ iustitiæ videtur pœnituisse. Sed iam erat ita senex, quod filiorum delicta non poterat emendare. quamuis à principio, quando primo sciuit, potuisset. *Ad dictum autem* Hieronymi dicunt, quod intelligendum est, de damnatione temporalis pœnæ tantum. quia hoc modo etiam frequenter accipitur damnatio.

Vlterius est SCIENDVM de modo correctionis Prælatorum. Debet enim eorum correctio procedere ex amore. PRIMO secundum illud Apocal. 3. *Ego quos amo castigo.* Sed sunt aliqui, qui illos maximè volunt arguere, vel corrigere, quos vident non amare. Quorum correctio ab his, quibus adhibetur, non reputatur correctio, sed hostilis persecutio. Sed è contra dicitur Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse.* Iesse interpretatur incendium, per quod significatur, quod virga correctionis debet egredi de incendio. 2. ad Thessal. vlt. *Si quis non obedit verbo vestro, nolite quasi iniustum æstimare illum, sed corripite vt fratrem.*

Q Qualis debeat esse correctio prælatorum.

1.

SECVNDO. debet fieri ex compassione, quia dicit Gregorius: Nequaquam iacentem erigit nisi qui status sui rectitudinem compassione flectit. R 2.

TERTIO debet fieri ex misericordia, Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me.* Ideo dicit B. Augustin. 23. q. 4. Duo ista nomina, cũ dicis, *homo peccator,* non vtiq; frustra dicuntur, quia *peccator* est corripere, & *homo* miserere. Plus tamen debent Prælati declinare in corrigẽdo ad mansuetudinem; quam ad seueritatem vel rigorem. Tum propter corrigendum quia plus proficit apud ipsum correctio mansueta, quàm seuera. Dist. 45. c. Licet. vbi dicitur: Plus ergo corrigit beneuolẽtia, quàm seueritas: plus exhortatio, quàm cõminatio: plus caritas, quàm potestas. Tum etiam propter corrigentem. Si enim ex nimia seueritate corrigit, pœnam sic acquirit. 3.

In correctione, mansuetudo cum seueritate miscenda.

De hoc refert venerabilis Thomas Cantipratensis lib. 1. Apum, c. 4. par. 4. de Guiardo Episcopo Cameracensi. Cum in via contra Antuerpienses hæreticos apud Afsliginense monasterium Brabantiæ, in regulari obseruatione strictissimum, vitam suam fine beato terminasset: in ipso tempore migrationis cuidam fratri ordinis Prædicatorum apparuit per somnum Gandaui. Cui frater. Quomodo, inquit, pater, est tibi? Et ille: Mortuus, inquit, sum, debitum commune soluens conditionis humanæ: & ecce ad satis graues transeo pœnas, priusquam ad gloriam transferar expurgandus. Cui frater: Quæ pœnæ causa? Cui ille: Nimia seueritas, inquit, me culpabilẽ reddidit, & purgandum. Sed via ista, quæ contra hæreticos pro expurganda Ecclesia auidius inhiabam, pœnam meam minuet, & accelerationem ad gloriam iam dilatam citius præstabit. Et dicit Thomas vbi suprà: Discant Prælati, nisi cogat necessitas, nimiæ seueritatis aculeum non habere, mansuetudine armari, vt boni suis subditis timorem pariter & amorẽ imprimant. Ideo dicit Psal. 89. *Superuenit mansuetudo & corripiemur.* QVARTO debet fieri in patientia. 2. ad Tim. 4. *Argue obsecra increpa in omni patientia.* 4.

Exemplum contra nimis seueros Prælatos.

TERTIA patientia est subditi ad sustinendum debent enim subditi patienter sustinere, quicquid eis à Prælatis fuerit illatum, vel ab alia extrinseca aduersitate. *Primo,* namque quia talis patientia Christo vicem reddit. Vult enim Christus, vt aliqua patiamur pro eo, sicut ipse passus est pro nobis. Vnde cum *comedisset de pisce asso,* dedit

S *III.* Patientia subditi.

reliquias discipulis, Lucæ vltimo. Piscis assus, est Christus passus. In hoc enim, quod piscem assum dedit discipulis, communicare passionem suam voluit. Ideo dicit Apostolus ad Colos. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea. Secundo* quia patientia subditū quasi martyrem facit De quo dicit Gregorius: Sine ferro, vel flammis martyres esse possumus, si patientiam veraciter teneamus. Et ideo patientia mira facit, Quod testatur Gregorius: Ego virtutem patientiæ signis & miraculis maiorē puto. Si patientiam habens aliquod mortiferum biberit, non ei nocebit: sermo venenatus, quem audit, conuertetur ei in medicinam patientiæ: nox aduersitatis, vt dies illuminabitur, ita vt clarè videat in nocte aduersitatis sicut in die prosperitatis, vel etiā clarius. Implet ei Dominus illam promissionem, Isa. 43. *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris.* Homo patiens est, vt rubus ardens absq; læsione, Exod. 3. Homo patiens est vt pueri quos Dominus in igne Babylonicæ fornacis illæsos seruauit. Daniel. 3. Ita accidit homini patienti, sicut accidit beato Tiburtio: qui cum nudis plantis incederet super carbones ardentes, videbatur ei, quod super flores roseos incederet. Ecce quanta mira patientia facit, Dicitur enim Prouerb. 6. *Nunquid homo ambulare potest super prunas,* vt non comburantur plantæ eius? quasi diceret. Non, sed homo patiens hoc facit.

Patiētia subditum facit martyrem.

Homo patiens, rubus ardens.

T

TERTIO, ponitur in verbis præassumptis æternæ lætitiæ suauitas ibi; *Et consolationem scripturarum.* Vbi NOTA sacra scriptura primo assimilatur fago, cuius glandes sunt exterius triangulæ, in cortice inclusæ, & sunt dulces, & nutribiles. Ideo de eis primitus homines viuere. consueuerunt. sicut de hoc dicit venerabilis Boëtius lib. 2. de consola. metro 5. commendans primam ætatem dicens;

Sacra Scriptura similis fructibus.

Felix nimium prima ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu: quasi diceret, non deprauata stulta superfluitate.
Facili quæ sera solebat,
Ieiunia soluere glande.

MYSTICE sacræ Scripturæ verba sunt triangula, in quantum instruunt nos de fide beatissimæ Trinitatis, vel in quantum de tribus virtutibus Theologicis nos instruunt, vel in quantum sub laurea triplicem sensum continent: Anagogicum, Allegoricum, & Tropologicū. Et sunt sententiæ spirituales S. Scripturæ leui cortice, imo sub facili litera interclusæ: sunt etiam dulces iuxta illud Eccles. 24. *Spiritus tuus*, id est, sensus sacræ Scripturæ spirituali, *super mel dulcis.* Et Psal. 118. *Quā dulcia faucibus meis eloquia tua Domine? Super mel ori meo.* Et sunt nutribiles, quia sacra Scriptura spiritualē vitam cōseruat, iuxta illud Matth. 4. *Nō in solo pane viuit homo sed in omni verbo, &c.*

V

SECVNDO, Scriptura sacra assimilatur nuci, quæ si secundum exteriorē pelliculam fuerit manducata, est amara & nociua. quia multarū inflationum generatiua, & ideo pellicula est spolianda, Et tunc apparebit dulcis & sapida atq; sana; vt dicunt naturales. Sed si secundum exteriorem pelliculam, id est, literam fuerit obseruata, non prodest obseruantibus, sed plurimum nocet. Sicut ceremonialia veteris legis, quæ non licet homini ad literam obseruare. Quia dicit Apostolus. 2. Cor. 3. Obseruanda sunt, *non litera, sed spiritu. quia litera occidit: Spiritus viuificat.* Et ideo abijcienda & detrahenda est homini pellicula, scilicet sensus literæ exterior, & tunc sensus interior apparebit super omnem nucem dulcior. Debent enim studentes & audientes sacram Scriptu-

Sacra Scriptura similis nuci.

Scripturam facere ad instar animalium ruminantium. Quia omne animal ruminans habet duos ventres: Vnum magnum, & alium paruum. Cuius causa digestio est multiplex. Nam talium cibus est siccus, & non bene à principio masticatus, crudus propter auiditatem edendi: vnde oportet iterum masticare. De maiore igitur ventre attrahitur, & sic ruminatus ad secundum ventrem mittitur, vt perfectè digeratur. Ruminatio escæ est meditatio Scripturę, quæ prius reducenda est ad magnum ventrem, ad sensum literalem, qui est primus & generalis totius Scripturæ sensus. Deinde deducenda est per meditationem ad paruum ventrem, id est, ad spiritualem sensum, & tunc erit dulcis. In cuius signum dicitur. Ezech. 4. de Ezechia, *qui comedit librum, seu volumen, & factum est in ore quasi mel dulce.* Ruminanda est sacra Scriptura.

X TERTIO. Sacra Scriptura assimilatur illi pani, quem Dominus pluit in deserto, cuius gustus erat quasi similis cum melle. Et de illo dicitur Sapien. 16. *Panem de cælo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum habentem & omnem saporis suauitatem.* Et Gloss. Hoc non erat ex natura mannæ, sed ex merito sanctorum hominum, quibus sapiebat, sicut desiderabant. Ideo dicitur ibidem. *Sicut vnusquisq; volebat, ad hoc conuertebatur.* Malis autem propter demeritum desipiebat. Ideo Num. 21. dicebant. *Nihil vident oculi nostri. Iam nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Sic sacra Scriptura habet in se omnem dulcedinem & omnes delitias, iuxta illud Cantic. 4. *Fauus distillans labia tua.* Ideo dicit Hieronymus super Epistolam ad Philip. Pinguissimus sermo diuinus est, omnes in se habens delitias. Quicquid volueris, ex diuino nascitur sermone: sicut tradunt Iudæi, quando manna comedebant, secundum voluntatem vniuscuiusque sic sapiebat in ore. Hæc Hieronymus. S. Scriptura similis est pani.

Sed est valde NOTABILE, quod manna bonis prout volebant sapiebat; sed malis dissipiebat. Sic est sacra Scriptura, id est, verbum Dei. Nam bonis est valde dulcis & saporosa, vt dicitur Sap. 12. *O quam suauis & bonus est Spiritus tuus in nobis*, id est, sensus spiritualis sacræ Scripturæ; sed malis desipit. Nam est eis abominabilis: iuxta illud Psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum.* Et sequitur: *Et appropinquauerunt vsq; ad portas mortis* scilicet æternæ: quod communiter euenit eis, quibus videlicet desipit verbum Dei, vt fame moriantur spiritualiter. Quia dicit Gregorius: Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita fames mentis est subtractum subsidium & silentium diuinæ locutionis. Vnde rectè per Prophetam dicitur: *Mittam famem in terram, non famem panis, aut sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Amos 8. Sicut enim pauperes festinant ad portam diuitis, vt habeant refectionem corporalem vnius diei: & multum infirmus est & debilis, qui illuc non properat; sic ad refectionem animæ multò magis debemus currere, Iuxta illud Iacobi 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum.* Gloss. verbum veritatis. Fames mentis quid?

Y QVARTO, sacra Scriptura assimilatur illi libro, de quo Apoc. dicitur voce Ioannis: *Audiui de cælo vocem dicentem mihi. Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquã mel dulce.* Hanc visionẽ exponit Ansel. li. 7 similit. c. 30. dicens. In hac visione ostenditur, quod liber sacræ Scripturæ requirit. *Primo* discipulũ, vel lectorẽ expeditũ. Ideo dicit: *Abij*, scilicet à curis mundi, vel carnis, quorũ occupatio impedit studiũ, vel S. Scriptura assimilatur libro Apoca.

I. Sacra Scri-

[..]pura requi- rit lectorem expeditum.

vel fructum ſapientiæ. Sollicitudo enim ſeculi, vel vallata diuitiarum cupiditas ſuffocat verbum Dei, Luc. 7.

II. Auditorem deuotum.

Secundo requirit auditorem deuotum, qui non ſolum lectione, ſed etiam oratione ſacræ Scripturæ intellectum quærat. Ideo dicit, quod iuit ad Angelum, id eſt, ad Chriſtum, *qui eſt magni Conſilij Angelus*, Iſa. 9. dicens ei, ſcilicet orando, vt daret mihi librum, id eſt, intelligentium S. Scripturæ. Sicut fecit Sapiens. *Optaui & datus ei mihi ſenſus: vocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* Sap. 8.

III. Hominem ſtudioſum

Tertio modo requirit hominem ſtudioſum. *Vno modo* ad accipiendam doctrinam ſacræ ſcripturæ, quam capere debet audiendo & legendo Apocal. 1. *Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ huius*, ſcilicet libri. *Alio modo* oportet eſſe ſtudioſum ad memoriæ commendandum; quod innuitur ibi, *& deuora eum* ſcilicet memoriæ commendando & opere implendo: & hoc cum quadam auiditate, quæ notatur in hoc verbo, deuora. Ideo ſubdit Apocal. vbi ſuprà: *Et ſeruat ea*, ſcilicet in memoria, quæ intus ſunt ſcripta.

IV. Hominem vigoroſum.

Quarto requirit hominem vigoroſum, qui propter amaritudinem ſeu laborem, qui eſt in addiſcendo, ſeu intelligendo, vel implendo, non contemnit eam. Quia ſicut ex vna parte videtur eſſe difficilis & amara, ita ex alia eſt dulcis & ſapida. Eſt enim difficilis ad intelligendum, & amara, id eſt, pœnoſa opere ad implendũ. Propter, quod dicit: *Et faciet amaricari ventrem tuum*, id eſt, carnalitatem ſiue humanitatem tuam, quæ eſt mollis & fragilis; & ideo graue eſt ei & pœnoſum, modica implere. Facit etiam liber diuinæ, id eſt, ſacræ Scripturæ nedum amaricari ventrem animæ, id eſt, mentem, in quantum ducit hominem in cognitionem Prophetarum, & defectuum, de quibus amaricatur; ſed deducit etiam in contemplationem diuinorum & cœleſtium. Et quanto ei fit dulcius, quod intus videt, tanto magis in amaritudinem vertitur id, quod foris ſuſtinetur. Sed ex alia parte Scriptura ſacra dulcis eſt & ſapida, ideo ſubdit: *Sed in ore tuo erit dulce ſicut mel:* quia dulcis ad audiendum. Nónne dulcis eſt auditui noſtro hæc vox Scripturæ, quæ dicit Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ante conſtitutionem mundi?* Nónne hæc eſt dulcis Scriptura? Luc. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo?* Nunquid hæc eſt dulcis vox 1. ad Cor. 2. (originaliter Iſa. 64) *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Certè vtique (quoad quartum) ex ſacra Scriptura prouenit internæ ſalutis & lætitiæ ſuauitas.

Sacra Scriptura dulcis eſt & ſapida.

Obtinendæ gloriæ ſecuritas.

Quantum ad QVARTVM, ponitur obtinendæ gloriæ ſecuritas, ibi; *Spem habeamus.* Vbi NOTANDVM. Si rex terrenus promitteret alicui homini ſibi charo aliquã dignitatem, vel gloriam, vt daret ſibi aliquod pignus, ille vtique de gloria obtinenda eſſet ſecurus. Rex cœleſtis promiſit nobis gloriam ſempiternam, de qua Prouerb. 3. *Gloriam Sapientes poſſidebunt.* De qua Eccleſ. 23. *Gloria magna eſt ſequi Dominum. Longitudo enim dierum* id eſt, æterna vita, *aſſumetur ab eo.* Et ſupra hoc dedit nobis pignus nobile, & hoc eſt ſpes: Quæ ſecundum Auguſtinum & Magiſtrum lib. 3. ſentent. diſt. 16. eſt exſpectatio futuræ beatitudinis, veniens ex gratia Dei, & meritis præcedentibus. Ex qua definitione ſpei claret, qui vult ſecurè futuram beatitudinem exſpectare, neceſſe eſt primo, vt habeat hoc ex paſſione & gratia Dei. Quia dicit Origenes, in lib. de ritu Eccleſiarum; Si aliquis bona cunctorum hominum

num

num perpetrasset, atque totius mundi tormenta suppliciaque tulisset, non tamen æterna beatitudine dignus esset, nisi nobis eam felicissima Christi passio meruisset. Et Apostolus ad Rom. 8. *Existimo* inquit, *quod non sunt condignæ passiones huius temporis,* id est, æquales, *ad futuram gloriam,* non absolute, sed mediante nostro arbitrio & meritis bonis. Si enim benè fecerimus, saluabimur; si malè, damnabimur. Ideo dicit B. Gregorius lib. dial. Ipsaque perennis regni prædestinatio ita disposita est ab omnipotenti Deo, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante disposuit donare. Hæc Gregorius. Ex iam dictis patet, quod securi sunt de regno futuro, & eius gloria, qui faciunt opera bona & meritoria. Quia illa sunt quasi pignora & arrhæ, quibus regni cœlestis fiducia crescit, vt dicit Anselmus lib. similitudinum. 10. c. 74.

DE EADEM DOMINICA.
SECVNDA ADVENTVS.
Sermo in Euangelium.

Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna & maiestate. Luc. 21.

Ciuitates regiæ & magnæ consueuerunt habere multas portas, per quas intratur: & licet portæ sint variæ, tamen solummodo ducunt in vnam ciuitatem. Et sic legitur in legenda martyrum Thebæorum, de Thæbea ciuitate regia, quæ super Nilum fluuium fuit posita, quæ centum portas habuit, per quas quilibet aduena subintrauit.

SPIRITVALITER. Ciuitas regia cœlum est, de qua dicit Dauid, Psalm. 81. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Quæ sunt ista gloriosa & famosa? quia est sancta, Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem,* quia est opulenta & firma Isa. 33. *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Hierusalem,* habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: quia est clara & amœna, Apocal. 21. *Ciuitas illa non eget sole, neque luna, vt luceant in ea.* quasi diceret, non indiget illuminatione corporali. *nam claritas Dei illuminabit eam: & lucerna eius est agnus.* quia est rege & legibus decenter ornata. Ideo dicit Augustin. de ciuit. Dei Hortor te fieri ciuem illius ciuitatis, vbi rex veritas, lex caritas, dignitas, sanctitas, pax, felicitas, & vita æternitas. Ecce quàm gloriosa & famosa dicuntur de ciuitate Dei. Ad hanc igitur ciuitatem sunt multæ portæ. A Ad cœlũ variæ portæ.

Prima porta est veritas sacræ scripturæ. Has iubet aperire sibi Dauid. Psalm. 115. 1. Veritas Scripturæ.
Aperite mihi portas iustitiæ, id est, veritatem sanctæ Scripturæ, ingressus in eas confitebor Domino. Illas igitur portas aperiunt boni doctores & Catholici ministri, & meritò: quia habent aperire portas eius, & linguæ eorum claues cœli factæ sunt. Sed Christus aperit eas auctoritate propria & virtute, Isa. 17. *Aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Secunda* porta est fides. quia ipsa ducit ad regem Christum, 2. Fides.
Psal. vbi suprà: *Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.* id est, per eam. *Tertia* porta imo verius ostium est Christus. quod dicit Ioan. 10. *Ego sum ostium: per me si quis* 3. Christus.

intro-

[...]ptura requi- [...]it lectorem expeditum. vel fructum sapientiæ. Sollicitudo enim seculi, vel vallata diuitiarum cupiditas suffocat verbum Dei, Luc. 7.

II. Auditorem deuotum. *Secundo* requirit auditorem deuotum, qui non solum lectione, sed etiam oratione sacræ Scripturæ intellectum quærat. Ideo dicit, quod iuit ad Angelum, id est, ad Christum, *qui est magni Consilij Angelus*, Isa. 9. dicens ei, scilicet orando, vt daret mihi librum, id est, intelligentium S. Scripturæ. Sicut fecit Sapiens. *Optaui & datus ei mihi sensus: vocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Sap. 8.

III. Hominem studiosum. *Tertio* modo requirit hominem studiosum. *Vno modo* ad accipiendam doctrinam sacræ scripturæ, quam capere debet audiendo & legendo Apocal. 1. *Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ huius*, scilicet libri. *Alio modo* oportet esse studiosum ad memoriæ commendandum; quod innuitur ibi, *& deuora eum* scilicet memoriæ commendando & opere implendo: & hoc cum quadam auiditate, quæ notatur in hoc verbo, deuora. Ideo subdit Apocal. vbi suprà: *Et seruat ea*, scilicet in memoria, quæ intus sunt scripta.

IV. Hominem vigorosum. *Quarto* requirit hominem vigorosum, qui propter amaritudinem seu laborem, qui est in addiscendo, seu intelligendo, vel implendo, non contemnit eam. Quia sicut ex vna parte videtur esse difficilis & amara, ita ex alia est dulcis & sapida. Est enim difficilis ad intelligendum, & amara, id est, pœnosa opere ad implendũ. Propter, quod dicit: *Et faciet amaricari ventrem tuum*, id est, carnalitatem siue humanitatem tuam, quæ est mollis & fragilis; & ideo graue est ei & pœnosum, modica implere. Facit etiam liber diuinæ, id est, sacræ Scripturæ nedum amaricari ventrem animæ, id est, mentem, in quantum ducit hominem in cognitionem Prophetarum, & defectuum, de quibus amaricatur; sed deducit etiam in contemplationem diuinorum & cœlestium. Et quanto ei fit dulcius, quod intus videt, tanto magis in amaritudinem vertitur id, quod foris sustinetur. Sed ex alia parte Scriptura sacra dulcis est & sapida, ideo subdit: *Sed in ore tuo erit dulce sicut mel:* quia dulcis ad audiendum. Nónne dulcis est auditui nostro hæc vox Scripturæ, quæ dicit Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei. possidete paratum vobis regnum ante constitutionem mundi?* Nónne hæc est dulcis Scriptura? Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo?* Nunquid hæc est dulcis vox 1. ad Cor. 2. (originaliter Isa. 64) *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Certè vtique (quoad quartum) ex sacra Scriptura prouenit internæ salutis & lætitiæ suauitas.

Sacra Scriptura dulcis est & sapida.

Obtinendæ gloriæ securitas. Quantum ad QVARTVM, ponitur obtinendæ gloriæ securitas, ibi; *Spem habeamus.* Vbi NOTANDVM. Si rex terrenus promitteret alicui homini sibi charo aliquã dignitatem, vel gloriam, vt daret sibi aliquod pignus, ille vtique de gloria obtinenda esset securus. Rex cœlestis promisit nobis gloriam sempiternam, de qua Prouerb. 3. *Gloriam Sapientes possidebunt.* De qua Eccles. 23. *Gloria magna est sequi Dominum. Longitudo enim dierum* id est, æterna vita, *assumetur ab eo.* Et supra hoc dedit nobis pignus nobile, & hoc est spes: Quæ secundum Augustinum & Magistrum lib. 3. sentent. dist. 16. est exspectatio futuræ beatitudinis, veniens ex gratia Dei, & meritis præcedentibus. Ex qua definitione spei claret, qui vult securè futuram beatitudinem exspectare, necesse est primo, vt habeat hoc ex passione & gratia Dei. Quia dicit Origenes, in lib. de ritu Ecclesiarum: Si aliquis bona cunctorum hominum

num

num perpetrasset, atque totius mundi tormenta suppliciaque tulisset, non tamen æterna beatitudine dignus esset, nisi nobis eam felicissima Christi passio meruisset. Et Apostolus ad Rom. 8. *Existimo* inquit, *quod non sunt condigna passiones huius temporis,* id est, æquales, *ad futuram gloriam,* non absolute, sed mediante nostro arbitrio & meritis bonis. Si enim bene fecerimus, saluabimur; si malè, damnabimur. Ideo dicit B. Gregorius lib. dial. Ipsaque perennis regni prædestinatio ita disposita est ab omnipotenti Deo, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante disposuit donare. Hæc Gregorius. Ex iam dictis patet, quod securi sunt de regno futuro, & eius gloria, qui faciunt opera bona & meritoria. Quia illa sunt quasi pignora & arrhæ, quibus regni cœlestis fiducia crescit, vt dicit Anselmus lib. similitudinum. 10. c. 74.

DE EADEM DOMINICA.
SECVNDA ADVENTVS.
Sermo in Euangelium.

Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna & maiestate. Luc. 21.

Ciuitates regiæ & magnæ consueuerunt habere multas portas, per quas intratur: & licet portæ sint variæ, tamen solummodo ducunt in vnam ciuitatem. Et sic legitur in legenda martyrum Thebæorum, de Thæbea ciuitate regia, quæ super Nilum fluuium fuit posita, quæ centum portas habuit, per quas quilibet aduena subintrauit.

SPIRITVALITER. Ciuitas regia cœlum est, de qua dicit Dauid, Psalm. 81. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Quæ sunt ista gloriosa & famosa? quia est sancta, Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem,* quia est opulenta & firma Isa. 33. *Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Hierusalem,* habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: quia est clara & amœna, Apocal. 21. *Ciuitas illa non eget sole, neque luna, vt luceant in ea.* quasi diceret, non indiget illuminatione corporali. *nam claritas Dei illuminabit eam. & lucerna eius est agnus.* quia est rege & legibus decenter ornata. Ideo dicit Augustin. de ciuit. Dei Hortor te fieri ciuem illius ciuitatis, vbi rex veritas, lex caritas, dignitas, sanctitas, pax, felicitas, & vita æternitas. Ecce quàm gloriosa & famosa dicuntur de ciuitate Dei. Ad hanc igitur ciuitatem sunt multæ portæ. A Ad cœlũ variæ portæ.

Prima porta est veritas sacræ scripturæ. Has iubet aperire sibi Dauid. Psalm. 115. *Aperite mihi portas iustitiæ,* id est; veritatem sanctæ Scripturæ, ingressus in eas confitebor Domino. Illas igitur portas aperiunt boni doctores & Catholici ministri, & meritò: quia habent aperire portas eius, & linguæ eorum claues cœli factæ sunt. Sed Christus aperit eas authoritate propria & virtute, Isa. 17. *Aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Secunda* porta est fides. quia ipsa ducit ad regem Christum, Psal. vbi suprà: *Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.* id est, per eam. *Tertia* porta imò verius ostium est Christus. quod dicit Ioan. 10. *Ego sum ostium: per me si quis* 1. Veritas Scripturæ. 2. Fides. 3. Christus.

introierit saluabitur. Ex his dictis patet, quod Scripturæ sanctæ sunt portæ veniendi ad fidem & ad eius iustitiam. *Rursus* fides est porta veniendi ad Christum: Christus est porta intrandi ad cœlum. De his iudicum. 14. *Aperite nobis portas, quia nobiscum Deus.* *Quarta* & vltima porta est dies iudicij; Prouerbiorum vltimo, *Nobilis in portis vir eius.* id est, in vltimo iudicio sublimius apparebit Christus, *quando, sederit cum senatoribus terræ,* id est, cum Apostolis. Et congrue dies iudicij assimilatur portæ. Nam, vt patet vrbis aditus porta Dei; ita etiam dies iudicij porta regni. quia per eam electis patebit cœlestis introitus, Iuxta illud Apocalypsis vltimo. *Beati qui per portam intrant in ciuitatem* scilicet cœlestem Hierusalem. Ad hoc igitur iudicium qualiter Christus aduenerit, dicunt nobis verba prælibata. *Videbunt filium hominis venientem.* In quibus verbis tria tangit Apostolus Matthæus:

4. Dies iudicij.

Iudicis aspectum, quo malos terrebit:
Saluatoris aspectum, quo bonos mulcebit:
Olim despectum, qui magnificus apparebit.

Præcursores Christi ad iudiciũ ventu ri.

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Consuetudo est regum terrenorum, quando volunt visitare ciuitates suas ibi iudicia facturi. *Primum* præmittunt nuncios suos, quibus mediantibus ante aduentum innotescunt, vt se interim homines examinent & disponant: Sic rex cœlestis Christus hanc consuetudinem tenebit, cum venerit iudicaturus seculum per ignem. præmittet enim nuncios, per quos aduentum suum futurum nuntiet & ostendat.

B
I.
Falsi Prophetæ.

PRIMI nuntij erant falsi Prophetæ, de quib. Christus prædixit Matth. 24. *Surgent pseudo Prophetæ & pseudo Christi, & dabunt signa, & prodigia magna, ita vt in errorem ducantur si fieri potest, etiam electi.* Inter illos etiam veniet Antichristus. quia secundum Isidor. lib. 8. etymol. ideo Antichristus appellatur. quia contra Christum venturus est: contra Christũ etiam prædicabit, & sacramentis etiam eius aduersabitur. De eius aduentu prædicauit & prædixit Dominus, Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: veniet alius,* scilicet Antichristus, *in nomine suo, & illum accipietis.* Ecce pœna peccati. Vnde dicit Glossa; Iudæi, qui voluerunt recipere Christũ, recipient Antichristum; & qui noluerunt credere veritati, credent mendacio & falsitati. De aduentu etiam Antichristi dicit Methodius martyr de primis & nouissimis diebus. Venit, inquit, filius perditionis & putans se quasi sit Deus, & exaltabitur cornu eius nimis. *Et subdit.* Nascetur enim in Corozaim: nutrietur in Bethsaida, & regnabit in Capharnaum. Sed Gloss. 2. ad Thes. 2. dicit expresse, quod nascetur in Babylon. Et idem dicit Hieronym. super Act. 11. Antichristus nasciturus est de populo Iudæorum, & veniet de Babylon.

Antichristus

Duplex natiuitas Antichristi.

Solutio. Duplex est natiuitas: VNA in vtero, quæ nascetur in Corozaim, quia ibi concipietur, vt dicit Method. martyr. Cui existenti in carcere, reuelatas sunt prima & nouissima, vt dicit Magist. in lib. hist. ALIA est natiuitas ex vtero, quæ erit secund. Gloss & Hierony. in Babylone, scilicet Ægypti, non in Babylone destructa, vbi nullus in seculum habitabit.

Et dicit NOTANTER Hieron; quod nascetur de populo Iudæorum. Quia de tribu Dan ascendet, iuxta prophetiam Iacob. Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Hoc enim exponitur à multis de Antichristo, qui erit coluber in via, quia morsu pestiferæ prædicationis interfi-

cies

ciet sanctos, & cornu potestatis armabitur contra multos, qui ascenderunt culmen virtutum, & hos deiecit retro. Ideo dicitur *Cerastes in semita*. Cerastes enim dicitur serpens cornutus, vt dicit Gloss. ord. Et sequitur post hanc prophetiam Gen. 49. SALVTARE *tuum exspectabo domine:* quia post Antichristum Saluator exspectatus veniet ad iudicium. Nascetur autem de impudicissima adultera per operationem inimici, sicut Christus natus est de pura virgine per operationem Spiritus sancti, vt dicit Vincent. in spec. hist. lib. 32. c. 18.

Antichristi mater adultera.

C

Quod ipse more cęterorum hominum habebit à die conceptionis suæ angelum sui custodem, vsque ad annos discretionis: tunc extolletur super omne illud, quod est Deus, & angelorum præsidio eum penitus desertum, occupabit Diabolus, qui secundum voluntatem suam inclinabit eum ad malum, sicut possessor ad libitum suum trahit iumentum. Petrus Comestor dicit: quod à principio conceptionis illius diabolus in vterum matris descendet, cuius virtute deinceps aletur & nascetur adolescens. Sed primũ est verius. erit enim educatio eius occulta secundũ illud Dan. 11. *Educabitur occulte & repentè consurget.* Et hoc secundum Aug. ideo faciet, ne per humanam doctrinam, sed per diuina potentiam, illud quod faciet, operari videatur.

D

II.

SECVNDVM nuntium, quod præcedet aduentũ Antichristi, est finis regni Romanorum. Dicit enim Method. martyr in lib. de nouissimo die. Veniet Imperator Græcorum, & sedebit in Hierusalem septem annis: tunc Rex Romanorum & Græcorũ ascendent in Golgotha, in quo loco Dominus Crucis patibulum subire dignatus est: & tollet rex Romanorum de capite suo coronam super ceruicem suam, & expandet manus ad cœlum, tradetque spiritum suum Deo. Post veniet filius perditionis, in Hierusalemque ingredietur. Ex his verb. Methodij apparet, quod ante aduentum Antichristi regnum Romanorum & Græcorum vnum erunt, & terra sancta, quæ nunc calcatur à gentibus, à Christianis inhabitabitur. Quia dicit Rex Romanorum, qui & erit Græcorum & Christianorum, ibi septem annis habitabit. Ad idem dicit Ambros. super illud Apost. 2. Thes. 2. *Quoniam nisi venerit defectio primum.* Non, inquit, prius veniet dominus quam regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet sanctos reddita Romanis libertate sub suo tamen nomine. Et dicit NOTANTER, quod regni Romani defectio fiet. quia idem dicit super illud Dan. 7. vbi vidit Daniel quatuor bestias decem cornua habere, &c. Dicamus igitur, quod in consummatione mundi, quando Romanum imperium destruetur, venturi sunt decem reges, qui inter se Romanum diuident imperium.

Finis regni Romanorũ.

Et dictum fuit suprà, quod post hoc veniet Antichristus, quia tunc manifestè se ostendet & fideles decipere attentabit, sex modis scilicet.

Sextupliciter struet Antichristus fidelibus insidias.

Sapientia verborum.	*Simulatione virtutum.*
Testimonio scripturarum.	*Operatione miraculorum.*
Promissione diuinorum.	*Terrore persecutionum.*

PRIMO igitur tentabit decipere *sapientia verborum.* prædicabit enim in his locis, in quibus Christus prædicauit, & prædicabit persuadendo, quibus modis poterit, quod lex Christi sit praua, & nouam legem constituet, iuxta illud Psal. 9. *Constitue Domine, legislatorem super eos.*

E

SECVNDO *simulatione virtutum.* Ipse enim in principio sui regni simulabit castitatem. Vnde secundum illud Dan. 11. (secundũ translationem nostram) *concupiscẽtijs*

fœminarum non subiacebit. quod principaliter Hieron. refert ad Antichristum. In regno tamen sublimatus & reputatus vt Deus, talia nefanda non reputabit vitia, sed magis naturæ remedia. Dicit enim Gloss. super illud Deut. 33. *Fuet Dan largiter ex Basan*, quod Antichristus satiabitur pinguedine luxuriæ, quod intelligitur in occulto. Et sic in principio castitatem simulabit in aperto, pinguedine tamen luxuriæ satiabitur in occulto. Potest sic etiam intelligi, quod concubitu mulierum non subiacebit, quia Sodomiticus erit, & tales homines concupiscentijs mulieris non subiacent, vt non vexentur; sed turpibus immunditijs satiantur. ipse enim non solum simulabit castitatem; sed etiam erga subditos benignitatem. In principio sui dominij benignus apparebit, diem sabbathi faciens obseruari; postea autem venenum suæ iniquitatis diffundet, vt dicit Damascenus lib. 4. cap. penult. In principio regni sui simulabit iustitiam, cum autem dominator factus fuerit, persequetur Ecclesiam, & manifestabit omnem iniquitatem suam.

Antichristus simulabit castitatem.

Benignitatē.

TERTIO, tentabit seducere *testimonio Scripturarum*, quas ad suum errorem exponet, simulans se bonum esse, & zelum animarum habere. Idcirco cauebit prædicando, & prædicatores suos in omnes partes mundi mittendo, ne scriptura à Catholicis Doctoribus rectè & debitè exponatur, aut ne eius errores extirpentur.

Mittet prædicatores in mundum.

QVARTO *operatione miraculorum*. Dicit enim Methodius martyr de nouissimis diebus, quod faciet signa multa super terram, vt cœci videant, claudi ambulent, surdi audiant, mortui quasi resurgant. Ipse enim simulabit se mortuum, & per triduum latens post apparebit dicens se resuscitatum, vt dicit Gloss. super Apocal. 13. *Vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem; & plaga mortis eius curata est.* Ipse enim arte magica ascendet in aëra, ferentibus eum dæmonibus, & sic curabitur plaga eius. Quia qui prius mortuus credebatur, postea viuus reputabitur, vt dicit alia Glossa. Faciet & ignem, id est, spiritum malignum super suos descendere, vt loquantur varijs linguis, vt dicit Gloss. Apocal. 13 *Et faciet signa, etiam vt ignem de cœlo mittat in conspectu hominum.* Sed illa signa sunt mendacia propter hoc quia finaliter tendunt ad mendacium, scilicet ad deceptionem hominum, iuxta illud Apocal. 13. *Et seducet habitatores in terra propter signa, quæ data sunt illi.* Vel dicuntur mendacia; quia aliqua erunt falsa, secundum Augustinum lib. 20. de ciuit. DEI cap. 19. Nam simulabit, se & aliquos alios suscitare à morte, & hoc non erit secundum veritatem. Aliqua tamen faciet signa, vt ignem de cœlo cadere secundum veritatem. Apocal. 13. Ille erit verus ignis, sicut qui combussit oues & pecora. Iob. 1. Et sicut Magi Pharaonis fecerunt veros serpentes, vt dicit Augustin. lib. 3. cap. 4. Et veras ranas, & hoc arte magica & ministerio dæmonum. Quia sciunt naturas rerum & semina, ex quibus possunt, citò serpentes fieri, vel ranæ, & illico comportabunt applicantes actiua passiuis, & sic generabuntur serpentes & ranæ, vt habetur Exod. 7. & 8. ita possunt facere arbores, & herbas florere & arescere.

Simulabit se mortuū.

Arte magica feretur in aëre.

Faciet ignē de cœlo cadere.

Non est tamen putandum, quod dœmones, vel Antichristus possent, vel posset naturales rerum formas propria virtute inducere, sed benè aliena virtute inducit formam serpentis, vel ranæ in materiam per hoc, scilicet applicando res seminales ad inuicem: ex quarum actione ad inuicem inducitur forma serpentis. Qui voluerit latius de hac materia loqui, videat Magistrum. 2. sent. dist. 7. & sic de alijs. Et NOTA, quod Antichristus non faciet signa propriè dicta, sed largo & cōmuni modo dicta.

dicta. quia faciet aliqua miracula in conspectu hominum, scilicet talia, quæ excedunt humanæ naturæ facultatem seu conditionem: vt est descensio ignis è sublimi, & consimilia. Antichristus non faciet signa propriè dicta.

Sed diceres. Quomodo discernuntur vera miracula à falsis? *Respondetur* per tria. Vnde licet quandoque conueniant in materia, differunt tamen ex parte principalis agentis, ministri, & finis. Ex parte *principalis agentis*, quia in veris miraculis, & propriè dictis, operatur agens potentiæ infinitæ, & supra naturam. In miraculis verò dæmonum operatur virtus naturæ creata adiuta multipliciter per alias naturas. Ex parte *ministri*. Nam secundum Augustinum in lib. 83. quæstionum, miracula vera fiunt, vel à bonis Christianis per publicam iustitiam, vel à malis Christianis per signa publicæ iustitiæ: Sed magi & Antichristus facient miracula, quia adiuuantur à dæmonibus, cum quibus fiunt præfati contractus. quia adiuuant eos coniungendo res naturales. Ex parte *finis*, quia miracula Dei fiunt ad vtilitatem Ecclesiæ, & ad gloriam Dei, sed dæmonum, aut magorum miracula fiunt ad deceptionem, vanam gloriam, & ad ostensionem propriæ excellentiæ. Quomodo miracula vera à falsis discernẽda. 1. 2. 3.

Sed dicat aliquis; cur Deus permittit dæmones, aut dæmonum seruitores facere talia? *Respondet* B. Aug. lib. 3. de ciu. Dei cap. 4. quod propter tria: *Primo*, vt fallantur fallaces. *Secundo* vt boni exerceantur. *Tertio*, vt boni ad alia non aspirent. Quare Deus permittat dæmones facere miracula.

QVINTO, *per munera* tentabit Antichristus seducere, quæ etiam excæcant oculos iustorum, Exod. 23. Deuter. 16. Nam diabolus ostendet ei thesauros occultos. *Et ipse dominabitur thesaurorum auri & argenti, & omnibus pretiosis Ægypti*, vt dicitur Danie 11. vt partim per pœnam, partim per diuitias suæ subdantur dominationi vniuersa, sicut expressè dicit Hieronymus super Danielem vbi suprà. Dabit suis potestatem in multis, & terram diuidet gratuite, sic inquiens: Antichristus quoque deceptis munera largietur, & terram exercitui condiuidet. quosque errore superare nequiuerit, auaritia subiugabit. Muneribus decipiet multos.

SEXTO, *terrore persecutionum*. Ipse enim ingeret se terrenæ potestati: sicut enim Christus fugit temporale regnum huius mundi, quod probat Hieronymus, exponens illud Daniel. 11. *Ingrediens ad vrbes vberes, & faciet, quod non fecerunt patres eius:* vbi Gloss. Dicit Hieronymus. Nullus Iudæorum regnabit vnquam in toto orbe præter ipsum. Et erit imperium eius maius, quàm ante vnquam erat Romanum imperium, dicente Gregorio 13. moralium: Huius bestiæ cornu, scilicet Antichristi, paruulum oritur, quia purus homo; sed immaniter crescet: quia ad coniunctam sibi vim fortitudinis proficiet. Idem patet Danie. 7. vbi Daniel vidit, quod cornu ortum inter decem cornua bestiæ, erat paruulum, *& habebat oculos ante & retro, & os loquens grandia*, quod exponit Augustinus dicens: Porrò decem cornua ipsius regni, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus. quia ipse erit monarcha orbis, affligetque per prœlia tria cornua: regnum scilicet Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ, Quibus confractis, cetera septem cornua Imperij Romani, faciliter suæ iurisdictioni submittentur. vt dicit Gloss. super Daniel. 11. super illo verbo. *Et concitabit, &c.* Vrbem, inquit, & regem Ægypti primum superabit, qui nunc est vnum de tribus cornibus. Idem dicit Hieronymus super Apocal. Igitur regnum Ægyptiorum veniet in regnum, siue in terram gloriosam, & transiens per Libyam, Africam, Æthiopiam, ista duo regna sibi subiungabit, vt dicit Hiero- F Monarcha erit totius orbis.

ronymus super Daniel. 11. Postea veniet in Iudæam, & multæ vrbes, & prouinciæ se daturæ sunt in eius manus, vt dicitur ibidem.

Ex his dictis breuiter elicio, quod magna erit persecutio Antichristi. Quia dicit Aristoteles. 1. Poli. Sæuissima est iniustitia habens cornua. Et quia ipse erit iniustissimus, & armabitur multis gentibus, concluditur, quòd in sua persecutione erit sæuissimus. Dicit enim Methodius martyr in exitu decem tribuum; Cum fuerit pax, tunc reserabuntur portæ Caspiæ in latere Aquilonis, & gentes istæ, Gog & Magog venient, & concutietur omnis terra præ timore eorum; & expauescent omnes homines, qui habitant super faciem vniuersæ terræ, & abscondent se in montibus & speluncis à conspectu eorum. Hi sunt ex progenie Iaphet? & exeuntes transibunt à facie Aquilonis. Carnes hominum comedent, & serpentes, & iumenta, mulieres cum paruulis suis manducabunt, & illos nullus poterit expugnare. Ideò dixit Dan. cap. 7. *Veniet tempus quale non fuit à tempore, ex quo homines esse cœperunt.* Et Christus Matth. 24. *Erit tunc,* scilicet tempore Antichristi, *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet; & nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos abbreuiabuntur dies illi.*

G

Aduentus Enoch & Heliæ.

TERTIVM nuntium, quod præcedet Christi aduentum, est aduentus Enoch & Heliæ, qui venient in redargutionem iniquitatis Antichristi. De hoc Malach. 4. *Ecce ego Dominus mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domini magnus & horribilis.* Et Methodius martyr versus finem sui libri. Post hæc, inquit, mittet Dominus duos famulos sincerissimos Enoch & Eliam, qui in eius testimonium reseruati fuerant, ad arguendum ipsum inimicum. Hæc ille. Prædicatio enim eorum erit valde efficax, vt si quis voluerit nocere eis, ignis exibit de ore ipsorum. id est, ad verbum ipsorum. *Ignis descendet de cœlo, & deuorabit inimicos eorum* Apoc. 11. Et hoc dabitur eis ad terrorem Antichristi & suorum, ne in eos audeant manum immittere, nec prædicationem impedire.

Elias & Enoch quamdiu prædicabunt.

Sed dicat aliquis. Quamdiu durabit prædicatio eorum: Prædicabunt inquam, vt habetur Apoc. 11. *mille ducentis quadraginta diebus.* Persecutio autem Antichristi durabit, mille ducentis & nonaginta diebus. Ex quo habetur, quod prædicatio eorum minus triginta diebus durabit persecutione Antichristi. Et dicit Methodius martyr quod, Antichristus repletus furore iubebit sanctos Dei interfici, & qui eis erunt credituri. Et dicit, quod ex omni tribu Israël erunt interfecti pro Christo centum quadraginta quatuor millia his diebus. Ioan. autem in Apoc. 11. exprimit locum passionis Enoch & Eliæ, cum dicit: *Corpora eorum iacebunt in platea ciuitatis magnæ, quæ spiritualiter vocatur Sodoma.* Gloss. propter vitiorum vilitatem, *& Ægyptus,* scil. propter erroris tenebrositatem, *vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Sed quamdiu iacebunt? Dicit, quod tribus diebus & dimidio. Gloss. vt quicunque viderint eos, timeant illis conformari: sed *post illos tres dies & dimidium spiritus vitæ reintrabit in eos, & stabunt suprà pedes suos.* Gloss. tanquam immortales & impassibiles. *Et vox de cœlo ad eos. Ascendite huc, & ascendent in nube in cœlum videntibus inimicis.*

Antichristi interfectio.

Post interfectionem Enoch & Eliæ, & ascensionem eorum in cœlum Antichristus immensa superbia elatus, in montem Oliueti quasi verus Deus ascendet, ibique figet tabernaculum solij sui, in quo sedens quasi Deus faciet se adorari *Dominus autem IESVS interficiet eum spiritu oris sui.* Et Gloss. dicit ibidem, quod occidetur à Micha-

cha-

chaële Archangelo, & pars maxima suorum. Illa autem controuersia sic soluitur: quia occidetur à Christo imperatiuè, à Michaële executiuè. Nam vt dicit Ambros. quo sedente super solium in vertice montis Oliueti, apparebit Christus cum magno lumine in aëre voce clara dicens: Occidatur Antichristus, & quod fuit præceptum à Christo, implebitur ministerio angelico.

Quid fiet post mortē Antichristi.

Sed dices. Quid fiet post mortem Antichristi? Ad hoc *respondetur*, quod post mortem eius alia tribulatio non succedet secundum Prophetiam Nahum. 1. *Non consurget duplex tribulatio.* Sed vt dicitur. Erunt quadraginta quinque dies bonis ad pœnitentiam agendam, & tunc Iudæi conuertentur ad fidem, videntes se deceptos. Ideo dicitur Dan. 12. Beatus qui expectat & peruenit ad dies mille trecentos, triginta quinque. Nam ante hoc dixit quantitatem temporis, per quod Antichristus regnabit, & se exhibebit ad adorandum dicens: tunc erunt dies mille ducenti nonaginta, hoc est, tres anni & dimidius: quibus si addideris quadraginta quinque, fient dies mille trecenti triginta quinque.

Nec tamen est putandum, quod omnes homines conuertentur. Dicit enim Glos. super illud 1. ad Thes. vlt Ministri Antichristi gaudebunt illis diebus vxores ducentes, & conuiuia celebrantes, & ioca diuersi generis exercentes, & dicentes: Licet princeps noster mortuus sit, modo habemus pacem & securitatem: Et cum talia dixerint, superueniet eis interitus ita grauis & subitus, sicut est mulieris prolem generantis, & non effugientis. Ad idem sonat textus ibidem; *Cum dixerint pax & securitas, &c.*

Nec est putandum, quod statim post finem illorum quadraginta quinque dierum erit finis mundi, & quod Dominus ad iudicium veniet. Quia dicit Saluator Matth. 24. *De die illa nemo scit, neque Angeli cœlorum*: ideo quando Dominus venturus sit, penitus ignoratur. Tenent tamen sancti Doctores communiter, quod inter finem Antichristi & finale iudicium, breue tempus debet mediari.

Signa aduentum Christi præcedentia.

QVARTVM nuntium præcedens Christi aduentum est *apparentia signorum*, quorum sunt quindecim: sicut dicit se inuenisse B. Hieron. in Hebræorum annalibus. *Prima* die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. *Secunda* die tantum descendet, quod vix videre possit. *Tertia* die belluæ marinæ apparebunt super mare, & dabunt mugitus vsque ad cœlum. *Quarta* die mare, & aquæ ardebunt. *Quinta* die herbæ & arbores dabunt rorē sanguineum. *Sexta* die ruent omnia ædificia. *Septima* die petræ ad inuicem collidentur. *Octaua* die erit vniuersalis terræmotus. *Nona* die econtra terra æquabitur. *Decima* die exibunt homines de cauernis, & ibunt velut amentes, & mutuo non poterunt loqui. *Vndecima* die surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra. *Duodecima* die cadent stellæ. *Tredecima* morientur homines viuentes, & cum mortuis resurgent. *Decima quarta* die ardebit cœlum & terra, id est, superficies terræ & aëris. *Decima quinta* die fiet nouum cœlum & noua terra, & surgent omnes in generali resurrectione. Tunc, vt dicit Euangelium, *Videbunt filium hominis; &c.* vbi tangit iudicis irati aspectum quo malos terrebit.

Aduentus Christi ad iudicium horribilis.

Vbi NOTA aduentus filij hominis ad iudicium erit horribilis propter tria scilicet.

Horrorem peccatorum.
Tremorem Angelorum.
Dolorem damnatorum.

I. Propter horrorem peccatorum.

PRIMO enim aspectus iudicis erit malis terribilis propter horrorem peccatorum. Sicut enim fur vel raptor, videns iudicem venientem ad se puniendum; vel condemnandum, vtique habet horrorem, sciens se reum & culpabilem: sic & peccatores terrebuntur. Quia Christus iudex viuorum & mortuorum veniet ad confusionem & punitionem eorum. Quod figuratum est Gen. 3. quod *Adam post peccatum audiuit Dominum deambulantem in Paradiso ad auram post meridiem abscondit se. Erat enim nudus. Cui Dominus: Adam*, inquit, *vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in Paradiso: & timui eo, quod nudus essem, & abscondi me.* Et sequitur: quod *emisit Dominus Adam de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram. Eiecitq; Adam: & collocauit ante Paradisum Cherubin, & flammeum gladium* ne pateret ingressus.

MYSTICE Adam excusans se, est peccator quærens excusationem in peccatis. Sed ibi non erit locus excusationis. Dicit enim B. Augustin. serm. 4. de aduentu Christi ad iudicium. Si dicerent peccatores, Prophetas non misisti: legem non dedisti: Patriarchas non vidimus: sanctorum exempla non legimus: Christus in terra non fuit: nunquam Petrus aut Paulus prædicauit: Euangelistæ aut Martyres non fuerunt, quorum exempla sequeremur: futurum iudicium nemo prædixit: vestire nudum nemo mandauit: resistere libidini nemo præcepit: respuere auaritiam nemo persuasit: ignorantia peccauimus: Meremur igitur veniam in his, quæ gessimus nescientes. Sed hæc dicere non valebunt. quia si opus erit, quod tamen non erit, surget primus Noë iustus & proclamabit: Ego Domine, propter peccata eorum, ne perirent, diluuium prædicaui; vt isti agnoscerent, quæ esset innocentibus salus, & quæ pœna peccantibus. Post hunc veniet Abraham & dicet: Ego pater gentium, cuius exempla sequentes electi sunt. Ego filium meum Isaac, Domine immolaui tibi, vt isti agnoscerent nihil sibi pro te Domine, seruare. Ego te Domine iubente terram meam, & cognationem deserui, vt esset eis exemplum sua peccata deserendi. Hunc Moyses subsequetur dicens: Ego dixi; Non adulterabis, vt licentiam fornicationis tollerem. Ego dixi; Dilliges proximum tuum, vt charitas abundaret. Ego dixi; Soli Deo seruies, ne idolis imolarent. Post hunc veniet Dauid, & dicet: Ego cum rex essem præditus potestate, cilicio tectus, & cinere subiectus oraui, vt istis mansuetudinis & humilitatis exemplum darem. Post hos Esaias dicet: Ego Domine per os meum eos præmonui. ergo peccantibus iram venire testatus sum, vt istos a malis suis, si non spes præmiorum, vel suppliciorum formido repelleret. Post hunc dicit Christus: Ego vobis regna cœlorum promisi; ego etiam, vt malorum vestrorum pœnitentiam ageretis in exemplum latronem, qui sub vnius horæ momento in suo fine confessus est, in Paradiso locaui. ego in Petro Iudæos admonui: Ego in Paulo gentibus prædicaui. quid vos iuuat, quod me labijs honoratis, si factis & operibus negatis? Tunc illis miseris se excusare non valentibus dicetur: Ite in tenebras exteriores. Hæc Augustinus. tunc ponentur quinque, quæ erunt, quod se excusare non poterunt.

Iniquitatum denudatio.
Excessuum increpatio.

Pecca-

Peccatorum separatio.
Sententia probatio.
Paradisi obseratio.

PRIMVM. in quantum est iniquitatum denudatio. Experientia enim videmus, quod arbores tempore veris florent, & tempore æstatis fructus habent: veniente autem hyeme folijs & fructibus denudantur, & sic quæ prius pulchræ videbantur ex ornatu foliorum, distortæ apparent & indispositæ in casu eorum. Quid per arbores nisi homines designantur? qui licet hic florent in mundi delitijs, & eius vanitate ferentes fructus peccatorum, in hyeme futuri iudicij apparent distorti, cum ibidem nudatur peccatum eorum. sicut Prophetauit Isaias; *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum*, Isa. 47. & Ezech. 16. dicit Dominus: *Nudabo ignominiam tuam coram eis*, scilicet Angelis, & omnibus electis, *& videbunt omnem turpitudinem tuam.* Et infrà. *Nudabunt te*, scilicet dœmones, *vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam plenamq; ignominia.* Et Iob. 20. *Reuelabunt*, inquit, *cæli iniquitatem eius*, scilicet peccatoris. Gloss. quia in futuro iudicio virtute Dei omnia peccata reuelabuntur. K Cur iudicandi excusare se non poterunt.

SECVNDVM est excessuum increpatio, iuxta illud Iudæ in Canonica Epistola sua. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes impios de omnibus operib. iniquitatis, & impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra dominum peccatores impij. Primum* tangitur ibi: *dixit Adam: Timui, eo quod nudus essem. Secundum* ibi innuitur, quod dixit Dominus Adæ: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno de quo præcepi tibi, ne comederes. Maledicta terra in opere tuo.* Quid per vxorem nisi sensualitas? cuius vocẽ audit peccator, cum peccatum facit, ideo in extremo iudicio merito arguitur & maledicitur. *Tertium* est malorum aut peccatorum à bonis separatio, Matth. 25. *Congregabuntur ad eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem; sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dexteris suis, hædos autem à sinistris.* Et hoc notatur ibi: *Emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis. Quartum* est, sententiæ prolatio. cum dicet Iudex Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui preparatus est Sathanæ & Angelis eius.* Et significatur in hoc, vt dicit Gloss. quoniam emisit eum Dominus tanquam excommunicatum. *Quintum* est paradisi cœlestis obseratio, vel clausio. Quia dicitur Lucæ 15. *quod Chaos magnum est firmatum inter bonos & malos*: quod exponit Magister in lib. 4. sentent. dist. vlt dicens; Quid est illud Chaos, nisi hinc iustitia, & inde iniquitas, quæ nullatenus sociari possunt. & hoc signatur in hoc, quod *locauit ante paradisum Cherubin, &c.* Super quo dicit Gregorius in homilia. In extremo iudicij die, cum apertis cœlis, ministrantibus Angelis, considentibus Apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apparebit, omnes eum electi pariter & reprobi videbunt, vt iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti de vltione supplicij in perpetuum gemant. I. II. III. IV. V.

SECVNDO aduentus Christi ad iudicium erit terribilis propter tremorem angelorum. Vnde Aug. serm. 1. de Pentec. dicit: Sicut ingrediente rege in ciuitatem præcedit exercitus, præferens humeris signa & vexilla regalia, quæ annunciant regis introitum; ita veniente rege Domino nostro præcedet exercitus Angelorum, qui triumphale crucis vexillum præferens, diuinum regis cœlestis iudicium nunciabit L II. Aduentus Christi horribilis erit. Propter An-

gelorum tremorem. *Tunc commouebuntur virtutes cœlorum:* quia tam terribile erit iudicium, vt etiam ab Angelis timeatur. Omnis enim natura humani generis incipiet iudicari; & astare terribili iudici; & sicut principe iudicante, non solum rei, sed etiam officiales, qui nihil sibi conscij sunt, timore & tremore comprehenduntur, propter iudicis terrorem; ita tunc cum genus humanum iudicabitur, etiam cœlestes ministri pauebunt, & terribili apparatu iudicem intuentes horrenda formidine contremiscent. Hæc August. Sed hic tremor reuerentialis erit, sicut Iob 26. *Columnæ cœli contremiscent.* Super quo dicit Beda: Quid facient tabulæ, quando trement columnæ? Quid virgula deserti patietur, quando cedrus paradisi concutitur.

M III. Propter dānatorum dolorem. TERTIO propter dolorem peccatorum damnandorum. Habebunt enim magnum dolorem, quod debent in iudicio apparere, & edacem flammam æternaliter sustinere. *De primo* dicit B. Hieronymus in Epistolis: Mallent reprobi & damnandi in æterna spontè pœnalitate persistere, dummodo non deberent denuo in iudicio apparere. De *Secundo* dicit B. Gregorius 19. moralium. Tunc edax flamma comburet, quos nunc delectatio carnalis polluit: tunc infinitum baratrum deuorat inferni, quos inanis gloria nunc exaltat.

Quantum ad secundum, tangitur in verbis præmissis Saluatoris aspectus, quo bonos mulcebit dicens Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me:* & sic de alijs. O quantum gaudium habebunt tunc electi, cum illud audient. Est enim verbum dulce super omnia lætificans corda electorum. O verbum omni suauitate plenum. Magis hoc vnicum verbum iucundissimum & amœnum auditum lætificabit vniuscuiusque sancti & electi, quàm hic, si possibile esset, darentur sibi mille mundi. O quam fœlix tunc erit, qui hoc audire meruerit. Verè fœlix & beatus, qui audire paratus est. Deberet enim quiuis domi omnia delectamenta & gaudia contemnere, & mille millia hic pati supplicia malorum, vt tantummodo à benigno iudice audire mereretur; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum, &c.*

DE EADEM DOMINICA.

Sermo secundus.

Venturus est iudicare viuos & mortuos. ita dicit Thomas in Symbolo Apostolorum.

QVando reges terræ volunt accedere ad aliquam ciuitatem, præmittunt nuntios, qui ferunt signa regalis aduētus, & talia signa applicant apertè in hostijs domorum, vbi reges suum voluerint habere hospitium, vt quilibet videns hoc signum non dubitet de aduentu, sed timeat, si reus est; vel gaudeat, si bonus est ad eius aduentum. Sic Christus rex cœlorum, qui venturus est in hunc mundum velut in suam ciuitatem ad extremum iudicium faciendum, præmittit signa regalia, vt nemo de suo aduentu dubitare videatur.

Pr-

PRIMVM enim signum, erunt inimicitiæ populorum & regum. De hoc dicitur Matth. 24. & Lucæ. 21. *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.* N I.

SECVNDVM signum, erunt commotiones locorum. de hoc dicitur Matth. & Luc. vbi supra. *Terræmotus per loca erunt.* Signa propinquiora Aduentus Christi.

TERTIVM signum erunt infectiones morborum, vt pestilentiæ, & fames. II.

QVARTVM, erunt impressiones terribiles de cœlo, vt tonitrua, fulgura, grandines, & similia. De hoc dicitur. Luc. 21. *Terroresq; de cœlo, & signa magna erunt.* III.

QVINTVM, erunt tyrannicæ persecutiones. de hoc Matth. 24. *Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*, & Luc. 21. *Iniicient vobis manus. quia trademini à parentibus, & fratribus, & amicis, & cognatis, & morte afficient ex vobis.* IV. V.

SEXTO quod *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen*, eo quod recipit lumen à sole, qui caloris sanguinei apparebit, Apocal. 5. Ideo dicitur Luc. 21. *Erunt signa in sole & luna, & stellis*; quia materiæ superius in aëre inflammabuntur, & accensæ descendent, & sic apparebit simplicibus stellas de cœlo cadere. Vel ideo erunt signa in stellis, quia homines docti, qui velut stellæ deberent scientia & vita lucere, secundum illud, Dan. 12. qui *ad iustitiam erudiunt multos* quasi stellæ in perpetuas æternitates, cadent, id est, trahentur in errorem Antichristi. Sicut dixit Ioannes Apocal. 12. de Dracone scilicet Antichristo, *quod cauda sua traxit tertiam partem stellarum cœli, & misit eam in terram.* VI.

SEPTIMVM signum erit crucis Christi apparitio, iuxta illud Matth. 24. *Tunc apparebit signum filij hominis.* super quo dicit Cassiodorus in homilia 75. Christus apparebit, iustitiam magnam habens, scilicet crucem: & hæc crux radijs solis erit lucidior. Nec signum crucis in iudicio materialiter apparebit, sed bene signum crucis. Et sic patet, quod Christus venientibus signis, venturus est ad iudicandum, vt volunt verba prælibata. *Venturus est iudicare viuos & mortuos.* in quibus verbis tria innuuntur: VII.

Iudicij ineuitabilitas. Latendi impossibilitas.

Iudicandorum vniuersitas. *ibi. Venturus iudicare viuos & mortuos.* Pro quo NOTANDVM. iudicium finale Christi in aliquo simile futurum hominum iudiciali sententiæ. Vnde secundum Azonem, vt habetur Extra. de verborum sign. c. Socrus. Iudicium est actus legitimus trium personarum: iudicis, actoris, & rei. Si autem factum negetur, quarta persona, scilicet testis inducitur vt patet 4. q 4. c. 1. & illi testes debent esse præsentes, & de his, quæ nouerunt & viderunt, ferre testimonium, vt patet. 3. q. 9. cap. Testes. Et hoc secundum Gloss. intelligitur de causa criminali, in qua testes semper erunt præsentes; & nomine testium etiam intelliguntur instrumenta & argumenta. Sic ad propositum in finali iudicio iudex erit Christus, arbor Diabolus, & rei peccatores, testes Angeli & conscientia, argumenta præsentia peccata. Testiũ nomine quid intelligendum.

Et est NOTANDVM. Iudex secularis & Ecclesiasticus, antequam veniat ad iudiciũ, præmittit. PRIMO ad citandos reos vnum nuntiũ. Semper enim debet iudex citare reum, quæcunq; sit causa, vt probatur Extra. de appell. c. Protinus. Et Extra de const. c. Ecclesiæ sanctæ Mariæ. & extra. de maio. & obe. c. Inter quatuor. sic Christus faciet. quia *Deus Pater dedit ei iudicium*, Ioan. 5. antequam veniet ad iudicium, O Processus iudicij futuri. I. Rei citãtur.

præmittet citationem dicens secundum Hieronymum super Matth. *Surgite mortui, venite ad iudicium.* De hac voce dicit Dauid Psal 64. *Dedit voci suæ vocem virtutis.* Hæc vox dicitur tuba per Apostolum. 1. ad Thes. 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo*, scilicet ad suscitandum mortuos, super quo dicit Nicol. de Lyra. Ista tuba non est aliud nisi vox prædicta, scilicet, Surgite mortui: quæ tuba dicitur propter similitudinem tubæ veteris testamenti; qua fiebat vocatio ad consilium, præparatio ad bellum,& inuitatio ad festum. quia in extremo iudicio omnes congregabuntur ad iudicium & armabitur creatura in vltionem inimicorum, & inuitabuntur iusti ad festum Angelorum. Hæc Lyra.

Sed si quæritur, cuius vel qualis erit vox illa? *Respondet* Magist. lib. 4. sententiarum dicens 43. distin. Apostolus dicit: quod erit Archangeli,imo ipsius Christi, qui est princeps Angelorum. vel erit vox alicuius vel plurimorum Angelorum. Hæc vox diuina multum est timenda, quia erit vox valde fortis & terribilis. Hanc timui B. Hieronymus qui dicit super Matth. Quoties diem vllum considero, toties toto corde contremisco. Siue enim comedo, siue bibo, siue quid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis in auribus meis sonare, Surgite mortui, venite ad iudicium. Ecce citatio primo præcedet iudicium.

P

II. Citati comparent contra iudice.

SECVNDO oportet, vt citati ad iudicium in foro huius mundi coram iudice compareant,ne contumaces fiant. sic etiam ad hanc vocem citationis habent omnes homines resurgere, & in iudicio Dei comparere, iuxta illud Magistri libr. 4. dist. 63. Causa, inquit, resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur: & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent. Ideo dicit Dominus Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Sed dicat aliquis; Videtur quod non omnes resurgent in iudicio. quia dicitur Psal. 1. *Non resurgent impij in iudicio.* Et iterum Iob. 14. *Homo cum dormierit, non resurget.* Ad hoc *responde*, quod omnes tam boni. quàm mali resurgent in iudicio, secundum illud 1. ad Cor. 15. *Omnes nos*, inquit *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque mercedem prout gessit in corpore siue bonum, siue malum.* Apocal. 20. *Mare dedit mortuos suos.* secundum Gloss. Mare ibi infernum nominat. Et subdit: *Et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Et ad Psalmum dicitur, quod impij in iudicio dicuntur non resurgere, vt iudicentur iudicio redemptionis seu saluationis. Vel dicuntur non resurgere ad sui exaltationem, sed ad sui depressionem. quia proijcientur in foueam æternæ damnationis. Vel ideo non dicuntur resurgere in iudicio, vt iudicent sicuti sancti, Matth. 19. Et hoc innuit Psal. cum subdit: *Neq; peccatores in consilio iustorum.*

Obiectio.

Ad *primam* auctoritatem Iob dicitur, quod non negat resurrectionem, sed addit: *Donec atteratur cælum.* &c. vt notetur, quod vtrumque fiet. Sed dices: Nunquid citatis deputabitur locus? Ad hoc *responde*, quod locus expressus est iam in propheta Iohelis 3. videlicet Vallis Iosaphat. quæ est circa montem Oliueti; de qua dicitur. *Adducam omnes gentes in vallem Iosaphat, & ibi disceptabo cum eis.* Non tamen putandum est, quod Christus ad vallem descendet, & quod omnes iudicandos vallis illa recipiet: sed Christus erit in aere, in loco eminenti, vt ab omnibus possit videri, & circa

circa eum erunt Sancti circumquaque: & mali erunt in terra vndique, circa locum iudicij. & hoc dicit Magister lib. 4. dist. 47. Boni congregabuntur de quatuor partibus orbis angelico ministerio, quo & rapientur obuiam Christo in aera, reprobis in terra, quam dilexerant, remanentibus.

Sed dicat aliquis, in qua forma venturus est? *Respondetur* quod in forma humana & gloriosa, & in illa apparebit omnibus tam bonis quàm malis, iuxta illud Apoc. 1. *Ecce cum nubibus veniet, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Idem dicit Magister lib. 4. dist. 48 In forma humana iudicabit, qui omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali, quem pupugerunt: diuinitatem vero eius mali non videbunt. Vnde Isaiæ 26. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Humanitatem videbunt, vt timeant: diuinitatem verò non, ne gaudeant. Diuinitas enim sine gaudio videri non potest. Hæc Magister. Ex his patet, quod venturus est in forma humana glorificata, in qua secundum Augustinum: Videbitur tam à bonis quam à malis. sed in eadem forma apparebit bonis mitis, & malis iratus & terribilis. Et ira hæc ipsius. Q In qua forma Christus venturus sit. Ira Dei quomodo appareat.

1. PRIMO apparet secundum similitudinem in ardore solis. hic quamdiu nube tegitur, non sentitur, sed cum discooperitur, quanti sit ardoris, ostenditur. Sic Christus quamdiu est sub nube misericordiæ, ardor eius iræ non sentitur. nunc enim pronior semper est parcere quā iracundè percutere. Ideo dicit Gregor. in collecta quadam; *Deus, cuius est proprium misereri semper & parcere.* Cum autem discooperitur femur suæ iræ in iudicij fine, tunc quantæ sit iustitiæ & potentiæ apparebit, iuxta illud Psal. *Commouebitur dominus iudicia faciens.*

2. SECVNDO apparet eius ira in iride. Aderit enim signum iridis solis & lunæ. Nam arcus solis apparet in signum clementiæ diuinæ, Gen. 9. quia ibi est color mixtus ex aqua & igne. Et est signum, quod neque per aquam, neque per ignem nunc perdet mundum. Arcus enim lunæ significat secundum Philosophos tempestatem longā, rarissimeque apparet. Quia dicit Aristoteles quod in quinque annis apparet nobis: & assimilatur ei ira diuina in futuro iudicio. Iam enim ostendit arcum solis, scilicet diuinæ clementiæ, quia *benignus & misericors est, & præstabilis super malitia,* Iohelis 2. In fine autem arcum solis apparere non sinet, quia dicit Beda & quidam alij Doctores Catholici, quod quadraginta annis ante diem iudicij arcus solis non apparebit, in signum illius, vt ostendat suam diuinam misericordiam amotam à mundo. & ideo dicit Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Arcus solis, diuina clementia.

Vlterius dicat aliquis: Quando veniet ad iudicium? cum quibus veniet? *Respondetur*, quod de hora aduentus eius nunc non est notum alicui homini, Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Imò nec est notum Angelis Matth. 24. *De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum.* Imò dicitur Marci 13. *Neque filius hominis scit.* & hoc intellige secundum Gloss. ad reuelandum. scit autem in se. tunc autem scietur hora illa, quando vox citans ad iudicium audietur. de qua suprà. Illud autem, quod dicitur Matth. 25. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exite obuiam ei* vt ait Augustinus. Non pro hora temporis accipitur, sed quia tunc veniet, cum non speratur, media autem nocte, cum valde obscurum erit, id est, occultum, veniet. *Dies enim Domini sicut fur. ita in nocte veniet.* 1. ad Thess. 5. Et 2. Petri 3. *Adueniet autem dies Domini sicut fur.* id est, repente & improuiso. Et dicitur NOTANTER, adueniet dies Domini, quia tunc in omnibus R Quando cum qui veniet.

fiet sua voluntas, id est, in punitione malorum, in præmiatione bonorum & iustorum, vt dicit Gloss. Nicol. de Lyra. Ad *secundum* autem cum quærebatur, cum quibus veniet? *Dicendum*, quod cum omnibus sanctis & Angelis eius, qui tunc erunt in cœlo. Iuxta illud Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis sue.* super quo dicit Augustinus in lib. de verbis Domini. Sedebit, inquit, Iudex, qui stetit sub iudice. damnabit veros reos, qui factus est falsè reus.

III. Citatio & cōparitio reorum. TERTIO igitur facta citatione & reorum comparitione, veniet Dominus eo modo, quo dictum est ad iudicium cum magna gloria & virtute. De quo dicit Magister libro quarto, dist. 48. Veniente Domino ad iudicium in fortitudine & potestate magna, sol & luna dicuntur obscurari, non secundum luminis priuationem, sed superueniente maioris luminis claritate. Ante verò diem iudicij, sol & luna eclipsin patientur. Sicut Ioël testatur cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras; & luna in sanguinem, antequam veniet dies domini magnus & horribilis.* Magnus dicitur, propter magna, quæ fient ibi. Hæc Magister. Et NOTANTER dicit propheta, *dies domini.* Ex quo habetur quod iudicium domini fiet in die, & non in nocte. quia cum Dominus iudicabit, tunc sol in Oriente & luna in Occidente stabunt. Ad idem sonat Apostolus 1. ad Cor. 4. *Quando veniet Dominus, illuminabit abscondita tenebrarum.* Et iterum capit. 3. *Dies Domini declarabit.* Et ad Rom. 2. *In die iræ & reuelationis iusti iudicij.*

S Et dicit NOTANTER. quod sol stabit in Oriente & luna in Occidente. Quia tunc secundum Magistrum lib. 4. dist. 48. recipient mercedem laboris sui. & dicit ibidē: *Cum factum fuerit nouum cœlum, & noua terra. tunc erit lux lunæ sicut lux solis*, testante Isaia cap. 30. *Et lux solis septempliciter*, id est, sicut lux septem dierum. quia quantum luxit sol in prima conditione, septem dierum, ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium. Minorata enim fuit lux solis & lunæ, & aliorum siderū, per peccatum primi hominis. sed tunc septupliciter lucebit. & tunc non erit vicissitudo diei ac noctis, sed tantum lux erit. Hæc Magister.

IV. Conscientiarum apertio. QVARTO antequam fiat innouatio iam dictorum, fiet prius apertio conscientiæ singulorum. sicut enim sedente iudice Ecclesiastico ad iudicandum, offerendi sunt libelli iudicij, & per ipsum iudicem reo, vt probatur 3. q. 3. c. Offeratur. & Extra. de lib. obe. cap. 1. sic etiam sedente Christo ad iudicandum, libelli conscientiarum omnium aperientur & ei patebunt. Sicut testatur propheta Daniel. c. 7. *Antiquus dierum sedit, & libri aperti sunt.* Et dicit Magister lib. 4. dist. 43. Libri conscientiæ singulorum, quæ tunc aperientur alijs: Et tunc implebitur illud Matth. 10. Luc. 13. *Nihil occultum, quod non reueletur.* Et infra dicit: Virtute enim diuina fiet vt cuiusqꝫ opera sua bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset hominem conscientia, eaque teste saluetur vel damnetur.

Sed dicet quis, Numquid tunc electis aderit memoria præcedentium malorum? Ad hoc Augustinus videtur velle in Enchiri. cap. 40. quod non habebunt huiusmodi memoriam præcedentium peccatorum. Sed Greg. 4. moralium in fine. Quomodo, inquit, misericordias in æternum cantabit vel canit, qui miseriæ non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? sed sæpe læti tristium meminimus, & sani dolorum meminimus sine dolore, & inde amplius grati

grati & læti sumus. Ex his verbis dicit Magister, libro quarto. dist. 43. apparet quod & si primorum malorum memoriam sancti habebunt in futuro, non erit eis ad pœnam, vel gloriæ derogationem, sed ad gratiarum actionem. *Et subdit* Magister ibid. Si quæritur, vtrum peccata quæ fecerunt electi, tunc prodeant in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota, non legimus hoc expressum in scriptura. Vnde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per pœnitentiam tecta & delecta, illic etiam tegi alijs, alia verò cunctis propalari; iuxta illud Psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

QVINTO sicut in iudicio huius mundi post oblationem libellorum, fit examinatio partium. Sic etiam in iudicio vniuersali Christi, erit examinatio iudicandorũ, non solum de operibus misericordiæ, sicut Euangelium dicit Matth. 25. sed etiam de omnibus omissionibus, & PRIMO, vt dicitur secundum Anselmum in libr. similitudinum 8. c. 36. De bonis eis commissis, scilicet de corpore, de quo malam reddent rationem luxuriosi, qui illud in luxuria nutrierunt. propter quod condemnantur. Hebr. 13. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* id est, condemnabit. Et de anima, de qua malam rationem reddent superbi, qui ipsam omnibus bonis per superbiam euacuerant. De bonis temporalibus, de quibus malè respondebunt auari, qui pauperibus nihil ex eis dare voluerunt, quibus dicitur. Matth. 25. *Esuriui. & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere. Ita maledicti in ignem æternum.* Et de tempore, de quo male respondebunt otiosi, qui ipsum tempus negligenter expenderunt. SECVNDO examinabit de bonis omissis siue non faciendo, siue non continuando. TERTIO de malis commissis. Iudex enim terrenus rationem non requirit de minimis, nõ de alienis, nec de occultis. Iudex æternus tantæ erit seueritatis, quod requiret rationem de minimis, puta verbis ociosis, & alienis, puta à Prælatis & subditis: & de occultis, scilic. de cordis secretis.

T. Examen iudicij. I. De bonis cõmissis. II. De bonis omissis. III. De malis cõmissis.

Sed dices: Quare tamen Euangelium dicit fieri examinationem de operib. misericordiæ? Matth. 25. *Ad hoc dicendum*, quod quintuplex ratio assignatur. PRIMO ad ostendendum, quod si Dei disceptatio & examinatio fiet de bonorum omissione in operibus misericordiæ, multò magis fiet de malorum commissione. cum magis offendatur Deus ceteris parib. per commissionem mali, quàm per omissionem boni. SECVNDA ratio, quia disceptatio illa fiet secundũ legem Euangelij, quæ est lex charitatis; & impletur in proximi dilectione, iuxta Apostolum ad Rom. 14. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* TERTIA ratio, quia opus redemptionis nostræ, maximæ fuit misericordię. Vnde Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos Oriens ex alto.* Et illi operi fuerunt ingrati, qui opera misericordie contemplerũt exercere. QVARTA ratio, quia homo maximè conformatur Deo in operib. misericordiæ, secundum illud Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Ideo secundum illa opera misericordiæ boni remunerabuntur, & mali de omissione condemnabuntur. QVINTA ratio, quia misericordia est duplex; scilicet spiritualis & corporalis. Vnde Augustinus: Qui, inquit, ordinate vult eleemosynam dare, debet à se primum incipere. Ecclesiast. 31. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Ille verò, qui animam negligit, ei non miseretur, etiam si omnium aliorum misereatur. Et ideo de omissione misericordiæ, quam propriæ animæ debuisset impendisse, arguetur.

Quæstio. Respons. I. II. III. IV. V.

V Sed dicat aliquis. Nunquid paruuli, siue baptizati, siue non, iudicabuntur iudicio examinationis, aut disceptationis? *Respondetur*, quod non. Quia baptizati cum innocentia mortui sunt, eo quod baptismus in forma Ecclesiæ collatus proficit ad salutem, scilicet æternam. Extra. de summa Trinit. & fide Catholica. c Firmiter. Et quia nullam permixtionem mali cum bono habent, ideo examinatio in eis non habet locum. Sed non baptizati in iudicio disceptationis, seu examinationis non iudicabuntur, quia iudicio tali illi soli iudicabuntur, qui fidem verbotenus tenuerunt tantum; non autem fidei sacramenta. tales non erunt non baptizati, quia ad fidem non peruenerunt verbalem, neque mentalem, siue fuerint paruuli fidelium siue infidelium.

Paruuli non iudicabuntur.

Verum paruuli non baptizati Christum sint visuri.

Sed nunquid isti videbunt Christum in forma gloriosa? *Respondetur*. Quod sic. sed ista forma non erit eis terribilis, nec pœnosa, vt reprobis & damnandis propter peccatum actuale, nec erit eis delectabilis, vt bonis baptizatis, & ideo separari ab ea non erit pœnale.

X Si vlterius quæreret quis, An Christus solus iudicabit? Quia dicit Ioan. *6. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Et si pater non iudicat cum filio, ergo nec alij sancti. In contrarium est sacra Scriptura, Sapient. 3. *Fulgebunt*, inquit, *iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes.* Et Matth. 19. dicit Christus: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Et Isa. 3. *Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi.*

Christus nō iudicabit solus, sed habebit assessores.

Ad hoc dicendum Quatuor sunt modi iudicandi. *Primus* auctoritatis ordinariæ. *Secundus* auctoritatis delegatæ. *Tertius* dignitatis assessoriæ. *Quartus* potestatis interpretatiuæ.

Iudicādi modi quatuor.

I. PRIMO modo, scilicet *auctoritatis ordinariæ*, Iudicabit tota Trinitas. Et de hoc modo dicit Magist. lib. 4. distinct. 40. Iudicabit autem ex veritate diuinitatis, non sine Patre, aut Spiritu sancto, & apparebit terribilis impijs, & mitis iustis. erit terror malis, lumen iustis.

II. SECVNDO iudicabit Christus vt homo. & sic Pater omne iudicium dedit filio secundum ***auctoritatem delegatam.*** & secundum modum hunc dicit Magist. vbi supr. dist. 48. Christus dicitur iudicaturus, quia *filius hominis*, Ioan. 5. vbi legitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* non quod ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quod ipse filius sine Patre & Spiritu sancto iudicium sit facturus, sed quia ipse solus in forma serui iudicans, à bonis & à malis videbitur. Cum ergo dicitur, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*; non ita est intelligendum, quasi solus Filius iudicet, non Pater. sed quia forma filij humana cunctis in iudicio apparebit non in forma infima, sed gloriosa.

III. TERTIO modo, scilicet *dignitatis assessoriæ* iudicabunt Apostoli, & viri perfecti, qui cum Christo iudice eminentius apparebunt, & præsidebunt tanquam melius scientes leges & consuetudines, quibus totaliter sciendis & intelligendis operam dederunt. Sed adhunc modum dixit Christus Matth 19. *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes iudicantes &c.*

IV. QVARTO modo iudicium alicui attribuitur *interpretatione.* Sic illi dicuntur iudicare, qui iudicio consentiunt & ipsum approbant: & ita interpretatiuè iudicabunt omnes

omnes sancti. Illo modo etiam iudicabunt Angeli scilicet interpretatiuè, iudicis scilicet sententiæ assentiendo. Et quo ad hunc modum dicit Magister libr. 4 dist. 47. Iudicabunt sancti non tantummodo comparatione, sed etiam auctoritate & potestate. Vnde Psal. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum.* id est, sententia de bonis & malis in potestate eorum. Gloss. approbando bonos ad regnum cœlorum, & malos ad ignem æternum. Quod autem iudicabunt sancti cum Christo, quære supra exemplum serm. I. secundæ Dominicæ. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam. D.N.

Quæres vlterius, An omnes homines iudicabuntur? Et videtur quod sic. quia dicitur Act. 10. de Christo, *qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum.* Sed cōtra Magister lib. 4. dist. 47. ex sententia B. Gregorij super Iob. 26. moral. determinat dicens. Quatuor ordines erunt in futuro iudicio generali. *Aliqui* iudicantur & pereunt, Gloss. Sicut mali Christiani, quibus in Dominica voce dicetur; *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* *Alij* non iudicantur & pereunt. de quorum quolibet dicit Dominus: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioan. 3. *Alij* iudicantur & regnant. vt hi sunt qui maculas peccati, pœnitentiæ lacrymis terserunt, & eleemosynis exstinxerunt. quibus iudex dicit: *Esuriui & dedistis mihi manducare.* *Alij vero* non iudicantur & regnant. vt hi qui præcepta legis perfectionis virtute transcenderunt.

Y

Qui iudicabuntur.

1. 2. 3. 4.

SOLVTIO. Ad iudicium duo pertinent. *Primum* discussio meritorum. *Secundum* retributio præmiorum. Et secundum hoc erit duplex actus iudicij, scilicet iudicium disceptationis, & iudicium retributionis. Iudicio enim *discussionis* non iudicabuntur nisi illi, quorum merita mala, aliquo modo sunt commixta bonis: vt hi, qui habuerunt fidem sine operibus bonis, vel qui bona fecerunt & in eis vsque in finem non permanserunt. ideo tales iudicio discussionis iudicabuntur, & damnabuntur. Si quorum vero merita omnino impermixta sunt bonis, vt eorum, qui caruerunt fidei fundamento, isti non iudicabuntur iudicio discussionis, sed damnabuntur. De quibus Dauid in Psal. super allegato: *Non resurgent impij in iudicio.* scilicet vt iudicentur iudicio discussionis: quorum vero merita licet fuerint malis permixta, tamen per pœnitentiam purgati in bono perseuerauerunt, licet in malo culpæ venialis ab hac vita migrauerunt, ideo iudicabuntur & saluabuntur. Igitur iudicio *retributionis* omnes homines iudicabuntur, tam boni, quàm mali, tam fideles, quàm infideles, iudice Christo: sed non omnes iudicabuntur iudicio discussionis. Et cum arguitur per illud Actor. 10. *quod Christus constitutus est à Deo iudex, &c.* dicitur, quod intelligitur de iudicio retributionis, sed non discussionis.

Actus iudicij duplex.

SEXTO sicut in iudicio huius mundi sequitur conuictio per accusatores, per testes, vel per publica instrumenta, sic etiam in futuro seculo finali, conueniet Dominus examinatos per instrumenta authentica, scilicet per sancta Euangelia, iuxta illud ad Roman. 2. *In die, in qua iudicabit Dominus occulta hominum secundum S. Euangelium.* Vel etiam vincet eos per impios accusatores, quorum ad minus erunt tres.

VI.

Accusatores hominum & testes triplices.

PRIMVS. diabolus, qui obijciet quæcunque mala, vbi, quando, qualiter, & quantum fecimus. Ipse enim secundum August. super illud Apoc. 12. *Proiectus est accusator fratrum.* sic dicturus est. Æquissime Iudex, illum iudica esse meum per culpam, qui noluit esse tuus per gratiam. Tuus est per passionem; meus per abusionem

Z

Diabolus.

vel ob ſuaſionem: tibi in obediens, mihi obediens: tuam veſtem amiſit, cum mea huc venit. Ideo Apoc. vbi ſuprà, diabolus dicitur *accuſator fratrum*, quia accuſat illos ante conſpectum Dei. Hoc figuratum eſt. 2. Reg. 10. Vbi Hanon *præſcidit veſtes nuntiorum Dauid vſque ad nates*; vbi dicit Gloſſ. Diabolus turpia facta, quæ perſuadet in oculis hominum, reuelabit.

Conſcientia propria.

SECVNDVS accuſator impius erit vniuſcuiuſque propria conſcientia. Vnde B. Bernardus in lib. meditat. Tunc loquentia peccata ſeu opera dicent. Tu nos egiſti: opera tua ſumus. non te deſerimus, ſed ſemper tecum erimus; tecum ad iudicium pergemus.

Totus mundus.

TERTIVS accuſator erit totus mundus aduerſus nos. nam cœlum & ſydera eius conſpexerunt peccata noſtra, & terra, & aër, & aqua infeſta ſunt ab eis. Sic etiam erunt tres teſtes. *Vnum* habebunt ſupra ſe, ſcilicet *Deum*, qui erit iudex & teſtis. *Alius* eſt intra ſe, ſcil. *conſcientia*. in qua erunt ſcripta omnia peccata, & non ſolum ei ipſi, qui fecit, manifeſta erunt, ſed etiam omnibus hominibus & Angelis tam bonis, quàm malis. Nam ſecundum S. Thomam ſuper 4. Senten. diſt. 43. Statim poſt generalem reſurrectionem quilibet omnia peccata ſua propria & aliena omnia merita & demerita ſua, & etiam aliorum mira celeritate cognoſcet, & videbit 1. Cor. 4. *Tunc reuelabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium*, vbi dicit Gloſ. Omnia geſta & cogitata bona & mala, tunc omnibus nota erunt, Apocal. 20. *Vidi mortuos, puſillos & magnos ſtantes in conſpectu throni; & libri* (Gloſſ.) conſcientiarum *aperti ſunt*. De hoc dixi ſuprà.

Tres teſtes. Deus. Propria conſcientia.

A Proprius angelus.

QVARTO antequam fiet innouatio *Tertius* teſtis erit *proprius Angelus* cuiuſcunque, qui erit circa eum, iuxta illud Iob. 20. *Reuelabunt cœli*, id eſt, Angeli *iniquitatem eius*. quia ipſi ſunt conſcij omnium, quæ fecerunt illi, quibus ad cuſtodiam fuerunt deputati. Ideo dicit Chryſoſtomus ſuper Matth. Accuſat peccatorem conſcientia, quam polluit: creator, quem offendit: lex, quam tranſgreſſus eſt: creatura, qua abuſus eſt. Tot enim teſtibus quomodo valebit quis reſiſtere? Quod ſi quis ad excuſandum ſe in peccatis laboret, conuincet illum Dominus dicens: Deut. 32. *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Tunc obmuteſcet peccator, iuxta illud: Pſal. 30. *Muta fiant labia doloſa*.

B VII. Duplex ſententiæ prolatio.

SEPTIMO, ſequitur ſententiæ prolatio. & hæc erit duplex: pro bonis ſic ſententiabit, Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Sed pro malis ſic: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et iſta ſententia auxilio iuris non poterit ſubleuari, neque per appellationem, neque per ſupplicationem, neque per querelam falſi, neque per integram reſtitutionem. ſicut fit in iudicijs humanis. Appellatio ibi locum non habebit. quia crimen cuiuslibet ibi notorium erit per confeſſionem propriam. quia cuiuslibet conſcientia confitebitur ſuum ſcelus: etiam crimen erit notorium per euidentiam facti. Vnde dicit Hieronymus: quia quaſi in quadam tabula peccata demonſtrabuntur; etiam notoria erunt per præſumptionem violentam, eò quod ſtabunt à ſiniſtris: ex hoc præſumetur quod ſint condemnandi; ſicut de bonis, quod ſtabunt à dextris, præſumetur, quod ſint ſaluandi. Non habebit ibi locũ ſupplicatio, nec preces valebũt, etiamſi beata Virgo, & omnes Martyres & omnes Confeſſores & Virgines, & omnes ſancti cœleſtis curiæ intercederent. Iſta omnia non habebunt ibi locum. Neq; valebit ibi querela falſi, vt ſi dicas, quod

In extremo iudicio nullius valebit interceſſio.

quod illa sententia sit lata per falsos testes, vel falsa instrumenta, iudice circumuento. quia ille iudex non potest circũueniri, cum sit veritas & sapientia Dei. Vnde cõtra ipsius sapientiam nihil valebunt loquacitas aduocatorum, aut sophismata Philosophorum, aut facundiæ Oratorum, aut argutiæ aduersariorum. *Vltimo* non valebit releuari per integram restitutionem, vt scilicet de cetero ad primum statum restituantur, Hebr. 16. *Impossibile est eos qui prolapsi sunt semel.* scilicet per finalem sententiam, *rursus reuocari ad pœnitentiam.* Ideo dicit Bernardus lib. meditat. cap. 3. Quis putas tunc mœror erit? quis luctus? quæ tristitia? quis fletus & vlulatus? quando separabuntur impij à consortio iustorum & sanctorum, & à iussione Dei, & tradentur in potestatem diaboli, & ibunt cum dœmonib. in ignem æternum, vbi erunt sine fine in luctu gemitu, & fletu. Procul quippe à beata paradisi patria exulantes cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vnquam liberandi, vbi nec qui torquent, aliquando fatigantur; nec qui torquentur, aliquando moriuntur. Hæc Bernardus. Ex his verbis beati Bernardi, scilicet vbi dicit, nec qui torquent, &c. patet, quod dœmones torquebunt malos homines in inferno. Idem vult Magister lib. 4. dist. 47. dicens: Quibusdam videtur eos sic existere hominibus tortores in pœna, sicut exstiterunt incentores in culpa.

Nullus Aduocatus vel Orator proderit.

G

Sed dices. An sententia illa Christi fiet vocalis vel mentalis? Et videtur, quod fiet mentalis, secundum illud Sapien. 4. vbi textus expresse loquens de iudicio generali quantum ad damnandos; dicit: *Disrumpet illos inflatos sine voce.* Sed in contrarium dicit beatus Gregorius super Iob, & Magister in 4. dist. 47. quod illa verba & præconia bonorum, *Esuriui & dedistis mihi manducare* &c. & increpationes illæ malorum, *Esuriui & non dedistis mihi*, &c, proferentur vel sono vocali, vel alio modo. *Ad hoc dicendum*, quod est duplex opinio: *Vna* dicentium quod totum illud iudicium fiet mentale, & isti dicunt, si singuli vocaliter iudicarentur, illud iudicium longo tempore prolongaretur. Et ista est opinio Augustini. *Alia est opinio* dicentium, quod illud erit mentale interius, & vocale exterius. Quia Christus iudicabit non solum vt Deus, sed etiam vt homo. ideo eius iudicium non fuit solummodo diuino, sed etiam humano modo. *Alia ratio.* Quia Christus legem Euangelij, per quod fideles iudicabuntur, dicet voce humana, ideo merito de legis obseruatione & omissione vocaliter disputabit. *Tertia ratio* est, quia ipse Christus iudicatus est iniuste, & non tantum in mente, sed etiam ore Iudæis clamantibus, *Crucifige*, Pilato iudicante, petitionem eorum fieri. Ideo creditur non solum mente, sed etiam voce iudicaturus, iuxta illud Isa. 11. *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui.* Ideo probabiliter potest credi, quod prædicta disceptatio vtroque modo fiet, scilicet mentaliter & vocaliter. Et dicit S. Thomas in scripto, quoniam illa, *Esuriui*, & illa, *Ite maledicti*, fient vocaliter & exprimentur verbo, sed alia fient mentaliter. *Ad obiectionem* Sapientis dicitur, quod intelligitur sic; quod sententia erit sine voce quoad executionem, non tamen quo ad disceptationem. Et ista Gloss. exponit auctoritatem inductam.

Christus iudicabit vt Deus & homo.

D

Sed diceres: Nunquid Dœmones quoad damnandos erunt executores illius sententiæ iudicis? Et videtur quod non. Quia Angeli boni per amplius nullum habent officium respectu saluandorum. Et Magister libr. 4. dist. 47. allegans Paulum 1. ad

Qui executores sententiæ Iudicis Christi.

ad Cor. 15. dicit: quod Christus tunc euocuabit *omnem principatum, potestatem, & virtutem.* Et Haymon ibid. Dum, inquit, durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, & homines hominibus præsunt: sed omnibus collectis, scilicet post iudicium, iam omnis prælatio cessabit. Igitur nulla erit potestas dæmonum super homines.

Obiectio. Sed in contrarium arguitur sic: Homines præsenti vita subijciunt se dæmonibus voluntariè in culpa, ergo iustum est vt subijciantur tunc inuiti eisdem in pœna. Et quoad hoc dicitur Lucæ 18. *Tradiditq; eum tortoribus, quousq; redderet vniuersum debitum.* Ergo in æternum erunt dæmones damnatorum tortores. *Solutio.*

Responsio. Licet Magister in 4. dist. 47. tangat duplicem opinionem de ista dubitatione, quarum vna tacta est superius verbis Sancti Bernardi, & alia verbis Apostoli, & Haymonis statim suprà; apparet tamen illa verior opinio. quod sicut tunc cessabit officium bonorum Angelorum in procuranda gloria sanctorum saluandorum, ita & malorum Angelorum in procuranda pœna damnandorum.

Ad obiectionem primam dicitur, quod pro illo tempore, quo subijciuntur eis homines in culpa, iustum est quod subijciantur eis in pœna, scilicet vsque ad iudicium generale. Ad illud Lucæ 18 dicitur concludendo, quod pœna incipit hic per dæmones tanquam per tortores, & durabit in æternum vindicta diuina sine tortoribus.

VIII. OCTAVO, sicut est in humanis iudicijs, quod iudicio terminato, quilibet in domum suam reuertitur, sed tamen reus mancipatur: sic terminato extremo Dei iudicio, boni & electi Dei ibunt in domum suam, scilicet cœlestem, de qua in Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Sed reprobi carceri infernali mancipantur, ibidem arsuri in æternũ, iuxta illud Matth. 25. *Ibunt hi*, scilicet mali, *in supplicium æternum.* & Athanasius in symbolo, *Et qui*, inquit, *bona fecerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.* Quare dæmones secundum aliquos Doctores erunt executores diuinæ iustitiæ trahendo reprobos ad infernum & eos puniendo. Sed Magister in 4 dist. 47 vult, quod ministerio Angelorum virtute diuina cooperante mittentur mali in ignem æternum, & in caminum ignis, hoc est, in infernum.

E

Dubium de beatitudine electorum post iudiciũ. Sed hic quæritur. An beatitudo electorum erit maior post iudicium? Ad hoc Magister in 4. dist. 49. Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros maiorem gloriam post futurum iudicium, quàm ante: quia maius erit eorum gaudium, & amplior eorum cognitio. Et allegat B. Hieronymum super Oseæ 6. peracto iudicio, ampliorem gloriam suæ claritatis & charitatis Deus monstrabit electis.

De motu cœli. SECVNDO quæritur, An motus cœli cessabit? *Dicitur* quod sic. quia rectè sicut nunc diuino mandato cœlum mouetur, sic eodem imperio talis motus tunc cessabit. Iuxta illud Abac. 3. *Sol & luna steterunt*, & Isa. 40. *Non occidet vltra sol tuus, & luna tua non minuetur.*

Sed si quis obijceret illud Genes. 8. *Cunctis diebus terræ æstas & hyems, nox & dies non requiescent.* igitur nec motus cœli tunc cessabit, qui est causa æstatis & hyemis. *Respondetur*, quod textus ille intelligitur secundum statum mundi naturalem, qui nunc est: quia dicit, cunctis diebus terræ.

Ter-

Tertio, An lux solis & lunæ augmentetur? *Dicitur*, quod sic. vt suprà patuit litera P. Ad idem dicit Petrus de Tarantasia, Magister Parisiensis quod vtilitates in corporibus cœlestibus non tantum ordinentur ad necessitatem corporalem, sed etiam ad vtilitatem spiritualem, tam quoad cognitionem, quàm quoad Deificationem. Et quia in iudicio futuro & post ipsum in homine renouato maior erit lux, ideo conuenit, vt in corporibus cœlestibus etiam renouatis maior sit lux. & hoc tenetur. De luce solis & lunæ.

Si quis instaret contra hoc sic: Lux corporum cœlestium amplius ad vsum hominis non est, iuxta illud Isa. 40. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem.* Videtur igitur quod non augmentabitur lux corporum cœlestium. *Ad hoc dicitur*, quamuis corpora cœlestia post iudicium non sunt in vsu necessitatis, erunt tamen in vsu lætitiæ & delectationis.

Quarto & vltimo quæritur, Quid fiet post diem iudicij animalibus brutis vegetabilibus & plantis? *Respondetur* quod animalia bruta vegetabilia desinunt secundum se, & statui corruptionis traduntur. Ideo post iudicium futurum non manebunt, quia statui incorruptionis, qui tunc erit, non conueniunt.

Si quis obijceret; Videtur quod non destruentur, quia sunt de perfectione vniuersi, igitur sine eis vniuersum esset imperfectū. *Ad hoc dicitur*, quod animalia bruta & vegetabilia non sunt de perfectione vniuersi simpliciter secundum substantiā, sed secundum statum præsentem.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Sermo Primus.

Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; adueniat Dominus. 1. Corinth. 4.

AMBROSIVS in expositione dicit. Aluear est proprius locus apiastri, in quo si fuerint apes, eum diligunt, & ei tantam reuerentiam exhibent, vt nullæ de suis domibus exire audeant. Ipso viso, totus animatur exercitus: ipsoque de perdito, tristatur & ad alium deuoluitur. F

SPIRITVALITER dicendo, licet aliqui hanc Dominicam tertiam attribuant aduentui Christi in morte cuiuslibet hominis, quia tamen aduentus eius in mentem, præcedit; prius vtique in mentem venit quàm in mortem. Idcirco prius de aduentu Christi in mentem aliqua breuiter pertractabo. Per aluear enim anima hominis boni & fidelis, & per apiastrum Christus designatur. Et sicut aluear proprius locus est apiastri, sic anima deuoti hominis proprius locus Christi. Sicut testatur beatus Augustinus lib. solilo. cap. 30. dicens: Ecce domine Deus meus summe, optime, omnipotentissime, inueni locum vbi habitas. quia in anima, quam creasti ad imaginem & similitudinem tuam, quæ te solum quærit & desiderat, *Et iterum* cap. 31. Ego erraui sicut qui perijt, quærens exterius te, qui es interius. Laboraui multum quærens te extra me, & tu habitas in me, si tamen te desiderem. Circumiui & perambulaui vicos & plateas ciuitatis huius mundi, quærens te, & non inueni, quia male quærebam. Alucaris & apiastri significatio.

bam foris, quod erat intus. Hæc Augustinus. Et sicut apiaster dum est in aluearí, ab apibus diligitur, sic Christus, qui ex vera dilectione in anima habitat, ab hominibus amatur. Quia dicit Hugo in solilo. de arrha animæ. Quid tibi per dilectionem datum est? quasi diceret quod Christus per suam gratiam dedit se tibi animam tuam inhabitans, nec melius, nec decentius quam per dilectionem rependi potest. Ideo dicat quælibet deuota anima cum Dauid Psal. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea.* &c.

Item sicut apes apiastro magnam reuerentiam exhibent, ita quod non audent de domibus suis exire; sic etiam existente Christo in anima hominibus velut in suo alueari, debet ei magnam reuerentiam exhibere, vt mereatur eum apud se tenere. quia dicit B. Augustinus. Felix anima, quæ vitam suam studuerit ita gubernare, vt Christum hospitem & habitatorem mereatur accipere. Econtra infelix illa conscientia tota lacrymarum defletione lugenda, quæ se ita malis operibus cruentauit, vt in ea Christus non requiesceret.

Item sicut apes viso apiastro animantur & lætantur, ipsoque deperdito ad alium deuolant, sic animæ deuotæ in præsentia Christi animantur & lætantur. Sicut de hoc dicit Remigius super Matth. O quàm inæstimabile gaudium in se concipit cor humanum per Christi intra se dulcissimum fælicissimumque aduentum. sed si Christum perdiderit per peccatum, diuertitur ad diabolum. & sic non habet, in quo delectetur iuxta illud Boetij lib. de Trinit. Constat quia anima peccati obnoxia in nullo eorum quæ Dei sunt, aut quæ ad beatam vitam pertinent, poterit delectari. Attamen ne ipsa desperet de ipsius readuentu, promittit Apostolus eius aduentum & consolatur animam dicens: *Nolite ante tempus iudicare*, quasi diceret, nolite iudicare temerariè, dicentes, quod Christus in animam non reueniet, quoad vsque ex sua benignitate veniet Dominus. Licet enim animam interdum exigentibus culpis dimittat, tamen per pœnitentiam his purgatis, ad eam iterato diuertit. In quibus verbis nos ad duo hortatur: *Primo* & principaliter ad iudicij temerarij vitationem, ibi; *Nolite iudicare.* Ad Christi aduentus exspectationem, ibi; *Quousque adueniat.*

Iudicium temerarium vitandum.

PRIMO igitur hortatur nos ad iudicij temerarij vitationem ibi: *Nolite ante tempus iudicare.* Vbi NOTA. sol materialis per suam absentiam circa nos facit tenebras atque noctem, in quibus non possumus perfectè de coloribus iudicare. Non enim tunc est aptum tempus intra nigrum & album discernendum: quod enim est album, posset iudicari nigrum, & econtrà. Ideo ortus solis ad hoc faciendum, est salubriter exspectandus.

SPIRITVALITER, Per solem intellige Christum, qui dicitur sol iustitiæ. In cuius absentia nihil aliud est in anima nostra nisi nox, peccati & tenebræ ignorantiæ. Sicut enim lampas illuminat Ecclesiam, sic Christus intellectum nostrum & animam. Ideo dicit Hugo de claustro animæ: Christus habet se sicut lampas in medio Ecclesiæ, id est animæ, ad illuminandum: idcirco absque Christo non possumus aptè inter peccatum & peccatum iudicare. Iuxta illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ideo in hoc tempore de quinque principaliter non est iudicandum, scilicet de dubijs excessibus peccatorum; de prosperis successibus damnandorum: de vitijs impunitis reproborum: de aduersis euentibus saluandorum: de occultis intentionibus singulorum.

Non temerè iudicandū.

PRI-

PRIMO igitur dico quod non est iudicandum de dubijs excessibus peccatorum: quia dicit Canon: De dubijs benigna interpretatio est facienda. 33. dist. c. Habuisse. Et Ioan. Chrysostomus. Extra de reg. iur. c. Nolite iudicare, Hoc, inquit, loco nihil aliud nobis inhiberi æstimo, nisi ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in peiorem partem interpretari. Sed sunt heu nonnulli omnia facta hominum ad peiorem partem interpretantes, dantes intelligere quod tale iudicium temerarium, ex corruptione suorum cordium procedit. quia iudicant alium, secundum quod sentiunt in se ipsis, & ponit exemplum Anselmus lib. similitud. 9. cap. 37. Metallum, inquit, quando funditur, qualem in modulo reperit formam, talem sibi assumit: sic qui formam sui cordis habent deformatam, quicquid inciderit, totum inuenitur deformatum & corruptum. Sic etiam in vase corrupto totum quod infunditur, corruptum inuenitur. *Et addit:* Quod tales similes sunt infirmis, quibus cibus quanquam sapidus & bonus, videtur amarus: & hoc non est ex vitio cibi, sed ex corruptione palati: sic & iudicium malum non ex vitio proximi, sed ex corruptione iudicantis procedit. Et ponit alias similitudines. Baculus, inquit, in aqua positus videtur confractus in reflectione vmbræ, & turres & montes iuxta aquas videntur transuersi. Eodem modo cordi transuerso & vitiato, omnia videntur transuersa & vitiata: semper enim credit latro, quod omnes sibi sint similes. Iuxta illud Chrysostomi: Omnis homo secundum se alterum iudicat. quod tamen non est faciendum. quia dicit B. Ambrosius. Super, Beati immaculati, & habetur. 3. q. 7. Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se, quod condemnet, id est, quod dignum sit condemnatione, secundum Glossam. *Et subdit:* Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ putauerit in alio punienda. ne cum de alio iudicat, in se sententiam ferat.

G

I. De dubijs excessibus peccatorum.

Simile.

Ex quo patet, quod mali non debent de peccatis aliorum iudicare, sed debent facere exemplo senis, de quo legitur in vitis Patrum, lib. 4. cap. 9. §. 3. Quidam frater in Scythi inuentus est culpabilis, & miserunt alij ad Abbatem Moysen, vt veniret. Qui surgens venit, tollensque spartam vetustam impleuit illam arena, & portauit secum. Illi occurrerunt ei dicentes; Quid est hoc, pater? Dicit: peccata mea sunt, quæ post me, currunt, & non video ea, & veni ego hodie aliena iudicare peccata? Illi autem hoc audientes, nihil locuti sunt fratri, sed ignouerunt ei. Sic & nos si peccata nostra attenderemus, aliena nunquam iudicaremus.

Et dico NOTANTER, quod in dubijs excessibus non est iudicandum; quia dicit Haymon, quod de certis & de apertis reb. quæ possunt cognosci quomodo fiant, licitum est iudicare. Verbi gratia, sicut est homicidium, adulterium, & publica fornicatio. Similiter Chrysostom. de reg. iur. vbi suprà. dicit. De manifestis, quæ non possunt bono animo fieri, vt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietas, & similia permittuntur nobis iudicari.

Sed diceret aliquis: Videtur, quod de talibus peccatis non sit iudicandum. quia in vitis Patrum lib. 4. cap. 9. §. 10. dixit quidam Senex: Non iudices de fornicatoribus, si castus es. quia similiter legem præuaricaris. Etenim qui dixit, Non forniceris; dixit etiam Non iudices. Vbi NOTA, quod B. Augustinus super Matth. cap. 7. ponit tres considerationes: Et B. Gregorius superaddit duas, quas quilibet debet habere, qui alium vult iudicare.

Quinque consideranda in iudicio alieno.

1. PRIMO debet videre, si est ei similis in culpa hac, vel maiori: Si sic, tunc non debet iudicare; sed ambo debent super se gemere: si non est ei similis, debet ire ad *se-*
2. *cundam* considerationem, & videre, si aliquando fuit similis. Et ideo, sicut tunc volebat sibi misericordiam exhiberi, sic & debet alteri exhibere. Si verò non est ei si-
3. milis, nec aliquando fuit, tunc debet ire ad *tertiam* consideratione & cogitare, quod adhuc potest esse similis. & ideo ratione talis dubij non debet superbire, sed delinquentibus condescendere, Iuxta illud 1. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat.* Si autem
4. non est ei similis nec vnquam fiet, tunc debet transire ad *quartam* considerationem, & videre aliquos defectus. Si iste, qui est reprehensibilis, sit in aliquo commendabilis, & si habet aliquos defectus, videre debet, an habeat etiam aliquos profectus. & tunc ratione eorum, quæ magis habet, supportandus est in his, quæ minus habet. Si vero quis videtur esse malus, nec aliquod bonum habet, quo sit tolerandus, debet
5. transire ad *quintam* considerationem, vt quia iste videtur alicui malus esse, forte in conspectu Dei sit merito preferendus. Et ponit exemplum Greg. in Beatis Stephano & Paulo. Nam cum Stephanus consentiente & adiuuante Paulo lapidaretur, Stephanus omnino erat bonus. Paulus autem omnino videbatur malus esse, & tamen in conspectu Dei erat Paulus Stephano præferendus. Quare dicit B. Greg. 11. q. 1. c. Sacerdotibus. Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat dominus: nam multa sunt, quæ homines de Iudicio illius ignorant. Quia fortassis quæ vos laudatis, ille reprehendet, & quæ vos reprehenditis ille laudabit.

H — Non temere iudicandum de prosperis successib. damnandorum.

SECVNDO non est iudicandum de prosperis successibus damnandorum. quia prosperitas malorum est iniquitatis initium, & calamitatis iudicium. PRIMO quidem est iniquitatis initium, & ideo assimilatur buboni. Isidorus enim lib. 12. dicit quod bubo est auis onusta plumis, sed multa detenta pigritia, & debilis ad volandũ, in sepulchris die ac nocte moratur. Sic peccator abundans diuitijs est quasi bubo o-
I. nustus pennis, piger valde ad exercitium bonorum operum, debilis ad contemplationis volatum, & manens in mortuorum sepulchris, id est, in fœtore operum pessimorum seu carnalium peccatorum. *Primum* patet 2. Paral. 33. de Manasse, de quo suprà, D. Y. qui multa mala in prosperitate fecit. Seduxit enim Iudam & habitatores, vt facerent mala super omnes gentes, & idola adorauit, vt 4. Regum. 21. dicitur, & *sanguine prophetarum repleuit Hierusalem vsq; ad os. Secundo* patet de Salomone, cui adeò prosperè successit, quod tempore ipsius argentum in tanta erat abundantia, in quantum lapides 3. Regum. 10. Quare dicitur de ipso Eccles. 47. *Collegisti quasi auricalcum aurum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce habitauit in fœtore carnalium desideriorum.

II. SECVNDO, prosperitas est calamitatis indicium. Nam bubo apud augures malum prætendere fertur, & loci solitudinem; vbi habitat, videtur nunciare: sic prosperitas est futuræ damnationis & desolationis prænosticatio Iuxta illud Prouerb. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et de pœn. dist. 3. c. Quid ergo turbamur? dicitur: Prosperitas malorum resultat in caput eorum. Ideo dicit Dominus Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo.* ac si aperte dicat; ipsa vestra consolatio, quam nunc in præsenti accipitis, Væ vobis superuenturum designat æternæ damnationis. Et hoc patet in exemplo.

Quadam

Quadam vice beatus Ambrosius Romam pergens in quadam villa Tusciæ apud quendam virum locupletem hospitatus, cum requisisset eum super statu suo, ait illi: Status meus, domine, semper felix exstitit & gloriosus. Ecce diuitijs abundo infinitis, famulos quàm plures habeo, magnamque cateruam filiorum & nepotum possideo: & omnia semper ad vota habui, nec vnquam aliquid mihi, quo tristarer, aduenit. Quod audiens Ambrosius obstupuit vehementer, & his qui secum erant in comitatu, dixit: Surgite, & hinc quantò citius fugiamus quia dominus non est in isto loco. Festinate, inquit filij, festinate ne nos hic vltio diuina apprehendat, & in peccatis eorum nos inuoluat. Nec mora: cum iuissent & aliquantulum processissent, subito se terra aperuit, & hominem illum cum vniuersis, quæ ad ipsum pertinebant, ita absorbuit, vt nullum inde vestigium remaneret. Quod cernens beatus Ambrosius ait: Quàm misericorditer Dominus parcit, cum aduersa tribuit, & quàm securè irascitur, cum semper prospera elargitur. Ideo non est iudicandum de prosperis successionibus damnandorum.

Sunt tamen nonnulli, qui de his non cessant iudicare Deum, quasi sit iniustus, inculpando dicentes, Iob. 21. *Quare impij viuunt, sublevati sunt confortatiq; diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum pacatæ sunt & securæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit & non abortiuit: vacca concepit, & non est priuata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusib. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos.* Ecce quàm prosperè succedit malis. propterea murmurant aliqui contra Deum. sed non aduertunt illud, quod sequitur: *& in puncto ad inferna descendunt.* quasi diceret beatus Iob. Nolite mirari, nec iudicare de prospero processu matrum: quia hic pro bonis, si quæ fecerunt, recipiunt mercedem; vt in futuro habeant æternam pœnam. Iuxta illud Gregorij. Malis bona, quæ pro hac vita faciunt, hic remunerantur, vt ad sola postea tormenta protrahantur.

TERTIO non est iudicandum temerariè de vitijs impunitis reproborum. quia signum est odij Dei. Sicut enim pater carnalis filium, quem diligit præ alijs, à malis retrahit & flagellis corrigit, Iuxta illud Ecclesi. 30. *Qui diligit filium suum*, Glossæ, amore discreto, *assiduat ei flagella & verbera:* Sic etiam Christus Pater noster ratione creationis, quos diligit, hos pro peccatis punit. Iuxta illud Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et Apostolus ad Hebr. 12. *Quem enim diligit Deus, castigat.* castigat scilicet à malis retrahendo. *Flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Et infra: *Quis enim est filius, quem non corripit?* quasi dicat, nullus: Loquendo de filio verò & dilecto. Econtra videtur esse odium & ira patris, si videt filium in peccatis viuere, nec eum vult corrigere. Sic est signum magnæ iræ Dei cum homines peccare conspicit, & eos impunitos permittit. sicut testatur B. Augustinus dicens. Summa Dei ira est, cum hic parcit. Ad hoc enim parcit hic, vt in æternum puniat. Vnde orat dicens: Hic vre: hic seca: vt in futuro parcas. Ideo dicit B. Gregorius. Peccantes tunc considerem amplius miseriores, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Cui consonat Boetius lib. 4. de consol. prosa 4. Multò infeliciores sunt improbi, iniusta impunitate donati, quàm iusta vltione puniti, &c.

I III. Non temere iudicandi de vitijs impunitis reproborum.

Signum odij patris in filium

QVARTO non est iudicandum de diuersis euentibus saluandorum. quod enim K

IV. Non temerè iudicandum de diuersis euentibus saluandorũ.

bonis aduersa adueniunt, signum est caritatis & saluationis. Ideo in horolog. Sapient. lib. 1. cap. 13. quærit Amandus à vera sapientia, Quare, inquit, amicos potius aduersis quàm prosperis soles exercere? *Respondet:* cum proni sint sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, sapienda est via electorum, spinis tribulationum, ne noxia delectatio materiam præbeat delinquendi. sed dum electus nimis continuis tribulationibus premitur, ad superna etiam inuitus cogitur. Hæc ille. Ideo Dominus interdum premit fame, interdum infirmitate, aut alia aduersitate. Propter hoc nullus debet Christum inde blasphemare, aut iniustum æstimare, aut temerariè iudicare.

Refert enim Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 3. part. 8 Anno domini M.C.XCI. cùm fames valida totum ferè mundum occupasset, & multos homines occidisset, Eremita quidam sanctus in Beluacensi diœcesi habitans, humano generi in multis lacrymis & miseratione compassus, Dominum frequentius arguebat, cur populum suum tanta animaduersione contereret, & tam irremediabiliter flagellaret. Hoc, vbi vna nocte, cùm miro cordis æstu ante conspectum iusti iudicis iterasset, apparuit ei vir ætate & persona grandæuus, dicens: Surge, & Missam inchoa: Salus populi egò sum. Cui ille: Dies non est, celebrare non licet. Et ille. Oportet omnino ne differas. Ille tremefactus & reniti non audens, surrexit: & se præparans, missam inchoauit. At vbi post Euangelium offertorium diceret, accessit grandæuus ille, & vas plenum aristis obtulit, dicens: Reporta librum ad aliud cornu altaris, & de sancta Cruce, Nos autem gloriari, Missam protinus inchoabis. Quod Eremita fecit. Postquam verò Euangelium compleuit, dicto Offertorio, grandæuus ille vas plenum fasciculis discoloratis, crucis signum habentibus, obtulit, dicens: Regyra tertio librum in aliud altaris cornu, & Missam inchoabis pro defunctis. Quod vbi ille vsque post Euangelium, sicut antè, perfecit, grandæuus ille caluariam capitis in vase obtulit cruentatam; in quo Eremita horruit mirabiliter. & in hoc, si à Deo esset ostensio, plurimum dubitauit. Cuius cogitationibus grandæuus ille respondit. Petrus, inquit, Apostolus ego sum, missus ad te, quæ oportuerit fieri temporibus futuris, vt ostendam tibi, quia in mortalitate humano generi compassus es: & exaudiuit te Deus. Et in signum istius, obtuli tibi vas aristis plenum, videbisque antequam Augustus finiatur, quòd mensura pro viginti denarijs habebitur, quæ modo viginti solidis venundatur: quasi dicat; Deum, qui populum suum fame affligi permisit, dubitas tu, ne consolari possit? Secunda oblatio, quam feci tibi de diuersis fasciculis discoloratis, crucis signum habentibus, peregrinationes diuersas significat: quasi dicat; homines post tribulationes famis varias, fient in seruitio DEI feruentiores, ad diuersas peregrinando ecclesias. Tertia oblatio quam de caluaria capitis obtuli, tempus in fine dierum istorum significat, in quo tanta strages humanorum corporum erit, quanta nunquam visa fuit à tempore, ex quo Christiani nominis gentes esse ceperunt. His dictis, grandæuus ille disparuit.

L
V. Non est temere iudicã

QVINTO non est iudicandum de occultis intentionibus singulorum. Non enim debemus iudicare de occultis intentationibus hominum. quia scire corda eorum solius est DEI, iuxta illud. 1. Regum. 16. *Homo videt ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor.* Vbi NOTA intentio hominis assimilatur radici arboris, vt dicit Ansel-

Anſelmus libro tertio, cap. 31. *Primo*, ſicut radix eſt totius herbæ vel arboris principium, ſic etiam intentio eſt totius verbi vel operis initium. Quia dicitur 41. diſtin. Cuique intentio operi nomen imponit. *Secundo*, ſicut radix expetit latibulum, ſic intentio requirit occultum. ſicut enim radix quamdiu ſub terra latitat, nutritur & proficit; ſi autem euulſa fuerit, moritur & areſcit; ita intentio ſi in corde latuerit, opus bonum nutrit & creſcit: ſi autem poſt tentationem euulſa fuerit ab humilitate, extinguitur & deficit. Ideo dicit Gregorius in homilia. Sic opus fiat in publico, vt ſemper intentio maneat in occulto. *Tertio*, quia ſicut radix eſt cauſa malitiæ & bonitatis arboris, ſic intentio eſt cauſa operis: ſcilicet quod ſit bonum vel malum. Sicut enim bonitas & malitia radicis ad ramos aſcendit, & ſæpè apparet in flore & fructu, qualis eſt qualitas in radice: quia non poteſt alium humorem ramis infundere, quàm illum, quem habet in ſe: ſic etiam bonitas & malitia operis ex intentione procedit. Nam vnus & idem actus relatus ad diuerſas intentiones, ſortitur virtutem & peccatum. Quod probatur Geneſ. 4. Cain occidit Abel & peccauit, quia ex inuidia fecit. Dauid occidit Goliam gigantem. 1. Regum. 17. & meruit, quia ex iuſtitia proceſſit, vt populum defenderet. Ita etiam legitur Exod. 9. quod Pharao dixit ad Moyſen: *Peccaui & ego, & populus meus.* & Matth. 27. dixit Iudas; *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* nec tamen pœnitentiam meruerunt: quia cogitationes eorum deprauatæ exſtiterunt. ſed Dauid dixit; *Peccaui*, cum argueretur à Nathan propheta, & veniam meruit: cum audiuit, *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* 1. Regum. 12. quia ex bona intentione & recta proceſſit. Ideo dicit Dominus Lucæ 11. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, id eſt, intentio tua. *Si oculus tuus*, id eſt, intentio tua, *fuerit ſimplex, totum corpus*, id eſt, opus tuum *lucidum erit. Si oculus tuus nequam fuerit, etiam totum corpus tuum tenebroſum erit.* Et B. Apoſtolus ad Rom. 11. *Si radix*, id eſt, intentio, *ſancta, & rami ſancti*, id eſt, opera.

dum de occultis aliorũ intentionibus.

Intentio cordis latens, opus bonum nutrit.

Intentio cauſa operis.

Et tamen eſt NOTANDVM, quod intentio bona non excuſat malum opus. Verbi gratia, aliquis rapit illicitè aliena, vt inde fiat eleemoſyna, ibi eſt intentio bona; ſed tamen eſt malum opus. Ideo dicitur 1. quæſt. 1. Non eſt putanda eleemoſyna, ſi pauperi diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur. *Et ſubditur:* Quod hac intentione malè accipit, vt benè diſpenſet, grauatur potius quàm iuuetur, per Gregorium.

Ex his iam dictis patet, ſicut radix non poteſt cognoſci, an ſit bona vel mala, niſi ex fructibus arboris, ſic nec intentio hominis poteſt rectè cognoſci, niſi ex operibus, iuxta illud Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ideo de intentionibus occultis non eſt iudicandum.

SECVNDO in verbis præmiſſis hortatur nos ad Chriſti aduentus exſpectationem, ibi; *Quoadusq; adueniat Dominus.* Circa quod NOTANDVM, quando pius Dominus terrenus ad populum ſuum eſt venturus, cum magno deſiderio exſpectatur aduentus eius; nec timent homines, cum ad ipſos veniunt pij protectores. Quis magis pius, quàm Dominus noſter IESVS CHRISTVS; De quo Bernardus. Quid, inquit, de tua pietate dicã, domine Ieſu Chriſte, qui non minus peccatorẽ conuerſum diligis, quàm qui nunquam peccati maculã contraxit. Hic inquam in mentem cuiuslibet hominis aduenict, qui eius aduentum cum deſiderio exſpectat. Quia dicit

Quintuplex fructus aduentus Chriſti.

 Pro-

Prouerb. 8. Delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Nec debet homo timere, cum quo pius Dominus cupit manere, & omnem dolorem cordis remouere, iuxta illud Anselmi lib. præfa. & Origenes super Cant. quid humana fragilitas pertimescit? Cum enim Christus menti aduenit, mox omne tormentũ omnisque pœnalitas dulcescit. Pro quo latius est sciendum, quod Christus venit in mentem cuiuslibet deuoti hominis. vt

Viuificator mortuorum,	*Emendator delictorum,*
Necator carnalium desideriorum,	*Iucundator tribulatorum,*
Animator pugnatorum,	*Transformator animorum.*

M

I. Christus venit vt viuificator mortuorum.

Lactuca caprina.

PRIMO dico quod Christus venit ad nos, vt viuificator mortuorum, & hoc innuit prima litera, huius verbi, Veniat, quæ est V. significans quod Christus per suum aduentum viuificat animas mortuos in peccatis. Nam peccatum mortale in corde generatum, mortificat & extinguit omnia merita, & omnes virtutes formatas. ideo assimilatur cuidam lactucæ sponte crescenti, quæ dicitur caprina, de qua dicit Plinius in spec. nat. quod si in mare proijciatur, pisces qui in vicino sunt, protinus moriuntur. Mare autem est cor humanum, Isa. 57. *Impij cor, quasi mare feruidum, quod quiescere non potest.* in quod quidem cor si peccatum ingreditur, omnia merita & virtutes occidit, Iacob. 1. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* scilicet animæ.

N

Mors spiritualis, quid?

Et hic dicitur mors spiritualis, qua quis moritur per peccatum mortale, vt criminosus. 3.q 4.c. Ira. & de pœn. dist. 4.c. si ex bono. & hæc assimilatur colocynthidæ. PRIMO propter amaritudinem. quia colocynthida secundum Isidorum lib. 17. est herba amarissima, propter quod legitur. 4. Regum. 4. *quod fames erat in terra, & filij prophetarum habitabant cum Eliseo: dixitq; vni de pueris suis: Pone ollam grandem & coque pulmentum filijs prophetarum. Egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes: inuenitq; quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt igitur socijs vt comederent; cumq; gustassent de coctione, exclamauerunt dicentes; Mors in olla, vir Dei.* Ex quo patet herbæ illius amaritudo. sic etiam mors illa spiritualis, qua moritur anima per peccatum, est valde amara, iuxta illud Ierem. 2. *Scito & vide, quam malum & amarum est reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te.* Ideo potest exponi de ea illud Eccli. 41. *O mors quàm amara est memoria tua.*

Mors spiritualis amara

SECVNDO propter latitudinem, quia colocynthida ad modum vitis iuxta terram ramos suos expandit. Sic etiam mors spiritualis adeo latè se expandit vitibus suis, vt pauci eam euadant: quia ad Rom. 3. *peccauerunt omnes, & egent gratia Dei.* Si quis igitur ab hac morte voluerit viuificari, necesse est Christum venire, & mortuam animam viuificare. ipse enim ad instar gallinæ viuificat animam.

O

Comparatur Christus gallinæ excludenti pullos.

Refert Aristoteles lib. 6. animalium. Cum gallina cubat super oua, tunc post decem dies generationis completur pullus secundum omnes partes: & tunc habet maius caput toto corpore, & habet caput inclinatum super crus dextrum, & alas expansas supra caput. post hoc rumpitur testa die octauo vel decimo, & exeunt pulli iam viuificati.

SPIRITVALITER. Gallina gerit figuram Christi Matth. 23. *Quoties volui congregare*

gare te, ficut gallina congregat pullos fuos fub alis fuis. Sicut enim gallina eft caufa viuificationis pullorum, fic Deus animarum. Quia dicit Auguftinus in lib. de nat. inno. duæ vitæ funt: Vna corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima; fic vita eft animæ Deus. Et quoniam fi anima deferit corpus, homo moritur, fic anima moritur, cum deferit eum Deus. *Idem*: Anima per peccatum præfentia Chrifti carens, qui eft vita animæ, merito dicitur mortua: ideo dicit Dauid Pfalm. 84. *Deus tu conuerfus*, Gloff. ab ira tua, *viuificabis nos*: in præfenti vita gratiæ, & in futuro vita gloriæ. & 1. Regum. 2. dixit beata Anna: *Dominus mortificat*. Gloff. gratiam fubtrahendo: *& viuificat* gratiam infundendo. Nifi enim ipfe veniret, & gratiam fuam mortuæ animæ noftræ infunderet, nequaquam viuificari poffet: fed quando hæc viuificatio fit, rectè ficut poft decem dies fit prima completio pulli; fic prima formatio hominis in vita fpirituali fit per obferuationem decem præceptorum. Et in fignum iftius. Cum quidam adolefcens interrogaret Dominum, Matth. 19. *Magifter bone, quid faciam, vt habeam vitam æternam? Ait illi: Si vis ingredi ad vitam, ferua mandata.* quafi diceret, obferuatio mandatorum operatur viuificationem animarum. fed tunc caput corpus excedit. quia ratio corpori dominatur, vt fcilicet, quod homo non fit iam animalis, fed fpiritualis. quia *animalis homo non percipit ea quæ funt fpiritus Dei*, vt dicit Apoftolus 1. ad Cor. 2. Inclinari etiam tunc debet caput, id eft, mens non folum per obedientiam, fed etiam per humilitatem non fictam, fed veram: & fignificatur per hoc, quod pullus habet caput inclinatum fuper crus dextrum, quia per dextrum crus vera humilitas defignatur. Et ideo hoc dico, quia fecundum Sapientem, *eft qui fe nequiter humiliat* Gloff. vt magis homines decipiat, *& interiora eius plena funt dolo & iniuftitia*. Ecclef. 19. Et ifte in finiftram partem caput mentis habet inclinatum. Sed per alas intelligitur intellectus, & affectus per fidem & dilectionẽ. Et hæ fupra caput, id eft fupra naturalis rationis compaffionem extenduntur, vt incipiat iam homo crefcere, id eft, mentem ad cœleftia erigere, iuxta illud Apoftoli ad Coloff. 3. *Si confurrexiftis*, fcilicet à morte fpirituali, *cum Chrifto*, id eft, adiutorio Chrifti, *quæ furfum funt quærite*, id eft, bona cœleftia defiderate, *vbi Chriftus eft in dextra Dei fedens: quæ furfum funt, fapite: non quæ fuper terram, mortui enim eftis*, fcilicet peccato, *& vita veftra abfcondita eft cum Chrifto in Deo. Cum autem Chriftus apparuerit vita veftra*, id eft. qui eft vita veftra fcilicet in mente per gratiam, *tunc & vos apparebitis cum Chrifto in gloria*: quafi dicat, vita fpiritualis & beata, quæ fuit vobis per peccatum abfcondita, veniente Chrifto vobis erit manifefte exhibita.

Secundo; Formatio & completio pulli fit poft octo vel decem dies. quia tunc exijt viuificatus. fic qui vult perfectus effe & viuere, oportet vt ad obferuantiam legis Moyfi, id eft, ad decem præcepta addat nouæ legis confilia, iuxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus effe*, id eft, perfectè viuere, *vade & vende omnia quæ habet, & da pauperib.* & alia confimilia quæ in Euangelio continentur, fcilicet paupertas, &c. Hæc tamen confilia, fcilicet paupertas, obedientia, & caftitas, non funt de neceffitate vitæ fpiritualis, fed de perfectione, iuxta illud Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum iftud*. fcilicet caftitatis. Ideo dicitur in Canone. Quifquis 14. q. 1. Confilia Euangelij non funt in præcepto, fed in hominis arbitrio. Et ibid. Ca. Quod præcipitur: Confilium eft voluntatis præceptum. P

Confilia Euangelica non funt neceffitatis fed perfectionis.

Et dicitur Notanter, ad perfectionem nouæ legis competit octonarius numerus

propter octauum diem resurrectionis Christi, scilicet Dominicam, quam celebramus. Vel propter ætatem resurrectionis nostræ, quam exspectamus, in qua rupta testa oui, scilicet finita hac vita corporali, quasi pulli viuificati exibimus de hac valle lacrymarum & ærumna. Et sicut interdum rupta testa oui exeunt gemelli, quorum vnus est maior, alter minor, sic etiam tunc exibimus gemelli, id est in anima & corpore glorificati: erit tamen gemellus vnus maior, quia maior erit gloria animæ quàm corporis, vt dicit Anselmus lib, 4. cap. 91. *Et addit*, Vel ad perfectionem Euangelij competit additio numeri denarij, quia propter obseruantiam decalogi necessaria sunt septem Sacramenta nouæ legis, cum fide Trinitatis, & septem dona Spiritus S. cum tribus virtutib. theologicis: septem enim & tria denarium numerum constituunt. Postquam rupta testa timoris vel amoris vitæ corruptibilis, exeunt gemelli, id est, tam carne, quàm spiritu, in vita spirituali perfecti; licet in regiminibus vitæ, & etiam in dulcedine cœlestis conuersationis, spiritus carnem excedat. Plus enim cupit spiritus quàm possit corpus ferre, vel quia plus percipit spiritus in dulcedine, quàm corpus sustineat de labore. Hæc ille. Ecce hanc vitam spiritualem efficit Christus, cum ad nos venerit per sua decem præcepta &c. Ideo omnis homo qui mortuus est per peccatum, aduocet dominum Iesum dicens illud Apocal. vlt. *Veni domine Iesu*, Gloss. viuifica animam meam per peccatum mortificatam, vt hic valeam viuere in gratia, & in futuro in æterna gloria.

Q

II. Christus venit vt emendator delictorum. Christus soli comparatur.

SECVNDO Christus venit ad nos vt emendator delictorum. & hoc significat secunda litera scilicet E. Ideo Christus *primo* similatur soli. quia sicut sol habet virtutem purgatiuam, eo quod tenebras fugat, & fœtorem consumit: sic Christus per suum aduentum in animas nostras, purgat tenebras ignorantiæ, & fœtorem peccatorum. sicut testatur Apostolus ad Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciens.* Et idem ad Titum 2. *Exspectantes*, inquit, *beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*, scilicet originali & actuali, *& mundaret sibi populum acceptabilem.*

Christus flos vitis.

Secundo assimilatur flori, quia dum in æstate vitis floret, tunc odor florentis vitis omne venenum de vinea expellit: quia ea florente fugiunt serpentes & bufones, vt dicit Plinius in spec. nat.

MORALITER. Vinea est fidelis anima, iuxta illud Cant. 8. *Vinea mea*, inquit Deus, *coram me est.* vitis vineæ huius est Christus, qui dicit Ioan. 15. *Ego sum vitis vera.* Ista igitur vitis cum per suam charitatem floruit in animæ, tunc serpentes detractionis & inuidiæ, & bufones auaritiæ fugiunt, quia odorem suæ charitatis sustinere nō possunt. Quomodo enim in anima inuidia potest esse, quam tunc inhabitat charitas? Et quomodo ibi manebit auaritia, vbi iam regnat pietas? certè nullo modo.

Charitas mors vitiorum.

Quia dicit Prosper de vita contemplat. charitas est virtutum vita, ipsa etiam est mors vitiorum. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic vitia à facie charitatis. Cui consonat Gregorius: Mentem, quam in habitat charitas, superbia non inflat, inuidia non deuastat, auaritia non excæcat, ira non infestat, acedia non vexat, luxuria non inquinat.

R

Christus similis diptamo.

Tertio assimilatur diptamo. propriè Goltwurz vel Pfefferkraut: quia habet virtutem veneni consumptiuam, sagittarum excussiuam, & partus expulsiuam. Dicit enim Basilius, & Ambrosius in hexameron; diptami herbæ vim ceruæ primitus prodide-

diderunt. Nam eam manducant, vt facilius pariant; & sagitta percussæ diptamum comedunt, quo ferrum in vulnere derelictum excutiant. Sic Christus veniens in animam per suam gratiam consumit venenum auaritiæ, quod de sua frigiditate cordis calorem, id est, charitatem extinguit; educit partum, id est, expellit luxuriæ peccatum, qui partus concipitur ex opere luxuriæ: excutit ferrum, id est, duritiem superbiæ, quia non vult habitare cum his peccatis. Sapient. 1. *In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis.*

Quarto Christus assimilatur cedro, cuius odor fugat serpentes, & interficit vermes. Quid per vermes, nisi cogitationes prauæ designantur, quas Christus veniens in animam interficit, quando nisi bona de seipso cogitare facit, iuxta illud Sap. 5. *Cogitatio illius apud altissimum.* — Christus Cedro similis.

S

TERTIO, Christus venit in animam cuiuslibet deuoti vt necator carnalium desideriorum. & hoc intelligitur in tertia litera N. Pro quo NOTANDVM. Videmus experientia, quod interdum à terra surgit quædam nebula, sed sol veniens suo splendore reprimit & consumit. Dum enim à sole tracta, totaliter sursum mouetur, in materiam cedit nubis, & pluuiam præsagit: si verò à sole totaliter repercussa deorsum cadit; in suam redit originem & euanescit. Et sic purgato aere præsagit serenitatem, vt dicit Beda. — Christus venit vt mercator carnaliũ desideriorũ.

MORALITER loquendo, Nebula à terra surgens est desiderium luxuriosorum, à carne veniens & valde congruè desiderium carnis aut concupiscentia assimilatur nebulæ, secundum Anselmum lib. 1. similitud. c. 18. *Primo*, quia nebula est ex corruptis vaporibus resoluta. Nebula enim secundum Philosophum, est impressio ex resolutione nubium generata, in pluuiã resoluta. Vapores enim resoluti, & per singulas aeris partes dispersi nebulam faciunt, & quando tales vapores sunt corrupti, tunc pessima nebula generatur. sic corruptis colloquijs & aspectibus generatur concupiscentia inordinata, qua corpus inceditur & inficitur. De colloquijs dicit Poëta. — Cõcupiscentia carnis nebulæ comparatur.

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

De aspectibus refert auctor Troianæ hist. lib. 4. dicens: Quodam tempore Paris à Troia perrexit in Græciam, Hesionen sororem patris sui Priami, à Telamone rege raptam, vt reduceret; venitq; in insulam dictam Cythæra, in qua fuit templũ Veneris miræ pulcritudinis & plenum diuitijs: in quod quidem Paris pulcherrimus cum Helena pulcherrima conuenit. Quam cum vidisset, face Veneris accensus, in Veneris templo fluctuat anxiosè, & diligenter in Helenam suum defigens intuitũ: gaudebat enim suos radios visuales visualibus eius radijs commisceri. Ex tunc Helena Paridi sagacibus machinis seipsam offerre procurauit, vt sic ipsum afflictũ amoris incendio magis affligeret, & eius amoris vehementiam in amoris augmentũ extolleret. Idcirco eadem nocte Paris templum Veneris deprædatus, Helenam abduxit. Ad quam Paris sic inquit: Putásne me regem dignitatem tuam velle libidinoso cultu fœdare? Sed quid accidit? Paris postea Helenam seruauit adulteram. ob quam causam plures reges & principes alijque nobiles ante Troiam fuerunt interfecti. Ecce quod à corruptis conspectibus generatur concupiscentia inflamata. Ideo ait Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarẽ mala de muliere, ne per aspectum inciderẽ in delectationem.*

Secundo sicut nebula est florum, graminum, vinearumque corruptiua; sic mala concupiscentia corrumpit flores bonarum cogitationum, gramina affectionum, & vinea- — Male concupiscentiæ fructus.

vinearum, id est, pœnitentiæ fructus. Ideo dicit B. Gregorius in moral. Ex quo luxuria mentem semel occupauerit alicuius, vix eam bona desideria cogitare permittit. Sunt enim viscosa desideria. quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex peccati defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.

NOTA.

Tertio sicut nebula est multarum ægritudinum inductiua, sic ex inordinata luxuriæ concupiscentia, multa oriuntur vitia, quæ sunt ægritudines animæ. Nam secundum Gregorium, filiæ luxuriæ sunt, *Cæcitas mentis*, quia ratio omnino in eo absorbetur: *Inconsideratio*, scilicet mortis vel inferni: *Inconstantia* scilicet cogitandi nunc istud, & nunc illud: *Amor*, scilicet quo aliquis desiderat longam vitam, vt expleat voluntatem suam: *Præcipitatio*, qua aliquis se ad peccandum exponens, se etiam aliquando exponit periculo, vt luxuriam expleat: *Odium Dei*, quod fit, quia Deus abstrahit se ab eis, & punit eos, qui sequuntur carnis delitias, ad quas inclinauit luxuria: Vltimum est *præsentis affectus seculi*. qui est diffidentia veniæ & gratiæ consequendæ.

Filiæ luxuriæ.

T

Quarto sicut nebula est itinerum tardatiua, sic concupiscentia carnis homines ad æternam patriam festinantes aut retardat, aut totaliter impedit. quia dicit Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare fratres quoniam neque fornicarij, neque adulteri, neque mali, regnum Dei possidebunt.* aut saltem tardiores reddit, dum sibi non resistitur. Quia sine peccato, saltem veniali, concupiscentia carnis, vix aut nunquam habetur: quo scilicet veniali peccato feruor charitatis amittitur, & via ad patriam retardatur, vt dicit Anselmus vbi suprà. Si enim nebula carnalium desideriorum debet reprimi & consumi, necesse est vt verus sol iustitiæ ad nos veniat, vt concupiscentiæ motus sursum ad rationem refrenentur. quia tunc transeunt in materiam virtutis, & nō culpam generant, sed potius pluuiam diuinæ gratiæ in anima augmentant: Vel si per solem, scilicet CHRISTVM, vel rationem, concupiscentiæ motibus resistitur in principio, tunc ipsa concupiscentiæ caligo deorsum pulsa penitus euellitur, & post hæc anima serenior reperitur. Et hoc probat Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum. c. 57. part. 25. Erat quædam puella in Brabantiæ partibus inter proceres generosa, quæ in amorem cuiusdam iuuenis per multos annos mirum in modum dæmonum stimulabatur insultu. Hæc cum frequenter lacrymis multis in confessione diabolicas insidias aperiret, consultum fuit ei, summopere vt caueret, ne nutu aut verbo iuueni tentationis occasio præberetur, & paruit illa diligenter vt præmonebatur. Cumq; adeo grauiter tentaretur, vt somni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, vt tanto dœmonum agitaretur impulsu, quòd superueniente aurora surgere cogitaret, & clam adire iuuenem, qui morabatur in vicinio. Nec mora; vbi surgit, oculos aperiens, vidit Christum quasi plagis recentibus crucifixum, leni sermone sibi dicentem: Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, & generosus. Hæc vt dixit, repentè disparuit, & puellam in omni pace, & gaudio, & gratiarum actione, ab omni tentatione liberam reliquit. Ecce aduentus veri solis Christi carnales concupiscentias velut nebulas in anima hominis ortas repellit & consumit, animamque serenam facit.

Peccatū veniale impedit feruorē caritatis.

V

QVARTO venit Christus ad nostras mentes, vt iucundator turbatorum. Ipse enim

enim iucundas & lætas facit animas, ad quas venire dignatur. Hoc denotat quarta litera I. Ideo Christus assimilatur luci, quia lux dum oritur, vt dicit Augustinus tenebras expellit, mœroresque dissoluit, insidias perdit, securitatem parit, omnem spem lætam iucundamque inducit. IV. Christus venit vt iucundator turbatorum.

Quid SPIRITVALITER certè nisi Christus intelligitur? qui dicit Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.* Hic, inquam, dum oritur in nobis per lumen suæ gratiæ, mox expelluntur tenebræ ignorantiæ, mœroresque dissoluuntur præsentis tristitiæ & miseriæ, dæmonum perduntur insidiæ, omnis inducitur securitas, & serenitas, iucunditasque lætitiæ. Ideo dicit Anselmus in sermone. O infinitum refrigerium, & immensum, quod mihi per tuum mi Iesu ingruit influitque aduentum. Cui alludit Eusebius in sermone. O quanta iucunditas refrigerij & dulcoris, ex aduentu prouenit nostri dulcissimi saluatoris.

Legitur namque, quod deuota quædam domina circa infantiam Domini specialiter afficiebatur. quæ rogauit Dominum, vt ostenderet ei faciem pueritiæ suæ. Post aliquos dies in Ecclesia sola morari cœpit. Cui astitit puer pulcherrimus quærens ab ea; si sciret, Aue Maria? Et illa dicente vsque ad Benedictus fructus ventris tui. Ait puer: Ego sum, statimque disparuit. Illa iubilando clamauit; reuertere lumen: redi puer dulcissime: & per triginta dies clamoribus non cessauit; & die tricesimo venit Iesus dicens: Ecce vocatus venio ad te: sed & tu veni mecum in regnum Patris mei. Et his dictis statim fœmina iubilans exspirauit. Ecce quod aduenies Christus tristitiam in iucunditatem conuertit. Vnde bene dicitur aduenire vt iucundator turbatorum. Præmiū deuotionis erga infantiā Saluatoris.

QVINTO ipse venit vt animator pugnatorum. Et hoc figurat quinta scilic. Litera A. Pro quo NOTANDVM: quam diu homo est in præsenti vita, tenetur pugnare contra diaboli malignitatem, contra propriam infirmitatem, contra vitiorum nascentium perplexitatem. *Primo* contra diaboli malignitatem: de qua dicit Augustinus lib. solilo. cap. 16. Tetendit laqueos ante pedes meos infinitos, & omnes vias meas varijs impleuit decipulis ad capiendam animam, & quis effugiet? Laqueos posuit in verbo, in opere, & in omni via mea. Et ideo est pugnandum contra ipsum, iuxta illud Iob. 7. secundum vnam literam: *Tentatio est vita hominis super terram.* Super quo dicit Gregorius. Quid tentationis nomine nisi pugna contra malignos spiritus exprimitur. Igitur vita hominis tentatio est, quia dum quis contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum pugna proiectus, proculdubio se defendit. X Venit vt animator pugnantium. Pugnandū nobis. I. Cōtra diaboli malitiā.

Secundo pugnandum est contra propriam infirmitatem, scilicet carnem, quia illa tradit spiritum in potestatem dœmonum. sicut figuratum est Iudicum 16. vbi legitur, quod Dalila toties Samsonem tentauit & molestauit, quod ab eo septem crines extorsit: quibus perditis, amisit omnes vires; sicque tradidit ipsum in manus Philistinorum, qui excæcatum ad carcerem deduxerunt. II. Contra propriam infirmitatem.

MORALITER Dalila interpretatur paupercula, & significat carnem humanam, quę Samsonem, qui significat spiritum, decipit, & ipsum in potestatem dœmonum, qui significantur per Philistinos, tradit. Ideo dicit Isidorus de sumō bono: Nequaquam tibi caro ad libitum dominetur. mors nostra per fenestras ingreditur, nisi rationis fræno caro ab illicitis restringatur.

Tertio pugnandum contra vitiorum nascentium perplexitatem. quia pœnitens III.

anima

Contra vitia nascentia.

anima dum vnum vitium amputare conatur, in alterius vitij perplexitatem inducitur. Et principaliter pugnandum est contra vitium gulæ. Quia dicit Chrysostomus super Matth. In pugna Christi primo circa gulam pugnetur, quia nisi hoc vitium refrænetur, frustra circa alia laboratur.

Y Et quia contra hos tres hostes sæuissimos oportet nos pugnare necessario, videtur nos Christus quotidie animare. & hoc figuratur 2. Paral. 32. Vbi legitur, quod rex Assyriorum Sennacherib ingressus est in Iudæam & obsedit ciuitates munitas. Quod cum audisset Ezechias, *constituit principes bellatorum in exercitu, & vocauit vniuersos in platea portæ ciuitatis, & locutus est ad cor eorum, dicens: Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ cum eo est. Multò enim plures sunt nobiscum, quàm cum illis.*

Iudæa significat Ecclesiã Catholicam

SPIRITVALITER Sennacherib interpretatur tollens deserta, & significat diabolum, qui tollit omnes, qui à Deo deseruntur, scilicet omnes finaliter malos. Quia ipse est rex Assyriorum, per quem intelliguntur mali. Nec tamen in hoc contentatur, sed Iudæam ingreditur, quæ interpretatur confitens, & significat Ecclesiam Catholicam, scilicet congregationem fidelium, & ibi obsidet ciuitates munitas, per quas significantur animæ fidelium, quas etiam nititur sibi subiugare, sicut prædixit Dominus Iob 40. *Absorbebit fluuium*, quod exponit Gregor. 33. moral. 12. cap. Omnes infideles qui post hanc vitam defluunt, ad infinita sicut fluuius descendunt; *& habet fiduciam, quod Iordanis intrabit in os eius*. Iordanis, in quo Christus baptizatus est, significat omnes Christianos baptizatos. Hos omnes tentat decipere & expugnare. sed Christus verus Ezechias constituit principes bellatorum, & hi sunt Prælati, & hi pugnant non armis, sed orationibus contra dæmones exemplo Moysi Exod. 17. & hos animat & confortat cum alio populo Christiano ad pugnandum dicens: *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente: & accipietis regnum æternum.* Et dicit illud Ezechiæ, *Nolite timere*, quasi diceret, *quia ego vobiscum sum*, sicut promisi Matth. vltim. *vsque ad consumationem seculi. Ne timeatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem*, id est dæmonum. quia eius potestas sub potestate mea est, nec potest vobis tantum nocere, quantum vult, vt dicit Augustinus super Psalmos. Nec timeatis vniuersam multitudinem quæ cum eo est, per quos intelliguntur dæmones, vel peccata. Quia plures sunt Angeli, quàm dæmones, qui protegunt vos, & custodiunt. Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te.* Ecce quod Christus venit ad nos vt animator pugnatorum.

Christus verus Ezechias, Prælati principes bellatorum.

Z SEXTO & vltimo venit vt transformator animorum. & hæc concludit vltima litera, T. Circa hoc NOTANDVM secundum Anselmum anima est formata & creata ad imaginem Dei, quia sicut dicit: Fateor domine, & gratias ago, quia me creasti ad imaginem tuam, vt frui memor tui, id est, te cogitem & diligam te, te intelligam & cognoscam. sed culpa originalis heu & actualis eam turpiter deformauit. Vnde benè dicitur ad ipsam illud verbum Hugonis in solilo. de arrha animæ: Tam vilis & turpis est, quod sponsi Christi amplexibus amplius digna non est. Assimilatur enim culpa cuidam Deæ, quæ dicebatur Circe. De qua venerabilis Boetius lib. 4. metro. 3. scribit in hunc sensum: Vlysses post bellum Troianum cum rediens ad propria, diu in mari oberrasset, ad quandam insulam peruenit, quam inhabitabat quædam Dea nomine Circe filia solis, quæ per potiones & carmina consueuit hospites suos in

Christus venit vt transformator animorum.

Fabula de Vlysse & Circe pulchre applicata.

in diuersas bestias commutare: quæ etiam socios Vlyssis, cum ad eam peruenerant, per suas potiones in diuersas bestias transformauit. De hoc etiam scribit Vincentus in speculo historiali lib. 2. cap. 115. de transformatis dicens: Scribuntur enim quædam monstrosæ hominum transformationes & commutationes in bestias; sicut de illa magna famosissima Circe, quæ socios Vlyssis mutasse fertur in bestias: Et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, & ibi conuertebantur in lupos. Et ibidem allegat Solin. in lib. de miral. mundi, qui dicit: Neutri, vt accepimus, æstatis temporib. in lupos transfigurantur. Deinde spatio peracto, quod huic sorti attribuendum est, in pristinam faciem conuertuntur. Sed B. Augustinus 18. lib. de ciuit. Dei dicit: quod speciem tantum, quæ à vero Deo facta sunt & creata, commutantur, ne videantur sibi esse, quod sunt. Et proinde quod homines per sacrificiũ Arcadis mutati fuerint in lupos, & quod carminib. Circe socios mutauit Vlyssis, secundum hunc modum mihi potuisse videtur fieri, scil. secundum speciem: si tamen factum est. Idem de spiritu & anima sic inquit. Dicit enim humana opinio, quadam arte mulierũ & potestate dæmonum homines posse conuerti in lupos, vel iumenta, & quæq; necessaria portare, & post peracta opera iterum redire ad se, nec fieri in eis vitam bestialem, sed rationalem humanamq; seruari. SOLVTIO. Hoc est sic intelligendum, quod dæmones naturas non creant, sed aliquod tale faciunt, vt videantur esse quod non sunt. Nulla enim arte vel potestate, nedum animus, sed nec corpus quidem aliqua ratione in membra, vel lineamenta bestialia veraciter conuertere possunt. Hæc. Aug.

A Ideo MORALITER debet intelligi. Vlysses, qui significat quemlibet hominem, qui velut peregrinus nauigat in mari huius mundi, vt dicere possit Psal. 38. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus: quia non habemus hic manentẽ ciuitatem: sed futuram inquirimus*, ad Heb. 13. Socij hominum sunt spiritus & animæ, quæ ducunt illos semper ad optima: quia ratio semper deprecatur ad optima, Ethic. 1. Sed contingit multoties, quod culpa vel diabolus transformat animas, turpem eis formam non secundum veritatẽ, sed secundum similitudinem eis inferendo, iuxta illud Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis*. Super quo dicit Nicol. de Lyra. Subtracto honore Dei imaginis, nihil differt homo à brutis. Sicut factum fuit de Nabuchodonosor, de quo supra Dominica prima in aduentu sermone 1. quia non corporaliter, sed mentaliter dicitur mutatus fuisse in bestiam. De hoc dicit Ambrosius 23. q. 5. c. Amittunt. §. Hinc est.

NOTANDVM. Cum Nabuchodonosor superbiens in corde suo diceret; Dan. 4. *Nonne hæc ciuitas magna Babylon, quam ædificaui in domum regni?* statim immutauit Deus rationabilem mentem eius, & induit eum ferina bestialitate, vt ab hominibus fugiens cum bestijs viueret. Et *dicunt aliqui* huiusmodi transformationẽ esse factam anima remanente. *Alij dicunt:* quod huiusmodi transformatio non sit possibilis secundum rem, quia secundũ Commentatorem impossibile est duas vel plures essentiales formas esse in eodem supposito, sed secundum quandam apparitionem fantasticam. Et dicunt: quod non videtur rationabile, quod Nabuchodonosor transtulit se ad iumenta comedendo fænum, nisi quadam inani apparitione fantastica agitatus, seipsum reputabat bestiam, & iumentũ, propter quod consortio hominum priuatus est, & cum feris habitabat. Hæc ex Gloss. super Boetium, lib. & metro. allegatis, Sed

An & quomodo Nabuchodonosor in bestiã sit transformatus.

est valde notabile, quod idem addit: Numen, id est, Deus Arcadis, id est Mercurij, misericordia motus dedit Vlyssi, qui fuit princeps inter socios, quendam florem album, per quem ipsam transformationem euasit.

B Deus Mercurij, quid? Quid per Deum Mercurij? certe Deus pater intelligitur, qui dedit nobis peregrinis hic in terris florem album, per quem intellige Christum, qui dicitur *flos campi*, Cant. 2. Et albus ratione innocentiæ, quia *peccatum non fecit*, Isa. 53. & 1. Pet. 2. Hic inquam flos si venerit per suum benedictum aduentum in cor nostrum, tunc incipiemus eum intelligere; & per talem ipsius dilectionem transformat ipsam animam in priorem pulchritudinem & decorem, iuxta illud Poëtæ:

Sic transformatur cor amantis in id, quod amatur:

Tunc potest dicere homo ad quem venit Christus, illud Hugonis in solilo. de arrha animæ: O quam suauis & decora es facta anima mea; Quid sibi tantus & talis ornatus voluit, nisi quia idem ipse, qui te induit, sponsam suo thalamo præparauit.

DE EADEM DOMINICA, SERMO II. SVPER verba Cant. 5.

Veniat dilectus meus in hortum meum, vt comedat fructus pomorum suorum. Cant. 5.

REGES terreni alicuius regni consueuerunt habere distinctas mansiones atque mensas. Cum autem reges voluerint habere lætitias speciales, inuitant reginas ad suas mansiones atque mensas; & econtra sic faciunt reginæ. Hoc figuratum est Esther 1. vbi legitur, quod in illo grandi conuiuio, quod Assuerus parauerat cunctis principib. & pueris suis, seorsum habuit mensam rex, & seorsum regina: quia Rex fecit cum suis in horto, qui regio cultu & manu consitus erat: Regina autem Vasthi fecit conuiuium fœminarum seorsum, vbi rex Assuerus manere consueuerat. Et sequitur: *Quod die septimo rex cum esset hilarior misit pro regina Vasthi, vt veniret ad conuiuium, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulcritudinem ipsius. Erat enim pulcra valde.* Ex quo patet propositum.

Christus Assuero Regi cõparatus. SPIRITVALITER. Assuerus interpretatur beatitudo, & significat Christum, qui est beatitudo omnium electorum, *& rex regum, & dominus dominantium*. Apoc. 19. sed per Vasthi reginam intelliguntur animæ fidelium, & deuotorum, de quibus Cant. 6. *Sexaginta sunt reginæ.* super quo dicit Gregorius: Quid per reginas nisi sanctorum animæ designantur? quæ dum corpora sua prudenter regunt & alijs præsunt, regnũ sibi acquirunt. Sũnt enim nonnulli in sancta Ecclesia, qui carnem suam propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subijciunt, omnes motus suos vt ordinatè currant, sapienter regunt: alijs prædicant hoc, quod ipsi faciunt: multos à faucibus dæmonum gladio verbi Dei pugnantes abstrahunt. Quid huiusmodi animæ nisi reginæ existunt? quæ dum regem suum Christum valdè diligunt amoris commixtione, regios suos, id est fideles populos gignunt. Hæc Gregorius.

Sicut

Sicut igitur reges terreni & reginæ habent distinctas mensas & mansiones, & conuiuia, sic Christus & fideles animæ. Christus nunc habet locum suum & conuiuium in horto cœlesti. In quo secundum Amandum in horol. Sapien. lib. 1. cap. 11. est vernalis amœnitas, autumnalis iucunditas, serenitas æstiualis, iucunditas nuptialis. Ibi vallis gaudiosa, visio amorosa; ibi cœlestes harmoniæ personant, diuinæ fringillæ intonant; ibi nullæ assistunt tristitiæ, sed læta vniuersa: ibi gaudiorum nouitas, & æterna securitas. Ad hunc igitur horum plenum delicijs, vocat rex Christus reginam suam deuotam animam, Cant. 5. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comede fauum cum melle meo: bibe vinum cum lacte meo.*

Sed est valde NOTABILE, quod vt regina Vasthi vocata, ad hortum regium Assueri venire contempsit, Esther 1. sic etiam nonnullæ animæ inuitatæ à Christo, venire contemnunt. De quo Bernardus. lib. medit. cap. 4. laudans mansionem Dei dicit: O ciuitas cœlestis, mansio secura, patria totum fertilis & ampla, totum continens quod delectat: populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. Quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? sicut lætantium omnium habitatio est in te. Quæ igitur nos tangit vesania vitiorum, sitire absynthium huius mundi, sequi naufragium vitæ labentis? pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis conuolare ad sanctorum felicitatem, angelorum societatem, ad beatorum splendorem, regis potentis honorem, & supernæ gloriæ ad iucunditatem? Hæc Bernardus. Et certe sicut regina Vasthi fuit repudiata, & ad regem sibi non patuit ingressus, quia dicitur de ipsa, *Nequaquam regina Vasthi ingrediatur ad regem.* Esther vbi suprà: sic quę animæ inuitatæ à Christo, renuit venire ad ipsum, fortassis nequaquam cum separantur à corporib. ingredient; sed dicet eis, Sap. 1. *Vocaui, & renuistis: & ego in interitu vestro ridebo* i. vestri non miserebor. quia secundum Paschasium, ridere Dei est nolle misereri. Idcirco sunt aliæ deuotæ animæ, quæ sunt gratæ pro Christi inuitatione, & cum reinuitant figuratè per Esther, quæ inuitauit regem Assuerum cap. 5. dicens. *Si inueni gratiam in conspectu regis, & si ei placet vt det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat ad conuiuium, quod paraui ei.* Esther interpretatur abscondita, & significat animam, quæ nunc abscondita est in mortali corpore: quæ debet verum Assuerum ad conuiuium suum inuitare, & dicere verbum prælibatum: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* In quo quidem verbo tria innuuntur. C

Dilecti læta inuitatio.
Loci pulchra decoratio.
Prandij plena præparatio. ibi; *Veniat dilectus in hortum suum vt comedat.*

PRIMO igitur ponitur dilecti inuitatio ibi, *Veniat dilectus meus.* Vbi NOTA: D
Dicit Physiologus, quod Elephas sic capitur seu allicitur: accedunt ad deserta loca, vbi habitant virgines omnino nudæ, & crinibus resolutæ, & incipiunt dulciter cantare. quod audiens Elephas, venit ad eas, & lingit earum manus: de dulcedine autem cantus mox obdormit: sicque per cantum, ipsum alliciunt ad se & inuitant. *Christus elephanto comparatus.*

MORALITER. Per virgines intellige animas deuotas & fideles, quæ si volunt allicere ad se seu inuitare magnum Elephantem, scilicet Christum, de cuius magnitu- *Animæ fideles virgines.*

 dine

bus collatæ propter quinque. dine dicit Psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis* &c. PRIMO debent esse virgines aut puellæ, propter quinque.

I. PRIMO, vt dicit Anselmus lib. 6. cap. 7. quia secundum complexionem sunt calidæ & humidæ. sic animæ sanctæ, quæ volunt allicere Christum, debent esse calidæ per dilectionem, & humidæ per deuotionem. Et hoc debet esse de supernis, & non mundanis. Quia dicit Gregorius super illud Ezechielis: Anima sine amore nũquam est. Aut enim superius munitur, & verè beata est, aut vanis immergitur, & misera est, semper. Ista quidem secundum dilectionem calida fuit, quæ dixit Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est*. Nam in liquefactione animæ notatur calor dilectionis resoluens, & humor deuotionis decurrens. Hac dilectione calidus fuit B. Bernardus, qui dicit in floribus; O bone Iesu quàm benignus, quàm suauis es, quàm dulcis, quàm amandus, quàm amplectendus, quàm totus admirabilis, quàm verè domine Iesu Christe desiderabilis. Beatus homo qui te amat, amplectitur, & exspectat. Et nota; quod animæ, quæ sic sunt calidæ per dilectionẽ, tria bona cõsequuntur: vt patet per Archidiaconũ Guidonem in rosario super decretũ. *Primum* quod eas custodit, Psal. 144. *Custodit Dominus diligentes se*. & hoc ideo, quia in eis manet iuxta illud Ioan. 4. *Deus charitas est*, scilicet increata, *& qui manet in charitate*, scilicet creata, *in Deo manet & Deus in eo*. Ideo æquum est vt hospitium custodiat. *Secundum* est, quod eis debitum relaxat Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa*. *Tertium* quod se eis manifestat, iuxta illud Ioan. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligo eum & manifestabo ei meipsum*.

Anima nunquam est sine amore.

Animã tria bona consequuntur. 1. 2. 3.

SECVNDO puellæ aut virgines, vt inquit Anselmus, secundum corporis dispositionem sunt tenellæ, graciles, flexibiles, & pulchræ: sic animæ deuotæ, quæ volunt verum Elephantem ad se attrahere, debent scilicet esse tenellæ per beneuolentiam, flexibiles per obedientiam, graciles per abstinentiam, & pulchræ per mundiciam. Sic tenella fuit anima Dauid per beneuolentiam, cum dixit Psal. 124. *Benefac domine bonis & rectis corde*. Flexibilis per obedientiam fuit anima Pauli, cum dixit Act. 9. *Domine quid vis me facere?* quasi diceret, paratus sum tibi nunc in omnib. obedire. Gracilis verò fuit per abstinentiam anima Danielis prophetæ, qui dixit Dan. 9. *Posui faciem meam ad Dominum meum rogare in ieiuniis sacco & cinere*. Sed pulchra per mundiciam fuit illa, cui dictum Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra; oculi tui columbarũ*. Et iterum Cant. 4 *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? absq; illo quod intrinsecus latet*. Et iterum: *Pulchra es amica mea & macula non est in te*. Tales enim virgines alliciunt Christum regem. Sic figuratum fuit de Assuero Esther 2. vbi dixerunt pueri eius & ministri; *quærantur regi virgines* per continentiam carnis & sponsæ per mundiciam mentis.

II. Anima deuota qualis esse debeat.

E

III. TERTIO quia virgines puellæ secundũ mentis affectionem sunt verecundæ, timidæ, & iucundæ, iuxta illud Bernardi super Missus est. Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper esse pauidæ & verecũdæ: sic deuotæ animæ debẽt essent verecundæ de vitijs, timidæ de supplicijs, & iucundæ in obsequijs. Verecunda de vitijs fuit Maria Magdalena, quæ stetit retro pedes Domini, & hoc fecit ex verecundia, quam habuit coram Iesu. Et si non coram hominib. tamen hæc verecundia necessaria est animæ. Ideo dicit Augustinus lib. de pœnit. Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim maximam partem habet remissionis, & ponitur transumptiuè per

Virgines puellæ. Verecundia de vitijs habenda.

Erubescẽtia.

per Gregorium in decret. de pœn. dist. 1. c. Quem pœnitet vbi dicit idem Augustin. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. & quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia.

Timidus de supplicijs fuit quidam nomine Gothardus Marsiliensis diœcesis, de quo legitur in lib. de timo. domini: qui cum esset excellens ioculator & mundi vanitatibus deditus, cœpit semel cogitare de æternitate pœnæ, de qua Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* & dixit in corde suo; Si proponeretur tibi, quod in lecto molli & delicato iacere deberes, non tamen recedere: non posses hæc sustinere? & quomodo ergo poteris sustinere, in æternum in illa pœna iacere inferni? Et hac consideratione perterritus, omnia reliquit, & factus est monachus Cisterciensis: postmodum vero Episcopus, & vir sanctitatis eximiæ. **Gothardi Marsiliensis vitæ mutatio.**

Sed iucundus in obsequijs Dei fuit deuotus Amandus, qui dicit horol. Sap. lib. 2. cap. 5. Eia domine mi, respice nunc præcipuum cordis mei affectum, & doce me laudare te, & glorificare nomen tuum. quia hoc est, quod præ cunctis mundi gaudijs appeto & requiro. *Et infra:* Desidero, inquit, dilecte mi, vt quando corpus meum fuerit in pulueres redactum minutissimos, & lapide clausum, quod de qualibet pulueris particula minutissima, amœna vox laudis & gloriæ tuæ exsurgat, quæ durissimum lapidem penetrans cœlorum altitudinem penetret, & vsque ad extremum iudicij diem viuæ laudis & glorificationis melodia æternaliter me tibi copulet, F

QVARTO puellæ virgines secundum exteriorem dispositionem sunt disciplinatæ in moribus, tacitæ in sermonibus, & delicatæ in vestibus: Si animæ deuotæ debent esse disciplinatæ in moribus, sicut Dauid, qui ait in Psal. 17. *Disciplina tua, ipsa me docebit.* Debent etiam esse tacitæ à noxijs locutionibus, sicut beatus Abbas Agathō, qui per triennium tenuit lapidem in ore, vt taciturnitatem disceret, vt in Vitis Patrū lib. 4. cap. 4. §. 35. Vnde legitur in lib. Sententiarum PP. §. 35. Quidam vir sanctus magnus, de sanctis sermonib. talem gratiam habuit, vt videre posset, quod alij non videbant. Vidit enim aliquando plures sedere fratres simul, & loquentes de sanctis scripturis, quæ ad salutem pertinent animarum, & stabant circa eos S. Angeli lætantes, & delectabantur de eloquijs. Cumq; aliud quodcunque inter se loquerentur, statim Angeli recedebant longius, indignantes contra eos. Veniebant autem porci sordidissimi & morbo pleni volutabant se inter eos. Dæmones n. in specie porcorū delectabantur de superbia, & de vaniloquio eorū. Ideo præmonebat fratres illos dicens: Cauete fratres à multiloquio & ambitiosis verbis & sermon. quia ab illis interitus animæ generatur. Debent etiam deuotæ animæ esse delicatæ virtutū vestibus, sicut illa de qua dicit Sapiens, Prouerb. 31. *Fortitudo & decor indumentum eius.* IV. **Colloquijs pijs lætatur angeli.**

QVINTO puellæ virgines secundum nominis significationem sunt paruæ, integræ, & honestæ, & puræ. Nam sicut dicit Isidorus. Puella dicitur pura, sicut pupilla. Et puella est nomen ætatis, nomen integritatis, & nomen honestatis: sic debent animæ sanctæ esse paruæ per humilitatem, integræ per virginitatem, honestæ per castitatē, & puræ per sinceritatem: vel paruæ in sua æstimatione, sicut Abraham, qui dixit Gen. 18. *Loquar ad dominum cum sim puluis & cinis?* Integræ sine carnis corruptione, honestæ in moribus, & puræ in operibus. V. **Puella, quid?**

G

SECVNDO animæ quæ volunt ad se inuitare Christum Elephantem magnum non solum debent esse virgines, sed etiam nudæ à curis & occupationibus tempora- **Animæ debent esse nu-**

dæ à nimijs curis temporalium. poralib. nimijs; quia nimia cura temporaliũ euacuat animam à virtute. cuius exemplum dicit Anselmus lib. 2. cap. 33. de bombyce, quod in illo vermiculo ex visceribus internis exterior textura, bombycium conficitur, qui telas texit ad modum araneæ. Et sicut dicit Isidorus dum fila egerit, euacuatur, & nihil in eo remanet nisi aer, vt dicit Anselmus. Ille sic texendo laborat, qui omnes occupationes & studia vitæ suæ conuertit ad desideriorum expletionem: vt cum seculi negotijs totaliter implicatur, interius virtutibus penitus euacuatur. Propter hoc 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.*

Virginitas sola non prodest animæ. Quod autem virginitas sola non prodest animæ, nisi etiam sit nuda à cura & occupationib. terrenis, legitur in historijs; quod filius regis Franciæ infirmabatur ad mortem, & fuit vocatus frater ordinis Prædicatorum, cui iuuenis confitebatur. Qui cum obijsset, interrogauit pater confessorem dicens: quid vobis videtur de anima filij mei charissimi? Respondit: vtique saluata est, quia purus virgo fuit. Qui postea apparuit magistro dicens, se æternaliter damnatum. Cui magister: Confessor, inquit, tuus perhibuit testimonium, quod nunquam polluisses corpus tuum cum mulieribus, & satis morigeratus fuisti. Quid igitur fecisti? Respondit corpus meum non Periculum morientium, cum cura rerum temporalium. pollui, & post absolutionem filius æterni regis fui: tamen post recessum confessoris, moriens me de possessione paterna occupaui dicens: O non debes tam preciosa ista possidere, & in illis occupationibus obij, & non cogitando de Deo. Ideo damnatus sum.

Et dixi SIGNANTER quod anima hominis, qui vult Christum inuitare, nuda à curis & occupationibus nimijs debet esse. In hoc enim cura moderata circa terrena nõ Cura circa terrena quatenus culpetur. culpatur. quia ait Apostolus ad Rom. 12. *Sollicitudine non pigri*, quasi diceret, interdum est pro temporalibus sollicitandũ & humanitas proximis in effectu præstanda. Propter quod *Martha sollicita erat propter plurima*, vt pauperib. subueniret, Luc. 10. Super quo dicit Innocentius III. Extra. de renunc. c. Nisi cum pridem §. Nec putes, quod ideo Martha malam partem elegit, quæ circa plurima satagebat, quia *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea*: quoniam licet illa sit magis suauis, hæc tamen magis vtilis.

H

Animæ fidelium debent habere bonas cogitationes. TERTIO. Animæ deuotæ, quæ cupiunt Christum ad instar capientium Elephantem allicere & ad se inuitare, debent non solum virgines & nudæ esse, sed etiam in capillis resolutæ. Vbi NOTANDVM: MORALITER capillis aut crinibus assimilantur cogitationes: vt dicit Anselmus lib. 6. cap. 15. propter tria. quia sunt capitis ornatiui, cerebri defensiui, & multipliciter passiui.

Capilli ornant. PRIMO igitur capilli sunt capitis ornatiui. Quia dicuntur secundum Isidorum capilli quasi capitis pili, propter quod Absolon 2. Reg. 14. pro ornamento capitis vtebatur capillis: & quanto sæpius tondebat capillos, tanto amplius crescebant. *Semel autem in anno tondebat, & grauabat eum Cæsaries. ponderabant autem capilli capitis sui ducentos syclos pondere publico.* Et dicit Gloss. quod mulieres emebant eos pro capitis ornamento. Sicut igitur capilli ornant caput, sic debent cogitationes sanctæ bonæ & ordinatæ ornare animam. Causa est, quia sicut *capillus de capite non peribit*, Lucæ 21. Sic nulla cogitatio mentis sine retributione transibit. Quod testatur Gregorius in moral. quod ante Dei oculos vacuæ non transibunt cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis.

SECVN-

SECVNDO capilli sunt cerebri defensiui. Nam iuuant caput & cerebrum contra intrinsecos læsiones. & ideo capilli sunt multi & duri, quia secundum Constant. ex fumo grosso & calido nascuntur. nam ex igneis & intensis humoribus per capitis poros egrediuntur, & aere intrinseco desiccantur, & sic in substantiam capillorum conuertuntur. Vnde hoc humore crescente capilli crescunt: Ergo etiam decrescente, decrescunt & euanescunt; & secundum qualitatem talis fumi, erit qualitas capilli. & ideo si fumus est multus, sunt capilli multi: si paucus, pauci: si niger, nigri. & sic de alijs. Sicut ergo capilli sunt ad defendendum cerebrum, ita cogitationes bonæ sunt ad defendendum animum, quia dum feruent in animo cogitationes bonæ, non ingrediuntur in ipsum cogitationes prauæ; sicut dicit Ioannes Cassianus in lib. Collat. Patrum, coll. 2. Incipiamus bonas cogitationes, & statim ab alijs, quæ malæ sunt, dignabitur nos Dominus liberare Et sicut dictum est suprà, quia secundum qualitatem fumi, erit qualitas capilli; sic secundum ordinationem exteriorum sensuum sequitur ordinatio, vel deordinatio cogitationum. Ideo dixit Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne quidem cogitarem de muliere vel virgine.* Defendunt. Bonæ cogitationes defendunt animũ.

TERTIO capilli sunt multipliciter passiui. quia

Inciduntur.	*Discriminantur.*
Decaluantur.	*& Dealbantur.*

PRIMO igitur capilli inciduntur: ideo dicitur Cæsaries capillorum à cædendo; & hoc conuenit cogitationibus superfluis, quæ sunt præcidendæ secundum illud Gregorij in moral. Magno studio cogitationes superfluæ amputandæ sunt. sed tamen amputari funditus non possunt. semper enim caro superflua generat, quæ spiritus sollicitudine restringit. I. Capilli inciduntur.

Legitur in vitis Patrum lib. 4. cap. 11. de Sobrietate, §. 20. Quidam quæsierunt à Siluano, per quam viam adeptus esset tandem prudentiam? *Respondit* nunquam permisi morari cogitationes malas in corde meo, quæ Deum prouocarent ad iram. Sed heu multi inter nos non faciunt sic. quia quidam in se morari permittunt cogitationes superfluas, alij luxuriosas, reliqui auaras, & de quolibet istorum dicit Dominus Hierem. 4. *Vsq; quo morabuntur in te cogitationes noxiæ.*

SECVNDO capilli discriminantur. ideo vt dicit Isidorus dicuntur crines mulierum, quia toti discriminantur. In hoc datur intelligi, cum cogitationes sunt dubiæ vel inordinatæ, quod sint discriminandæ, ist est, diligenter discernendæ. Et hoc fit, quando homo ad mortem suam per rationis intuitum tendit. quia sicut dicit Gregor. in moral. Si à domo mentis ad monumentum ratio descendit, quasi absente domina cogitationum se clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat. Cum autem ratio ad mentem redit, mox confusio tumultuosa timescit & quiescit. II. Discriminãtur.

TERTIO capilli decaluantur, & hoc fit, cum deficit humor pinguis, quo nutriuntur capilli. In hoc datur significari, quod cogitationes prauæ sunt omnino decaluandæ, id est totaliter & radicitus à principio euellendæ. Iuxta illud Deut. 17. *Aufer malum*, scilicet cogitatum, *de medio tui.* Et Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris.* De hoc etiam dicit B. Hieronymus in epistola ad Demetriadem. Est tutissimum atque perfectum; vt affectet animus sollicita atque semper vigili cura & studio discernere cogitationes: ad primum animi motum vel probare vel improbare, quod cogitat: vt bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hinc nam- III. Decaluantur.

que fons est boni & origo peccati: quare ibi maxime oportet præseruari peccatum, vbi nasci solet. Statimque ad primam tentationis faciem & malum, antequam crescat, restringere, dum adhuc est in cogitatione.

IV. Dealbantur. QVARTO capilli dealbantur, cum capilli videlicet canescunt. In quo moraliter innuitur, quod cogitationes malæ & fœdæ sunt per pœnitentiam dealbandæ, id est abluendæ. Iuxta illud Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Nam pœnitentiæ ardor quasi crines dealbat, cum distortas cogitationes purificat. Vnde Gregor. 13. moral. Mentes, si quas ipsæ carnales cogitationes inueniunt, pœnitentiæ ardore consumunt: nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt. Ecce sic debent animæ deuotæ crines malarum cogitationum resoluere, quæ volunt verum Elephantem Christum ad se allicere.

Animæ fideles cui rei dedita & quomodo ornatæ esse debeant. Quarto, necesse est vt non solum sint virgines nudæ & habeant crines resolutos: sed etiam vt habeant dulces voces, quibus mediantibus Christum ad se trahant. Et hæ voces debent *Primo* esse cordis lætificatiuæ, vt scilicet animæ deuota oratio & bona meditatio. De qua voce dicit ipse Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Et Psalm. 118. *Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa. Secundo* debent esse amoris excitatiuæ. Sicut enim aues fœmineæ ita dulciter canunt; vt etiam cantu dulci mares ad se alliciant atque trahant: sic vox intima animæ deuotæ debet dulciter cantare, vt Christum sponsum possit ad se inuitare. & ille cantus debet fieri fide, spe, & charitate.

K *Fides* enim debet adiurando Christum inuitare, spes hospitium præparare. Charitas verò eum tenere. Et sic legitur de quadam muliere, quæ dum caruisset aliquanto consueta visitatione spirituali & diuina, timens ne nimis tardaret, vel veniens citò recederet, allocuta est virtutes theologicas dicens: *Fides* mea vade ad Dominum, & adiura eum per omnes articulos fidei, qui de eo creduntur; vt veniat. *Spes* mea exspecta eum, & para hospitium. *Charitas* mea, cum venerit, tene eum, ne recedat. Cumque sic dulciter cantaret, seque ipsam ad suas virtutes excitaret, venit mira consolatio non cito recedens. Ecce quod magnus ille Elephas Christus ex dulci cantu animæ deuotæ venit, in sinu mentis obdormiens, iuxta illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Anima fidelis Christum suscepturа debet esse munda. Quantum ad secundum principale in verbis præmissis ponitur loci pulchra præparatio ibi; *In hortum meum.* Circa quod NOTANDVM, Consuetudo illa est satis laudabilis & honesta in hoc mundo, cum quis aliquam honestam personam inuitauerit in domum suam, quod ante eius aduentum locum, in quem ipsum inducere velit, benè præparet, mundet, & disponat, secundum illud Ambrosij in quodam sermone huius temporis dicentis: Ecce si aliquis vestrum seniorem suum in domum suam recipere debuisset, ab omnibus sordibus & immundis rebus ipsam domum mundasset.

MORALITER. Hanc consuetudinem debet sequi quilibet deuotus homo Christum ad se inuitans per verbum præcedens, videlicet *Veniat dilectus meus in hortum meum*, vt scilicet abijciat sordes immundiciæ exemplo apum. Apes enim, vt dicunt naturales, miram inter se habent mundiciam, ita quod nullas spurcitias dimittunt inter opera sua. foris enim eijciunt digestiones, quas faciunt, intusque nullum fœtorem sustinere possunt. Ideo dicit Apostolus Iacobus cap. 1. *Abijcientes omnem immun-*

immunditiam & abundantiam malitiæ, cum mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Vbi per verbum intelligitur Christus, de quo Ioan. 1. *In principio erat verbum* &c. Cumque sic sordes expulerit, locumque mentis præparauerit, tunc secure Christum inuitare poterit dicens; *Veniat dilectus meus in hortum meum.*

Vbi NOTA. Anima deuota iusti hominis assimilatur horto voluptatis, quem plantauit Dominus à principio, scilicet paradiso terrestri. Et similitudo hæc congrua videtur triplici ratione, vt dicit Ansel. lib. 9. c. 3. L Anima iusti comparatur horto voluptatis.

scilicet ratione { *Situationis.* *Plantationis.* *Irrigationis.* }

PRIMO igitur anima iusti assimilatur horto voluptatis ratione *situationis.* Est enim hortus paradisi situatus in loco fertili, eminenti, orientali. PRIMO quidem situatur in loco fertili, propter quod dicitur παράδεισος Græcè, hortus Latinè, Eden Hebraicè. quod apud nos delitiæ interpretatur, quia est hortus delitiarum, vt dicit Isidorus lib. 15. sic anima cuiuslibet deuoti hominis, est hortus spiritualium delitiarum Dei. Quod enim est hortus, testatur Ioañes Chrysostomus: Anima, inquit, sancta hortus conclusus esse intelligitur, quia damnando humanam laudem in bonis, quæ facit bona intentione, se circumsepit, ne ad interiora hostis rapiendo antiquus irrumpere possit. Ideo de sancta anima dixit sponsus Christus Cant. 4 *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Quod autem anima sancta est hortus delitiarum spiritualium, approbat ipsa veritas Prou. 8. *Delitiæ,* inquit, *meæ esse cum filijs hominum.* Quod deducit B. Bernardus super Cantica dicens: Multæ tibi delitiæ cum filijs hominum, æterne Deus, quorum animas in paradisum tuæ ineffabilis voluptatis & dulcedinis elegisti. I. Paradisus in loco fertili.

Et NOTANTER dixit sponsus in Cant. vbi suprà: *Hortus conclusus soror mea:* quia anima quæ debet esse Dei habitaculũ, debet esse clausa, & non egredi rationis claustrum: quàm citò enim egreditur, à diabolo opprimitur. sicut figuratum est, Gen. 34. vbi legitur. *Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum illa, tristemq́, deliniuit blanditijs. Et pergens ad patrem suum Hemor, dixit: Accipe mihi puellam hanc coniugem.* Et sequitur: *Arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisq́, omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Hanc filiam exponit Nicol de Lyra in Gloss. mor. super Gen. dicens: Dina egrediens domũ Patris sui significat animam vagam, quæ egreditur domũ rationis. Ideo à Sichem, qui interpretatur ebrius, significans diabolũ, rapitur: qui trahit eam ad consensum mortalis culpæ, & dormit cum ea, inducendo ad effectum. Sed post peccatum anima peccatrix incipit dolere. quia secundũ B. Augustinum. Omnis inordinatus animus est sibiipsi pœna. sed vt ipsi pœna non ad debitam pœnitentiam perueniat. diabolus ei blanditur promittẽdo diuinæ misericordię magnitudinẽ, & sanctorũ grauiora peccata ei ad memoriam reducendo, scilicet Dauid, Manasses, &c. Sed per hoc, quod sequitur: *Accipe mihi puellã in coniugem.* quærit diabolus animam, quam traxit ad peccatum, sibi inseparabiliter, M Anima Dei habitaculũ. Anima vaga à diabolo rapitur. Fraus diaboli.

vt societur. Sed duo fratres Dinæ, scilicet Simeon & Leui, sunt prædicatores, qui mittuntur combinati. Luc. 10. arreptis duobus gladijs, scilicet oratione & prædicatione, inuadunt ciuitatem diaboli, sicque totaliter sororem suam à domo Sichem, id est diaboli, per veram pœnitentiam ad statum gratiæ reducunt. Idcirco anima quam debet Christus velut Paradisum delitiarum inhabitare, non debet de claustro, vel de domo rationis euagari, ne à diabolo opprimatur, & maximè deseratur.

N — Paradisus, vbi?

SECVNDO. Paradisus hortus delitiarum est situatus in loco eminenti, & hoc dicit Basilius & Ambrosius in hexamer. Paradisus est in Oriente in monte altissimo, de cuius cacumine cadentes aquæ maximum faciunt lacum, & in cadendo tantum faciunt sonitum, quod omnes incolæ iuxta prædictum lacum nascuntur surdi. De eminentia etiam Paradisi dicit Magister lib. 2. sentent. dist. 17. cap. 5, quod vsque ad lunarem circulum pertingit. Vnde neque aquæ diluuij illuc peruenerunt. Sed hoc nõ tantum fuit secundum Gloss. propter loci altitudinem, sed propter loci puritatem, qui purgatione aquæ non indigebat. Per quod MORALITER significatur, quod anima iusti hominis, quæ debet esse hortus delitiarum Deo, debet omnia terrestria excedere, & contemplatione ac desiderio vsque ad cœlestia pertingere, vt sic dicatur Psal. 9. de ipsa, *Altissimum posuisti refugium.* Debet enim anima nostra conuersari in cœlestibus. Iuxta illud ad Philip. 3. *nostra conuersatio in cœlis est*, & potius in cœlestibus quàm in terrenis occupari. quia dicit Haymon. super Apoc. Animus noster nequaquam cœlestibus occupari poterit & mundanis. Aut enim cœlestibus implicatur, & verè beatus est: aut vanis immergitur, & miser semper est. Cui consonat Chrysostomus: Ecce, inquit, sine delectatione anima nequaquam potest esse, aut enim delectatur in infimis, aut in summis: & quanto maiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima. quanto maiori cura marcescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit à summis. Hæc Chrysostomus.

Animæ delectatio, quæ?

Sed heu multi nostri non attendunt altitudinem animæ. Ideo non curant de ea. sed verius solent ipsam deijcere. Contra quos dicit B. Augustin. O anima mirabilis creatura, quo te deijcis? Si terram amas, melior es. Si cœlum contemplaris, altior es. solo creatore tuo inferior es. Ecce quàm in loco eminenti est situata anima, quæ est hortus delitiarum DEI.

O

TERTIO dictum est, quod Paradisus hortus voluptatis est in loco Orientali, vt dicit Isidorus. lib. 15. Paradisus est locus in partibus Orientis. Sed quid per hoc moraliter innuit?

NOTANDVM. Quod per Orientem vno modo intelligitur aduentus ad iudicium, iuxta illud Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsq; in Occidentem: ita erit aduentus Filij hominis:* Sic debet anima fidelis hominis situari in Oriente, vt videlicet præ oculis habeat terrorem aduentus Christi ad iudicium. De quo dictum est Dominica præcedente, vt illud cum gaudio mereatur exspectare, iuxta illud Origenis in lib. de ritu Ecclesiæ. Id quidem summum audeo & inæstimabile gaudium nominare, dum quis nunc timere studet, vt iudicium illud extremum gaudente possit atque imperterrito animo exspectare. Sicque legitur in Vitis patrum. Quod Abbas Elias dixit: Tres res timeo. *vnam* quando egressura est anima mea à corpora: *aliam*, quando occursurus sum Deo: *tertiam*, quando aduersus me proferenda est sententia DEI.

Terror aduẽtus Christi ad iudicium præ oculis habendus.

Alio modò, per Orientem intellige Christum, iuxta illud Zachar. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius*. in hoc datur intelligi, quod anima, quæ debet habere præ oculis recordationem passionis Christi, secundum quod hortatur Apostolus ad Heb 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes*. Et dicit deuotus Amandus in horol. sap. lib. 1. ca. 14. Memoria passionis Christi non debet fieri cum festinatione, sed cum matura ac præcordiali rememoratione, & flebili quadam compassione.

Oriens Christum designat.

P

SECVNDO anima iusti assimilatur horto voluptatis ratione plantationis. quia dicitur Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*. Ex hoc Platonici dicunt, & putant omnes animas simul ab initio creatas. Et illius opinionis fuit Origenes, sicut dicit Augustin. super Gen. 7. sed hoc fidei Catholicæ contradicit. quæ asserit animas in creando corporibus infundi, & infundendo creari, quam fidem confirmat Psal. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum*. id est, creauit animas singulas per se pulcherrimas, vt dicit Gloss. Ideo dicit Magister lib. 2. dist. 18. cap. vlt. Catholica Ecclesia nec simul nec ex traduce factas esse animas docet: sed in corporibus per coitum seminatis infundi, & infundendo creari. Et allegat ibidem Augustinum. in Ecclesiasticis dogmatibus cap. 13. dicentem; Animas hominum non esse ab initio creatas inter ceteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes finxit, dicimus; neque per coitum cum corporibus seminari, sicut Luciferiani & Cyrillus & quidam Latinorum præsumptores affirmant. Sed dicimus corpus tantum per coniugij copulam seminari, creationem verò animę solum creatorem nosse, eiusque iudicio corpus coagulari in vulua, & compingi atque formari. ac formato iam corpore animam creari, & infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero plenus humana substantia.

Num omnes animę simul ab initio creatur.

Q

Et est NOTANDVM, quod postquam dominus plantauit hortum voluptatis, produxit de humo. *Primo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suaue*, Gen. 2.

I.

MORALITER hoc lignum pulchrum visu, est anima iusti hominis ex conuersatione bona. De qua 1. Pet. 2. *Conuersationem* inquit, *vestram inter gentes habentes bonam*. Sed ad vescendum suaue est, ex conscientia munda, quia Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium*. De his dicit Augustinus: Conscientia coram DEO necessaria est, conuersatio bona coram hominibus.

Cõuersatio inter gentes.

Sed diceres; Dicis mihi, quod conscientia necessaria est coram Deo, quicquid facio, audio, quod multi suspicantur de me malum & scandalizantur nunquid in hoc sufficit conscientia coram DEO? *Ad hoc respondeo*. In hoc non sufficit conscientia munda apud DEVM, sed debes quantum est in te, laborare satisfacere eis ostendendo innocentiam & intentionem tuam, causam scandali remouendo & speciem mali. Quia B. August. 11. q. 3. c. Non sunt audiendi. dicit: Nobis necessaria est vita nostra: alijs fama nostra. si autem volunt recipere satisfactionem, sed parati sunt reprehendere & non imitari, tunc debes dolere, quod illi peccant: & sic sufficit tibi conscientia. Sed quoad hoc dicit Gregor. 11. q. 3. c. Inter verba. Si nobis testis est in cœlis, & testis in corde, dimittamus stultos loqui, quod foris volunt. & Sapiens Cato dicit.

Conscientia necessaria.

Cum recte viuas, ne cures verba malorum.
Arbitrij nostri non est quid quisq; loquatur.

Viuendum sine offensione proximi. Debet tamen quilibet ita inter homines conuersari, ne suspitionem faciat infirmo fratri. De hoc B. Augustin in lib. de ouibus. Curemus inquit, fratres, non tantum viuere bene, sed etiam coram hominibus benè conuersari: nec tantum habere bonam conscientiam, sed quantum potest nostra infirmitas, & quantum valet vigilantia humanæ fragilitatis, curemus nihil facere, quod veniat ad malam suspitionem infirmo fratri.

II. *Secundo* produxit Deus in paradiso voluptatis florum & frondium immarcescibilem pulchritudinem. Sic in anima iusti, ad quam debet venire Christus, debent redolere pulchri flores virtutum, vt congruè dicatur de ipsa illud, quod canit Ecclesia: *Circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.* Ideo dicit Ioan. Chrysost. Ager cui benedixit Deus, est anima sancta, in qua redolet flos violæ per humilitatem, flos spicæ per bonorum operum maturitatem, flos oliuæ per misericordiam, flos rosæ per patientiam.

R

III. Lignum scientiæ boni & mali est prudentia. *Tertiò* produxit Dominus in horto delitiarum terrestris paradisi lignum scientiæ boni & mali, & hoc lignum, vt dicit Magist. lib. 2. sent. dist. 17. c vlt. nomen non à natura accepit, sed ab occasione rei postea secutæ. Arbor enim illa, supple scientiæ boni & mali non erat mala; sed scientiæ boni & mali ideo dicta, quia post prohibitionem erat in illa transgressio futura, qua homo experiendo disceret, quid esset inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ.

MORALITER vero lignum scientiæ boni & mali, quod Deus plantauit in anima, nihil aliud est nisi prudentia inter bonum & malum discernens, quæ valde est ei necessaria. Prudentia quam sit necessaria. Iuxta illud Augustin. in sermonib. ad fratres Eremitas. serm. 2. Prudentia necessaria est nobis, quia docet, quid fugiendum, quiduè agendum. Prudentia enim docet te, vt non superbias, nec immitaris rebus temporalibus, nec mireris de rebus transitorijs, cum caducæ sint. Prudentia te docet, vt quæ non perpetuo sunt fructuosa, permittas abire. Prudentia docet, vt in cunctis semper idem sis, tam prosperis, quàm in aduersis. Prudentia te docet, quod reprehensibilis est nimia laudatio & immoderata vituperatio. Prudentia cum discretione, promittit, & promissa accelerat, & amplius quàm promiserat, præstat prudentia te docet, quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, quomodo futura præuideas. *Et subdit:* O beatus. ô felix & verè felix, qui prudens inuenitur. Nam si cuncta quæ habet amittit, clamat: omnia mea mecum sunt. Quæ sunt ista quæ mea sunt, nisi iustitia, temperantia, fortitudo, & prudentia? Hæc ille. Veram prudentiam quis habet? Quis autem habeat prudentiam, docet Chrysostomus dicens: Ille veram prudentiam habet, qui sollicitè laborat agnoscere, quid sit optimum, & hoc toto nisu amplectitur; quod sit pessimum, & hoc toto corde detestatur. Ille prudens est, qui frequenter pensat, quid boni, quid mali futurum sit. Quanta igitur delectatio sit bonis, vniri æternaliter summo bono? quanta amaritudo malis perpetuo separari à summo bono.

S

IV. Lignum vitæ est gratia Christi. *Quarto* plantauit Dominus in horto delitiarum lignum vitæ, de quo dicit Beda & Strabo super Gen. & similiter Aug. super Gen. lib. 8. c. 9. & allegatur à Magistro vbi suprà. Lignum vitæ dictum est, quia diuinitus hanc vim accepit, vt qui ex eius

fructu

fructu comederet corpus eius stabili sanitate & perpetua soliditate firmaretur, nec vlla infirmitate, vel ætatis imbecillitate in deterius vel occasum laberetur. Sed per lignum vitæ, quod plantauit Deus in horto animæ, est gratia Christi designata. quia sicut lignum gustatum, vitam primis parentibus attulisset; sic gratia Christi gustata spiritualiter, vitam affert spiritualem. quia dicit Augustin. in homilia. Sine gratia viuere nemo potest. Sed cum homo in anima per gratiam viuit, non debet adscribere sibi, sed Christo: sicut B. Paulus, qui ait: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et subdit: *Quod autem ego nunc viuo*, Gloss. per Christi gratiam, *in carne*, id est, adhuc existens in carne mortali, *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit seipsum pro me. Non abijcio gratiam Dei.* ad Gala. 2.

TERTIO, anima assimilatur horto ratione irrigationis: quia Gen. 2. legitur. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison: ipse est, qui circumit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: Et aurum terræ illius optimum est: ibiq; inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij secundi Gehon ipse est, qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Nomen fluuij tertij Tygris: ipse est, qui vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* Fluuius egrediens est gratia Spiritus S.

T

MORALITER iste fluuius est gratia Spiritus S. De quo Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* & fluit de loco voluptatis, scilicet Christo, dicitur locus voluptatis: quia vbi Christus, ibi prorsus est voluptas. propter quod dixit Psal. 36. *Delectare in Domino.* & B. Aug. lib. solilo. c. 1. Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ: Inueniam te desiderium cordis mei, teneam te amor animæ meæ. Amplectar te sponse cœlestis. Exultatio mea summa intus & extra. Iste inquam fluuius gratiæ Spiritus S. egreditur ad irrigandum paradisum, per quem intelligitur anima humana; quæ irrigatur ex gratia Spiritus sancti duplici, irriguo scilicet superiori & inferiori. Propter quod petit ab eo Iosue 15. Exemplo Axæ, qui dixit ad Caleph patrem suum: *Da mihi benedictionem: terram Australem dedisti mihi arentem: iunge & irriguam. deditq; ei Caleph irriguum superius & inferius.* Axa interpretatur furibunda, & significat animam, quæ debet esse furibunda contra diabolum, eo quod nititur eam perdere. Igitur debet à Deo patre petere, vt det sibi irriguum superius per cœlestium contemplationem, & irriguum inferius per inferni meditationem, & ab vtroque irriguo deducetur fluuius lacrymarum ipsam animam fæcundans. De hoc dicit Gregorius in Registro. Irriguum superius accipit anima, cum lacrymis regni cœlestis desiderio affligitur. Irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Hæc Gregorius.

Vbi Christus, ibi voluptas.

Axa quid designet.

V

Ille igitur fluuius diuiditur in quatuor flumina. per quæ significantur quatuor virtutes cardinales. PHISON, qui interpretatur oris mutatio, significat prudentiam. Prudens enim est, qui nouit os suum mutare, vt aliter loquatur maioribus, aliter minoribus; & hoc principaliter pertinet ad docentes, vt secundũ capacitatem audientiũ moderentur sermones. Sicut patet 8. q. 1. c. oportet. Et est Canon Petri. Oportet, inquit, eum, qui docet & instruit animas rudes, esse talẽ, vt pro ingenio discentiũ semetipsum possit aptare, & verbi ordinẽ pro audientis capacitate dirigere. Debet etiam quilibet homo prudens os suum ita mutare, vt loquatur, vbi sit loquendũ: &

Phison est prudentia.

taceat,

taceat, vbi sit tacendum. quia Prouerb. 20. dicitur, *Sapiens tacebit vsque ad tempus.* Ideo Hieronymus 22. q. 5. Quoties verbo loquimur, aut non opportuno tempore, aut non opportuno loco, aut non vt conuenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum, qui audiunt. Considerandum itaque est, quid loquamur. quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicij. Ideò congruè Phison, qui interpretatur os mutandum, prudentiam figurauit. Hic inquam Phison circuinit omnem terram Euilath, qui interpretatur dolens: quia valde prudens est, qui nouit dolere in hoc mundo. quia Luc. 6. dicitur *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Et Ioan. 16. *Mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ibi namque nascitur aurum optimum: quia optimum est illi, qui luget de peccato, quia consolabitur in futuro. Ideo dicit B. Hieroymus in Epistola ad Nepotianum. Vt igitur consolatione & iucunditate perfruaris, necesse summopere est, vt nunc in lamenta animæ resoluaris.

Verba nostra ponderanda sunt.

X

Et bene dicit: quia *circumit omnem terram Euilath*, qui habet quatuor partes. quia de quatuor est dolendum: scilicet de peccatis proprijs, & hoc propter quatuor. *Primo* cogitando, quàm iniustè peccando Deum suum offendit. *Secundo* doleat, quòd peccatis se vltro, id est, voluntariè sæpe obtulit, & in ipsis perseuerauit. *Tertio*, quod non solum peccauit, sed interim se etiam virtute priuauit. *Quarto*, quod proximum suum malo exemplo corrupit, vt habetur de pœn. dist. 5. §. 1. *Secundo* dolendum de peccatis alienis, sicut fecit B. Ambrosius, qui fuit tantæ compassionis, vt cum aliquis lapsum suum confiteretur, sic amarissimè fleret, vt illum similiter flere compelleret, vt dicit sua historia, Plorandum & dolendum est. *Tertio*, pro incolatu præsentis miseriæ, sicut Dauid, qui ait Psalm. 109. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* *Quarto* dolendum pro dilatione patriæ, sicut iterum fecit Dauid Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus.* Et iterum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ.* Et iterum: *Hæc recordatus sum, & effudi animam meam quoniam transibo.* Et dictum est, quod *in terra Euilath inuenitur bdellium & lapis onychinus.* Per bdellium significatur opus misericordiæ: Per lapidem onychinum discretio vel oratio. Onyx enim idem est quod anguis. Nam per figuram anguis significatur discretio vel oratio. His tribus curatur peccator in anima, scilicet operibus misericordiæ, orationibus, cum carnis afflictione vel dolore.

1. Cur de peccatis proprijs dolendum.

2. De peccatis alienis.

3. Propter præsentes miserias.

4. Propter dilationem patriæ.

Y

Per GEHON, qui interpretatur hiatus terræ, significatur temperantia, quæ omnem absorbet temeritatem in nobis: quia dicit B. Gregorius scribens Natali Episcopo dist. 44. c. Conuiuia. Temperantiam cibi habent, cum non plus quàm necesse est corpori seruitur, sed sola eius infirmitas reficitur, vt aduersus vitia exercendi virtus habeatur. *Et contra Æthiopiam vadit.* quia malos motus in nobis destruit. mali autem motus sunt mali mores, quos significant Æthiopes, Hierem. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Gehon est temperãtia.

TYGRIS, qui velox interpretatur, significat fortitudinem, qui vadit contra Assyrios, id est, pugnat contra dæmones. Fortis enim debet esse, qui vult contra diabolum pugnare: quia ipse adeo fortis est, vt neminem timeat, Iob. 41. Ideo canitur, Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, &c.

Tygris fortitudo est.

Sed

Sed EVPHRATES, qui frugifer interpretatur, significat iustitiam, quæ multis affert fructum. Vana enim sunt omnia bona temporalia, sed solum iustitia fructifera est: quia omnibus vult prodesse, & nulli nocere. De hoc dicit Seneca in lib. de quatuor virtutibus Cardinalibus: Duo pertinent ad iustitiam, scilicet velle omnibus prodesse & nulli nocere: & te virum iustum appellant omnes. De isto autem flumine Euphrates non determinat scriptura, contra quos vadat: quia iustitia pariter ad omnes spectat homines. quia necessaria est eis in vita, & in morte, & in futuro. In vita præsenti à malo pœnæ custodit, sicut patuit de Dan. c. 6. qui dicit; *Conclusit ora leonum & non nocuerunt mihi quia coram eo iustitia inuenta est in me.* Ipsa quidem iustitia non solum à malo custodit, sed etiam temporalia bona tribuit, iuxta illud Prouerb. 14. *Iustitia eleuat egentem.* Et Eccles. 20. *Qui operatur iustitiam ipse exaltabitur.* Ideo dicit Psal. 36. *Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, scilicet de domo in domum mendicando. Cui consonat Tullius in moral. Si quis iustus qui iustitiæ finaliter inhæret, illius panem nunquam sibi quæret. In morte necessaria est iustitia. quia vt dicit Psal. 139. *Virum iniustum mala capient in interitu.* Et è contrà verò Prouerb. 18. *Speret iustus in morte sua.* In futuro iudicio necessaria erit iustitia. quia Prou. 10. *Nihil prosunt thesauri iniquitatis & impietatis. Iustitia vero liberabit à morte.* scilicet æterna. Ideo dicitur Genes. 30. *Respondit mihi omnis iustitia mea.* Non difficile erit, imo intolerabile, coram Dei iustitia tunc apparere quia secundũ Psal. 5. *Non permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Et iterum Psal. 36. *Iniusti autem disperibunt.* Propter quod dicit in alio loco, Psal. 16. *Ego apparebo in conspectu tuo satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ad hanc gloriam perducit iustitia.

Euphrates iustitiam.

Iustitia ad omnes homines spectat.

Iustitia in morte necessaria.

Z

Quantum ad TERTIVM, ponitur prandij plena præparatio, dum concludit, *& comedat, &c.* Circa quod SCIENDVM, cum rex vel princeps terrenus domum alicuius est ingressus, imò & principaliter ostiarius ad ianuam disponitur, qui portam claudit & custodit; ribaldos expellit, & ne cuilibet ingressus pateat, diligenter aduertit.

SPIRITVALITER. Christus Dominus, qui est rex terræ & princeps, Apocal. 19. *Cuius delitiæ sunt esse cum filijs hominum.* Prou. 8. Venit in hoc tempore gratiæ ad corda hominum pulsans, & se intromitti desiderans, cum dicit Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso*: scilicet cordis humani. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipse mecum.* Idcirco non simus ingrati, sed valde grati & læti, huic, vt ad cor nostrum ingrediatur, humiliter supplicando & dicendo illud verbum, quod inquit Laban ad seruum Abrahæ: *Ingredere benedicte domum, cur foris stas?* Gen. 14. Cumque sic humiliter ad ingressum cordis inuitatur tunc dicit Christus: *Venio, & merces mea mecum est*, Apoc. vlt.

Et certe ipsius aduentum in mente cognoscit homo ex certis signis. *Primum* est ineffabilis gaudij, de quo dicit Origenes super Cant. Hæc nulla lingua explicat, nulla ratio æstimat nec explorat, quanta Dei aduentus gaudia refrigeriaque inducat. Idcirco dicit Augustinus in solilo. Tantam interdum in aduentu Christi dulcedinem gustaui, quod præ gaudio inenarrabili quod in eo habui, me esse hominem penitus ignoraui. *Secundum* signum est delitiarum mundi contemptibilitas. de qua dicit Valerius in polic. lib. 3 Constat enim tunc omnes mundi huius delitias in pœnam amaritudinemque transisse, cum Christus mente dignoscitur aduenisse. *Tertium* signum

Signa aduentus Christi in homine.

I.

II.

III.

P tempo-

temporalium & æternorum felicitas. de qua dicit Bern. lib. de considera. ad Eugenium Papam; Adueniens Christus in mentem per cœleste desiderium & amorem, quantam tunc felicitatem efficiat, hoc humanam & angelicam transcendit rationem. tunc enim potest dicere anima Sapien. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, scilicet æterna sapientia, quæ est Christus.

A

Ostiarius animę est timor filialis.

Ecce sunt signa aduentus Christi in mentem. Ideo ô anima fidelis, si eum apud te tenere cupis, necesse est vt ad ianuam tuam ostiarium ponas: & hic est *timor filialis*. Quia dicit Anselmus lib. 10. cap. 69. Timor est sicut ostiarius animæ. Sicut enim nobiles habent in egressibus & in ingressibus ostiarios, cum baculo turbam arcentes & expellentes; Sic anima ingresso Christo summo rege habet pro ostiario timorem, cuius baculus est ipse infernus, quo arcet dæmones & expellit turbam malarum cogitationum, ne ab eis opprimatur Iesus, id est, animæ salus per consensum. Ideo dictum est à IESV Petro, & his, qui cum eo erant, Luc. 18. & Matth. 5. *Turbæ te comprimunt & affligunt*. Iste enim ostiarius timor filialis expellit non solum cogitationes nociuas, sed etiam peccata atque culpas, Eccles. 1. *Timor domini expellit peccatum*. Gloss. tanquam sibi contrarium, eo quod annexus est caritati. Et Prou. 8. *Timor domini odit malum*. Ideo secundum Gloss. non permittit illud in domum cordis intrare. Et dicit Guilelmus in summa virtutum tracta. 9. cap. 4. Timor domini infernum quasi expauentaculum ponit in corde hominis, ad deterrendum vitia, & dæmones. ipse est ianitor cordis, ab ingressu eius claua terribili deterrens. Claua illa infinitę magnitudinis est, cum sit æterna pœna. *Et subdit:* Gladiũ ex vtraq; parte acutum, gladiũ inquam diuinæ sententiæ ad deterrẽdos fures spirituales intentat: ipse latrones in terra corporis mei habitantes crucifigit. Iuxta illud Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas*.

Timoris filialis operatio

B

Tria huius ostiarij officia.

I.

Ostium cordis claudat.

Et NOTA quod iste ostiarius qui debet animam custodire ne ab ea Christus expellatur, debet facere tria. PRIMO debet ille ianuam seu ostium cordis claudere. Sicut enim volens tenere castrum domini sui, ne capiatur, debet laborare, vt porta claudatur. Sic MORALITER. Quicunque vult castrum Christi recte custodire, debet portas quinque sensuum claudere vel serare. Sunt enim sensus nostri quasi quinq; portę cordis, per quas hostes ingrediuntur, Christum expellentes, iuxta illud de pœn. dist. 2. c. Si enim, Si, inquit, per ianuam peccati intrat diabolus, statim Christus recedit. Ideo dicit Eusebius in sermo. Cum Christus ianuam mentis tuæ ingreditur, vide vt mox introitus aditusque claudatur. Expellit enim Christum de anima, si aperta fuerit mentis ianua ad mundana.

II.

Cor virtutib. muniat.

SECVNDO debet virtutib. munire. Sicut enim castrum fortiter munitur fossis & muris, sic anima virtutib. Quia sicut muri ingressum hostium impediunt, sic virtutes vitijs obsistunt. *Charitas* enim impedit, ne intret auaritia: *Castitas* impedit, ne intret luxuria: *Humilitas*, ne intret superbia: & sic de alijs. Ideo dicitur Iudith. 10. *Filij Israel muris circumdederunt vicos suos*.

III.

Cor Deo cõmendet.

TERTIO debet Deo commendare. Sicut enim custos non valens tenere castrum vel domum, commendat illud domino legitimo: sic timor, si per se non potest custodire vel tenere castrum spiritus vel animæ, debet illud domino Deo commendare. Dicit Psal. 30. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum. quia nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Psal. 129.

SECVNDO cum princeps vel alius dominus magnus & honorabilis domum alicuius

cuius ingreditur, sedes ibi disponitur. In signum illius legitur, 4. Reg. 4. *Cum Helisaus frequenter ingrederetur domum mulieris Sunamitidis dixit ipsa ad virum suum. Animaduerto, quod vir Dei sanctus sit iste, qui per nos transit frequenter: faciamus ei cœnaculum paruum & sellam.* Sedes Christi est diiudicatio sui.

SPIRITVALITER. Helisæus interpretatur Deus meus vel Saluator, & significat Christum; vel dicitur *Deus Deus meus respice in me*, vt dicitur Ps. 21. Et dicitur Saluator, quia *saluũ fecit populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1. Ipse enim frequenter ingreditur domum cordis nostri in nobis habitando: sicut hoc audiuit B. Ioannes, *Vocem magnam de throno*, scil. diuinæ maiestatis, *dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, Apoc. 21. Ideo mulier, id est, sensualitas nostra debet dicere ad virum suum, id est, ad rationem, *Vir iste sanctus est*, scilicet Christus, Leuit. 19. *Sancti* inquit, *estote quoniam ego sanctus sum. quare faciamus ei cœnaculum & sellam*, id est, sedem, per quam intelligitur propria diiudicatio, vt videlicet propriam nostram vtilitatem diiudicemus, & nos indignos aduentu tanti regis humiliter reputemus, & dicat vnusquisque cum B. Hieronymo vt habetur in Epistola Eusebij, Domine quis ego sum, vt sim dignus, vt intres sub tectum meum? Meruit enim hoc peccator homo sic: Certè domine non sum dignus. Nunquid ego melior sum, quàm omnes patres mei? Tu Moysi noluisti vno oculi ictu monstrari; sed nunc tantum te humilias, vt patiaris ad hominem descendere publicanum & peccatorem. Hæc ille. Ista igitur propria iudicatio, qua se quis vilem & indignum præsentia Christi judicat, est sedes, in qua Christus libenter residet & requiescit. Iuxta illud Isa. vlt. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem.* C

TERTIO consuetum est principib. in mundo & alijs personis honorabilibus, cum intrauerint domum diuitum, parare mensam, cui supraponitur panis & vinum ante alia cibaria principaliter in cœna, iuxta illud Metristæ: Mensa Christo præparãda est pœnitentia.

Mane cibum primum, portes de vespere potum.

Et sic legitur Reg. vbi suprà, quod mulier illa Sunamitis fecit Helisæo in cœnaculo mensam cum candelabro.

MORALITER, Sunamitis interpretatur captiua, & significat animam, quæ tenetur in corpore captiua. Hæc debet vero Helisæo Christo, principi cœlorũ, parare mensam, vt congruè dicere possit illud Psal. 22. Christus, *Parasti in conspectu meo mensam.* & hæc mensa est pœnitentia.

Quia Domino mensam ponunt, qui veram pœnitentiam assumunt. Hæc inquam mensa pœnitentiæ figurata est Exo. 27. per mensam altaris, in quo carnes animalium offerebantur: quia in mẽsa pœnitentiæ est Christo propria caro nostra immolanda: & habebat illa mensa quinque cubitos in longitudine, per quos significantur quinq; ætates, in quibus debet pœnitentia durare, scilicet adolescentia, iuuentus, virilitas, senectus, & senium. in pueritia verò, & in ætate decrepita pœnitentiæ austeritas non habet locum. Habebat etiam illa altaris mensa totidem cubitos in latitudine. quia quinq; sensus exteriores debent in pœnitentia exerceri; & habebat tres cubitos in altitudine, per quos significantur tres partes pœnitentię, scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erant. Per cornua sursum tendentia intelliguntur cœlestis patriæ desideria, quæ sunt in vera pœnitentia. D Austeritas pœnitentiæ quando locum habeat.

Et dictum est Moysi: *Faciesq. in usus eius lebetes*. Per lebetes intelliguntur instrumenta pœnitentiæ, vel exercitia, scilicet ieiunia & vigiliæ, parcitas victus, & asperitas vestis. & concludit: *Concauumq. facies ii terius*: per quod significatur, quod verè pœnitens debet esse vacuus à terrenorum cupiditate. sic exponit Nicol. de Lyra.

Ecce hæc est mensa pœnitentiæ, quæ Christo est præparanda. Super hoc altare ponendus est panis lacrymarum, quia vt dicit Bernardus super Cant. in ipsis est odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas innocentiæ. Hunc panem lacrymarum obtulit super mensam pœnitentiæ Dauid, qui dixit 41. Psal. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Item, super mensam pœnitentiæ Christi posuit panes lacrymarum Maria Magdalena, quando *lacrymis lauit pedes eius*, Lucæ. 7. Ideo canitur in prosa.

A Pharisæo es inuitatus, Maria ferculis saturatus.

Et hæc fercula fuerunt feruentes lacrymæ in pœnitentia. Item super hanc mensam pœnitentiæ pone vinum compunctionis, de quo in Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis*. Nam sicut vinum emittendo fæces se purgat, & semper est in motu turbidum, donec separetur purum ab impuro. sic qui verè compunctus est, semper in motu & timore est, donec separetur ab eo peccati immunditia.

Vinum nouum quare frigidius veteri.

ET NOTA quod fideles Christiani antiqui, fortius vinum & melius posuerunt super mensam pœnitentiæ Christi. sicut enim vinum vetus est calidius nouo; quia dicitur in libro de Vindemijs, quod nouum vinum frigidius est propter terrestreitatem & aquositatem: sed vetus est calidius & fortius & bene odoriferum: quod enim erat in eo aquosum, totum consumpsit. Sic antiqui patres caruerunt terrestreitate auaritiæ, & aquositate luxuriæ: ideo fuerunt feruentiores in amore, fortiores in pœnitentia & persecutione & redolentiores in conuersatione.

E

QVARTO est consuetudo terrestrium principum, vt cum iam sedent in mensa, accedunt ministri symphonizantes in testudinibus. & citharis, ludentes coram eis & conuiuantes lætificando. Quia dicit Sapiens Eccli. 40. *Musica & vinum lætificant cor*. Et Aristoteles dicit 1. Poeticæ. Homo naturaliter delectatur in symphonia: sic etiam debemus psallere Christo, & decem chordas præceptorum tangere, iuxta illud Psal. 32. *Confitemini Domino*. Gloss. confessione laudis *in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi: cantate ei canticum nouum. benè psallite ei in vociferatione.* Gloss. dicit: Deo citharizamus, cum carnem nostram crucifigimus; & ei in prosperis & in aduersis gratias agimus. *Et subdit*: Psalterium est musicum instrumentum superius cauatum, decem chordis distentum, & inferius reddit sonum. Psalterium sunt sancti de supernis edocti, qui quasi superius tacti inferius resonant, dum supernam doctrinam in terris prædicant. Decem chordæ sunt decem legis præcepta. Ex his tria pertinent ad dilectionem Christi, & septem ad dilectionem proximi. In hoc psalterio decachordo psallimus, cum decem præcepta in dilectione Dei & proximi perficimus, Vel Deo in psalterio decem chordarum psallimus. dum in quinque sensibus carnalibus, & in quinque spiritualibus probabiliter viuimus. Ideo dixit Dauid in Psalm. 141. *In psalterio decachordo psallam tibi* super quo dicit Magister in Glossa: Quicunque homo tangit has decem chordas Dei præceptorum decem feras occidit.

Quæ Musica Christo exhibenda.

Psalterium decachordū.

Tangis

Tangis *primam*, qua vnus colitur DEVS, occiditur bestia *superstitiositatis*. Tangis *secundam* chordam, qua non accepisti nomen Dei tui in vanum, occiditur bestia *erroris & haresis nefandæ*. Tangis *tertiam* chordam, vbi spe futuræ quietis facis quicquid facis, interficitur crudelior alijs *amor seculi*. Propter amorem enim huius seculi laborant homines in omnibus negotijs suis. Tu autem in omnibus tuis labora non propter amorem seculi, sed pro æterna requie, quam promittit DEVS. *Honora patrem & matrem*, & tangis *quartam* chordam, vt honorem parentibus deferas, occidetur bestia *impietatis*. *Non occidas*; tangis *quintam* chordam, & occiditur bestia *crudelitatis*. *Non mœchaberis*; tangis *sextam* chordam, & occiditur bestia *libidinis*. *Non furtum facies*, tangis *septimam* chordam, & occiditur bestia *rapacitatis*. *Non falsum testimonium dices*, tangis *octauam*, & occiditur bestia *falsitatis*. *Non concupisces vxorem proximi tui*, tangis *nonam* chordam, & occiditur bestia *adulterinæ cogitationis*. *Non concupiscas rem proximi tui*, tangis *decimam & vltimam* chordam, & occiditur bestia *cupiditatis*. Ita occisis omnibus bestijs securus & innocens in DEI dilectione & in humana societate versaris. Hæc Gloss.

F Tangendo decem chordas præceptorum, decem bestiæ occiduntur.

Et NOTA, quod Christo non solum debemus psallere in decem præceptorum psalterijs, sed etiam cantare, cantica laudis. Sicut enim domini terrestres habent suos cantores, eò quod cantica valent ad tædium vitæ subleuandum; sic etiam Christus, qui est Dominus cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, ab initio vsque huc habuit, & habet suos cantores, qui cantauerunt ei bona cantica laudis. Bonus cantor fuit Moyses cum filijs Israël Exod. 15. vbi legitur: *Tunc cantauit Moyses cum filijs Israël canticum hoc Domino, & dixerunt. Cantemus Domino, &c.* Bonus cantor fuit Dauid, qui ait Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Bonus cantor fuit deuotus Doctor Amandus, qui animam suam ad laudandum DEVM excitauit in horol. Sap. lib. 1. cap. 5. Consurge nunc, inquit, anima mea: loquere canticum. Canticum vtique laudis in voce exultationis: cymbala concrepent: corda coniubilent: tellus omnis resultet in laudem creatoris. Sic & quilibet deuotus homo, qui inuitat Christum in cor suum, debet ei cantare laudis & lætitiæ canticum, iuxta illud Psalm. 95. *Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.*

Laudis cantica Deo cātanda.

QVINTO, cum iam dicta peracta sunt omnia, ad mensas Dominorum portantur cibaria & fercula: sic & tu homo deuote, cum ante portam cordis tui, ad quod recepisti Christum, disposuisti ostiarium timorem, locasti propriæ dijudicationis sedem, iuxta illud Sapien. *Transi hospes, orna mensam*, Eccles. 29. Cumque supraposuisti panem lacrymarum & vinum compunctionis, infer ad mensæ ornatum hæc quinque fercula virtutis; scilicet ferculum perdicinum humilitatis, leporinum timorositatis, amigdalinum castitatis, iumentinum pietatis, & ceruinum fidelitatis.

G Quæ fercula Christo apponenda.

Primo igitur infer Christo, qui dignatus est venire in domum cordis tui. PRIMVM ferculum de perdicibus humilitatis: quia sicut in mensis regum terrenorum primum apportantur fercula perdicum, si haberi possunt, propter digestionis leuitatem; sic primò offer Christo regi cœli tuam humilitatem quia ipsa est secundum B. August. caput omnium virtutum, & obtinet primatum & principatum ceterarum tanquam conseruatrix ipsarum. Et congruè per perdicem intellige humilitatem. sicut enim perdix secundum Magistr. lib. 12. proprietatum parum se à terra erigit, eo quod est

I. Ferculū humilitatis.

Perdix designat humilitatem.

paucæ pennositatis, & multæ carnis, & si se interdum erigit, statim post paululum terram petit: Ita homo deuotus debet in terra humilitatis quiescere, nec se per superbiæ alas erigere, iuxta illud Psal. 74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* & hoc ideo, quia sicut nisus semper insidiatur perdicibus se in altum leuantibus (secundum enim Plinium in speculo naturali. quamdiu nisum in aëre videt, tamdiu à terra non recedit.) Sic & nisus infernalis diabolus semper insidiatur homini, & circa ipsum volitat. Quia dicit Haymon & Origen. super Ephes. 6. Tot sunt dæmones tentantes, quot sunt atomi in aëre. Et Bonauentura Cardinalis dicit, quod sanctis viris reuelatum est, quod dæmones circa nos volitant, sicut muscæ. Ponit causam B. Gregor. lib. 3. dial. cap. 20. diabolus circumspectus est, vt cogitationi, locutioni, & operi nostro semper insistat. Si fortassis quid inueniat, vnde apud examen æterni iudicis accusator existat. & allegat ibidem exemplum de presbytero nomine Stephano, qui quadam die de itinere ingressus domum, mancipio suo indignanter loquens dixit: Veni diabole, discalcea me. Ad cuius vocem mox cœperunt calceorum corrigia summa velocitate dissolui. Ex quo apertè constat, quod sibi ipse, qui vocatus fuerat diabolus, ad exuendos calceos obediuit. Quod vt presbyter vidit, vehementer expauit: magnisque vocibus cœpit clamare: Recede miser, recede. non tibi, sed mancipio meo sum loquutus. Ad cuius vocem protinus recessit. Idcirco si non vis ab eo rapi, ô homo, & deuorari, in terra humilitatis oportet te iacere & morari. Quia dicit Hilarius super Matthæum. Dum enim hostis noster antiquus humilitatem sibi dominari conspicit, de alijs vitijs tentare non præsumit.

Nisus infernalis homini insidiatur.

Et sicut dicitur de perdice, quod se interdum erigit, paulò post tamen terram petit; sic si homo præter rationem se erigit alis superbiæ, tunc debet statim descendere, quia hæc superbia quam præter iudicium rationis accidit, peccatū mortale non existit. Et hoc est propter imperfectionem ipsius, si tamen homo in ea habita deliberatione non consentit. vt dicit S. Thom. in 1. 2. q. 162.

Perdicis humilitas imitanda.

Et NOTA. Sicut ad mensas dominorum fercula nisi prius condiantur, non portantur; sic etiam hoc ferculum humilitatis condiendum est cariophyllis propriæ contemptibilitatis. Rectè enim sicut cariophylla conueniunt carnibus perdicinis, eo quod sua siccitate & caliditate temperant ipsarum humiditatem; sic etiam propria contemptibilitas conuenit humilitati. Licet enim cariophylla sint in apparentia nigra, & quasi despecta, habent tamen acutum saporem, suauem odorem, & manu compressa emittunt aliquem humorem; sic humilitas licet sit exterius nigra & despecta, habet tamen interius acutum saporem per sapientiæ contemplationem, odorem suauem per gratię conuersionem, & per compressionem humidam lacrymarum emissionem. Quia dicit Richardus de S. Victore: Humilis namque est, qui se veraciter contemnit: humilior, qui se ab alijs contemni non refugit; humillimus verò, qui contemptum suum non solum non contemnit, sed admodum concupiscit. Ecce homo deuote, hoc ferculum perdicinum humilitatis conditum cariophyllis propriæ contemptibilitatis dulciter Christo sapit. quod patet in exemplo. In vitis Patrū lib. 4. de Prouidentia, c. 4. num. 2.

Proprius cōtemtus, condimentum humilitatis

Refert S. Basil. Episcop. dicens: Fuit in monasterio Tabenensiotarum quædam virgo, quæ se fecit stultam ex magna humilitate, vt virtutis propositum diligentius adimpleret. Cumque se nimis humiliaret atque deijceret, omnibus alijs horribilis erat

Exemplum admirandæ humilitatis.

erat ac despecta, vt nec cibum cum ea dignarentur sumere. Ab omnibus cædebatur, sempérque in coquina manens, officium suum supplebat. Nulla aliquando hanc potuit de quadringentis virginibus videre manducantem, nunquam per omne æuum suum sedit ad mensam, à nulla vel modicam partem panis accepit, sed micis tantum illarum mensarum & ablutionibus ollarum contenta erat: nunquam calceamentis vtebatur, sed semper habens caput pannis inuolutum sic omnibus seruiebat. Astitit autem angelus Domini S. Piterio viro probatissimo, in desertis viuenti, dicens: Vade ad Tabenensiotarum monasterium fœminarum, & inuenies ex eis vnam pannum concissum in capite habentem, ipsamque cognosce te esse meliorem. Cum enim sola contra tantas tribulationes diebus ac noctibus pugnet, cor tamen eius ab humilitate nunquam recedit. Tu autem hic solus residens, super omnes nubes cœli animo liberato vagaris, nec humilitatem prætefers, vt deberes. Qui perrexit, & sorores omnes congregari faciens, illam propter quam venerat, non vidit. Dixitque, omnes adducite. Et illæ; Omnes, inquiunt, hic sumus præter vnam stultam, quam habemus in coquina. Exhibete mihi, inquit, eam. Quam cum adduxissent, ille videns signa, quæ ei fuerant ab angelo data, statim proiecit se ad pedes eius, petens benedictionem. Illa ex alia parte prostrata, benedictionem petebat. Omnes verò aliæ virgines obstupescentes dixerunt: Sine; noli Abba. Nam ista, quam cernis, fatua est. Imo, inquit ille: Vos fatuæ estis: nam illa melior est vobis. Cumque retulisset eis, quid sibi fuerat reuelatum, omnes ad pedes eius ceciderunt, & confessæ sunt peccata, quæ in illam deridendo, verberando, & multipliciter contristando commiserunt. Et illa non ferens tantam suam gloriam, grauari se credens singularum satisfactionibus; insuper cernens se non posse consuetum humiliter tenere propositum, post paucos dies occultè egressa de monasterio illo. Quo deuenerit, aut quo fine vitam terminarit ignotum est.

H

II.

SECVNDVM ferculum Christo proponendum debet esse de leporibus timorositatis. Recte enim sicut lepus secundum Isidor. lib. 12. est animal timidum, timens omnem bestiam, propter quod data est ei pedum leuitas, & cursus agilitas cōtra canes & alias bestias ipsum insequentes; sic debet esse homo timidus, ne humilitatem & gratiam Christi perdat. Si enim homo semper est in timore, Christus in gratia apud eum manens, delectationem & consolationem cordis ministrabit. Propter quod dicit Sap. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.* Eccles. c. 1. Et cap. 4. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis,* quia secundum Gloss. Vbi Deus est, ibi est paradisus. Istud ferculum leporinum timorositatis debet condiri cum pipere asperitatis. Et certe merito: quia sicut melancholia carnis leporinæ caliditate piperis temperatur, sic timorositas asperitate iuuatur. Nam sicut piper exterius est asperum & rugosum, sed interius album; sic homo timens Deum licet exterius est asper & rugosus per pœnitentiam, est tamen interius albus per innocentiam. Et vbi est innocentia, ibi Christus est in sua inuisibili gratia, vel præsentia. quia dicit Psal. 24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* quasi diceret; & ego adhærebo eis.

Ferculum leporinū quomodo condiendum.

III.

TERTIVM ferculum Christo offerendum debet esse de amygdalis castitatis. quia hæc valde Christum delectat, quod probat Gregor. exponens illud Can. 2. Castitas.

Qui

Qui pascitur inter lilia. Inter lilia, inquit, Christus pascitur, qui procul dubio animarum castitate delectatur. quæ se in carnis munditiam conseruant, & proximis extra quasi odoris suauitatem donant. Cui alludit Poeta.

Delectantq́; Deum puritatis pectora casta.

Illud ferculum castitatis obtulit venerabilis Ioan. Bosnensis Episcopus, & postea martyr, ordinis Prædicatorum. de quo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum. cap. 30. part. 43. qui Fridericum Romanorum Imperatorem secretè propter luxum corporis impudentissimum arguebat. Quod licet libenter & patienter audire videretur exteriùs, in corde tamen indignantissimè grauabatur. Præcepit ergo suæ cuidam inter ceteras pulcherrimas concubinæ, vt sanctum virum secretius conueniret, & eum si vllo modo posset ad lapsum inclinaret. Quod vbi illa secretius attentauit, clam in insidijs Imperatore cum pluribus contuente, vir beatus manum extendens in sublimè, meretricem in maxillam cum virtute percussit, & facie tenus in terram elisit. Quo in facto virum sanctum, Imperator postmodum in magna reuerentia habuit & amore. Nec mirum. quia dicit Sapiens Prou 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter verba labiorum suorum habebit amicum regem.*

Castitas croco caritatis condienda. Hoc ferculum amygdalinum castitatis condiendum est croco caritatis, & merito: quia est regula, quod omne talé additum tali ipsum magis tale facit Sed quia secundum Damascen, amygdalum prodest stomacho, & resistit ebrietati; similiter & crocus secundum Plinium lib. 20. cap. 20. summè valet stomacho, si fuerit cum vino mixtus: & qui crocum biberit prius, ebrietatem non incurrit ideo ferculum amygdalinum, cum croco conditum magis in sua efficacia confortatur. Sed quid est croceus color nisi caritatis feruor, sine qua castitas non valet iuxta illud Bernardi: Castitas sine caritate est sicut lampas sine oleo: subtrahe oleum, lampas non lucet: tollè caritatem, castitas non placet. Ex quo patet, quod illa castitas est perfecta, quæ est in caritate feruida.

I IV. Fidelitas. QVARTVM ferculum Christo proponendum, debet esse de ceruis fidelitatis. Sicut enim cerui secundum Isidorum lib. 12. sunt fideles erga inuicem. quia cum maria & flumina immensa transeunt, fortiores in natando præcedunt. quorum humeris in natando debiliores capita supraponunt, & sibi inuicem succedentes laboris pondus leuius ferunt; Sic etiam fideles debent esse homines erga Christum, & proximum. Erga Christum quidem, vt ipsum de corde per peccata non eijciant. quia ipsum petendo acceperunt. Quia dicitur Extra. de iureiuran. cap. Quemadmodum.

Turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.

Simile. Sicut enim infidelis esset capitaneus, qui dominum suum desideranter acciperet, & postea fraudulenter eijceret, & castrum inimico domino traderet: sic certe infidelis, qui hoc sacro aduentus tempore suum regem Christum ad se per orationem allicit, & statim de castro cordis expellit. Similiter erga proximum debemus esse fideles, vt natando per mare huius mundi fortiores sustineant debilium labores, iuxta illud Apostoli ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi.* Ad istam vtramque fidelitatem hortatur nos Dominus Apocal. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Et Matth. 25. dicens: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, &c.*

Istud

Istud ferculum fidelitatis ceruinum condiendum est zingibere puritatis, quia non sufficit quod aliquis sit fidelis, nisi etiam habeat fidelitatis puritatem. Sicut enim caro ceruina cum zingibere condita, multum fit sapida; sic etiam fidelitas cum puritate multum est placida DEO. De tali fidelitate dicit Sapiens Eccles. 6. *Amico fideli nulla comparatio.* Et iterum, *Amicus fidelis medicamentum vitæ.*

Fidelitas puritate condienda.

V. Pietas.

QVINTVM ferculum debet esse iumentinum pietatis. Sicut enim iumentum, vt bos, vel aliud, secundum Isidor. lib. 12. circa socios est eximiæ pietatis: nam alter alterum inquirit, cum quo per collum aratrum ducere consueuit, & frequenti mugitu pium testatur affectum, quando ipsum citius inuenire non potest: sic etiam homines erga proximos suos exercere debent pietatem. Ad quod hortatur Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Exerce,* inquit, *te ad pietatem* Gloss. tam ad illam, quæ est in cultu diuino, quàm quæ est in condescendentia ad proximum. Et subdit Apostolus. *Nam corporalis exercitatio,* Gloss. quæ est in ieiunijs & vigilijs, & huiusmodi, *ad modicum vtilis est. Pietas autem vtilis est ad omnia,* Gloss. quæ bene disponit hominem ad dominum & ad proximum. Etiam valet ad abstergendum peccatum, teste Gregor. 22. q. 2. c. Si quælibet. Ibi dicit: si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur. Illud ferculum iumentinum pietatis debet condiri cum petroselino conditæ, & coctæ sapidiores fiunt; sic pietas mixta cum caritate sapida est Christo. Contrà; qui multum est pius erga pauperes, si non facit in caritate. nihil Deo placet. Audi Apostolum 1. ad Cor. 13. *Si,* inquit, *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Gloss. ad consecutionem vitæ beatæ.

Pietas abstergit peccata.

Pietas cum petroselino caritatis condienda.

Et dixi NOTANTER, quod caritas assimilatur petroselino, & hoc propter tria.

Caritas quare petroselino similis.

K

PRIMO propter origenem. sicut enim petroselinum maximè oritur in petrosis locis, propter quod petroselinum à petra vocatur; sic in hominibus pijs & deuotis, qui per loca petrosa significantur, quasi imitatores Christi. De quo dicit Apost. 1. ad Cor. 10. *Petra autem erat Christus.* Christus charitas ipsa oritur & frequenter inuenitur. sicut patet de Apostolis, qui Spiritum sanctum acceperunt cum dono pietatis. Ideo dicebat Apostolus de se & ipsis ad Rom. 1. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* quasi diceret; cum dono pietatis creuit in nobis & virtus charitatis.

1. Propter originem.

SECVNDO propter odorem. Sicut enim hæc herba est odorifera, sic pietas si fuerit mixta charitate, recreat proximos per bonorum operum odorem. Et qui habent pietatem charitate conditam, rectè dicere possunt illud 2. ad Corin. 2. Cum Apostolor. *Christi, bonus odor sumus.* Ex quo elicitur, quod Christus in ferculo pietatis condito petroselino charitatis delectatur.

2. Propter odorem.

TERTIO propter calorem Sicut enim petroselinum est herba calida & sicca, & operatiua, & diuisiua, consumptiua, confortatiua, & appetitus excitatiua, vt dicunt naturales; sic charitas admixta pietate mentem calefacit & à vitijs exsiccat, iuxta illud Prouerb. 10. *Charitas operit delicta vniuersa.* Et 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et habetur 1. q. 1. c. Multæ sunt operationes. Item charitas cor DEO aperit, à mundo per contemptum diuidit, amorem mundi consumit, confortat ad bene operandum, & exsiccat mentem ad cœlestia appetendum.

3. Propter calorem.

Christo etiã apponendus caseus compassionis.

Sexto ablatis ferculis omnibus, ad mensas dominorum, vt frequenter apportatur caseus, qui propter sui grauitatem cibos deprimit ad stomachi profunditatem. sed quid per caseum, qui exterius est durus, & tamen quandoque mollis interius, hic significatur nisi quod spiritualiter qui iam dictis cibis cibatur, licet exterius sit durus sibi ipsi per carnis castigationem, sicut Apostolus 1. ad Cor. 9. dicit; *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: Est tamen interius mollis per proximi compassionem, sicut Iob. 30. qui ait: *Flebam, quondam super eo, qui afflictus erat*, scilicet ei compatiendo Ideò dixit c. 9. *Sicut caseum me coagulasti.*

L

Pax Cordis est lectulus quietis Christi.

Septimo parare debes Christo lectulum requietionis. quia post comestionem diligit homo requiem, & sic lectulus est pax cordis: ad quam tria requiruntur. *Primum* est diligens *conscientiæ perscrutatio*. vt scilicet videat, si quid est in corde, quod pacem cordis perturbat. Ideo dicit Apostolus ad Hebr. 3. *Videte nè forte in aliquo vestrum sit cor malum. Secundum* est *peccatorum confessio*: quia hæc deijcit de lectulo cordis peccata, quæ pacem cordis perturbant. Quare dicitur. 2. Machab. 14. *Quamdiu super est Iu las* id est, quamdiu differtur confessio, *impossibile est esse pacem negotijs. Tertium* est *temporis satisfactio*, vt videlicet fiat iustitia de turbantibus pacem. Isa. 32. *Est opus iustitiæ pax*: Quia illa terra est pacifica & secura, in qua benè tenetur iustitia.

Panni albi, cor purum.

Habita igitur pace cordis, quæ dicitur lectulus Christi, adornare debes eum vestimentis virtutum. quia dicit B. Bern. Deus qui virtutum dominus dicitur, nequaquam thalamum mentis ingreditur, si non fuerit lectulus conscientiæ virtutibus adornatus. Idcirco necesse est, vt ibi sint linteamina & panni albi, per quæ intelligitur cor purum. Sicut enim in panno albo minima macula apparet, sic in corde puro minima peccata relucent. Ideo dicit Sapiens Eccl. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Sicut enim reges nolunt iacere in lectis, vbi sunt immundi panni, sic nec Christus in corde peccatis maculato. Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corde subdito peccatis.* Item his pannis mundis scilicet puri cordis suppone culcitram mansuetudinis, quia mansuetudo est culcitra molissima, quæ supponitur lectulo cordis, in quo Devs requiescit circa animam hominis. Sicut enim homo libentius dormit in lectulo molli quam duro, sic Deus in corde mansueto. quia secundum Ps. *In pace est factus locus eius*. & Christus potest dicere ad animam illud Cant. 2. *Lectulus noster floridus*.

Tria in lectis reprehendũtur.

Sed reuera sunt nonnulli, qui de ornatu lecti Dei non curant. non enim animam ornant, in qua Deus desiderat quiescere; sed lectum suum in quo corpus requiescit, nimis ornant studiosè. vt in puerperis cernitur euidenter, in quarum lectis tria reprehensibilia inueniuntur. Primvm est mollicies: volunt enim habere lectos de mollibus plumis, ne corpus offendant quod in breui est dandum vermibus, sed si nunc

I.

aduerterent. *Primo* durum lectum corporis Christi, qui fuit crux, in qua requieuit;

1.

de quo dicit Augustinus: Lectum suum dimisit Christus discipulis; qui vult cum illo quiescere in cœlo, cum illo iaceat in lecto, id est, moriatur in cruce, si vult Christum videre placatum. Et dicit Gulielmus. Superbus est minister, cui non sufficit lectus Domini sui. Vnde Bernardus. Circumire possum cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, & non inuenio te nisi in cruce. O bone Iesu. ibi dormis: ibi iaces: ibi culpas in meridie. Idem: Omnem, inquit, reuolui vitam Saluatoris, ab vtero vsque ad patibulum crucis; non inuenio in eo nisi stigmata paupertatis.

Secun-

Secundo vtinam aduerterent lectum, in quo corpus post mortem ponitur: certè in fœtido sepulchro, & anima fortasse vt timendum est, locabitur in inferno. De primo Eccles. 4. *Dum moritur homo, hereditabit serpentes, bestias & vermes.* Incongruum est enim cadauer poni in tam molli lecto, quòd post ponendum est in vili sepulchro. De secundo dicitur. Luc. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* non quidem tantum in corpore, sed in anima. 2.

Tertio si considerarent lectum interiorem, deberent merito negligere lectum exteriorem, vt in lecto conscientiæ quiescerent ipsi de nocte & die, & etiam Deus cum eis, si diligentiam haberent, circa illum. Ideo lauandus esset per singulas noctes sicut Dauid Psal. 6. *Lauabo*. inquit, *per singulas noctes lectum meum.* quia sicut homines delicati volunt candida linteamina quasi singulis noctibus, sic & Christus. Sed è contra lectus aliquorum propter negligentiam ipsorum non est floridus, sicut deuotæ animæ; quæ ait superius, *Lectulus noster floridus*; sed est sordidus. Vbi quiescere deberent cum Christo, inquinantur cum diabolo. 3. Cur lectus aliquorum nō est floridus.

SECVNDO reprehensibile est nimia pretiositas, tam in spondis, quàm in pretiosis & sericijs lectisternijs. De quib. dicitur Amos. 6. *Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.* In hoc, quod dicit *lectis eburneis* tangit spondæ pretiositatem: sed quod addit, *in stratis vestris*, innuit puluinarium linteaminumque nobilitatem & varietatem. Et sic de alijs. quia stratum dicitur lectus regalis, Psalm. 6. *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Attamen præmittit Propheta; *Væ vobis.* quia pro tali pretioso lecto debetur eis infernalis. De quo Isa. 4. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* II. Nimia pretiositas.

De hoc legitur: Erat quidam Magister artium liberalium Bononiæ, ad quem venit religiosus de ordine Pręedicatorum compatriota suus, & sibi familiaris. Cumq; simul de scientijs contulissent, tandem volens recedere vidit lectum delicatum & preciosum, in quo iacebat Magister, & accepta licentiâ loquendi ait: Obsecro, vt hac nocte, quando intraueritis lectum, & eritis in eo, recordemini de lecto, quem habituri sunt damnati in inferno. Ad quem Magister: Et quis est ille lectus? Ad quem frater; sicut dicitur Isa. 14. *Subter te sternetur* &c. Et post hæc verba recessit. At ille in nocte recordatus verbi, cùm esset in lecto quod dormire non potuit, cogitans de illo lecto infernali: tantum præualuit huiusmodi cogitatio, quod post tempus modicum est religionem ingressus. Et certè multum de hoc lecto deberent homines delicati cogitare. quia non est ita pulcher lectus in mundo, in quo non aliquis grauaretur iacere octo dies continuè. Quàm ergo graue erit iacere in tam horribili lecto, sub quo sternitur tineæ corrodentes, & operimentum erunt vermes mordentes? & hoc non solum octo diebus, sed annis pluribus, quam sint guttæ in aqua maris. Magistri cuiusdam conuersio.

TERTIVM reprehensibile est lectorum magnitudo. Aliquæ enim superbæ sunt, quæ tam magnos lectos volunt facere, quod diabolus cum eis benè posset requiescere. In paruo autem lecto pauperis non inuenit diabolus vt requiescat, de quo Isa. 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat*; scilicet diabolus, *& palliũ breue vtrumq; operire non potest.* Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, scilicet superbo, *ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit.* Loca arida, scilicet, est pauperis lectus, vbi diabolus non inuenit requiem, & ideo reuertitur ad lectos diuitum pretiosos atque magnos, cum dicit: *Reuertar ad domum vnde exiui.* III. Lectorum magnitudo.

Lampas nocturna Christo accendēda, est eleemosyna.

OCTAVO consuetum est ad lectos regum lucernas aut lampades propter timores nocturnos suspendere aut locare.

M

MORALITER. Lucerna, quæ ante lectum pacifici cordis, in quo Christus dormit, est locanda, est eleemosyna, non vt Christo, sed verius vt nobis luceat. Nam eleemosyna, quæ datur in vita, est sicut lucerna, quæ præcedit aliquem significans, ne cadat in foueam, vel in lutum, iuxta illud Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur ire animas in tenebras.* Sed illa, quæ datur post mortem, est sicut Luna, quæ fertur post tergum, quæ non custodit, quin homo cadat in purgatorij foueam aut inferni. Vnde Poeta.

Da tua dum viuis, post mortem viuere si vis.

Sed per lampadem intellige iustorum simplicitatem. Habent enim vitrum in carnis honestate, papyrum album in mentis puritate, oleum pingue in operis pietate; ardent dilectione: lucent discretione: sed aliquando contemnuntur ex humili ostensione, Iob. 12. *Deridetur,* inquit, *iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum.*

Vigiles nocturni sunt opera misericordiæ.

NONO & vltimo est consuetum ponere custodes ante lectos regios. sic legitur Cant. 3. cap *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.*

N Sed quid MORALITER per sexaginta fortes nisi sex opera misericordiæ, quæ debent esse custodes lecti Christi.
1. PRIMVM est cibare esurientes, ad quod hortamur Tob. 4. *Panem tuum cum egenis & esurientibus comede.* & Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Et ponitur promissio Ezech. 18. *Si quis panem esurienti dederit, vita viuet.*
2. SECVNDVM est potare sitientes, Prouerb. 25. *Si sitit, potum da illi.* Et Dominus Matth. 10. *Quicunque potum dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*
3. TERTIVM est colligere hospites, quia Christum recipimus in pauperib. Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit,* Et cap. 18. *Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Ideo dicit Matth. 25. hospes eram, & collegistis me.

De hoc narrat exemplum beatus Gregorius in homilia 39. super Euangelium, *Videns Iesus ciuitatem &c.* Quidam Martyrius nomine, vitæ valde honorabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia, ad aliud monasterium tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quendam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei eiusdem leprosi lassitudini misertus, pallium quo vestiebatur, in terram protinus proiecit & expandit, atque desuper leprosum posuit, eumque suo pallio vndique constrictum, super humerum leuauit, secumque reuertens detulit. Cumque iam monasterij foribus propinquaret, spiritualis pater eiusdem monasterij magnis cœpit vocibus clamare. Currite, ianuas monasterij citius aperite: quia frater Martyrius venit, Dominum portans. Statim verò, vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exsiliens, & in ea specie apparens, qua cognosci ab hominibus solet, Redemptor humani generis, Deus & homo

homo Chriſtus Ieſus, ad cœlum Martyrio aſpiciente rediјt, eique aſcendens dixit: Martyri tu me non erubuiſti ſuper terram: ego te non erubeſcam ſuper cœlos. Qui ſanctus vir mox, vt eſt monaſterium ingreſſus, ei pater monaſterijs dixit: Frater Martyri, vbi eſt quem portabas? Cui ille reſpondens dixit: Ego ſi ſciuiſſem, quis eſſet; pedes eius tenuiſſem, & eum minime abire ſiuiſſem. Ideo dixit Iob. 30. *Foris non manſit peregrinus: & oſtium meum viatori patuit.*

QVARTVM eſt veſtire nudos ad quod hortamur Tob. 4. *De veſtimentis tuis nudos tege.* Et Iſaiæ 58. *Cum videris nudum, operi eum.* Et promiſſio habetur Ezech. 18. *Si nudum veſtimento operuerit, vita viuet.* 4.

QVINTVM eſt viſitare infirmos ad quod monemur Eccleſ. 6. *Non te pigeat viſitare infirmos. ex his enim in dilectione Domini firmaberis.* Hoc opus miſericordiæ valde placet Deo, Iacob. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Vnde legitur in Vitis Patrum libro quarto, ca. 342. frater quæſiuit ſenem dicens: Si duo fratres ſunt, ex quibus vnus quieſcit in cella ſua, protrahens ieiunium ſex dierum, & multos labores ſibi imponit. Alter vero ægrotantibus deſeruit. Cuius opus magis acceptum Deo eſt? Reſpondit ei: ſi ille frater ſex diebus ieiunat, parua res eſt, & non poteſt æqualis eſſe illi, qui infirmantibus ſeruit. Sed SEXTVM opus miſericordiæ eſt viſitare eos, qui ſunt in carcere. Ad quod monet nos Apoſtolus ad Hebræor. 13. *Mementote vinctorum tanquam ſimul vincti.* Et NOTA quod viſitandi ſunt qui ſunt in carcere, non ſolum vt neceſſaria eis miniſtrentur, vel alia conſolatio adhibeatur eis; ſed vt à carcere liberentur, iuxta illud Eccleſ. 4. *Libera eum, qui iniuriam patitur de manu ſuperbi.* Et Pſalm. 81. *Egenum de manu peccatoris liberate.* Ecce hi ſex fortes, videlicet ſex opera miſericordiæ, quæ debent ambire lectulum veri Salomonis Chriſti, & debent tenere gladium compaſſionis, vt de quolibet dicatur illud Lucæ. 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quia niſi quis proximo ſuo compatiatur, eum non cibat, neque potum dat illi. 5.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Sermo Primus.

Dominus propè eſt. ita ſcribitur ad Philip. 4.

QVando Dominus familias recedit ad tempus à domo ſua in longinquã regionem, ſi ſcit familiam ſuam eſſe negligentem, præponit ei vnum dispenſatorem fidelem, qui ſemper eos ſollicitet ad laborem: & ſi audire noluerint; annuntiet eis aduentum Domini, dicens; Sitis diligentes: Dominus cito veniet remunerando diligentes, & puniendo negligentes. Et tandem dicit: *Dominus propè eſt*, vt ſic ſint ſtudioſiores in labore.

SPIRITVALITER. Dominus familias ſignat Chriſtum, qui habet triplicem familiam: in cœlo in ſacramento, & in mundo. Et licet præſentia ſacramentali vſque ad conſummationem mundi eſt cum familia ſua in mundo, ſicut promiſit Matth. 25. dicens:

O Chriſtus habet triplicẽ familiam.

[illegible]: *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Recessit tamen ab eis [illegible] corporali, cum cœlos ascendit. sicut de hoc dixit in parabola Lucæ 19. *[illegible] quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti.* Hæc [illegible] familia in mundo est multum negligens in opere Domini, & hæc negligentia [illegible], tollit certe ei operandi potestatem. Cuius exemplum est, quia ad eligendum est concessum tempus trium mensium, vt probatur dist. 4. c. Postquam. & dist. 63. c. Obeuntibus.

Vlterius NOTA de vacantia cathedralis vel regalis Ecclesiæ. quod si infra tres menses non fuerit celebratio electionis, iusto impedimento cessante, ad superiorem proximum deuoluitur potestas promouendi, vt Extra de electione & potestate, c. Ne defectu. Sed Extra de supplen. neg. præla. c. pen. & vlt. dicitur concessum tempus semestre, id est, sex mensium, vltra quos non debent vacare beneficia. Alioquin si donatio ad Episcopum pertinebat, ad Capitulum deuoluitur. quod si hic negligens fuerit, per alios sex menses deuoluitur ad Metropolitanum, & postea ad Papam. Nec potest aliquis istorum purgare negligentiam suam, sed lapso tempore amittit donationem. ita vt si postea peruerit, non valeat.

Tres mẽses, tres ætates designant.

Quid MORALITER per tres significatur menses? Dic, quod tres principales ætates, scilicet augmenti, status, & declinationis. Sed per sex menses denotatur infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, virilitas, & senectus. quæ sunt huiusmodi concessa, vt in his quiuis diligens pro salute sua plurimum laborare teneatur. Quod quidem tempus si morte interueniente neglexerit, causa eius ad iudicium DEI, qui superior est, deuoluitur, & priuatur facultate pœnitendi & dignitate cœlestis regni. Ne igitur familia sua tale damnum incurrat, & salutem propriam negligat, recedens Christus Dominus præposuit ei fidelem dispensatorem sanctum Paulum, qui quemlibet Christo fidelem sollicitat ad laborem. 2. ad Tim. 2. *Labora*, inquit, *sicut bonus miles Iesu Christi.* Sed quia pauci sunt, qui eius exhortationem aduertunt, ideo annuntiat eis aduentum Domini, scilicet ad mortem, quod est iudicium particulare, cum dicit. 1. ad Thess. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* & per mortem vos de medio tollet. Et si adhuc tamquam negligentes familiæ, non perpendimus aduentum Domini in morte. & dixerimus: adhuc diu non veniet: dicit B. Paulus dispensator Domini fidelis: *Dominus propè est.* quasi dicat: hodie vel cras veniet. & te negligentem per mortem auferendo condemnabit. In quibus verbis duo tangit Apostolus. scilic. Potestatem Domini honorandam, Propinquitatem eius formidandam, ibi; *Dominus propè est.*

P

Nomẽ (Dominus) significat Dominationẽ potestatis.

Circa quod NOTANDVM. Hoc nomen DOMINVS videtur importare quinque dominationes.

Potestatis.
Æquitatis.
Liberalitatis.
Nobilitatis.
Timorositatis.

Est enim Dominus nomen PRIMO potestatis, iuxta illud Daniel. 7. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur.* Et NOTA, quod Dominus ostendit potestatem suam principaliter in tribus, scilicet Adam de aliquo formando: Cœlum & terram de nihilo

hilo faciendo: & corpus in panem & sanguinem in vinum substantiando, & discipulis dando, & vt ita dicam, creaturam in creatorem substantiando.

Prima potestas magna est. Esset enim magna potestas alicuius hominis, qui posset de terra formare hominem, & inspirare illi animam viuentem, & hoc Dominus fecit, sicut testatur Scriptura Gen. 2. *Formauit Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem*, id est, in totum corpus, *eius spiraculum vitæ*; quod exponit Aug. super Gen. lib. 8. cap. 2. Corpus, inquit, de limo terræ formauit Deus, cui animam inspirauit. 1.

Sed quæreret quis, An Deus manibus corporeis formauit corpus? *Respondet* Magist. lib. 2. di. 17 c. 1. Spiritus, inquit, Deus est, nec lineamentis membrorum compositus. Non ergo carnaliter putemus DEVM corporeis manibus formasse corpus vel faciebus inspirasse animam, sed potius hominē de limo terræ secundum corpus formauit iubendo, volendo, id est, voluit & verbo suo iussit ita vt fieret, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, id est, substantiam animæ, in qua viueret, creauit, non de materia aliqua corporali, vel spirituali, sed de nihilo. Et NOTANTER dicit, *nec lineamentis membrorum compositus*, contra Hæreticos Anthropomorphitas, qui dixerunt, DEVM esse corporeum, 24. q 3. cap. Quidam.

Quomodo Deus corpus formauerit.

Secunda potestas Domini fuit maior, quando cœlum & terram ex nihilo creauit, secundum illud Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* quod exponit August. super Gen. lib 1. cap. 2. Per cœlum & terram spiritualem corporalemque creaturam intellige. & hæc creatura est in principio, scilicet temporis; vel in principio, quia primo facta est. 2.

Tertia Domini potestas fuit maxima, quando panem in suum corpus & vinum in sanguinem suum transsubstantiauit, dicens; Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* & post, *Hic est sanguis meus.* vt dicit Magist. lib. 4. dist. 8. Cum hæc verba proferuntur, conuersio fit panis & vini in substantiam corporis, scilicet animati & sanguinis Christi: reliqua ad laudem DEI dicuntur. Et allegat ibidem Ambros. de sacram. homil. 4. Sermone, inquit, Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi immutat creaturam, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calicem missum, fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Et B. Augustinus de consecra. dist. 2. c. Sub figura. Credendum est, inquit, quod in verbo Christi conficiantur sacramenta. Q 3.

Ex iam dictis patet Domini potestas magna, maior, & maxima. & propter hoc dixit Matth 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et B. August. de assumptione Virginis sermone: Scimus, inquit, Iesum omnia posse. Et est NOTANDVM, quantum ad hanc triplicem potestatem Dominus etiam habet triplicem propinquitatem. Nam quoad PRIMAM potestatem, prope est morientibus ad resoluendum. Si enim potens est formato corpore, illud mediante anima viuificare, potens etiam est animam à corpore per mortē separare. Et hoc cito faciet, sicut promisit Apoc 3. *Ecce venio cito.* Gloss. ad iudicium cuiuslibet hominis in morte. Et opinantur certi Doctores, quod Dominus veniet in morte cuiuslibet, sicut ipse pependit in cruce. Et huius opinionis fuit Innocen. III, lib. 3. de vili. human. condit. 3. cap. Videt, inquit, tam bonus, quàm malus antequam egrediatur de corpore, Christum in cruce positū: Malus ad confusionem, vt erubescat se non esse redemptum sanguine Christi

Dominus tripliciter propè est.

Tam boni, quàm mali morientes Christum vident.

sua

ſua culpa exigente: Bonus verò videt ad exultationem. Ex hac opinione Innocentij colligitur, quod boni in morte gaudebunt: mali autem dolebunt.

R PRIMO enim dico, quod boni in morte gaudebunt, quia mors eorum eſt velut ſomnis ſuauis, ſicut dixi ſuprà Dominica prima, ſermon. 3. B. A. Sunt & alia ſolatia, quorum tria aſſignaui. *Primum*, quod hoſpitem ipſorum familiarem occidit, ſcilic. corpus, quod ſemper pugnat aduerſus ſpiritum ſecundum illud ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* ſicut enim domeſticus inimicus valde eſt efficax ad nocendum, iuxta illud Boëtij lib. 3. proſa. 5. Nulla peſtis ad nocendum efficatior eſt, quàm familiaris inimicus: Sic etiam eſt corpus, Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* *Secundum* ſolatium, quod de carcere eos educit. pro quo petijt Dauid Pſal. 141. ſecundum aliam literam. *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. me exſpectant iuſti, &c.* *Tertium*, quod finem laborioſæ peregrinationi imponit, de qua B. Gregor. Quid eſt vita mortalis niſi via? & qualis ſit dementia fratres mei, perpendite, in via laſſari, & viam nolle finire. *Quartum* eſt, quod lentum equum omnium genere vitiorum plenum in eis occidit, & dextrarium eius optimum reſtitui facit. Equus vitioſus corpus eſt. ab hoc equo expediri cupiebat Paulus cum dicebat ad Roman. 7. *Infelix ego homo, qui me liberabit de corpore mortis huius? &c.*

Bonorũ ſolatia in morte. I. II. III. IV.

Tribus de cauſis miles timet equum ſuum amittere: vel quia non ſecurus de emẽdo, vel quia timet capi equo amiſſo, vel propter equi bonitatem. Sed boni nullum horum habent timere, quia ſecuri ſunt de emendo. Si enim amittunt corpus vitioſum, recipient à Domino ſuo glorioſum. Propter quod dixit B. Ambroſ. Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo Et 2. Mach. 7. dixit vnus de fratribus ſeptem: *E cœlo iſta poſſideo. ſed propter legem Dei iſta deſpicio, quia ab ipſo ea me recepturum ſpero.* Nec etiam boni timent capi equo iſto amiſſo, quia tunc de manibus hoſtium liberati ſunt, Pſal. 123. *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Nec etiam equus iſte corporis eſt bonus, ſed fallax & nequitioſus, Pſal. 32. *Fallax equus ad ſalutem.* Ideo huiuſmodi Chriſti ſerui cupiunt ab eo expediri. *Quintum*, quia eos à miſerijs liberabit. Figura. Gen. 8. *Recordatus eſt dominus Noë, & dixit ad eum: egredere de arca.* Tunc enim Dominus recordatur bonorum, iubens eos de arca egredi, quando ipſos ad ſe vocat per mortem; & tunc egrediuntur de arca virtutum, quia in patria non manent Cardinales virtutes, nec etiam theologicæ, quantũ ad actum, quem habent in præſenti. & tunc ceſſabit diluuium miſeriarum, & minuentur aquæ tentationis vitæ præſentis. quia dicitur Apocalip. 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Equus corporis fallax.

SECVNDO dictum fuit, quod mali dolebunt in morte, propter quatuor: de quibus dicit Innocent. Papa lib. vbi ſuprà c. 2. Mali ſiquidem dolores præcipuos patiuntur in morte quatuor.

Cur mali in morte doleant.

S *Primus* dolor in anguſtia. *Secundus*, quod tam plenè defatigato corpore & exhauſtò ſuis viribus videt occurrere omnia opera mala, quæ fecit. *Tertius*, quando anima incipit iudicari, & ſibi tormenta gehennæ videt imminere. *Quartus*, quando anima adhuc in corpore poſita videt ſpiritus malignos, ad rapiendum paratos. ſicut de hoc ponit exemplum B. Gregorius lib. 4. dialogor. cap. 38. Vir, inquit, in hoc mundo valde diues erat, Cryſorius nomine, ſed tantũ plenus vitijs, quantum rebus ſuper-

superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in requirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cum tot malis Dominus finem imponere decreuisset, corporali hunc molestia percussit. Qui ad extremum veniens, eadem hora qua iam de corpore exiturus erat, apertis oculis vidit teterrimos viros, & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere: filiumque suum nomine Maximum, monachum, nimijs & turbatis vocibus vocare, dicens: Maxime, curre. Nunquam tibi mali aliquid feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens ac perstrepens familia conuenit. Eos autem, quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat spiritus malignos, illos ipsi videre non poterant: sed eorum præsentiam in confusione, & pallore, & tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetrę eorum imaginis huc illucque vertebatur in lectulo, iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant eum constringentes. Cumque constrictus nimis, relaxari se iam non posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare: Inducias vel vsque mane. Sed cum hæc clamaret, in ipsis vocibus de carnis suæ habitaculo euulsus est. dec, inducias petit, nec impetrat.

Et quia tot dolores in extremis eueniunt malis, idcirco memoria mortis est semper habenda præ oculis, exemplo galli, de quo refert Plinius in spec. nat. qui timens accipitrem terræ prædonem, acuto visu præditum, vnum oculum inferius deprimit, & alterum in aërem dirigit, vt aduentum accipitris scire possit. MORALITER. Accipiter significat mortem, quæ prædatur vniuersaliter omnes: *quia statutum est omnibus semel mori,* ad Hebr. 9. Hanc debent habere homines præ oculis mentis, iuxta illud Eccl. 7. *Memorare nouissima tua*, id est, mortem, *& in æternū non peccabis.* Ad hoc etiam hortatur nos quilibet iam defunctus. Memor, inquit, esto iudicij mei, id est mortis meæ quæ dicitur hominis iudicium. quia qualis quis in morte reperitur, talis ad iudicium præsentabitur, vt dicit Gloss. sic enim erit meum & tuum. *mihi heri, tibi hodie* Eccles. 34.

Vbi vlterius NOTANDVM, quod sedula mortis meditatio valet homini ad multa bona, quæ colliguntur ex arte, natura, & scriptura: Videlicet vitæ directionem, vitiorū fugationem, mundi despectionē, lætitiæ moderationem, superbiæ deiectionem. T Vtilitates meditationis mortis.

Primo igitur valet ad vitæ directionem. Nam nauta, qui artificialiter vult nauem gubernare, debet se in fine nauis ponere: ante se nauem dirigere: & sic pericula vitare. Sic qui vult vitam suam rationabiliter gubernare, debet se in finem vitæ ponere sedula meditatione, vt possit ad bonum nauem suam consummare. Sicut enim sollicitè & longè antè nautæ sibi præuident de nauis directione, qui habent malum passum transire; sic debet quilibet longè antè sibi præuidere, vt possit periculosum passum mortis transire. Ideo dicit B. Gregorius in moral. Qui considerat, qualis erit in morte, semper est pauidus in operatione, atque in oculis suis, dum viuit, nihil quod transijt appetit. sed potius vitæ præsentis desiderijs contradicit, & penè mortuum se considerat, qui se moriturum non ignorat. *I.* Vitæ directio.

Secundo valet ad vitiorum fugationem. Sicut enim latro timet iudicis sententiam, sic vitia mortem: & sicut iumenta cauda se defendunt à muscis, sic homo consideratione mortis defendit se à peccatis. Ideo dicit Hieronymus ad Cyprianum: Memento mortis tuæ, & non peccabis. *II.* Fuga vitiorum.

R *Tertio*

III. Mundi despectio. *Tertio* valet ad mundi despectionem. Vnde Hieronymus: Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Et in Epistola ad Cyprianum: Qui se cogitat moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.

IV. Lætitiæ moderatio. *Quarto* valet ad lætitiæ moderationem, iuxta illud Eccl. 6. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis*, scilicet mortis amaræ. de qua Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua* homini pacem habenti. Et hoc patet de quodam iuuene indisposito, quem mors præuenerat; sicut narrat deuotus Amandus horol. Sapien. lib. 2. cap. 2. qui ait: Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me. Heu me miserum, Deus æternæ, ad quid in hunc mundum nascebar? Natus ex vtero, cur non statim perij? En principium vitæ meæ fuit cum fletu & dolore: nunc autem finis & exitus meus cum miserabili planctu & dolore. O mors quàm amara est memoria tua cordi iucundo, & in delitijs enutrito. Horribilis præsentia tua ei, qui & ætate iuuenis, & robore fortis, & qui potitur successib. prosperis. Non defleo iudicium mortis, sed fleo damna indispositæ mortis: non ploro, quod hinc exiturus sum, sed plango & lugeo damna dierum, qui inutiliter & sine omni fructu transierunt.

Iuuenis præuenti morte lamentatio.

V. Deiectio superbiæ. *Quinto* valet ad superbiæ deiectionem, sicut patet in exemplo pauonis, de quo refert Isidorus in histor. natur. cum pulchritudinem pennarum suarum cernit, caudam erigit ad modum rotæ, per gyrum capitis circumponit: sed dum inter hæc deformitatem pedum circumspicit, plurimum erubescit, & obliuiscens suæ pulchritudinis, caudam deprimit & deponit.

MORALITER. Superbus cum deformitatem suam aut vtilitatem prospexerit, omnem elationem suam & superbiam mox deijcit & deponit. Quid enim est pes, quo mediante terram corpus contingit, nisi mors hominis, per quam corpus in terram redit? Quicunque ergo gloriantur de aliqua pulchritudine corporis, respiciant corporis pedem, id est ipsius finem. Quod si bene respiciant, quale post mortem fiet, potius sibi aderit tristitia, quàm gloria. Ideo dicit Sapiens Eccl. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Gloss. cito in cinerem redigendus.

Perseuerãtibus dat Dominus præmium. Quantum ad SECVNDAM potestatem, prope est Dominus perseuerantibus ad præmiandum. Si enim potens fuit Dominus cœlum & terram ex nihilo creare; potens est etiam hominem perseuerantem præmiare: quia cœlum non solum propter angelos, sed etiam propter homines est creatum, si manent perseuerantes. Quia dicit Isidorus: Inchoantibus præmium promittitur, perseuerantibus autem datur. Vt autem prope sit Dominus perseuerantibus ad præmiandum, necesse est, vt similes sint lauro propter tria. videlicet propter viriditatem, securitatem, & dignitatem. *Primo* igitur propter viriditatem. sicut enim laurus est arbor viridis semper virens. Suo enim nitore nec hyeme, nec æstate spoliatur, sic homo volens à Domino præmium accipere, debet semper in bono virere virtutis & perseuerare, vt nec in hyeme aduersitatis, nec in æstate prosperitatis nitorem virtutis amittat.

Laurus.

Sed heu nos interdum ad sermonem leuem à vigore boni operis cessamus, sicut probat Gregorius: Sæpe, inquit, agere aliqua bona proponimus, sed si vnus leuissimus sermo ab ore irridentis eripitur, ab intentione actionis nostræ fracti, protinus confusi recedimus. Ideo Dominus est propè ad præmiandum.

Secundo

Secundo nos similes esse necesse est lauro propter securitatem. Sicut enim hæc arbor secura est à fulminibus, phantasmatibus, & vermibus, sic perseuerantibus in bono nec fulmina aduersitatum, nec phantasmata dœmonum, nec puncturæ infirmitatum nocent: sed omnia finaliter eis prosunt. quod probatur exemplo. Cur lauro similes esse debeamus.

Legitur in vitis Patrum lib. 1. cap. 3. de quodam viro, qui vitam turpissimam per omne facinus ducebat, ita vt opinatissimus in flagitijs haberetur, qui per minas dicitur compunctus, ad pœnitentiam redijt; & intra sepulchrum quoddam se includens, priorum scelerũ pollutiones lacrymarum fletibus abluebat, diebus ac noctibus in faciem prostratus, nec in cœlum erat ausus faciem leuare, nec vocem mittere, nec nomen Domini inuocare; sed in solis fletibus & gemitibus perdurabat. Cumq; sic positus permaneret, venerunt ad eum dœmones clamantes; Quid est, quod agis, ô impijssime? iam omni impuritate es saturatus, & nunc à nobis castus profugis? Vnus enim ex nobis es: ideo redi ad nos, & tempus, quod superest, in supplenda voluptate non perdas. Præparamus tibi affluentes delitias, & scortum nobilissimum, quæ tibi fiorem possit reparare gratissimæ iuuentutis. Sed si pœna hæc delectat, exspecta paululum, & inuenies paratam. Hæc & plura illis dicentibus, iacebat immobilis: nec auditum conuertens ad eos: nec vllum sermonem respondebat. Ecce perseuerantia. Cum igitur dœmones verba sua viderent contemni, multis eum verberibus cruciantes semiuiuum reliquerunt: nec in illis cruciatibus mutare locum voluit. Postridie quidam suorum eum inuenerunt pœnis afflictum, & cum causam didicissent, rogabant eum, vt se ad domum propriam duci pateretur. & ipse noluit. Igitur sequẽti nocte eum grauioribus pœnis afflixerunt: nec quidem moueri voluit de loco. Tertia nocte multitudo dœmonũ conuenit, & absq; vlla miseratione in eum irruentes, omnibus pœnis afficiunt, ita vt solus spiritibus omnibus resisteret; & certè magna fuit eius perseuerantia. Quod dœmones videntes voce magna clamabant: Vicisti. Et mox cœlitus fugati sunt, nec vltra ei nocere præsumpserunt. Ecce quod nec fulmina aduersitatum, nec phantasmata dœmonum ei obfuerunt.

Refert enim Petrus Comestor in schola. histor. quod Tiberius Cæsar cœlo tonante laurum in capite solitus erat ferre, ne possit lædi à fulmine. Sic & nobis iste laurum in exemplum perseuerantiæ in capite mentis portauit, & fulmen aduersitatum dœmonum leuiter superauit. Ideo meruit propinquitatem salutis Domini, iuxta illud Matth. 24. *Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.*

Tertio nos similes esse decet lauro propter dignitatem. Sicut enim laurus dicitur à laude, secundum Isidorum lib. 17. quia est arbor victorialis, digna multum laudum præconijs propter singularem gratiæ suæ excellentiam & virtutis, propter quod & victores quondam obtenta victoria folijs laureis ducebantur; sic perseuerantia sola est tam digna, quod coronam & laudem meretur. Ideo dicit Bernardus in epistolis: Absq; perseuerantia nec pugnans habet victoriam, nec palmam victor consequitur. nutrix est virtutum & mediatrix ad præmium. quare etiam dixit Dominus Apoc. 2. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

X

Quantum ad TERTIAM potestatem, propè est Dominus fidelibus ad manducandum. Si enim potens ipse fuit panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum transmutare, dicens occultè hæc verba quatuor; *Hoc est corpus meum:* potens etiam Propè est Dominus fidelibus suis, vt eos cibet.

fuit corpus suum fidelibus ad manducandum dare, cum subiungit: *Accipite, & comedite*, Matth. 26.

In tribus festiuitatibus anni communio suadetur.

Et NOTA, licet Dominus in suo sacramento semper est nobis propè, quia secundum Augustinum in sermone de corpore Christi, non est aliqua natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis noster Deus; tamen principaliter ad tria festa in anno est omnibus deuotis fidelib. propè ad manducandum: scilicet in Pascha, Pentecostes & Natali domini. Quia præcepit Fabianus Papa de consecrat. dist. 2. & allegatur à Magistro lib 4. dist. 12. Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent. nisi fortè quis criminalibus impediatur. Et dicit ibidem Anacletus Papa: Omnes igitur communicent, qui noluerint carere Ecclesiasticis liminibus. Et hoc referendum est solum ad festum Paschæ, vbi omnes tenentur ex mandato communicare, vt statuit Innocentius Papa III. de pœn. & rem. c. Omnis vtriusque sexus.

Communio Paschalis præcipitur.

Ex quo igitur instat festum benedictum & à sanctis patribus valde desideratum Domini Natalis, in quo salus credentium apparuit populis, prope est omnibus deuotis in suo sacramento ad manducandum, ergo cuilibet deuoto, qui est absque peccatis mortalibus, nec in malo proposito, manducare esset, necessarium in augmentum virtutis, scilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis. Quia hæ sunt duæ causæ, propter quas hoc sacramentum institutum est, vt dicit Magister lib. 4. dist. 12.

Dixi NOTANTER, *sine mortalibus, nec in malo proposito*; quia in peccato mortali existens Christum in sacramento spiritualiter non sumit. quia Christus similis est lapidi pretioso, qui dicitur Echites, qui inuenitur in nidis aquilarum. De quo refert Magister lib 16. proprietatum. Si de veneni fraude aliquis suspectus fuerit, hic lapis sub cibo eius positus, cibum deglutire non permittit: quod si lapis subtractus fuerit, cibum deglutire non tardabit: Sic Christus qui inuenitur in nidis aquilarum, id est, in cordibus contemplantium positus, id est, contentus sub cibo sacramentali, reum veneni, id est, peccati mortalis, deglutire non sinit, quia ei nocet, iuxta illud Micheæ 6. *Tu comedes, & non satiaberis.* Exponit Lyra, id est, Eucharistiam assumes, & non proficiet tibi, sed plus nocebit. Si autem subtractus fuerit lapis, cibũ mox deglutiet, quasi diceret: si in peccato accedit, Christus subtrahitur spiritualiter; licet manducet ipsum sacramentaliter. Nam licet existens in peccato manducet ipsum sacramẽtaliter, non tamen spiritualiter: nec sacramentum ipsius proficiet ad effectum. quia spiritualiter quoad animam ipsum non deglutiet. Quod probat Augustinus de verbis Euangelij: Qui discordat à Christo, nec carnem Christi, scilicet spiritualem manducat. Gloss. spiritualiter, licet sacramentaliter sanguinem bibat. Gloss. quia non incorporatur spirituali corpori Christi, & si tantæ rei sacramentum ad iudicium quotidie accipiat. Hæc ille.

Nocet Eucharistia in peccato mortali sumta.

Tria genera communicãtium.

Ideo dicit Christus ad Amandus in horol. Sapien. lib. 2. cap. 4. Tria sunt genera hominum sacramentaliter me recipientium. Quidam sunt animo indispositi, vt illi, qui sunt criminalibus inuoluti: quidam benè dispositi, sicut perfecti: quidam medio modo se habente, sicut indeuoti. *Primi* merentur æternam mortem & maledictionem temporalem. *Secundi* vitam æternam & spiritualem benedictionem: *Tertij* panem aridum & cibum insipidũ comedentes, eius non percipiunt suauitatem. Idcirco legitur

legitur in vitis Patrum li. 1. parte 1. Eulogius pater in offerendis sacramentis tantam gratiam acceperat à Domino, vt vniuscuiusque accedentium ad altare DEI merita culpasq; cognosceret. Deniq; ex monachis quosdam volentes accedere ad communionem retinebat dicens; Quomodo ausi estis accedere ad sacramenta diuina, cum mens vestra inquinata est, & propositum sit in malo? Demque dixit ad vnum: Tu hac nocte habuisti cogitationes fornicandi. Ad alium autem: Tu vero dixisti in corde tuo; Nihil interest, siue iustus ad sacramenta, siue peccator accedat. Et alius dubitationem in corde habuit dicens; Quid enim me sanctificare potest communio? Hos ergo singulos remouebat à communione sacramenti, & dicebat eis: Secedite paululum, & agite pœnitentiam, vt purificati per satisfactionem & lacrymas, digni habeamini communione Christi. Hæc idcirco hic inserui, ne quis in hoc festo futuro Natalis Christi ad sacramenta Domini audeat accedere, nisi se prius ab omnibus criminibus & malo proposito peccandi studuerit totaliter expurgare. Communicantium merita cognoscit Eulogius

SECVNDO. Dominus est nomen æquitatis iuxta illud Ierem. 12. *Iustus quidem es domine, si disputem tecum.* Et Dauid Psal. 10. *Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit: æquitatem vidit*, id est, approbat *vultus eius*. Et Psal. 148. *Iustus dominus in omnibus vijs suis.* Est tamen NOTANDVM, quod nunc in tempore gratiæ temperat iustitia misericordiam. sicut probat Augustinus de pœn dist. 1. c. Quem pœnitet. dicens: Deus qui est misericors & iustus, sicut seruat misericordiam in iustitia, ita & iustitiam in misericordia, sed iustitia sola damnat. Et quoad æquitatem aut iustitiam, prope est non pœnitentibus ad condemnandum: quia peccantes & in peccatis perseuerantes iuste damnantur. sicut quærit Petrus discipulus beati Greg. lib. 4. c. 44. dialogorũ. Scire velim, quomodo iustum sit, vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? Respondit Gregorius Petro: Hoc recte diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique, si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Cui consonat Augustinus: Qui æternam voluerit habere peccati perfruitionem, æternam inueniet iudicis seueritatem. Y Dominus est nomen æquitatis in Deo.

Ex his iam dictis probatur error dicentium, animas in mortali peccato decedentes non esse æternaliter puniendas. Cuius occasionem sumunt ex verbis Saluatoris, Matth. 7. & Lucæ 6. *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* & Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & fuit in delitijs, tantum date ei tormentum & luctum.* Ex hoc dicunt: Non esset mensura pœnæ secundum mensuram culpæ, si in peccato momentaneo, pœna æterna redderetur. sed verba prædicta sunt intelligenda, vt fiat comparatio in genere; vt qui multum peccauerit, multum puniatur: Et qui amplius peccauit, amplius puniatur: non quod sit necesse pœnam esse æqualem culpæ secundum durationem. Immo pœna secundum durationem multò maior potest esse quàm culpa. sicut multipliciter potest ostendi. Error de pœna animarũ reijcitur. Pœna maior esse potest quam culpa, probatur.

Et PRIMO per pœnas ab humano iure positas: quæ multo amplius durant quam peccata, pro quibus inflicta sunt durauerunt. Vnde Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei: Octo, inquit, genera pœnarum in lege esse scribit Tullius: damnum, vincula, verbera, I. Pœnarum genera octo

ra, tallionem, ignominiam, exilium, mortem, & seruitutem. Nullum horum est, quod ita in breui tempore pro cuiuslibet peccati celeritate coerceatur, vt tam coarcta vindicetur morula, quanta est peccatum perpetratum.

II. SECVNDO probatur: cum perpetratio peccati vulneratio spiritualis sit, quid mirũ, si à vulnere breuissimi tẽporis relinquatur vulnus multæ durationis, aut etiam mors, à qua non est regressus ad vitam nisi miraculosè?

III. TERTIO cum perpetratio peccati sit casus in profundum, quid mirum, si casus iste breui tempore fiat, &c. qui sic cecidit, in profundo multo tempore maneat?

Z

IV. QVARTO cum peccator breui voluptate vendat se diabolo, quid mirum, si emptori eius ius perpetuum acquiratur? Certè non est mirum. De hoc narrat Thomas Brabantinus lib. 2. Apum, cap. 56. part. 2. dicens: Sedebant viri quidam in taberna, honesti quantum ad seculum, & bibebant: cum in caluissent mero, cœperunt conferre de diuersis ad inuicem, & inuectus est sermo, quid futurum sit post hanc vitam. Tunc vnus: Vanissime, inquit, à clericis istis decipimur, qui dicunt animas sine corporibus viuere, & post ruinam in pœnis cruciari. Hoc dicto, in risum omnibus concitatis aduenit homo statura fortis & magnus, & residens cum illis, vinum postulat: bibit: quæritque quis sermo sit inter eos. De animabus, inquit ille, qui suprà: Si quis esset, qui meam vellet emere, foro optimo, *aliàs*, vilissimo pretio darem illam. & de pretio eius in communi omnibus ad bibendum. Tunc cachinnantibus omnibus, ille qui superuenerat: Talem, inquit, mercatorem quæro: paratus sum eam emere, dicito; quanti dabis? Et ille elato vultu; Tanti, inquit. Mox conuenientibus eis in pretio, soluit emtor statim pecuniam, & lætantibus omnibus, biberunt pleno calice, non curante ad primum, illo quod animam suam vendidisset. Vespere autem facto: Tempus est, inquit emtor, vt quisque nostrum ad propria reuertatur. Vos tamen antequam separemur, date iudicium: Si quis equum emerit capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius ementis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt: vtique cederet. Nec mora: venditorem quæstionis & responsionis horrore trementem, emtor cum anima & corpore videntibus omnibus sursum leuauit in aëra, & secum, vt certum est, pertraxit ad inferna; diabolus enim erat in specie hominis. Quis enim alius diceret se mercatorem animarum, nisi ille in cuius figura olim Abraham à rege Sodomorum dictum est: Da mihi animas, cetera tolle tibi. Et sic certè qui hic æternaliter animas puniri non credidit, ibi in pœna sensit, quia secundum Gregorium. in moral. & ponitur dist. 38. cap. Qui ea. Qui stultus est in culpa, sapiens erit in pœna.

Quidam animam suam vendidit, & à diabolo corpore & anima rapitur.

Gen. 14.

A

TERTIO. Dominus est nomen liberalitatis. quod *primo* ostendit in hominis formatione. Nam sua liberalitas ad hoc operata est, vt faceret hominem rationalem creaturam secundum Magist. in lib. 2. dist. 1. c. 2. vt summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, & possidendo frueretur.

Dominus est nomen liberalitatis in Deo.

Secundo suam liberalitatem ostendit, in creaturarum subiectione, quod videlicet omnes creaturas homini subiecit. Nonne esset ille rex multum liberalis, qui omnia bona sua pauperi subijceret homini? Christus est rex, cuius omnia bona cœli, & terre sunt, Psal. 23. *Domini est terra & plenitudo eius*, &c. sed hæc subiecit & subdita fecit homini, Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.*

Tertio

Tertio ostendit eam in omni miseratione, Sap. 7. *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et Psal. 85. *Tu domine suauis & mitis, & multa misericordia omnibus inuocantibus te.*

Quarto demonstrat eam in solis illustratione, quia omnes liberaliter illuminat Matth. 5. *Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

Quinto probatur eius liberalitas in esurientium cibatione, iuxta illud Lucæ 1. *Esurientes impleuit bonis.* Ideo legitur, quod *de septē panibus & paucis piscibus quatuor millia hominum cibauit*, Matth. 15. Et alia die *cibauit quinq; millia hominum ex quinque panibus & duobus piscibus*, Matth. 6. & Ioan. 6.

Sexto ostendit eam in peccatorum receptione, vt Matth. 9. *vbi multi peccatores & publicani veniebant & manducabant cum illo.* & Ioan. 8. Misericorditer recepit adulteram & liberaliter dimisit eam dicens: *Vade, & noli amplius peccare.* Idcirco Lucæ 15. Murmurabant contra eum Scribæ & Pharisæi dicentes: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Et quia his sex modis Dominus est liberalis, idcirco prope est pœnitentibus ad miserandum. iuxta illud Isa. 14. *Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.* Ad Rom. 13. *Propior est nostra salus, quàm cum credidimus.*

Ad hoc probandum dicit Christus in horol. Sapi. lib. 1. cap. 4. Ego sum frater tuus, sponsus tuus, paratus misereri & tegere peccata tua, & proijcere in profundum maris, & sic remittere quasi nunquam fuerint; dummodo conuert, & de cetero cauere volueris. Et ibidem ponit exemplum: Si totus mundus esset globus igneus, & in medio ignis de stuppa lini pugillus vnus, hic ex sua naturali inclinatione non tam cito flammarum incendia reciperet, sicut abyssus miserationum mearum peccatorem pœnitentem & conuerti volentem: quia in illa actione naturali aliqualis, licet minima, & imperceptibilis requireretur morulas sed nulla penitus mora inter pœnitentem & remittentem, & gemitus exaudientem. Ecce quàm propè est Dominus pœnitentibus ad miserandum. Benignitas Dei in peccatores.

Attamen NOTA. Pœnitens, qui vult vt Dominus sit sibi propè, debet tigridi animali similis esse. Dicit enim Isido. l. 12. de naturalibus, quod Tigris est animal ad modum sagittæ in cursu velocissimum, & varijs maculis distinctum. De quo etiam refert Plinius in spec. natur. Cum catuli sui rapiuntur, odore raptorem prosequitur, qui in equo velocissimo transportatur. Audiens autem venator strepitum sequentis in via, post se specula proijcit; quæ illa videns & suam imaginem intuens &, filium esse credens, sistit, & filium accipere cupit, & interim venator euadit. B Pœnitens tigridem imitari debet.

MORALITER. Tigris velociter currens est peccator celeriter pœnitens, qui diuersis maculis pungitur: tunc verò raptos catulos insequitur, quando bona per peccatū perdita, per pœnitentiam recuperare conatur. Cui venator diuersa specula, quibus detineatur, proijcit, id est, diuersa sibi impedimenta diabolus impedientia opponit, quibus peccatorem ad priora peccata allicere intendit. Sed debet facere peccator pœnitens exemplo cuiusdam peccatricis.

Legitur enim in vitis Patrum exemplū li. 5. §. 77. quod Abbas Ioannes dicebat de anima, quæ desiderabat pœnitere: Quædam meretrix pulcherrima erat in quadam ciuitate, quæ habuit plurimos amatores. Quidam autē vir de Ducibus veniēs ad eam. dixit: Anima meretrici pœnitenti comparatur.

dixit: Promitte mihi castitatem tuam, & ego te accipiam in vxorem. Illa igitur promittente, accipiens eam in domum suam introduxit. Cumque à suis amatoribus quæreretur agnito quod eam tam magnus vir accepisset in vxorem, dixerunt: Si accesserimus ad ianuam tam potentis hominis, cognoueritque desideria nostra, procul dubio puniemur. Sed venite post dorsum domus, vt vtamur solito sibilo. Cumq; illa sibilantiū sonum audierit, descendet ad nos. Sed cum illa audisset sibilos, signauit aures suas, & exiliens interiora domus ingressa est, atq; clausit. Hæc ita loquutus senior dixit; Animam, meretricem esse: amatores eius vitia, ducem Christum, domum cœlorum perpetuam mansionem, sibilatores dæmones. Hæc, inquit, anima si casta est, dæmones non aduertit, sed semper ad Christum dominū suum recurrit.

C Dominus est nomen nobilitatis.

QVARTO. Dominus est nomen nobilitatis. Sicut enim solus ille nobilis est, qui est ornatur moribus bonis, iuxta illud Poëtæ.

Nobilitas sola est, hominem quæ moribus ornat.

Patet, quod Christus est omnium nobilissimus, qui hic in terris fuit omnium morigeratissimus & virtuosissimus: Et quoad hoc, ipse est prope peccantibus ad parcendum & exspectandum. Si enim animalia generosa sunt ad parcendum inclinata, sicut refert Isidor. lib. 12. de leone rege animaliū, qui parcit ante se prostratis: multo magis Christus *leo de tribu Iuda*, Apocal. 5. scit parcere peccatoribus. Et de hoc B. Ambrosius. De benignitate Dei non sufficio mirari, quod Deus potest tantum parcere homini peccatori. De hoc etiam dicit B. Hieronymus ad Rusticum Narbonensem, Episcopū, & ponitur dist. 93. c. Diaconi sunt. Pietas, inquit, Dei solum nostrum reditū requirit, ac nos cupit longa sua bonitate saluari. Si non conuertimur, si duri colli sumus, si in peccatis illicitè vsq; ad mortem perduramus assiduè, id est iterando peccatum, non miseretur Deus. Gloss. exponit; non de facili miseretur: quia vulnus iteratum tardius sanatur, de pœn. dist. 3. c. Inanis. & B. Augustinus in lib. Confessionū. Tu inquit, misericordissime Deus, in peccatis meis mihi aderas, pijssime sustinens omnes iniquas delectationes meas. Cui consonat B. Bernardus, lib. meditat. Misericordias, inquit, Domini in æternum cantabo, quod me peccantē non statim damnauit, sed me prolongante iniquitatē, ipse prolongauit pietatem. Idcirco idem Bernardus exhortatur animam suam, vt ad dominum reuertatur dicens: Aduerte, quæ fuit longanimitas exspectantis. O quanto tempore tuum aduentum exspectauit. heu quanto tempore te in peccatis tolerauit. O quot & quantos ante tuam conuersionē damnauit, & te semper misericorditer exspectauit. Reuertere ô anima, in cruce te exspectat. O quanto tempore aduentum tuum exspectauit, & post te habet caput inclinatum ad te ad osculandū, habet brachia extensa ad amplexandum, manus apertas ad remittendum, corpus extensum ad se totum impendendū, pedes affixos ad commouendum, latus apertum ad te in illud introducendū. Esto ergo, ô anima columba indificans in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ perfora manus: perfora pedes: inuolue te lateri. ibi tuta requies, ibi secura quies. Hæc Bernardus. Quod Deus exspectat peccatorem, dixi plura suprà Dominica 2. serm. 1.

Timor Domini.

QVINTO. Dominus est nomen timorositatis, iuxta illud Malach 1. *Si ego Dominus, vbi est timor meus?* scilicet ad sollicitandum. sicut enim dominus temporalis sollicitat suo timore seruos ad laborandum, sic Dominus Deus ad benè operandum, Prouerb. 24. *Diligenter*, inquit *exerce agrum tuum*. Et *primo* sollicitat per hoc, quod dicit

1\. Ierem.

Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*. vbi alia litera habet, *negligenter* Sed interlinearis Glossa super illud verbum, *fraudulenter*, dicit, vel desidiosè. *Secundo* sollicitat per hoc, quod commendat mulieris diligentiam, Lucæ 15. de qua legitur: *Mulier habens decem drachmas & si perdiderit drachmam vnam, accendit lucernã, & euertit domum & quærit diligenter* quasi diceret; si adeo diligens fuit pro quærenda drachma perdita, multò magis debet esse homo diligens pro acquirenda æterna vita. *Tertio* sollicitat per hoc, quod dicitur Eccles. 7. *Qui timent Dominum, nihil negligunt*. 2. 3.

Pro doctrina MORALI est sciendum, vertendo nunc stilum ad terrestres dominos, dicendo primo: quod *Dominus* est nomen potestatis, propter quod Pilatus ad Christum dixit: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*. Sed quia omnis potestas dominorum terrenorum à Deo est, dixit ei Christus: *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi datum esset desuper*. Et quia domini terreni habent potestatem, ideo debent esse prope. D

Dominus, est nomen potestatis. Domini terreni debent eradicare.

Malis ad eradicandum.
Bonis ad supportandum.
Subditis ad propugnandum.

PRIMO enim debent esse prope malis ad eradicandum. Et NOTA, quod mali sunt multiplices, *Primi* & periculosissimi Hæretici, qui demoliuntur ad instar vulpium vineam, id est Ecclesiam Domini, quos Dominus iubet capere, dum adhuc paruuli sunt, Cant. 2. *Capite* inquit, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Quia antequam confortantur totaliter in malo, sunt eradicandæ per ignem à Dei populo. Et hoc consuluit B. Hieronymus 24. q. 3. c. Secandæ. Secandæ, inquit, sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa & corpus ardeat, corrumpatur, & putrescat. *Et subdit Hieronymus:* hoc declarando. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, per totam eius vrbem flamma populata est. 1.

Hæreticos.

Ideo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 57. part. 68. Erat circa Cameracum ciuitatem quidam hæreticus, astutus valde, qui metuens inquiri & comburi, finxit se obsessum à dœmone, & ad sanctum Aicadrum in Aspera, obsessos curare potẽtem, ligatus ab amicis deductus est, vt in eo non hæresin propalatam, sed furiam reputarent. Hoc vt audiuit quidam Clericus obsessus à dœmone, & ligatus, quod Ægidius Boogris (sic enim vocabatur hæreticus) ligatus poneretur in locum, subsequenti nocte idem obsessus Clericus diuino nutu solutus est, & aggregans in atrio Ecclesiæ ligna & stramina, at quã scamma ecclesiæ, super ligatum hæreticum cumulauit. Ludũ autem & furiam credens ille, dissimulat, quoadusque Clericus ignem de lampade sumens, comburere cumulum cœpit. & tunc hæreticus exclamauit. Ad cuius clamorẽ expergefacti custodes cum ignem exstinguere interentur, Clericus arrepto gladio, quem casu circa lectum inuenit, omnes violenter abegit, & hæreticum in igne combussit. Nec mora, diuino exacto iudicio, Clericus à dœmone liberatur & plenè sospes apparuit.

Hæreticus se obsessum simulans à dœmoniaco comburitur

Sed hoc non est in consequentiam trahendum, vt videlicet Clerici manu propria vel aliquo auxilio crement hæreticum. Possunt tamen monere dominos terrenos, vt de suis territorijs eradicent hæreticos, Extra. de hæreticis. c. Excommunicamus. §.

S Moucan-

Moueantur. Vbi habetur, quod potestates seculares debent moneri, & si necesse est, compelli per Ecclesiasticam censuram; omnes hæreticos ab Ecclesia notatos de suis prouincijs pro viribus exterminare. Et cum de nouo eligitur quis in potestatem perpetuam siue temporalem, hoc debet moneri: & si propter suam negligentiam aliquis talis dominus fuerit excommunicatus, & non satisfecerit infra annum, debet intimari Papæ, vt ipse omnes vasallos eius à fidelitate ipsius denuntiet absolutos, ac terram suam exponat Catholicis occupandam, & illum sicut expedire viderit, à sua dignitate deponat. Et hoc non solum intelligitur de potestate temporali vel seculari, sed etiam spirituali. Ideo additur in eodem Capitulo. Excommunicamus. §. fi. Archiepiscopi & Episcopi, qui circa extirpandos hæreticos fuerint negligentes, debent deponi, & alij substitui, qui hoc velint & possint: quia dicitur in Clement. Ad hæret. multorum. quod Episcopus, potest citare & capere hæreticum & tute custodire, vel carceri mancipare, si magis ad pœnam quàm ad custodiam pertinere videatur.

E

II. Raptores rerum.

SECVNDI mali sunt raptores, immo non solum sunt mali sed peiores. PRIMO furibus. Vniuersaliter enim peccare apertè peius est quàm occultè, vt faciunt raptores: sed fures faciunt occultè. Et dicit S. Thomas 2. 2. q. 66. Violentia est magis contra voluntatem, quàm ignorantia. Item quia per rapinam non infertur tantum alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ iniuriam. *Et subdit* Quod autem minus verecundatur de rapina quàm de furto, ex hoc est, quia homines sensibilibus inhærentes magis gloriantur de virtute exteriori, quæ magis manifestatur de rapina, quàm de virtute interiori, quæ tollitur per peccatum. Ideo minus verecundantur de rapina.

1. Peiores sunt furibus.

2. Vsurarijs.

SECVNDO peiores sunt raptores vsurarijs. Cuius signum est hoc, quia pauperes homines non euadunt manus raptorum, quando deprædantur ab eis. Isa. 3. dicitur raptoribus: *Rapina pauperum in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis.* Sed tamen paupéres euadunt interdum manus vsurariorum. quia non habent, quod exponunt eis ad vsuras.

3. Dœmonib.

TERTIO sunt peiores dœmonibus principaliter in duobus. *Primo* in hoc, quia diabolus eos deprædatur, & torquet qui malè agunt; sed raptores eos depredantur & torquent, qui à malo recedunt. Iuxta illud Isa. 59. *Qui recessit a malo, patuit prede.* Et Prou. 29. *Viri sanguinum oderunt simplicem.* Diabolus enim poterit se iustificare in cõparatione raptorum in die judicij dicens ad Christum: Ego solus in inferno afflixi, qui te offenderunt: sed raptores isti illos deprædati sunt & afflixerunt, qui non meruerũt. *Secundo* in hoc, quod diabolus torquet in inferno, qui locus tormentorum vocatur, Lucæ 16 sed raptores homines torquent in mundo isto, vbi homines deberent habere libertatem faciendi de se & suis, secundum voluntatem suam. Ideo meritò sunt dicti angeli diaboli de quibus Matth 25. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.* Missi enim sunt à diabolo raptores ad faciendum talia in mundo quæ facit ipse in inferno.

4. Omni bestia peiores.

QVARTO peiores sunt omni bestia. Vnus enim raptor totam vnam patriam deuorat & consumit. Lupus enim interdum non deuorat per annum vnũ hominẽ. Ideo raptores interdũ similantur lupo, Sopho. 3. *Iudices eius lupi vespere non relinquebant in mane.* Interdũ assimilantur leoni. Ezech. 19. *Factus est leo & didicit capere predã & homines deuorare,* Et 4. eiusdem. *Sicut leo rugiens & rapiens predã, animam deuorauerunt* . *op*es

opes

opis. Et Prouer. 28. comparantur vrsis. *Vrsus esuriens, princeps impius super populū suum.*

Et NOTA, quod raptores sunt duplices: scilicet rerum & personarum. *Primus*, scilicet raptoribus rerum, debent esse prope domini terrestres, per capitis detruncationem. Quia raptores secundum ius scriptum detruncantur & decapitantur. vt C. de sicarijs. c. Si quis. Sed tamen consuetudo obtinuit, vt suspendantur propter maiorem confusionem & ipsorum terrorem. Sed certè domini terreni, vt Reges & Principes & Barones, qui debent de medio tollere prædones, sunt eorum defensores, eos in castris suis & ciuitatibus defendendo, & rapinis eorum consentiendo. Idcirco merito pœnis ipsorum à Deo puniuntur, iuxta illud 2. q. 1. Notum facientem & consentientem par pœna constringit. Raptores duplices. I. Rerum.

Prima pœna, quam infligit Deus raptoribus & eorū fautorib. est paupertas. Quia sicut auferunt alijs, ita alij auferunt eis. Si enim Dominus tenet raptores, non mirum si ab alijs spoliatur & depauperatur. quia dicitur Isaiæ 30. *Væ qui prædaris, nonne prædaberis?* Et Abacuc 2. *Quia tu spoliasti gentes multas spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis.* 1. Raptores paupertate puniuntur.

Secunda pœna est sterilitas. Cum enim raptores contra Dominum acquirere velint bona, quę possideant, Dominus negat eos hęredes horum bonorum, aut possessores, iuxta illud Eccles. 4. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos.* 2. Item, sterilitate.

Tertia pœna est mortis celeritas, Psal. 54. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Et Prouerb. 3. *Impij de terra perdentur, & qui agunt, auferentur.* 3. Mortis celeritate.

Quarta pœna est filiorum mendicitas, Iob. 27. *Hæc est pars impij apud Dominum. si multiplicati fuerint filij eorum, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.* 4. Mendicitate filiorum.

Quinta pœna erit damnabilitas. Rapinæ enim eorum collis imponentur, & sic in futuro coram toto mundo deducentur. Deinde verò in patibulis infernalibus suspédentur. tunc enim quilibet raptor dicet illud Threno. 2. *Iniquitates meæ circumuolutæ sunt, & posita in collo meo:* vbi per *iniquitates* intelligi possunt res malè acquisitæ. Quod autem suspendentur in inferno, propheta Amos c. 4. testatur: *Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce venient dies super vos, & leuabunt vos in contis* ad modum eorum, qui suspenduntur. Item rapinæ se habebunt ad raptores vt molæ asinariæ collis eorum suspensæ, ad inferiora loca inferni eos detrahentes. Prouerb. 21. *Rapinæ impiorum detrahent eos.* Hæ sunt pœnæ raptorum & ipsorum fautorum, quas debent exspectare, certi quod venient super eos, nisi pœnituerint. Iurauit enim Dominus se non traditurum obliuioni rapinas eorum, Amos 8. *Audite hoc qui conteritis pauperem.* Et subiungitur: *Iurauit Dominus in superbiam Iacob, si oblitus fuero vsq; in finem omnia opera eorum.* Et dixi notanter, *nisi pœnituerint.* Vbi NOTA, si voluerint verè pœnitere, debent omnia ablata restituere, sicut fecit ille comes, de quo suprà sermone 1 Dominicæ I. in Aduentu A. Quia dicitur, Extra. de raptoribus. c. Super eo. Raptoribus donec omnia rapta reddiderint, pœnitentia denegatur: vel de pœnitentia dederint cautionem: in morte tamen, si humiliter petant, & cautionem dederint, admittantur ad pœnitentiam & Ecclesiasticam sepulturam. Et subdit canon pœnam contra facientium dicens; Qui autem aliter eos ad pœnitentiam receperint, vel sepulturæ interfuerint, vel eorum eleemosynas capere attentauerint, seu eiusdem rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irreceptibiliter patiantur, & ecclesiastico officio careant. 5. Damnatione. Raptores quomodo ad pœnitentiam admittendi.

F

II. Raptores personarũ. Raptores mulierum qua pœna puniendi.

Secundis, raptoribus scilicet personarum, prope debent esse Domini per decapitationem. Quia secundum leges qui rapit mulierem, capite priuetur. Et si est ingenua, quam rapuit, eius substantia raptæ applicetur. Secus si ancillam vel liberam. quia tūc decapitatur, sed nõ perdit substantiam. Et intelligitur, si rapuit mulierem honestam: secus, si meretricem. quia secundum leges non punitur. vt §. de adulteris. c. Qui adulterium Secundum canones verò raptores mulierum vel iuuenum si infideles sunt, & de iurisdictione Episcopi, pœna pecuniaria puniantur, & verberibus affligantur; non tamen ad sanguinis pœnam quam si meruerit, seculari iudicio relinquantur Extra. de raptoribus, c. In Archiepiscopatum. Et secundum leges antiquas, C. de raptu virg. seu muli. L. Vna. Et secundum antiquos cano. vt 31. q. 2. c. De puell. & cap. Si autem. & cap. Placuit raptor non poterit contrahere cum rapta. Sed hodie secus; quia potest cum ea contrahere, etiam parentibus inuitis, si ipsa postmodum in ipsum velit consentire, vt de Rapt. C. Accedens. & 36. q. 2. c. Deniq;. & cap. Tria.

III. Adulteros.

Tertij mali sunt adulteri Et hi grauiter peccant, *Primo*, quia faciunt contra sacramentum matrimonij, quod ipse Dominus instituit in paradiso; in statu innocentiæ.
1\. Ideo fit iniuria sacramento & magna contumelia. *Secundò*, quia peccant contra ius
2\. naturale, quod ponitur Tob. 4. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Hoc enim nullus homo vellet sibi fieri, vt aliquis cum sua vxore peccaret. Multi enim sunt, qui potius permitterent se interfici, vel exheredari. Ius ergo naturale docet, quod nullus debet
3\. facere alij, quod odit sibi fieri. *Tertio*, quia adulterium excedit multa alia grauia peccata. Excedit enim furtum, quia quod aufertur, cum sit creatura naturalis, melius est quàm terrena substantia. Assimilatur etiam homicidio. Cum enim vir & mulier sint vna caro, qui aufert vxorem suam alicui, idem est, ac si ipsum auferret. Ideo dicit Clemens Papa 32. q. 7. Quod in omnibus peccatis adulterium est grauius: namq; in pœnis, (id est prohibitione) secundum tenet locum. quia prohibitio adulterij in decalogo immediatè ponitur post prohibitionem homicidij, & ante prohibitionem furti. *Et subdit Clemens* Primum locum habent illi, qui aberrant à Deo. Grauissimè igitur peccant adulteri, & grauiter fornicarij. Et B. Augustinus in lib. de adulterio coniugali, & ponitur 32. q. 2. c. Adultera. Adulterij malum vincit fornicationem; vincitur autē ab incestu. & quia graue est peccatū, grauiter legitur punitum. sicut patet 2. Reg. 12. de Dauid, cui dixit Nathan propheta; *Non recedet gladius de domo tua, vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vria, vt esset vxor tua.* Hæc sunt verba Domini.

Adulterium grauius furto, & homicidio.

Adulterorũ punitio diuina terribilis.

Refert etiam Helinandus & Vincent. in spec. hist. l 29, c. 120. Quod quidam Carbonarius propter vitæ suæ meritum, familiaris fuit domino suo Comiti Niuernensi. Et cum quadam nocte in nemore vigilaret, & fossam suam carbonariam custodiret accensam vehementer, ecce fœmina nuda currens apparuit, & post eam eques equo nigro insidens, euaginato gladio velociter equitans, vt fugientem apprehenderet mulierem. quæ dum fugiens fossam carbonariam sic circumiret, eques illam comprehensam & gladio perfossam, proiecit in ignem, & exustam iterum extraxit, ponens eam ante se super equum & abijt Hoc cum pluries contigisset, quodam die sciscitante Comite, cur nimis anxius & sic cogitabundus esset? ea quę toties viderat, exposuit, & Vtinam inquit, & vos vidissetis. Ait Comes: Vadam tecum & videbo visionem hanc magnam. Comes igitur confessis peccatis, mutato habitu perrexit cum eo ad syluam

ſyluam. Et ecce circa mediam noctem audiuit fortiter buccinantem, & ſignauit ſe totum cruce. Adueniens autem mulier nuda ſicut prius, cœpit foſſam fugiẽs circumire, quam eques ille inſequens, & comprehendens gladio peremit, & in ignem proiecit, qua reſumpta & ſuper equum ante ſe poſita, cum fugere vellet, Comes eum adiurauit in nomine Domini vt ſtaret & diceret, quis eſſet, & cur hoc faceret? At ille: Ego ſum, inquit, talis miles tuus, & illa eſt nobilis mulier, vxor illius, quem pro amore meo interfecit, vt eo licentius meo concubitu frueretur, & in hoc peccato ambo mortui ſumus, niſi quod heu ſerò in morte ipſa pœnituimus: nunc autem tale tormẽtum patitur, quod ſingulis noctibus à me interficitur & comburitur. Tantum n. dolorẽ ſuſtinet in ictu gladij, quo ipſam ferio, quantũ vllus vnquam in morte paſſus eſt, & multo maiorem in combuſtione. Equus autẽ, ſuper quẽ ſedeo, eſt diabolus, qui adhuc incredibili vexatione me torquet atque punit. Cui Dominus; Poſſetne vobis ſuccurri? Poſſet, inquit, domine, quia in fine pœnituimus, ſi fierent pro nobis eleemoſynæ & celebrarentur miſſæ. Et ſic viſio diſparuit. Ecce quantas pœnas ſuſtinent adulteri.

Idcirco debent hic Domini ſpirituales prope eſſe illis per inquiſitionem & punitionem, ne in futuro puniantur. Et dico NOTANTER, *domini ſpirituales*: quia hoc adulterij peccatum ſpectat ad Epiſcopos puniendum, vt probatur Extra. de offic. iudicior. c. Perniciosum, Vbi dicitur: Habeant Epiſcopi ſingularium vrbium in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem adulteria & ſcelera inquirere, vlciſci, & iudicare, ſecundum quod Canones cenſent, abſque impedimento alicuius; & cum opus fuerit, publicum conuocent auxilium, id eſt, iudicium ſeculare, non ad præiudicandum, ſed potius ad ea, quæ placita ſunt proſequendum. Ecce dicit PRIMO: quod Epiſcopi habeant poteſtatem, &c. quia ad Epiſcopum pertinet inquirere de huiuſmodi criminibus Eccleſiaſticis, vt de adulterijs, de conſanguitate inter virum & vxorem, vt probatur 35. q. 6. c. Epiſcopus. & duobus ſequentib. c. Item de vſura, de ſacrilegio, ſimonia, & de conſimilibus, quæ ſpectant ad iudicem Eccleſiaſticum. Et ſi domini ſeculares ſe de talibus peccatis intromittunt corrigendis, falcem in alterius mittunt meſſem. Contra illud dictum Tullij moralis: **Epiſcopos eſt, adulterij crimen punire.** **NOTA.**

In meſſem alterius noli tu mittere falcem.

Et vt ita dicam, faciunt contra regulam naturalem: Quod tibi non vis fieri, alteri non fac. Nollent enim, vt aliquis eorum iudicio ſe intromitteret, ſic nec debent ipſi cauſas ad alios ſpectantes iudicare. Nam poſſunt dicere tales illud Exodi 2. *Quis conſtituit te principem aut iudicem ſuper nos?* quaſi diceret, temeritas.

Sed diceres. Cyprianus dicit 23. q. 5. c. Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, patricidos & peruiros non ſinere viuere. Vbi videtur, quod domini ſeculares habent adulteria punire. *Ad hoc dico*, quod verum eſt, dummodo Epiſcopi conuocent eorum iudicia. quia vtraque poteſtas per alteram adiuuatur, vt dicitur 96. diſt. c. Cum ad verum: & Extra. de offi. iudi. ordi. c. perniciosum dicit. SECVNDO cum opus fuerit, publicum conuocent auxilium: TERTIO dicit, non præiudicandum. quia licet Domini ſeculares ad hoc coadiuuent, non tamen acquiritur eis ius, nec præiudicium Eccleſiæ, ita vt ſua auctoritate poſſint in poſterum attentare, niſi de mandato Eccleſiæ vt dicit Bernardus in Gloſſ. Immo tenentur auxilium præſtare Eccleſiæ, & poſſent compelli ad hoc, vt probatur 23. q. 5. adminiſtratores. Extra **Num ſeculares Domini poſſint adulteria punire.**

de male. c. 2. Nam vbicunque deficit Ecclesiæ potestas, recurrendum est ad auxilium seculare, vt probatur 11. q. 1. c. Petimus & 23. q. 5. de Liguribus &c.

G Sed dicat aliquis: Tu dicis mihi quod mali sunt eradicandi: sonat tamen Scriptura, quod sunt tolerandi Deut. 23. *Non abominaberis Idumæum, nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra Ægypti.* Vbi per Ægyptum, qui tenebrosus interpretatur, significatur peccator & malus, quem iustus nō debet abominari, sed tolerare, quia ipse ibi fuit aduena in terra Ægypti, id est, peccator, sicut ipse, vt dicit Nicolaus de Lyra. Et B. Augustinus 23. q. 4. dicit: Tu bonus tolera malum. Nam & Christus Iudam, cum sciret furem esse, tolerauit eum, eique Eucharistiam dedit. *Ad hoc dico*, quod prædictæ auctoritates loquuntur de malis occultis eorum, qui tolerandi sunt. Quia dicit B. Hieronymus 1. q. 3. Vbi peccatum euidens non est, eijcere de communi, id est, de congregatione fidelium neminem possumus: ne fortè eradicando zizania, eradicetur & triticū. Hæc ille. Si autem peccatum est manifestum, eradicandi sunt, Exodi 22. *Maleficos ne patiaris viuere super terram.*

An mali sint tolerandi.

Sed dicas, Nunquid suspectus de furto, vel de rapina, &c. debet ad confessionem compelli per tormenta, sicut faciunt ciues raptoribus, & similibus ceteris malis eos in cippo per tortores martyrizando, vt veritatem confiteantur? *Ad hoc dico*, quod sic: Quia iura admittunt, quod suspecti sunt torquendi & in vinculis detinendi, & verberibus affligendi, & subijciendi, vt probatur 14. q. 6. c. Si res & 12. q. 2. c. Fraternitas. & 13. q. 5. cap. 1. & 5. q. 5. c. Illi, qui. & Extra. de deposito. dicit Alexander III. de quodam, qui furatus Episcopo pecuniam, & eam in vsum Ecclesiæ conuertit. Licet, inquit, talem pecuniam in vtilitatem Ecclesiæ conuerterit; Canonici tamen hanc pecuniam non reddant. Quocirca suademus, vt in illum furem tuam dirigas actionem, eo quod auidius loculos habet, & ea quæ subrepta sunt tibi, asportauit. Nā & iudicibus dedimus in mandatis, vt illum iniquum sub quæstionibus, id est, sub tormentis ad rationem ponant, id est, si oportuerit, vinculis alligent, vt dictam pecuniam reddere compellatur.

An suspecti de furto, ad cōfessionem tormentis compellēdi.

H SECVNDO. Quia *Dominus* est nomen potestatis, ideo debent esse probi bonis ad supportandum. Quia domini terrestres comparantur seu assimilantur humeris. Sicut enim humeri sunt ordinati ad diuersorum onerum supportationem, quia humeri melius portant onera quam alia debilia membra; sic etiam domini quia sunt præ alijs fortificati, debent bonos supportare & diligere, eosque præ alijs exaltare & fouere, iuxta illud Catonis. *Bonis benefacito.* Et sic fecit Vespasianus, qui adepto imperio, (vt dicit Hugo Floriacensis) bonos sublimauit in curia sua, eis officia malorum officialium tribuendo. Sed (heu) iam domini terrestres libentius supportant malos, eos apud se fouendo, & bonos persequendo. Et hoc præuidit B. Ioan. Apoc. 6. vbi dicitur: *Exiuit alius equus rufus: Et qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Vbi ad literam per rufum equum intelligitur populus Romanus, qui fuit rubeus ratione martyrij, & qui sedebat super illum, fuit Nero Imperator, qui imperauit Anno Domini XLVIII. annis XIV. mensibus VII. & diebus XXVI. qui primam persecutionem in Christianos exercuit, vt dicit Hermannus in Chronicis; Ideo dicit, *quod datum est ei*, hoc est à Deo permissum, *vt sumeret pacem de terra*, &c. Sed Anselmus lib. 7. similitudinum cap. 25. dicit; quod in equo rufo signatur Tyrannica crudelitas: quia rufus dicitur

Domini debent bonos supportare.

Rufus equus.

ex sanguine effuso bonorum; sed cum dicit, *& qui sedebat super illum*, habetur ipsorum Tyrannorum societas. quia habent socium diabolum, qui regit eos & ducit eos in oppressionem bonorum. Et quilibet talis Dominus potest dicere ad diabolum illud Numeri 20. *Nonne animal tuum sum, cui insidere consueuisti?* In hoc autem quod dicit, *datum est ei vt sumeret pacem de terra*, intelligitur Tyrannorum potestas, quam non habent nisi Deo permittente, & præcipue super sanctos. vt suprà dixit Christus ad Pilatum: *Non haberes vllam potestatem* &c. Et hoc ideo, *vt sumeret pacem de terra*, quasi diceret, vt perturbationes & persecutiones, mentes hominum ab amore euellerent terrenorum: quia dicit Gregorius. Cum mundus tot calamitates germinat, quid aliud nisi vt non diligatur clamat.

Sed NOTA, quod omnes bonorum persecutores finem subsequuntur malum. I
Nam Nero, vt refert Hermannus in Chronicis, qui vt suprà fuit primus persecutor Christianorum bonorum inter Dominos seculares, audiens se à Romanis condemnandum fore, fugit per quatuor milliaria & fustem dentibus acuens seipsum transfixit, sicque à lupis dicitur fuisse deuoratus. Idem refert de Adriano Imperatore, qui valde persequebatur Christianos, & incepit Anno Domini CXIX. & regnauit annis viginti & vno, & mortuus est morbo incurabili: quia putrefactus. Emor fuit maximus Imperator, qui incepit Anno Domini CCXXVI. regnauit tribus annis, maximam persecutionem intulit Christianis, & postea occisus est turpiter apud Aquilegiam cum filio suo. Item Decius, qui incepit Domini CCLII. & regnauit per annum vnum & per menses tres. Hic inquam bonum Imperatorem dominum suum Philippum Veronæ dormientem interfecit, & crudeliter Christianos persecutus est, infeliciter obijt. Idem refert de Valeriano Imperatore qui fuit Anno Domini CCLVI. & regnauit annis septem, qui putatur Præfectus fuisse Cæsaris Decij, qui grauiter persecutus est Christianos. septimo imperij sui anno à rege Persarum Sapore nomine captus fuit, qui eum excæcauit, & insuper ipsum coegit vsque ad mortem suam, dorso suo curuato, attollere regem Saporem, cum equum vellet ascendere, sicque miserabili seruitute senescens, vitam terminauit. Idem dicit de Aureliano Imperatore, qui Christianis prius fuit clemens, sed postea persecutor maximus. sed fulmine territus iuxta Constantinopolin à suis militibus miserabiliter est occisus. Hic cœpit regnare anno Domini CCLXXXI. & regnauit annis quinque & mensibus sex. Similiter Diocletianus & Maximianus, qui regnauerunt anno Domini CCLXXXIX. Nomen Christi in cunctis omnino exstinguere conati sunt. Sed vltione diuina Diocletianus de regno turpissimè est eiectus, & Maximianus in Marsilia strangulatus. Iste Diocletianus natione fuit Hungarus de Pannonia, ex stirpe rusticana oriundus, & genitus, & regnauit annis viginti. Hic Maximianum etiam oriundum de Pannonia genere rusticanum regni sui consortem fecit, in filium adoptauit. Tunc persecutio maxima in Christianos per annos decem durauit. Sed perierunt miserè, vt audistis. Demum Iulianus, qui cepit anno Domini CCCLXV. & regnauit annis duobus. Primo fuit monachus & apostatauit à fide & à religione. Hic à quadam fœmina diuite duas ollas auro plenas cinere super asperso asseruandam sibi euacuauit. sed diabolo sibi imperium promittente cum auro apostatauit. Ideo sublimatus in imperium Christianos grauiter afflixit. Et post multorum martyrum necem miraculosè à sancto Mercurio martyre in-

Bonorũ hominum persecutores malo fine pereunt.

Nero Imp.

Adrianus.

Emor.

Decius.

Valerianus.

Aurelianus.

Diocletianus & Maximianus.

Iulianus apostata.

re interfectus est. Rex autem Persarum excoriari fecit Iuliani cadauer. de cuius pelle equo suo substratorium fecit. Qualiter autem interfectus sit,& quare,dixi de sancto Gregorio in opusculo de sanctis. Idem refert de Arnulpho Imperatore, qui incepit anno Domini DCCCVI.& regnauit annis septem. Hic propter suam malitiam,quam ostendit bonis,ex vltione diuina deuoratus est à pecudibus, id est pediculis: sicque Ratisponæ miserrimè obijt.

Arnulphus.

Ecce Carissimi quàm misere obeunt,qui Christianos persequendo odiunt, & nō solum Domini seculares,sed etiam spirituales. Idem Hermannus refert quod anno Domini DCCCCLXXIV.Episcopus Moguntinus pauperum multitudinem in horreo spacioso collocatam tanquam ele emosynam ipsis largiturus,cremari præcepit dicēs: Ecce quomodo clamāt mures isti?denotans pauperes istos,quos cremari iussit. Quapropter Dei iudicio à vermibus deuoratus est.Insuper post mortem ipsius mures nomen eius deleuerunt.& à parietibus abraserunt. Ideo debent domini, ex quo habent potestatem,bonos supportare,scilicet à varijs laboribus & pœnis, ne vltionem diuinam sentiant,sicut iam prædicti.quia Isaiæ 60. *Non est abbreuiata manus Domini*, scilicet quæ vltione percussit.

NOTA. Fides quanta huic histo riæ sit habenda, lege Nicolaum Serarium lib.4. rerū Moguntiacarū,Archiepiscopo XV.

K

TERTIO,ex quo *Dominus* est nomen potestatis,debent esse prope subditis ad propugnandum.Quia igitur redditus ab eis censuum capiunt,quid aliud sequitur quàm quod eos ab hostibus defendant:quia dicit Cato. *Pugna pro patria.* Ideo refert Valerius in polic.lib. 3. quod Leonides nobilis Spartanus cum trecentis ciuibus contra Xerxem regem pugnauit,pro patriæ & subditorum libertate, & alacri animo ciues suos hortatus est. Cuius omnes exhortationi paruerunt, cum Xerxe pugnauerunt, patriam magno labore defendendo. Idem patet in historijs Alexandri Magni, qui cū terram regis Darij inuasisset,parauit se Darius ac pugnan. Scripsit epistolam ad Porum regem Indorum in hæc verba: Darius rex regum,regi Poro gaudium. Nuper scripsi ad te deprecando,vt nobis faceres adiutorium contra illos,qui conati sunt nostrū dissipare palatium:quia hæc bestia,quæ venit super nos, ferocem habet mentem: & æstuat animus eius,sicut tempestas maris. Volui enim illi offerre munera,& noluit acquiescere.Nunc ergo quamuis sine voluntate mea iterum pugnabo cum eo : congregatisque gentibus multis certabo vsq; ad mortem. Quia melius est mihi mori in bello,quàm videre desolationem regni & gentis meæ.

Domini terreni debent subditos defendere.

Darij epistola ad Porum regem.

Idem legitur 1 Regum 11. Quod *Naas Amonites cœpit pugnare aduersus Iabes Galaad,qui dixerunt Habeto nos confœderatos,& seruiemus tibi. Et respondit, In hoc faciam vobiscum pactum & fœdus,vt eruam omnium vestrum oculos dexteros,ponamq; vos opprobrium in vniuerso Israel. Et illi petitis septem diebus miserunt nuntios in vniuersos terminos Israel sicq; nuncij venerunt in Gabaa ad Saul:qui veniens mane de agro sequens boues, vidit populum flentem. & ait: Quid habet populus,quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.Et insilijt spiritus Domini in Saul,cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis. Et assumens vtrumq; bouem concidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israel per manus nunciorum dicens: Quicunq; non exierit,& secutus fuerit Saul, & Samuel sic fiet bobus eius.Inuasit ergo timor Domini populum & egressi sunt quasi vir vnus. Et recensuit eos in Bezech:fueruntq; filiorum Israel trecenta millia;virorum autem Iuda triginta millia: Et dixerunt nuntiis,qui venerant:Sic dicetis viris qui sunt in Iabel Galaad: Cras erit vobis salus,cum incaluerit sol. Et factum est,cum venisset dies crastinus, constituit Saul populum in tres*

in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur ex eis duo pariter. Ecce quam propè fuerunt iam dicti subditis suis ad propugnandum populum suum. Sin autem, Deo reddent rationem De hoc dicit Isidorus 23. q. 5. ca. Principes. Cognoscant principes seculi Deo se esse reddituros rationem propter Ecclesiam, id est congregationem fidelium, quam à Deo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles principes, siue soluatur, ille rationem ab eis exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit custodiendam.

SECVNDO. *Dominus* est nomen æquitatis. Ideo debet esse prope *Primo* iudicibus iniustis ad puniendum. Sicut fecit Cambyses rex Medorum & Persarum, de quo Valerius in Policr. lib. 6. Qui cum deprehendisset quendam iudicem iniustè iudicasse, iussit eum excoriari, & sellam cute eius cooperiri, & filium eius & sequentes iudices supra sedere fecit, vt continuè memores illius iniqui iudicis supplicij, timerent iniustè amplius iudicare, & versus sequentes inscribi fecit. Terrestris Domini æquitas. 1. In iudices.

Sede sedens ista Iudex inflexibilis sta:
A manibus reseces munus, ab aureq́; preces.
Sit tibi lucerna sedes, pelliśq; paterna,
Qua resides, natus pro patre sponte donatus.

Et dicit NOTANTER, *à manibus reseces munus*; quia iudex munera non debet accipere, eo quod muneris acceptio est veritatis præuaricatio, iuxta illud Gregorij 11. q. 3. c. Qui rectè iudicat, & præmium remunerationis exspectat, fraudem in Deo perpetrat. quia iustitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptatione pecuniæ vendidit. *Secundo* debet esse prope furibus ad suspendendum. Qui enim iustus est, per viam iuris fures impedit & suspendit, sicut refert Cæsarius in dialog. lib. 6. cap. 26. Bertolpho Palatino de Wittilsbach, qui adeo erat æquus & iustus, vt furibus etiam pro damno vnius obuli vitam auferret. Vnde quoties domum exiuit, laqueos cingulo appendit, ne reorum pœna caperet dilationem. Die enim quadam manè surgens, & laqueum solito more subnectens cingulo suo, huiusmodi vocem in aere audiuit: Bertolphe; Quicunque tibi primus in egressu tuo de castro occurrerit, hoc laqueo ipsum suspendas. & accidit, quod Scultetus suus ei primus occurrit. Quo viso, cum satis doleret, eò quod hominem diligeret: Dicebat illi; Doleo de tuo occursu. Et ille, Quare? Quia, inquit, suspenderis. Quare ait suspendar? Respondente Palatino, Nescio. sed præpara te per confessionem tuam, & ordina de rebus tuis, quia voci diuinæ resistere non valeo, nec debeo. Ille videns aliter esse non posse, dixit: Iustus est Dominus. Ergo plures in domum meam declinantes insequens, occidi: multis multa rapui: nec tibi Domino vnquam fidelis fui & extiti; neque etiam pauperibus peperci. Et mirati sunt omnes audientes eius confessionem, & cognouerunt in eius morte peccati pœnam esse à Deo. Et dixit signanter Cæsarius, quod furibus *pro damno vnius obuli* vitam abstulit: quia furtum, quantumcunque paruum, furti nomen incurrit, vt dicit Hieronymus 14. q. 6. cap. vlt. Furtum non solum in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur. non enim quod furto ablatum est; sed mens furantis attenditur. Et dicit Bartholomæus Brixiens. quod in hoc intelligitur, quod voluntas est talis, quod etiam maiora subtraheret, si posset: Vel si ex ablatione paruæ rei, Dominus grauaretur multum, iterum subtraheret.

2. In fures. Bertolphus Sculretum primò sibi occurrentē suspendit. Non furtum sed mens furantis attenditur.

Et est NOTANDVM, quod quidam furantur ex necessitate: quidam ex mala voluntate. & secundum hoc debet Dominus æquè iudicare, sicut docet B. Gregorius, 12. q. 2. c. Fraternitas. Fraternitas, inquit, tua ex persona furis pensari potest, qualiter valeat corrigi: Sunt enim qui habentes subsidia furtum perpetrant; & sunt alij, qui in hoc ex inopia delinquunt. Vnde necesse est, vt quidam damnis, quidam verberibus corrigantur. Et cum paulò districtius agitur, ex charitate agendum est, non ex furore. Hæc ille.

M

Domini terreni debent esse liberales

TERTIO est nomen liberalitatis. quia boni domini sunt liberales & pij. nam decet eos. *Primo* quia hæc virtus liberalitas dicitur, qua pollentes, liberi nominantur. Vnde Aristoteles ad Alexandrum: Dico tibi, clementissime rex, inquit, propter quid censeam clementiæ tuæ dicere, quod declinatio prodigalitatis & auaritiæ, & acquisitio largitatis est gloria regum, & perennitas regnorum. Hæc ille. Cum enim domini appetunt in seipsis, vel in libris suis, dominatus perpetuitatem, decet ipsos esse liberales. Nam Domini in populo habent se sicut liberi in domo: auari verò sicut serui à pecunia possidentur. Ideo decet Dominos esse liberales.

Secundo hæc virtus, quæ dicitur liberalitas, est propter communem vtilitatem, in quantum habet rationem virtutis. Auarus vero est inutilis, quia sibi nequam est, *& eo nihil scelestius*, Eccles. 10. Sed Domino bono in communitate nihil vtilius est; ideo decet Dominos largitas. Vnde Aristoteles ad Alexandrum dicit: quatuor esse reges: rex largus sibi, & auarus subditis: rex auarus sibi, & largus subditis: rex largus sibi, & subditis: & rex auarus sibi & subditis. *Italici* dixerunt non est vitium in rege, si est auarus sibi, & largus subditis. *Iudæi* verò dixerunt; qui est auarus sibi, subditis est bonus. *Persæ* verò asserentes contrarium & contradicentes Iudæis & Italicis, dixerunt; Nihil valet rex, qui non est largus sibi & subditis. Sed inter omnes meo iudicio peior est & merito reprobandus, qui est largus sibi & auarus subditis, qualis fuit quidam Antigonus rex Macedonum, de quo refert Seneca: Cum Cinicus quidam ab eo petisset talentum, respondit: quod esset plus, quàm Cinicus deberet petere. Repulsus autem ille, petijt denarium. Respondit: minus esse quàm regem deceret dare. Et dicit Seneca: Turpissima huius cauillatio inuenit, quod neutrum daret. Respexit in denario regem, in talento Cinicum; cum non posset ei talentum tanquam rex, & denarium tanquam Cinico dare. Nihil tam exiguum, quod non tribuit honestè humanitas. Et quia Dominus est nomen liberalitatis, ideo debent esse prope ad tribuendum.

Quatuor genera Regum & de his censura.

Antigoni regis cauillatio

Liberalis debet tria respicere.

Vbi NOTA: Liberalis, qui vult aliquid tribuere, debet tria respicere, vt dicit Ægidius Thomas in lib. de regimine principum. PRIMO debet respicere quantitatem datorum, vt non det minus vel plus, quàm debet. Liberalitas enim, quæ alio modo largitas nuncupatur, dicitur respicere sumptus mediocres, sicut magnificentia dicitur respicere sumptus magnos. In faciendo enim sumptus mediocres contingit deficere, quod facit auaritia: & superabundare, quod facit prodigalitas. Vtrumque enim est contra rectam regulam rationis. Oportet ergo dare virtutem mediam inter auaritiam & prodigalitatem. & huiusmodi virtus est liberalitas. Ad quam tria requiruntur, vt dicit ibidem. *Primo*, vt liberalitas consistat in recto vsu pecuniæ, necesse est, vt non accipiat eam, vnde non debet. Ex quo patet, vt dicit Philosophus 4. Ethicor, quod vsurarij, lenones, viuentes de meretricio, expoliatores pauperum

I. Quantitatē datorum.

Liberalitas tria requirit. 1.

perum subditorum, & aleatores sunt illiberales: quia aleator, id est, omnis lusor taxillorum illiberalis est. lucratur enim ab amicis, quibus oportet benefacere. quia dicit Aristoteles. 2. Polit. Amicis auxiliari delectabilissimum. *Secundo*, vt accipiat eam, vnde debet. videlicet de proprijs stipendijs quia dicit Augustinus 23. q. 1. c. Militare. Propterea, inquit, quadam prouidentia militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæratur, prædo grassetur. Quia miles, qui quærit vltra stipendium sibi assignatum, dicitur prædo. *Tertio*, vt expendat, prout decet. Hæc spectant ad liberalem dominum. 2. 3.

SECVNDO, liberalis qui vult tribuere, debet respicere quibus dat. Iuxta illud Catonis: *Cui des videto.* vt videlicet non det quibus nõ oportet. Histrionibus enim non oportet dare, vt vult Philosophus. quia tales decet esse pauperes. Dicit enim Augustinus super Ioannem, & habetur d. 86. Donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus. Et Parisiensis lib. de vitijs & virtutibus, Titu. de Prodigalitate citans Hieronymum sic dicit: Paria sunt histrionibus & dæmonibus sacrificare. Quibus concordat Lincolnien. dicto. 18. Histrionibus & meretricibus diuitias largiri, nihil aliud est, quàm seminare de voragine palustri lutosi. Ideo refert Vincentius in speculo historiali lib. 30. cap. 41. de Philippo Francorum rege, qui videns ioculatores & histriones, dona & vestimenta, propter suam adulationem à curijs regum & principum reportare, mente promptissima Deo promisit, omnes vestes suas, quamdiu viueret, pauperibus erogari, malens ex ipsis pauperem Christum tegere, quàm eas ioculatoribus dare.

N *II.* In quos sit liberalis.

Philippi regis Francorũ pietas in pauperes.

Sed hæ auctoritates loquuntur de superfluitate, qui videlicet superfluè in talibus personis sua consumunt, vel largiuntur. Ideo illi, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccatis nutrientes & fouentes, vt dicit Thomas 2. 2. q. 148. Et addit: Ex quo officium histrionum non est illicitum de se, quia ad solatium hominum ordinatur, dum non vtuntur aliquibus verbis vel factis illicitis: illi, qui moderatè eis subueniunt, non peccant, sed iustè agunt mercedem ministerij eis tribuendo.

TERTIO qui vult tribuere, debet videre, cuius gratia det, vt det boni gratia, sed non propter aliam causam, vti non propter vanam gloriam. quia sic *perdit mercedem*, Matth. 6. Ideo dicit Chrysostomus super Matthæum. Qui omnium contemptum pecuniarum habuerunt, id est, nulli imaginationi se miscuerunt, hi multoties capti à vana gloria, omnia perdiderunt. Occultanda ergo sunt opera nostra, ne diabolus ea cognoscat, si volumus ea conseruare.

III. Cuius gratia tribuat.

QVARTO. est *Dominus* nomen nobilitatis, iuxta illud Deut. 1. *Tuli de tribubus vestris sapientes nobiles, & posui eos dominos.* quia domini debent esse carne & animo generosi. Nam vt dicit Auicenna: Natura in animalibus nobiliores & fortiores præponit aliorum reges & duces: vt patet de leone & aquila. Et quia *Dominus* est nomen nobilitatis, ideo debent esse prope ad indulgendum. Sicut fecit ille, de quo legitur: Erat quidam miles, qui occidit patrem alterius militis, & filius eius quæsiuit opportunitatem, quomodo posset patrem suum vindicare. Et contigit quod in die parasceues ille miles incessit sine armis, quem ille alius insecutus est volens eum occidere. Tunc ille prostrauit se ante pedes eius, dicens propter mortem Domini nostri IESV Christi, quam hodie pro nobis sustinuit, ignosce mihi, quod patrem tuum occidi. Ille compunctus dixit: propter mortem Domini nostri IESV Christi ignosco: & leuauit

O *IV.* Dominus est nomen Nobilitatis.

Seraph. Razius in hortulo suo exẽplorum.

uauit eum de terra, & osculatus est eum. Cumque idem miles Ecclesiam intrasset, & cum ceteris oscularetur crucifixum, crucifixus amplexatus est eum dicens: quia hodie indulsisti illi propter me, qui patrem tuum occidit, ideo indulgeo tibi omnia peccata tua: & in signum reconciliationis osculor te in maxillam tuam. quod videntes circumstantes, misericordiam Dei glorificauerunt & bonitatem. De hoc quære plura supra Dominica in Aduentu Domini sermone 1. D. O.

P *V.* Domini terreni timor duplex.

QVINTO. *Dominus* est nomen timiditatis, & hoc dupliciter: quoad se, & quoad subditos. *Primo* ad seipsos, decet Dominos timor moderatus. Nam qui omnia audet, & nihil timet, non est fortis, sed fatuus, vt dicitur primo magnorum moralium. Quod patet duplici via. *Prima* sumitur ex parte consilij habendi. Nam qui dominatus est absque consilio, non subsistet. Quia Prouerb. 24. dicitur: *Ibi salus, vbi multa consilia.* Decet igitur Dominos timor moderatus in negotijs arduis peragendis. Exemplum patet 1. Reg. 23. de Dauid, quando *Philistæi oppugnabant Ceilam, & diripuerunt areas,* id est annonam vel segetes. *Dauid timore correptus consuluit Dominum dicens: Num vadam & percutiam Philistæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philistæos, & saluabis Ceilam. Et dixerunt viri qui erant cum Dauid: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus, quanto magis si ierimus in Ceilam aduersus agmina Philistinorum. Cumque si timerent rursus Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam. Ego enim tradam Philistæos in manu tua. Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersus Philistæos, & percussit eos plaga magna.* Sic & Domini seculares in arcto positi non debent diffidere, sed Dominum consulere. & sic timorem inordinatum temperabunt. *Secunda via* sumitur ex parte operis fiendi. Nam non sufficit sollicitari circa consilia, & iudicare de consiliatis, nisi consilia & iudicata per opus debitè exsequantur: quod fieri poterit per timorem moderatum, per quem deliberamus, quid fieri debeat in agendo. Exemplum patet 1. Reg. 24. de timore Dauid, *quando persecutus est a Saul in deserto Engaddi. Vbi erat spelunca, in qua Dauid latitabat silenter cum suis. Hanc quidem speluncam ingressus est Saul, vt pugnaret ventrem. & dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de quo locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Timens ergo Dauid manum mittere in vnctum Domini, nec permisit vt viri sui eum tangerent, dicens: Propitius sit mihi Deus, vt faciam hanc rem Domino meo Christo Domini. Sed Dauid silenter præscidit oram chlamydis Saulis confisus in Domino, quod ipsum de persecutione Saulis liberaret.* Sic decet dominos terræ, vt potentia eorum super inimicos timore Domini temperetur.

1. Dominatus absque consilio non cõsistit.

Dominus Deus in necessitate consulendus.

2.

Cur domini non debeant habere timorem inordinatum.

I.

Et dixi NOTANTER, quod Dominos decet timor ordinatus vel moderatus, propter timorem inordinatum, quem non debent habere domini propter quatuor. PRIMO, quia timor inordinatus reddit hominem immobilem & contractum. Cum enim existentes in campo timent, statim fugiunt ad castra: sic timenti, calor existens in membris exterioribus, fugit ad interiora, propter quod homo contrahitur & immobilis redditur. Exemplum habetur 1. Regum 25. de Nabal, qui cum descendisset ad tondendas oues Dauid, in persecutione Saulis positus misit ad ipsum decem iuuenes, vt peterent ab ipso aquam benedictionis. Exultabant enim & epulabantur Iudæi in tonsione ouium in memoriam patrum suorum, qui fuerunt pastores ouium, & ait Nabal nuncijs Dauid: *Non mittam. Quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui,*

quæ

qui fugiunt dominos suos. Nescio vos. Quod cum audiuit Dauid, accinctus est gladio cum quadringentis viris volens percutere Nabal: quod intelligens Abigail vxor eius, occurrit Dauid cum vino, pane, & alijs cibarijs, & placauit eum. Cum ergo indicasset Abigail omnia viro suo, emortuum est cor eius præ timore, & mortuus est post decem dies. Ergo abstinendum est Dominis à timore inordinato. Sed quia timor inordinatus facit hominem inconsiliatiuum, quia per timorem stupescit homo, & si datur ei consilium, propter timorem illud non apprehendit, sicut patet 1. Reg. 28. in Saul, à quo cum recessit Dominus, timuit valde. & præ timore nesciuit quid faceret, cum Dominus neque per somnia, neque per prophetas ei responderet. Vnde in eodem timore positus Pythonem consuluit. Propter quod sequenti die occubuit cum Ionatha filio suo in monte Gelboe. 1. Reg. vlt. Mala timoris inordinati.

SECVNDO timor inordinatus reddit hominem tremulentum. Et ratio huius est quia calore ad interiora progrediente exteriora membra manent frigida. nerui igitur infrigitate debilitantur. *II.*

TERTIO timor reddit hominem inoperatiuum. quod patuit Genes. 4. de Cain, cuius Dominus posuit *signum tremorem capitis* quod esset ab eo derelictus, vt sic sciretur à domino punitus, & misericordia indignus. Quod ideo factum est, quia timore inordinato propter fratricidium damnans se, desperans ait: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Sed quia decet dominos esse consiliatiuos, & bonorum operatiuos, non expedit nimis esse timorosos, sed decet eos audacia moderata, ne plus præsumant quam oportet. *III.*

Secundo est *Dominus* nomen timiditatis quoad subditos, iuxta illud Apostoli ad Eph. 6. *Serui obedite dominis vestris carnalibus cum timore & tremore, & in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum seruientes*, id est, non in præsentia Dominorum tantum, sed etiam in absentia, *quasi hominibus placentes.* Quod autem Dominus à subditis timeatur, expedit, vt rarò frequenter consortium ipsorum, ne ab eis contemnatur. quia secundum philosophum, Nimia familiaritas contemptum parit.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Sermo.

Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo: cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre. Ad Galat. 4.

CONTINGIT sæpe, quod pater carnalis duplices habeat filios. Quidam geniti sunt de concubinis: alij de vxore legitima. Et est concubina, quæ tenetur extra domum, & filij de ea geniti dicuntur spurij: & si hæc mulier est alteri viro copulata, filij inde geniti dicuntur nothi, talesque ad hæreditatem patris cum filijs legitimis non admittuntur. Quia dicit lex, spurij, & qui ex damnato coitu sunt nati, ab omni prorsus beneficio excluduntur. Sed tamen interest Episcopi, facere quod vterque parentum talibus liberis ne- Q Filij nothi & spurij.

cessaria subministrent, secundum quod suppetit facultas, Extra. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, &c. Et in hoc mitius agit ius canonicum quàm ciuile.

Filij naturales.

Sunt & alij filij dicti naturales, qui sunt nati de concubina, quæ in domo tenetur loco vxoris vnica, quibus patri non licet dimittere nisi vnam vnciam, & non vltra, si habet filios legitimos vel nepotes. C. de natur. deli. ven. si autem non habet aliquos legitimè descendentes, sed habet ascendentes, tunc legitima parte relicta reliquum inter naturales distribuere potest. Quare si nec descendentes, nec ascendentes habeat, tunc licet ei instituere naturales in solidum hæredes, C. de naturali. authentic. licet. Debent tamen naturales pasci arbitrio boni viri, ac legitimi exstent, vt dicta authent. licet: Sed veris filijs & legitimis est hæreditas dimittenda. Sicut figuratum est Genes. 25. de Abraham, qui dedit filio suo Isaac cuncta, quæ possederat: filijs autem concubinarum largitus est munera.

SPIRITVALITER. Pater cœlestis, quem exoramus Matth. 6. *Pater noster, qui es in cœlis*, &c. habet etiam duplices filios: *Primi* sunt illegitimi, vt omnes Iudæi & gentiles, qui non capiunt æternam hæreditatem: Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sed quia non credunt, nec baptizantur, hæreditas eis non datur. Attamen pater cœlestis eis in præsenti necessaria subministrat in bonis huius mundi. Quia Dauid in Psal. 71. *Inimici eius terram lingent*, id est, bona temporalia possident. quia hæc bona cedunt eis pro hæreditate æterna. Ideo dicitur Sapien. 2. *Venite fruamur bonis & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioso & vngento nos impleamus, & non prætereat nos flos*, id est amœnitas, *temporis, & coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Vbique relinquamus signa lætitiæ. Quoniam hæc est pars nostra & sors nostra*, quasi dicant, nihil possumus habere de bonis æternis.

R

Ex tribus cognosci potest, an quis sit filius Dei.

Secundi filij sunt Christiani, quibus debetur hæreditas æterna patris cœlestis. Sed quia sunt duplices tales Christiani filij, boni & mali, & non determinatè cognosci possunt, ideo scias, quod aliquis ostenditur filius Dei tripliciter. sicut tripliciter probatur aliquis esse filius alterius hominis.

Primo igitur probatur aliquis filius alterius hominis, verbo scilicet confessionis. Nam qui se confitetur filium esse alicuius, quamuis de illegitimo thoro, creditur esse. vt Extra de elect. c. Innotuit. Sic etiam probatur quis esse filius Dei ex confessione, quæ est triplex: fidei, criminis, & diuinæ laudis. Quicunque ergo verè confitentur fidem & peccata propria in confessione non celant, & Deum sæpius laudant, hi ex confessione sua filij Dei esse probantur, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, à Deo natus est.* Et hoc quantum ad fidem humanitatis CHRISTI. Sed de confessione diuinitatis subditur ibidem: *Quicunque autem confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo.*

Probatio filiationis.

Secundo probatur quis esse filius alicuius in affectu. sicut patet de muliere meretrice, 3. Regum. 4. Quæ noluit, vt filius suus dimidiaretur. Extra. de præsumpt. c. Afferte. & 2.q. 6.c. Ad Romanam. Sic etiam probatur quis filius Dei esse ex affectu charitatis. quia charitas sola est, quæ distinguit inter filios Dei & filios perditionis.

vt

vt dicit Augustinus, & intelligitur de affectu dilectionis non tantum Dei, sed etiam proximi. 1. Ioan. 3. *Qui non diligit fratrem suum*, Gloss. non est dignus vita beata.

Tertio probatur quis esse filius alicuius ex cohabitatione. Nam dato quod aliquis neget se esse filium sacerdotis, si tamen constat, quod mater eius morabatur cum sacerdote tempore conceptionis, filius eius præsumitur. Et qui filij sunt legitimi, accipiunt esse à parentibus. Si quidam ostenduntur legitimi filij Dei, qui ex recta intentione pœnitent. Est enim pœnitentia velut mater parturiens pœnitentem in esse gratiæ, quæ tunc cum moratur legitimo viro, scilicet Christo, & hic est viuere pœnitentibus. Sed tunc quasi cum alio viro moratur & adulteratur ipsa pœnitentia, quando ficta intentione operatur, vt est pœnitentia hypocritarum, qui sicut & cæteri non vere pœnitentes sunt filij spurij, scilicet diaboli, & non Dei. de quibus Ioan. 8. *Vos ex parte diabolo estis*. & illi non capiunt hæreditatem DEI, sed diaboli. qui autem confitentur Deum, & ipsum ex affectu diligunt, hæredes Dei sunt. De quolibet illorum dicit verbum Apostoli prælibatum. In his verbis egregius prædicator Paulus quemlibet cœlestem hæredem ad quatuor hortatur. scilicet ad

Non verè pœnitentes sunt filij spurij.

Humilitatis paruitatem	ibi	*Quanto tempore hæres paruulus est.*
Patientiæ seruitutem		*Nihil differt à seruo.*
Obedientiæ pronitatem		*Sed sub tutoribus est.*
Perseuerantiæ finalitatem		*Vsque ad præfinitum tempus.*

Quantum ad PRIMVM, monet ad humilitatis paruitatem, ibi: *Quanto tempore hæres paruulus est*, quasi diceret, eodem tempore est certus de hæreditate cœlesti, iuxta illud Matth. 5. *Beati pauperes spiritu*, id est, humiles, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, & Lucæ 18. *Nisi conuersi fueritis*, Glossa à statu superbiæ, *& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Et subdit: *Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum*.

S Qui appetit cœlestem hæreditatem, debet esse humilis.

Circa quod NOTANDVM in gestis Romanorum cap. 101. narratur, de quodam viro nomine Ganterus, quod locum gaudendi sine fine præoptauit. Quodam igitur die manè surgens, & solus per viam quandam ambulans in regnum, vbi rex nuper defunctus fuerat, peruenit. Satrapæ igitur videntes eum strenuum, in regem elegerunt. De electione autem sua non modicum gauisus est. Cum autem nox adesset, in cameram ipsum introduxerunt, in qua leo fortissimus ad caput lecti erat, ad pedes draco magnus, ad latus dextrum vrsus, ad sinistrum serpentes & bufones. Videns autem Ganterus interrogauit; an in hoc lecto deberet requiem capere? Et cum audisset: Quod sic, & qualiter sui præcessores in eo mortui, & à bestijs deuorati fuissent, regno ab renuntiauit. Deinde ad aliud regnum perrexit, & ibidem propter sui strenuitatem in regem est electus. Cumque nox adesset, in cameram ductus lectum pulchrum, sed nouaculis acutis plenum vidit. Cumque didicisset, quod in eo quiescere deberet, regnum illico postergauit. Mane surrexit, ac viam trium dierum ambulauit: In via sedentem super fontem quendam senem inuenit, habentem baculum in manu, qui ait: Gantere, vnde venis? aut quo vadis? Cui ille: De partibus longinquis venio, & tria quærere pergo, & non inuenio. *Primum* est abundantiam sine defectu, *Secundum*, gaudium sine tristitia, *Et tertium*, lumen sine tenebris.

Ganteri historia & sequens eius explicatio.

Et senex: Baculum istum accipe, & per viam istam perge: montem altum videbis ante te: ad pedem montis stat vna scala habens sex gradus: scalam ascende. Cum verò ad sextum gradum veneris, in summitate montis pulcherrimum palatium videbis: In ianua tres ictus percute. cumque ianitor tibi respondet, ostende ei baculum istum, & dic: Qui est Dominus baculi istius, præcipit, vt me intrare permittas, & ibidem illa tria inuenies. Ille verò omnia impleuit sicut dixerat ei senex; Et cum intromissus fuisset, hæc & plura alia inuenit, & toto tempore ibidem permansit.

T

Concupiscētes honores.

MORALITER. Ganterus iste significat quemlibet hominem Christianum, qui ambulans in via concupiscentiæ, venit ad regnum mundani honoris aut gloriæ, quia vt frequenter qui honores desiderant, procurante, vt credo, dœmone, in mundo exaltantur, & in fine grauius corruunt, iuxta illud Senecæ in epistola ad Lucilium. Tu enim honorem mundanum vt mortis præsagium semper fuge. Nulli enim vnquam creduntur honoris solium ascendisse, quin in fine comprobentur grauius corruisse. Et ratio huius est: Quia Satrapæ aut ciues huius mundi, per quos intelliguntur vanitates huius mundi, eligunt eos in reges, quando corda eorum erigunt in superbias & elationes. quia honores mutant mores; sed raro in meliores secundum illud Fulgentij lib. 4. mythologiarum. Nunquam aliquis gradum dignitatis amplecti aut honoris potest, quando suos bonos in malos, & malos in pessimos mutat mores.

Sed NOTABILE est, quod ille Ganterus in regem electus valdè gauisus est: quia cum tales ad honores veniunt, ad tempus gaudebunt. quia Ioan. 16. *Mundus gaudebit.* vbi per mundum intelliguntur mundani homines, de quibus prædixit Iob. 21. *Tenent tympanum, & citharam & gaudent ad sonitum organi.* Sed tales deberent respicere lectum, per quem intelligitur humana vita, in qua ad modicum tempus iacebunt sic in honore mundi exaltati. quia dicit Sapiens Eccles. 10. *Omnis potentatus breuis vita.* quod patet ex tribus. *Primo* ex vitæ inordinatione. quia potentes vt frequenter inordinatè viuunt, suas concupiscentias sequentes, 1. Ethicor. hæ abbreuiant vitam. *Secundo*, quia crapulosè viuunt: vnde secundum Galenum, Plures occidit gula quam gladius. *Tertio*, quia multi machinantur in mortem eorum. Aliqui ex ambitione, vt honores eorum habeant: aliqui ex odio, eo quod se ab eis segregatos reputant, vt dicit Nicol. de Lyra.

Potentū vita cur breuis.

Sed certè præ omnibus est NOTANDVM, quod ad caput lecti fuit leo fortissimus, per quem intelligitur diabolus, qui in capite lecti magis sedet, dum in honore positos fortius illaqueat, sicut testatur Origenes in decalogo præceptorum: In nullo diabolus hominem sic illaqueat, quàm dum in honoris appetitu ipsum tentat.

V

Cur potētes non debeāt superbire.

Item, ad pedes visus fuit draco magnus, per quem intelligitur mors, quæ in pede percutit potentes huius mundi, & superbos, & eos deijcit, sicut figuratum est Dan. 2. vbi legitur *quod Nabuchodonosor vidit statuam, cuius caput erat aureum, pectus & brachia argentea, corpus seu venter æreus, crura ferrea, pedes autem habebat de luto.* Et sequitur ibidem: *Quod lapis excisus est de monte sine manibus, & percussit in pede statuam, & eam comminuit & in puluerem redegit.*

MORALITER. Per statuam subaudi diuitem potentem & superbum huius mundi, cuius caput est aureum per sanguinis nobilitatem, pectus & brachia argentea propter multitudinem pecuniæ, corpus seu venter æreus, propter famæ magnitudinem, quia quod fuerint domini, sciunt plurimi: per crura ferrea intellige fortitudinem,

quia

quia potentes sunt vtique fortibus roborati, sed pedes lutei significant mortalitatem, quæ communis est potentibus sicut pauperibus, iuxta illud Amandi in illa horol. Sap. lib. 2. cap. 2. Æquum est iudicium mortis. personam non accipit, nec alicui parcit, sed æqualiter omnibus condiuidit; nec iuuenibus, nec senibus miseretur: ignorat nobiles, & potentes non veretur, pauperem & diuitem similiter perdet. Et prosper in suis sententijs hortatur quemlibet potentem huius mundi dicens; Respice teipsum, quia mortalis es: & quia terra es, & in terram ibis. Circumspice eos, qui ante te similib. fulsêre splendoribus. Vbi sunt, quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi sunt insuperabiles Imperatores? Vbi qui conuentus disponebant, & festa? Vbi equorum splendidi inuectores? Vbi exercituum duces? Vbi Satrapæ & Tyranni? Vbi tota familia. Non omnia puluis? Non omnia fauillæ? Non in paucis ossibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulcra, & vide quis seruus? quis dominus? quis diues? quis pauper. Discerne si potes, vinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Hæc ille. Ideo rectè sequitur: quod est excisus lapis de monte. Per quem intelligitur mors, quem non Deus, sed diabolus excidit. Quia Sap. 2. dicitur, *Deus creauit hominem inexterminabilem: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Glossa, mediante inuidia diaboli. Quia diabolus ex inuidia tentando mortem intulit. quia primi parentes ex suggestione eius mandatum transgredientes originalem iustitiam perdiderunt, & mortem incurrerunt, aut moriendi necessitatem, Gen. 1. Ideo iste lapis dicitur excisus fuisse sine manibus, & percussit statuam in pede, quia potentes in morte percutiuntur & in puluerem rediguntur.

Prosper sentent. 388. de diuitijs.

X

Item ad latus dextrum fuit vrsus, per quem intelligitur conscientia mordens, quæ semper est circa lectum humanæ vitæ, & principaliter potentium superborum, testificans contra eos, quod malè agunt, iuxta illud Apostoli ad Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia eorum quia conscientia eorũ eos coram Deo accusat, 13. q. 3. c. In cunctis. Liber sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius est conscientia accusat. Ideo superbi potentes debent conscientiæ consentire, id est superbiam deponere, exemplo Dauid. 1. Regum. 19. vbi legitur: *Dauid fuit obsessus in domo sua propria per familiam Saul qui ductus est spiritu inuidiæ & eum occidere cogitabat, Cui dixit vxor: Nisi saluaueris te in hac nocte, cras morieris. Qui ei consentiens, depositus est per fenestram. Porrò ille abijt & aufugit, & saluatus est.* Nec hoc periculum euadere potuisset nisi vxori consensisset. *Tulit autem Michol statuam & posuit supra lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eum vestimentis.*

Vrsus, designat consciẽtiam mordentem.

MORALITER per Dauid, qui interpretatur fortis manu, quilibet potens huius mundi intelligitur, per Saul, qui interpretatur abutens, diabolus significatur. Hic inquam obsedit potentes huius mundi cum familia sua, scilicet superbia, luxuria, auaritia, qua opprimit pauperes, sicut dicit beatus Hieronymus vt habetur in Epistola Eusebij: Quid diues à mortali aura pastus, aliud est quàm quoddam peccatorum vas putridum? Ibi superbia, ibi luxuria, ibi auaritia. Et sic de alijs. *Et subdit:* Nonne in diuitibus nobilibus & potentibus, nonne latrones, qui pauperum mercedem deprædantur violenter, & eos deprimunt atque necant? quasi diceret, Vtique. *Et subdit*: Receperunt certè superfluitatem vestimentorum: De pauperibus frigore & nuditate morientibus non curant: palatia & magna ædificia eriungt, vt ea humani

Sententia diuitibus notanda.

oculi contemplentur, & pauperes in plateis moriuntur: incommodè conuiuia frequenter præparant alijs diuitibus, vt ferculis delicatissimis sui ventris repleantur ingluuie, quibus pauperes fame pereant. quid aliud est eorum vita quam peccata? Si venter tanta ciborum repletus est copia, nónne ad fores eius ad est luxuria? quasi diceret sic: Ecce quam multa familia diabolus obsedit diuites & potentes! quam familiam Michol, quæ interpretatur, à qua omnis significans conscientiam, qua omnis iniquitas consideratur, mox cognoscit. Ideo dicit: *Nisi te salues in hac nocte*, id est in hac vita, quæ est velut nox, damnaberis seu morieris morte æterna. Ideo 28.q.1. Omne quod contra conscienti.m fit, ædificat ad gehennam. Et dicitur Extra de restit. spo. c. Habens. quod audiens diues & potens per fenestram descendit, quando per memoriam pœnas inferni meminit, sicq; abijt in viam humilitatis de castro elationis, & saluatur.

Potentes cōmuniter sunt luxuriosi.

Item ad latus sinistrum erant serpentes & bufones. Et quid per latus sinistrum nisi status post hanc vitam? vbi serpentes & bufones radent corpora potentum, & animæ tradentur in potestatem dœmonum & tormentorum, Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur*, si enim homo hæc prædicta diligenter inspexerit, se cito de honore mundi expedire poterit. Sicut fecit quidam dux Burgundiæ, de quo legitur, cum sepulchrum patris sui aperiret, & corpus transferre vellet, vidit magnum bufonem super faciem patris, & prudenter ad se rediens, coram omnibus militibus suis exclamauit: O falsa mundi gloria. delusisti patrem meum: me autem non decipies. Et conuersus ad corpus patris, dixit: Vbi sunt diuitiæ & delitiæ, quas habuisti? nunc comederis tam turpiter à bufone, & vermes te deuorant sicut pauperes deuorasti. & relictis statim omnibus, religionem intrauit.

Mirabilis cōuersio ducis Burgundiæ iunioris.

Y

Deinde Ganterus peruenit ad aliud regnum, quod est regnum carnis. Si enim homo fugerit de regno honoris per viam humilitatis, ducit eum diabolus ad regnum carnalitatis. In quo quidem regno multi exaltantur; sicut patet de Salomone, qui ad tantam carnalitatem deuenerat, vt frequenter virgines de nouo habere volebat. propter, quod dicitur. 3. Regum. 11. *Fuerunt ei vxores quasi reginæ septingendæ & concubinæ trecentæ.* In hoc regno carnalitatis exaltatus fuit Assuerus, qui vt legitur Hest. 2. qualibet die habebat vnam & quæ ingrediebatur vespere, egrediebatur mane, nec habebat licentiam reuertendi, nisi eam rex vocasset ex nomine. Sed hic sis castus & cautus in prædicando has historias, eo quod multi potentes seculi occasionem & excusationē suæ carnalitatis, vt credo, ab his acceperint, vt qui frequenter virgines habere voluerunt, quas in perditionem animarū suarum turpiter stuprauerunt. quorū nonnullos noui. Vnum qui ante pauca tempora principaliter in hoc regno carnalitatis exaltatus fuit, Sardanapalus rex Assyriorum, qui rarò armis vsus est, vt decet regē, sed voluptati deditus, quotidie conuersabatur cum mulieribus & puellis. Et timeo, quod adhuc sunt multi. qui in hoc regno exaltantur. Illis quidem necesse est, vt respiciant lectū carnalitatis, qui nouaculis acutus plenus est. quia pœnæ, quæ damnatur carnalibus, sunt doloribus plenæ. quia de tali lecto dicitur, Isa. 13. *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* De hoc quære in sermo. 2. Dominicæ. 2. H.L. Vel per lectum carnalitatis intelliguntur delitiæ. qui inquam lectus licet pulcher videatur, est tamen acutis nouaculis plenus, id est anxietatibus, sicut dicit Hieronymus. Apetitus fornicationis anxietas, & satietas, & pœnitentia.

Regnum carnis.

Cōcionator sit castus & & cautus in concionibus

Sardanapalus Rex Assyriorum.

Delitiæ lectus carnis.

Luxuriosos sequitur pœnitentia.

Exem-

Z

Exemplum de quadam puella, quæ æſtimans quod delectio huius peccati eſſet quiddam magnum, deſiderio illius ſibi virginitatem auferri permiſit. Deinde videns, pro quali re theſaurum tantum amiſiſſet, adeo pœnituit, quod ſe interficere voluit. Et hæc anxietas non ſolum eſt in vita, ſed etiam in morte. quia dicit Egeſippus. O quam amara morte obeunt, qui ſe in hac vita voluptatibus & delitijs affecerunt, ſed poſt mortem anxietatem & tribulationem habebunt maximam. Apocal. 2. dicitur de fornicatione Iezabel. *Ecce ego immittam in eam lectum*, Gloſſ. infernalis pœnæ, *& qui mœchantur cum ea*, ſcilicet communicando malis ipſius, *in tribulatione maxima erunt*, niſi pœnitentiam ſcilicet in præſenti ab operibus egerint. Ideo regnum carnalitatis meritò eſt reſignandum. Exemplum.

Tertio ſequitur, quod ille Ganterus manè ſurrexit, & viam trium dierum ambulauit. ſic debet homo Chriſtianus mane ſurgere ad laudandum Deum & adorandũ. quia dicit Iob. 8. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, ſtatim vigilabit ad te & placatum reddet habitaculum tuum.*

Et NOTA, quod debemus mane ſurgere ad exorandum Deum. *Primo*, propter citam exauditionem. Sicut enim diuites boni huius mundi, primum eis pauperem occurrentem & eleemoſynam petentem, citius exaudire, & ei dare conſueuerunt, ſic Dominus libentius dat eis, & eos exaudire conſueuit, qui valde mane exorant eũ. Ideo dixit Sap. 16. *Oportet præuenire ſolem ad benedictionem, & ad ortum ſolis te adorare.* Quid enim eſt aliud benedictio, niſi munerum datio, quam debet homo præuenire mane Deum exorando. *Secundo* propter diuinam conſolationem. Sicut enim filij Iſraël colligebant manna hora matutina, Exod. 16. ſic dulcedo diuinæ conſolationis quærenda eſt mane: Quia Dominus mane viſitat ſe quærentes, Iob. 16. *Viſitas eum diluculo.* & Iſa. 26. dicit Dominus: *De mane vigilabo ad te.* Cur mane ſurgendum ad orandum Deum.

ITEM homo non ſolum mane debet ſurgere, qui vult ad cœleſtem hæreditatem peruenire, ſed etiam viam trium dierum ambulare. *Prima* die per viam contritionis. *Secunda* per viam confeſſionis. *Tertia* per viam ſatisfactionis. De quibus dicam infra latius Dominica ſequenti ſermo. 3. L. Q. Poſtquam igitur illorum trium dierum vias ambulauit, ſenem quendam inuênit, qui eſt Chriſtus Dominus. qui dicitur *ſenex dierum*, Dan. 7. & habebat baculum ſanctæ crucis in manu ſua. De quo Pſal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Hunc igitur baculum dat Chriſtus homini. Quia vult per paſſionem crucis ſe hominem ſequi, iuxta illud Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et ideo dicit: Accipe baculum iſtum, & videbis montem altum. Mons ille altus eſt cœlum. De quo Pſal. 28. *Quis aſcendet in montem Domini?* In pede huius montis, id eſt, in terra ſtat vna ſcala, per quam oportet hominem aſcendere. Iſta ſcala eſt vera humilitas, per quam cœlum aſcenditur. Ideo dicit Bernardus. Per humilitatem aſcende ad ſublimitatem. quia hæc eſt via, & non alia præter ipſam. qui aliter vadit ad cœlum, cadit potius quam aſcendit. Via trium dierũ, quæ?

Hæc ſcala plana habet ſex gradus. PRIMVS eſt ſubdere ſe maiori, & hic gradus humilitatis aſſimilatur cuidam circulo planetarum, qui dicitur Deferens, qui ſecundum Ptolomæum eſt circulus planus, per cuius circumferentiam ſemper mouetur epicyclus ipſius planetæ. Ideo dicitur Deferens, quia defert circulum epicycli.

A Huic etiam assimilatur gradus alius humilitatis, qui est non solum subdere se maiori, & ei deferre, sed etiam quia secundum eius imperium & obedientiam subditus debet manere & obedire in omnibus, vt sic secundum differentiam huius circuli, id est secundum dispositionem Prælati deferatur circulus epicycli, id est, vita & voluntas subditi. Exemplo Christi, qui dixit Ioan. 6. *Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed Patris mei qui misit me.* Et hoc quantum in mundum veniens. Similiter fuit obediens in mundo manens, & de mundo transiens. De primo Ioan. 15. *Sicut mandatum mihi dedit pater, sic facio.* De secundo Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Super quo dicit Bernardus: Mementote fratres: Christus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Et in signum, quod obediendo mandato patris mortem sustinuit, *inclinato capite emisit spiritum,* Ioan. 19. Et quid Christus in hoc voluit? certè nihil aliud, nisi vt nos instrueret maioribus nostris obedire. Ideo dicit Apostolus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* & 11. q. 3. c. Si Dominus. sic habetur. Si Dominus ea iubet, quæ contraria non sunt, vel aduersa sanctis Scripturis, subijciatur Domino seruus. Si vero contraria præcipit, magis obediat spiritus, quàm corporis domino. *Et subdit:* Si bonum, quod præcipit Imperator; iubentis exequere voluntatem: si malum, responde: DEO oportet magis obedire quam hominibus. Hoc ipsum & de seruis apud dominos, & de vxoribus apud viros, &c.

Sex gradus humilitatis.
I. Subdere se maiori.
Obedientia.

II. SECVNDVS gradus humilitatis est, non præferre se æquali. Et hic circulo comparatur, qui dicitur æquans: qui ideo dicitur æquans, quia in illo vniformiter tenet planeta suum cursum; Sic homo, qui est æqualis alteri, quoad æqualitatem suæ mensuræ non excedat: sicut patet de ciuibus in ciuitatibus, quorum licet aliqui exaltentur, vnus in magistrum, alter in iudicem, & sic de alijs, non tamen debent se præferre suis æqualibus, sicut docet Sapiens Eccles. 3. *Rectorem te posuerunt, noli te extollere.* Gloss. Ex honore tibi impenso, *sed magis humiliare.* saluo tamen honore officij. Et sequitur: *Esto in illis sicut vnus ex ipsis, curam illorum habe.*

Non præferre se æquali.

III. TERTIVS gradus humilitatis est minorem non spernere, sed ei conformare. Et hic assimilatur circulo, qui vocatur epicyclus, per cuius circumferentiam mouetur planeta. Vnde in superiori parte epicycli mouetur ab Oriente in Occidentem, ab inferiori verò parte mouetur ab Occidente in Orientem. Et iste circulus est minor quàm epicyclus. In quo innuitur, quod homo licitè sic mouetur in dignitate, quando se paruificat obsequendo, vel condescendendo minori, sicut Christus. qui licet esset *Rex regum & Dominus dominantium*, Apocal. 19. tamen se paruificauit minoribus, scilicet discipulis suis, imo minorem se eis exhibuit in hoc, quod eis seruiuit. Ideo dicit Lucæ 22. *Quis maior est, qui recumbit? an qui ministrat? Nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* quasi diceret. In hoc do vobis exemplum, vt & vos minoribus vobis seruiatis. Et sicut epicyclus est circulus, qui describit planeta motu corporis sui, sic hunc gradum humilitatis describit motus corporis nostri. quia scilicet docet nos, vt in nullo superbire debeamus. Et hic motus est duplex. *Vnus* in morte. & hic est ab Occidente in Orientem, quatenus per mortem corpus redigitur in pristinam suam originem, Genes. 3. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Et Eccles. 3. *De terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur.* *Alius* est in vita, qui tendit ab Oriente in Occidentem, id est, à iuuentute

Minorē non spernere.

in

in mortem, iuxta illud Ecclef. 1. *Oritur fol & occidit*; quafi diceret, homo primo nafcitur, & poft moritur. Et concordat Sapiens. *Nos nati continuè defínimus effe, & pòft erimus quafi non fuerimus*, Sap. 5.

QVARTVS gradus humilitatis eft fe coram alijs vilem reputare. Exemplo Dauid, qui cum effet rex, tamen fe coram alijs humiliauit. 2. Regum. 6. *Cum accinctus effet Ephod, ducebat Arcam in iubilo in ciuitatem eius. Michol autem filia Saul profpiciens per feneftram faltantem defpexit dicens: Quam gloriofus fuit hodie rex Ifraël?* quafi diceret. In nullo: imo vilis & ingloriofus, *difcooperiens fe*, quia regalia infignia depofuit ex humilitate, quæ magis placet Deo quam ornatus regius, vt dicit Gloff. & addidit: *ante ancillas feruorum, quafi fi nudetur vnus de fcurris.* quafi diceret, non fuit diftinctio in habitu regis à vilibus perfonis. cui Dauid humiliter refpondit: *Viuit Dominus.* quafi diceret, per viuentem Dominum iuro, *ludam ante Dominum & vilior*, id eft, humilior *fiam, & cum ancillis de quibus locuta es, gloriofior apparebo.* Et dicit Gloff. Michol ex fua fuperbia ancillas reputabat alias vxores Dauid, quas acceperat tanquam fecundarias, & cum iftis Dauid apparuit gloriofior, quia de ipfis habuit prolem multam & nobilem, etiam poft iftud factum: non autem de Michol. Ideo dicitur *Michol filia Saul non eft natus filius*, fcilicet deinceps licet ante habuiffet. IV. Se corā alijs vilē reputare

Eft tamen circa hoc ADVERTENDVM. Iuxta illud, quod dicit Ægidius Romanus in lib. de regim. Principum parte. 3. cap. 27. Humilitas eft virtus retrahens, ne ratione bonitatis & delectabilitatis, quæ eft in rebus honorificis, eas vltra quam ratio dictat profequamur. In hoc *aliqui* abundant, vt fuperbi excellentias & honores vltra quam ratio dictat, profequentes. *Alij* verò penitus fugiunt honorem, nec quærunt opera honore digna. quod non humilitatis. eftque miferiæ magis & vilitatis. *Et fubdit.* Inquirendo opera honore digna, non contingit peccare. fi quis enim vltra quàm ftatus requirat, præter rationem deijceret fe, talis vel effet vilis & deiectus, vt beftia. quæ fuum ftatum non cognofcit: vel effet fuperbus & iactator. fic ex hoc aliqui quęrunt excellentiam & iactantiam fe minis deijciendo, vt hypocritæ facere confueuerunt, qui opera bona faciunt exterius, fe viles vltra alios æftimantes, fummè prædicantes, aliud tamen in corde hypocritarum, vtpote laudem omnium & fauorem prætendentes: & talium hominum opera, qualia erunt, ex fine cognofcuntur. Ideo dicit Tullius moral. Si quis humilis eft immoderato modo, fugiatur. quafi diceret, humilitas debet effe inter fuperbiam & deiectionem: ficut magnanimitas inter præfumptionem & pufillanimitatem. *Et fubdit rationem*: Qui nimis eft humilis, hic pro ftulto reputatur. Et Helinandus: Nimia humilitas maxima pars fuperbiæ eft. Ideo verè humilis intendit reprimere fuperbiam & moderare deiectionem. B Humilitas, quid? Humilitatis terminus.

QVINTVS gradus humilitatis eft fe exilem in fcientia æftimare. ficut fecit Hiere. qui cum mitteretur ad prædicandum, ait: *Domine, nefcio loqui. quia puer ego fum.* Hierem. 1. V. In fcientia fe exilem reputare.

SEXTVS gradus humilitatis eft infima libentius operari. Exemplum de Abigail 1. Regum 25. Pro qua Dauid dum deftinaffet, vt eam in vxorem duceret, dicit: *Ecce famula tua fit in ancillam, vt lauet pedes feruorum domini mei.* Quicunque ergo hos gradus humilitatis afcenderit, & tribus ictibus, fcilicet oratione deuota, ieiunio, & eleemofyna ianuam cœli pulfauerit, ad palatium pulcherrimum intromittetur æternæ gloriæ. De cuius pulchritudine dicit B. Auguftinus. VI. Infima libenter operari.

 Quan-

C Quanta est pulchritudo supernæ gloriæ, tanta est iucunditas lucis æternæ, vt etiam si non liceret in ea manere, præterquam vnius diei horam, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies pleni delitijs & circumfluentia bonorum temporalium meritò contemnerentur. Tam enim pulchra est & suauis, vt in ea visus non possit amplius delectari. omnem vincit dulcedinem: omnem exuperat concupiscentiam. Ideo legitur in Apiario lib. 2. cap. vltim. part. 67. quod dominus Brabantinus interrogauit quendam dæmonem, qui obsedit hominem, de cœlesti patria. An tam pulchra sit, & in ea infinita gaudia sint, sicut dicitur. Ait dæmon: Infinitè pulchriora & maiora, quàm dici possit. Ait Thomas; Velles ne redire ad illam si posses? Vellem, inquit, vt possem, & me vsque ad diem iudicij omnia tormenta, quæ omnes dæmones patiuntur, pro ea tolerare. Cui ille: Promitto tibi quod eam recuperabis, si potes cum bona intentione dicere: Domine Deus meus, peccaui: ignosce mihi. Qui mox contorto collo clamauit: Domine, Domine Deus meus, amplius non procedens. Cumque hoc sæpius cum clamore valido iteraret, nec se peccasse fateretur, nec peteret sibi ignosci, tandem subiunxit: Domine Deus Margarethæ (sic enim fœmina quam obsedit vocabatur) Deum recognoscere suum Domini indignatus. Hinc ait Thomas: O infelicissime omnium creaturarum, superbia tua de cœlo te eiecit; nec ad hoc te redire permittit. Mox dæmon obmutuit, & recessit. Ex quo elicio, quod ad hoc palatium pulcherrimum oportet nos ascendere per scalam humilitatis, de quo diabolus eiectus est ratione elationis. Ibi inuenies tria.

Pulchritudo æternæ gloriæ.

Simile respõsum est in Cæsario, li. 5. c. 10.

Primum est abundantia sine defectu, ibi abundat omne bonum, & nihil deficit quod delectat, Iuxta illud Bernardi lib. meditat. cap. 4. O ciuitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis, continens totum, quod delectat, populus sine murmure, *incolæ* quieti omnes, nullam habentes indigentiam. O quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Ideo dicit B. Augustinus in lib. de ciuit. Dei. Quanta erit felicitas, vbi nullum erit malum, nullum deerit bonum: vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agitur, vbi nec vlla desidia cessabitur, nec vlla indigentia laborabitur. Idem: Ibi erunt bonæ corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cogitauit cor hominis. Quid ergo per multa vagaris homuncio, quærenda bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit tibi.

Felicitas cœlestis patriæ.

Secundum, quod est in hoc pulchro palatio, est gaudium sine tristitia. Iuxta illud Augustini sermone de vanitate seculi. Ibi, inquit, non erit vlla tristitia, nullus ibi dolor, nullus labor, nullus timor, nulla mors, sed perpetua semper sanitas perseuerat.

D Et NOTANDVM, quod gaudium electorum PRIMO prouenit à visione Deitatis: quia Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* Ideo dicit B. Bernard. Reuera idem, & hoc solum est verum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur. & cum possederis, nemo à te tollet: Cui comparem? certe aliunde omnis iucunditas mœror, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum. Vnde refert Thomas in apiario cap. 45 Iordanus frater ordinis Prædicatorum diabolum interrogauit: Dic mihi, inquit, si optio tibi daretur, vbi velles esse? Ad quem dæmon: Cum tantus sis Clericus & Doctor Ecclesiæ, miror te tam simpliciter interrogasse. Et adiecit:

Gaudiũ electorum prouenit.

1. A visione Deitatis.

Dic

Dic mihi, vbi tu velles esse, si tibi optio daretur? Ad quem Iordanus, nunquam esse vellem nisi in cœlo. Cui dœmon: Et hoc vellem & ego. Et Iordanus: Quare, inquit, velles ibi esse maximè? Cui dœmon: Vt respicerem illam faciem claram creatoris mei. quod cum Iordanus audiret, quasi extra se raptus corruit & fleuit. Tandem ad se reuersus, interrogauit dicens: dic mihi sustinere quid inde velles, quod posses faciem creatoris tui videre? Ille respondit: omnes pœnas, quas omnes dœmones sustinuerunt à die, quo eiecti sunt de cœlo, & quas sustinebunt vsque in finem iudicij, vellem sustinere, vt semel possem videre claritatem Dei sicuti est. Ad quem Iordanus: Credo, te esse vnum de melioribus dœmonibus. Et dœmon: Fui vnus de Seraphim, qui semper assistunt ante faciem Dei. Ait Iordanus: Dic ergo mihi aliquid de claritate vultus Dei, ex quo tam prope faciem eius vidisti. Ad quem dœmon: Non tibi de hoc aliquid dicere possum, cum etiam Angeli, qui faciem semper intuentur, si essent in terra, & vellent aliquid de claritate eius dicere, non sufficerent. Dicam tibi tamen aliquam similitudinem, ex qua perpendere potes, quam clara sit facies Dei. Si inquit, omnes flores præteriti & futuri omnium arborum, & omnium graminum & viriditas, & omnis color omnium lapidum pretiosorum & metallorum, & splendor solis & lunæ & stellarum, & omnis claritas omnium luminarium, quæ ab initio vnquam splenduerunt, in terra lucerent, omnis illa claritas non esset nisi tenebrosa lux, & nox respectu clarissimi solis. Tunc Iordanus ait: O quam miser est ille, qui hæc amittit.

E

II. A visione humanitatis.

SECVNDO hoc gaudium prouenit ex visione humanitatis. De quo Bernardus: Plenum prorsus est omni suauitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem.

III. A multitudine societatis.

TERTIO prouenit ex multitudine societatis. Quia Apocal. 7. legitur: *Vidi turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat.* Ibi erit beata virgo, omnes Angeli, sancti, & sanctæ, qui omnes reges sunt, & reginæ. Propter quod filius Dei dicitur, *venisse de regalibus sedibus*, Sap. 18.

Tertium, quod inuenitur in palatio hoc pulchro, est lux sine tenebris: *Claritas Dei illuminat* illud, vt Apocal. 21. *Et etiam animæ iustorum*, quia Matth. 13. *Fulgebunt iusti in regno patris sui sicut sol.* Et dicit Doctor Bertrandus in libello de inuestigatione creatoris per creaturas. Sicut nunc sol est nobis altior, sic tunc nos erimus altiores. Quia sicut nunc sol terram, sic tunc anima iusti illuminat totum cœlum: Sicut sol penetrat vitrum, sic anima iusti mille muros. & ita clara erit. quod si etiam staret, vbi nunc sol, sol obscuraretur, & anima illuminaret totum mundum. Hæc ille. Et si vna anima iusti est tam clara, quantum tunc infinitæ iustorum animæ illuminantes cœlum, causabunt, aut facient ibi lumen? Et quod faciant lumen, dicit B. Augustinus lib. sol. cap. 34. O regnum æternum, regnum omnium seculorum, vbi lumen indeficiens, & pax Domini, quæ exuperet omnem sensum, in qua sanctorum animæ requiescunt, & lætitia sempiterna super capita eorum. Hic conclude sermonem, sequentem materiam in posterum reseruando.

Beati sunt in cœlo sole altiores.

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS CHRISTI,

Sermo ſecundus,

Iucunda Hiſtoria ex geſtis Romanorum de perfectione virg

QVantum ad SECVNDVM, ponit B. Paulus patientiæ ſeruilitatem, ibi; *Nihil differt à ſeruo cum ſit Dominus omnium.* Vbi NOTANDVM. Legitur in geſtis Romanor. cap. 17. Quidam Imperator ſtatuit pro lege, quod quicunque vellet palatium ſuum intrare & ei miniſtrare, quod tres ictus in porta faceret. Erat tunc temporis quidam pauper, nomine Guido, qui veniens ad portam pulſauit, & per ianitorem introductus fuit, & Imperatori ſeruitia ſua obtulit. Ad quem Imperator. Quæ ſunt ſeruitia, quæ velis mihi exhibere? Qui ait: *Primum* ſeruitium, corpus regis ſcio cuſtodire, lectum eius parare, cibaria ei præparare, pedes eius lauare. *Secundùm*, quando alij dormiunt, ſcio vigilare. *Tertium*, potum guſtando ſcio iudicare. *Quartum*, homines ad conuiuium ſcio inuitare. *Quintum*, ignem ſine fumo ſcio præparare. *Sextum*, viam bonam ad terram ſanctam ſcio demonſtrare.

Volens itaque rex in eo iſta experiri, mandauit de *primo* ſeruitio. Ille autem omni nocte lectum præparauit, linteamina mutauit, ante cameram cum caniculo armatus iacuit, vt ſi ipſe dormiret, latrante cane euigilaret, & regem cuſtodiret, ſemel omni hebdomade pedes eius lauit: in omnibus tam prudenter & viriliter ei miniſtrauit, quod in nullo defectus aliquis inueniri poſſet. Quod videns ipſe Imperator, eum collaudauit. Deinde *ſecundum* ſeruitium impleuit. Nam per totam æſtatem vigilando laborauit, & cum alij dormirent, omnia neceſſaria procurauit: venienteq; hyeme laborantibus & vigilantibus alijs, ipſe quieuit & dormiuit. *Tertium* ſeruitium oſtendit porrecto ſibi ſcypho, in quo erat mixtum aceto vinum optimum & muſtum, ait cum guſtaſſet: Fuit bonum, eſt bonum, & erit bonum. quaſi diceret, acetum fuit bonum, vinum eſt bonum, & muſtum erit bonum. Imperator cum audiret tam prudentem, poſt iudicationem mandauit ſibi *quartum* ſeruitium, vt per regna & caſtra ſua tranſiens, omnes ſuos amicos ad conuiuium inuitaret. Accepto igitur mandato, concitò properauit, & omnes inimicos Imperatoris inuitauit. quos videns ille, iratus eſt valde. Cui Guido: Amici tui quacunque hora venerint, cum gaudio ſuſcipiuntur: oportuit & inimicos inuitari, vt per hilare conuiuium fierent etiam amici. Quod vt factum fuiſſet, Imperator Deum benedixit. Poſtea *quintum* ſeruitium impleuit. Nam ligna in æſtate per ardorem ſolis exſiccabat, ſicque ignem ſine fumo faciebat.

Poſtremò. vltimum, iubente rege, ſeruitium oſtendebat, vocatoque populo volente ad terram ſanctam proficiſci, dixit: In illa rupe eſt auis, quæ continuo in nido ſuo reſidens, huius eſt naturæ, quamdiu eſt in nido, totum mare eſt tranquillum: & ſi contigerit eum extra nidum volare, mare perturbatur. Sicque in tranquillitate eius nauigare poſſunt ſecurè; in perturbatione eius verò quieſcere neceſſe eſt, quaſi diceret. Cum auis in nido eſt, poteſt quilibet in terram ſanctam ire & redire: cum verò volauerit extra, ſine periculo ſubmerſionis nemo valet pertranſire. Dicunt ei: Quo-

Quomodo ſcire poſſumus quando in nido reſidet auis illa? Et ille: Nidum non dimittit niſi propter vnam cauſam. Eſt enim alia auis, quæ eſt huic inimica, quæ die noctuque laborat, vt nidum illius defœdet atque oua eius violet. Quo facto, præ dolore auis illa exit, & nidum dimittit. Cumq; illi de remedio quærerent, vt auis illa in nido remaneret. Ait: Nidum interius & exterius ſanguine reſpergite agni quia tunc auis contraria nihil ſub cœlo magis odiens nidum non audet intrare, ſicque auo in nido manente ad terram ſanctam poteritis ſecurè ambulare.

SPIRITVALITER. Imperator ille eſt Deus glorioſus, qui velut Dominus vniuerſorum regit cœlos, & mundum, & omnia ſtant ad ſuum imperium, ſicut teſtatur B. Auguſtinus lib. ſoli. cap. 34. Sancte Sanctorum Deus, inæſtimabilis maieſtatis, Deus Deorum, & Dominus dominorum, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis, quem contremiſcunt in cœlo angelicæ poteſtates, quem adorant dominationes, & throni, & omnes virtutes pauent conſpectu tuo: cuius potentiæ, & ſapientiæ non eſt numerus: qui fundaſti mundum ſuper nihilum, & mare colligaſti in aere quaſi in vtre, omnipotentiſſime, ſanctiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis. à cuius conſpectu fugit cœlum & terra, ad cuius nutum omnia ſe ſubijciunt elementa. Te adorent & glorificent omnes creaturæ tuæ. Hæc ille. Ecce quàm magnus eſt Imperator Deus. Ideo dicit venerabilis Boetius lib. 3. de conſo. met. 9, F.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœliq; ſator, qui tempus ab æuo,
Ire iubes, ſtabiliſq; manens das cuncta moueri.

Iſte inquam Imperator omnium ſtatuit pro lege, imo ab initio legem poſuit, iuxta illud Dauid Pſal. 118. *Tu legem poſuiſti mihi.* & hanc legem quam ſtatuit, ipſemet adimpleuit. Matth. 5. dixit: *Nolite putare quoniam venerim ſoluere legem aut prophetas. Non enim veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Ideo dicit Canon 25, q. 1. §. His itaque reſpondetur. Chriſtus qui legem ipſam carnaliter impleuit octaua die circumciſus, quadrageſima cum hoſtijs in templo præſentatus. Sic etiam debent alij Domini terreſtres legem ſtatuentes adimplere eam. Quod hortatur Decretalis, Extra de conſtitut. c. Cum omnes. vbi dicitur: quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ipſe debeat vti eo. Et Sapientis dictat auctoritas: *Patere legem, quam ipſe tuleris*, id eſt, ſtatueris. Ideo dixit Gelaſius Papa 25. q. 1. c. Confidimus Legis conditor licet ſit ſolutus à legibus, honeſtum tamen eſt vt præ ceteris ſecundum leges quas ſtatuit viuat. Idem C. de legibus. digna vox.

> Legiſlator debet legem quam tulit, ipſe implere exemplo Chriſti.

Eſt tamen NOTANDVM, quod idem Imperator principaliter ſtatuit pro lege, vt quicunque vellet intrare in palatium ſuum, in porta tres ictus daret. MORALITER per palatium ad præſens intellige ſanctam Eccleſiam, in qua Chriſtus in ſuo ſacramẽto reſidet, ſicut maximus Imperator: ſicut teſtatur ipſemet per Amandum ſuum deuotum in horol. Sap. lib. 2. cap. 4. Certiſſimè, & veraciter, & abſque omni dubitatione in hoc ſacramento contineor Deus & homo, cum corpore & anima, carne & ſanguine, ſicut prodij ex vtero matris, ac in cruce pependi, & ſedeo ad dexteram patris. Ecce quod Eccleſia eſt palatium Chriſti, vbi in ſacramento imperatoriè creditur reſidere.

> Palatium Chriſti eſt Eccleſia, extra quam nullus ſaluatur.

Per portam huius palatij intelligitur Baptiſmus, per quẽ in Eccleſiam intratur. Niſi enim quis per hanc portam in Eccleſiam intrauerit, ſaluari omnino nõ poterit. Quia

> Porta palatij baptiſmus.

dicitur de summa Trinit. & fide cathol. c. Firmiter. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. Ex quo concluditur, quod omnes Iudæi & pagani damnantur, eo quod per porta baptismi non intrant. quia baptismus est non solum porta, sed & ianua omnium sacramentorum, de conse. dist. 4. c. necessarium.

Tres ictus, confessio Trinitatis.

Per tres ictus intelligitur hic prima confessio sanctæ Trinitatis, seu inuocatio eiusdem. Qui enim per portam baptismi intrare voluerit, necesse est, vt per se si adultus est; vel per patrinos, si infans est, fidem sanctæ Trinitatis profiteatur: quia & baptismi sacramentum ad Dei inuocationem & indiuiduæ Trinitatis, Patris & filij & spiritus sancti consecratur. vt dicitur in cap. Firmiter. vbi suprà. Ideo Zacharias Papa Bonifacio Episcopo de consec. dist. 4. c. In synodo Anglorum firmissimè præceptum est, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, quod quicunque sine inuocatione sanctæ Trinitatis immersus fuerit, quod sacramentum regenerationis non habet: quod omnino verum est, vt dicit Magister lib. 4. dist. 3. Quare si immersus in baptismi fonte quis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris & filij & Spiritus sancti quis baptizatus fuerit. Ecce necesse est fieri in porta baptismi tres actus, vt videlicet Trinitatem confiteatur, vel in nomine Trinitatis indiuiduæ baptizetur. Vel secundo, per tres ictus intellige trinam immersionem. De qua dicit B. Augustinus, de consec. distin. 4. cap. Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in fonte sacro demersimus. quia ordo baptismi duplici mysterij significatione, id est, trium personarum & Dominicæ sepulturæ celebratur. Rectè enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismũ in nomine Trinitatis. Rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismũ in nomine IESV, qui tertia die resurrexit à mortuis. Illa enim trina repetita demersio, typum Dominicæ, exprimit sepulturæ. Et dicit Magister vbi suprà. Constat baptizandos tertio debere immergi. & tamen si semel tantum imergantur, verum baptisma accipiunt: & qui semel immergit tantum, non peccat, nisi consuetudo Ecclesiæ obsistat, vel hoc modo tantũ debere fieri asserat. Hæc ille. Factis igitur tribus ictibus trium confessionum sanctæ Trinitatis, ianitor introducit hominem in palatium sanctæ Trinitatis Ecclesiæ.

Baptizatus sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est.

Mysterium trinæ immersionis in baptismo.

Ianitor est sacerdos.

Sed quis per ianitorem nisi sacerdos intelligitur? qui habet claues Ecclesiæ. quarum duæ sunt: scilicet auctoritas discernendi & soluendi, vt dicit Glos. super Matt. 16. Quarum vsus est etiam discernere ligandos & soluendos, & deinde ligare & soluere, vt dicit Magister in 4. dist. 18. cap. 3. Ipse tamen sacerdos velut ianitor primo introducit hominem. per portam baptismi, faciendo eum filium Dei, iuxta illud Bedæ. Peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, sed filius misericordiæ ascendit: filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit.

H

Seruitia à baptizatis Christo præstanda.

1. Mundare cor.

Postquam igitur introductus est per portam baptismi peccator iniustus, & iustus est factus, & Dei filius, debet statim sũmo Imperatori seruitia exhibere. *Primum* seruitium, quod debet ei exhibere, est sibi præparare lectum cordis per veram pacem. quia dicit Psalm. 4. *In pace in ipsum dormiam & requiescam.* Qualiter autem debet præparari lectus cordis, Vide supra Dominica 3. sermon. 2. H. L. Deinde debet interdum mutare linteamina sordida, capiendo & sternendo pro eis recentia & noua. quid per hoc intelligitur, nisi vt sordida vitia abijciat & explanet, vt virtutes recentes cordi inserat & substernat. quia dicit B. Augustinus 23. q. 1. c. Cum renunciat improbitati, statim virtus assistit Egressus enim malitiæ, virtutis opera-

operatur ingressum: eodemque studeo quo crimen excluditur, innocentia copulatur. Post hoc verò debet lauare pedes domini sui. *Primo* per pedes intelliguntur boni pauperes, iuxta illud Psal. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Hos quidem pedes debes lauare aqua misericordiæ, aut eleemosynæ, scilicet eis misericorditer eleemosynam tribuendo. Quia dicit Petrus Rauen. Quicquid pauper accipit, Christus accipit. Da ergo pauperi homini terram, vt accipias cœlum: da nummum, vt accipias cœlũ, & regnũ: da micam, vt accipias tortam: Da pauperi, vt des tibi; quia quicquid dederis pauperi, hoc tibi dabis: & quicquid pauperi nõ das, alter habebit. *Secundo*, per pedes intelliguntur malæ intẽtiones, iuxta illud Prou. 1. *Pedes eorum ad malum currunt*. quia intentio mali semper malè intendit. Istos pedes lauare debes aqua lacrymarũ abstergendo eos, vt sic cor fiat Dei habitaculum. Quia Bernar. super Cant. Cor fonte lacrymarum mysticè baptizatum, hoc dulcedini maiestatis dicitur adoptatum.

Lauare Christo pedes.

His igitur gestis debet iacere armatus ante cameram cordis, in qua Dominus suus requiescit. & hæc arma debent esse spiritualia virtutum. *Primo*, necessaria est sibi galea spei, quæ super caput erigitur: quia spes ad superna tendit. Ideo dicit Apostol. ad Ephes. 6. *Galeam salutis sumite.* quod exponit. 1. ad Thes. 5. *Galeam spem salutis.* *Secundo* debet habere loricam caritatis, iuxta illud. 1 ad Thes. 5. *Induti loricã fidei spei. & caritatis.* Et congruè per loricam caritas intelligitur, quia sicut annuli in lorica connectuntur, ita fideles in caritate inuicem vniuntur. *Tertio*, sibi necesse est thorax iustitiæ & æquitatis, iuxta illud Sap. 5. *Induti pro thorace iustitia.* *Quarto*, necesse sunt ei ocreæ ferreæ, quæ muniunt ex parte inferiori. Per quas intelligitur duplex humilitas. quæ dum elationem animi reprimit, quasi ab inferiori parte munit. Est autem necessaria duplex humilitas: *Vna* interior in corde. *Alia* exterior in conuersatione. Vel quasi ocrea cruris dextri est humilitas in prosperitate, qua aliquis se reputat indignum. & ocrea cruris sinistri est humilitas in aduersitate, scilicet qua se aliquis reputat dignum aduersa pati. *Quinto*, necessaria est lancea prudentiæ, quæ à remotis hostem percutit, antequam appropinquet. Huius prudentiæ tres sunt partes figuratæ. 2. Regum 18. vbi legitur: quod tulit *Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absolon.* *Prima* lancea est memoria præteritorum. *Secunda* intelligentia præsentium. *Tertia* prouidentia futurorum. Ideo dicit Boët. lib. 2. prosa. 1. Neque enim quod ante oculos situm est, suffecerit intueri. Rerum exitus prudentia metitur. Et his tribus partibus prudentiæ occiditur Absolon, id est, virtus inimici superatur. *Sexto*, necessarius sibi est ensis continentiæ, quo femur, in quo est voluptas, minuitur. Ideo dicitur Cant. 3. *Vnusquisq; ensis super femur suum.* *Septimò*, habeat circa se canem latrantem, qui ipsum dormitantem excitet. Per canem latrantem intelligitur conscientia contra vitia latrans & murmurans. Ipsa enim conscientia improperat animæ peccatrici commissa vitia. sicut figuratum est Tob. 3. vbi legitur quod puella famula Raguelis improperauit Saræ dicens: *Non amplius videamus filium de te, aut filiam super terram tuorum interfectrix virorum. Illa his auditis ascendit solarium superioris domus, & fusis lacrymis à Domino huius improperij curationem impetrauit.*

Armatus ad stare ante cubiculum.
Galea spei
Lorica caritatis.
Thorax iustitiæ.
Ocreæ ferreæ.
Humilitas duplex necessaria.
Lancea prudentiæ.
Ensis continentiæ
Canis latrãs est conscientia remordens.

MORALITER per Saram intelligitur anima, quæ cum peccauerit, septem viri, per quos intelliguntur septem dona Spiritus sancti, interficiuntur. Ideo famula conscientia improperabit ei, ne vlterius ex ea progrediatur fructus bonæ opera-

tionis, nisi pœniteat. Hanc audiens anima ascendit ad altitudinem diuinæ misericordiæ cum lacrymis: vbi studet improperationem huius opprobrij exstirpare. Vel solarium superioris domus, ad quod debet ascendere anima, est superior pars rationis, ad quam debet homo recurrere, quando in conscientia aliquoties contingit errare, quando coniungitur rationi, quæ ex parte inferiori habet versari circa particularia, vt patet in syllogismo practico. Synderesis proponit maiorem, vt; Nullum malum est faciendum: Ratio subsumit minorem, vt; Hoc est malum. sed Conscientia concludit, ergo non est faciendum.

Circa primam partem non est error, circa secundam partem quandoque est error, & ex hoc est falsitas in conclusione: quia quandoque quod nos iudicamus in conscientia malum, coram Deo est bonum. quia dicit Gregorius 11. q. 1. c. Sacerdotibus. Fortassis, quæ vos laudatis, ille reprehendit: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Ideo cauenda est conscientia nimis larga, & etiam nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem: secunda desperationem. Item prima dicit bonum malum; secunda èconuerso malum bonum. Prima sæpè saluat damnandum; secunda etiam damnat saluandum. Vnde aliud est conscientia, aliud timor conscientiæ. Tunc enim conscientia est, quando quis finaliter iudicat aliquid esse faciendum vel vitandum. Contra talem conscientiam etiam si sit erronea, facere est peccatum: quia talis timor non semper est ex diffinitiua sententia rationis, per quam iudicat se teneri ad aliud. Sed tamen ex eo, quod vacillat inter dubia, nesciens quid sit melius, vel quid teneatur potius factum: cum tamen non omitteret, quicquid sciret esse placitum diuinæ voluntati.

Error conscientiæ largæ & strictæ. Aliud conscientiæ, aliud timor conscientiæ.

K 2. SECVNDVM seruitium quod debet homo facere Christo Domino suo, est, quod debet vigilare, quando alij dormire consueuerunt. Debet enim in æstate, hoc est, in vita gratiæ, in præsenti quilibet Christianus vigilare in bonis operibus, & sibi necessaria in futurum procurare, Exemplo formicæ. de qua dicit Isidorus lib. 12. & Physiologus, quod tempore æstatis, quando calor est in terra, non quiescit, sed grana tritici congregat, & eorum extrema præscindit, ne germinent: & de illis in hyeme viuit. Sic etiam nos Christiani in tempore gratiæ per æstatem designatæ, quando calor diuinæ misericordiæ est in terra, non debemus quiescere, sed grana bonorum operum congregare, vt de illis tempore hyemis, id est mortis, vel extremi iudicij viuere valeamus. Ideo dicit Physiologus: Nos laboremus fratres, dum tempus habemus, vt simus tuti tempore iudicij. Cui alludit Apostolus ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* & Dominus Ioann. 6. hortatur nos: *Operamini cibum qui non perit: sed qui permanet in vitam æternam.* Quare autem non sit dormiendum, sed laborandum, ostendit Sapiens, Sapien. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Et B. Gregorius, 1. quæst. 2. cap. Ecclesiam. Iustum est, inquit, vt illi consequantur stipendia, qui laboris impenderint obsequium.

Debet Christianus vigilare. Exemplum formicæ.

3. TERTIVM seruitium domino exhibendum, est iudicare inter bonum potum & malum. Per potum intelligitur pœnitentia, quæ debet esse mixta aceto amaræ contritionis, vino compunctionis, & musto spei, vel consolationis; quam qui gustauerit, potest dicere, bonum fuit acetum contritionis, bonum est vinum compunctionis, & bonum erit mustum consolationis. Hoc enim modo acetum contritionis fuit

Christianus debet studere pœnitentię.

fuit bonum, quia ficut amaritudo aceti purgat & diffoluit; fic contritio, quæ fuit anxia & amara, purgat mentem, & diffoluit culpam, iuxta illud Bedæ: Amaritudo cordis mentem purgat, Angelos lætificat, & DEVM placat. Et Beatus Hieronymus: Nulla, inquit, culpa committitur, ob quam homo non miro dolore anxiatur. Idcircò contritio amara in Petro & Magdalena, bona fuit, quia mentes eorum à peccatis purgauit. Sed idcirco vinum compunctionis eft bonum. Nam ficut vinum emittendo fæces fe purgat, & femper eft in motu & turbidum donec feparetur purum ab impuro; fic verè compunctus femper eft in motu bonæ operationis & tremore, donec feparetur ab eo immunditia peccatorum. quem motum diabolus volens impedire immittit aliquam afflictionem, id eft, occupationem terrenam. Rectè enim ficut homo, quando vinum multum ebullit & feruet, ita fortiter, quod timetur ne rumpatur dolium, immittit intus cafeum terreftrem, & tunc incipit agere vapor, & poros cafei intrat, & ceffat periculum & ebullitio, remiffo feruore. Quid enim vinum bulliens nifi compunctio feruens? Cui nimirum diabolus feruorem tollit, cum cafeum terreftrem immittit, quando compunctam mentem ad terrenam occupationem vel afflictionem trahit, feruente fpiritu citius frigefcit, ficut patet de filio Regis Franciæ; cui poft compunctionem immifit diabolus terrenorum occupationem, ita à feruore compunctionis refrixit & damnatus fuit, ficut dixi fupra Dominica tertia fermon. 2. G. G. Contritio purgat mentem & diffoluit culpam. Vinum Bulliens, cōpunctio feruens.

Sed præterea bonum erit muftum confolationis, quia poft amaritudinem fequitur confolatio. quia refert Boëtius lib. 2 de confolat. profa. 2. quod in palatio Iouis duo erant dolia vini; vnum de optimo; aliud de amariffimo: & quicunque volebat bibere de bono, oportebat quod prius biberet de amaro. Sic qui vult de mufto confolationis bibere, oportet quod prius bibat de vino compunctionis. quia fecundum Poetam. Compunctionem fequitur confolatio.

Dulcia non meruit, qui non guftauit amara.

Ideo dicit Gregorius: Si mens appetit quod demulcet, prius guftet quod dolet. L

QVARTVM feruitium domino exhibendum eft, homines ad conuiuium inuitare. Illud conuiuium non eft aliud nifi æterna beatitudo quod figuratur in conuiuio regis Affueri. Hefter. 1. *qui tertio anno fui imperij fecit conuiuium in domo fua, qua columnis fulciebatur, lectuli q; aureis ornabatur, bibebántque vinum: & non erat qui cogeret ad bibendum, fed bonitas ipfos attrahebat.* 4. Alios inuitare ad conuiuium æternæ beatitudinis.

SPIRITVALITER. Affuerus interpretatur beatitudo & fignificat Chriftum, qui tertio anno, id eft tempore gratiæ (primus annus fuit ftatus naturæ, fecundus ftatus legis, tertius ftatus gratiæ) fecit grande conuiuium cunctis principibus, id eft, fanctis Apoftolis, quos *conftituit principes fuper omnem terram*, Pfal. 44. & pueris fuis, id eft fanctis Angelis, alijsque Sanctis, de quibus Lucæ. 11. *Pueri mei mecum funt in cubili.* In hoc conuiuio bibunt vinum optimum diuinæ fuauitatis, dicentes illud Ioann. 2. *Omnis homo primo vinum bonum ponit: tu autem feruafti vinum bonum vfque huc.* Quia Chriftus confolationes æternæ dulcedinis dat fanctis in ifto mundo, quafi ad prægustandum, vt magis cum plenitudine feruefcat defiderium. Sicut vini venditores aliquantulum dant guftare volentibus emere, vt fuauitate vini guftata ad emendum alliciantur. Ideò B. Auguftinus. Cui Dominus ad guftandum hoc vinum

dedit diuinæ consolationis, sic ait: Gustaui te & esurio. tetigisti me, & exarsi in pace tua.

Ad conuiuium æternũ, etiam peccatores inuitandi.

Ad hoc conuiuium æternæ beatitudinis debet quilibet non solum amicos, sed etiam inimicos scilicet peccatores inuitare: Prædicatores quidem verbo diuini sermonis, & exemplis bonis. quia dicitur. 8. quæst. 1. cap. Qualis erit ædificatio discipuli, si intelligat magistro se esse maiorem. Vnde non solum Episcopi, Presbyteri, & Diacones debent magnopere præuidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, sermone, disciplina præeant; verum etiam inferior gradus Lectores, Exorcistæ, &c. Ex quo patet, quod sacerdotes debent sermone prædicationis, & exemplo bonæ conuersationis inuitare peccatores ad conuiuium beatitudinis æternæ. Alij autem, vt laici, debent inuitare exemplis lucidis bonorum operum, iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Sacerdotum & Laicorum munus.

5. Habere caritatem erga proximum.

QVINTVM seruitium Domino exhibendum facere ignem sine fumo. Per ignem MORALITER intelligitur caritas.

1. *Primo* quia ignis inter elementa virtuosior est ceteris elementis, sic ceteris virtutibus virtuosior est caritas, & sine ea aliæ virtutes non merentur dici virtutes, quia dicit Beatus Augustinus: Attende, quanta est caritas, quæ si desit, frustra

2. habentur cetera: si autem habetur, habentur omnia, vel in his, vel in alijs. *Secundo*, sicut ignis ferrum quasi ignem facit, sic caritas eos in quibus est, vt ignem efficit. sicut patet de Elia, Ecclesi. 48. *Surrexit Elias Propheta sicut ignis, & verba eius*

3. *quasi facula ardebant*. *Tertio*, sicut ignis nescit esse otiosus. semper enim agit in combustibile. Propter, quod dicit Philosophus. 2. de Anima. Ignis per appositionem combustibilium crescit in infinitum; sic etiam caritas nunquam est otiosa. sicut testatur Gregorius in registro. Nunquam enim amor Dei est otiosus. operatur enim magna si est aut si operari contemnit, amor non est. Illum igitur ignem caritatis sine fumo iræ debet facere, qui vult DEO seruire. quia tunc ignem sine fumo facit, quando caritatem sine ira cum proximo gerit. sicut legitur in Vitis patrum lib. 4. part. 19. §. 21. de duabus mulieribus. Quodam tempore orante beato Machario Abbate venit vox ad eum dicens: Machari, nondum ad mensuram meriti illarum duarum mulierum peruenisti, quæ in proxima pariter habitant ciuitate. Quo audito, senex arrepto baculo venit in ciuitatem. Cumque ad domum peruenisset, & cœpisset pulsare, egressa vna ex illis cum magna exultatione eum suscepit. Et cum sedisset, vocauit eas. Quæ cum venissent, sederunt cum eo. Ait autem ad illas senex: Propter vos tantos labores sustinui, veniens ex solitudine, vt opera vestra cognoscerem. Ideò mihi enarrate. Cui illæ: Crede nobis, sancte pater, quia nec præsenti nocte à maritorum lectulis sumus separatæ. Qualia igitur opera à nobis exquiris? Senex autem precibus persistebat, vt ei vitæ suæ ordinem declararent. Tunc illæ compulsæ dixerunt: Nos quidem nulla inter nos sumus parentelæ affinitate coniunctæ, sed duobus fratribus sumus iunctæ, & cum his quindecim annis in vna domo pariter commanentes, neque turpe verbum altera dixit ad alteram, neque litem aliquando commisimus, sed in pace hactenus viximus, & consensu tractamus, qualiter relictis viris, ad congregationem virginum transiremus. & multis precibus à coniugibus non potui-

Amor Dei nunquam otiosus.

Exemplũ de duabus mulierib. sanctè & pacificè viuentibus.

potuimus impetrare. Cum verò minimè valuissemus obtiaere huiusmodi consilium, disposuimus inter nos & Deum, vt vsque ad mortem per os nostrum non egrediatur sermo secularis. Ecce istæ famulæ Domini fecerunt ignem sine fumo, cum in caritate sine ira vixerunt mutuo. Quo audito, Abbas Macharius dixit: In veritate; quia non est virgo, neque maritata; neque monachus, nec secularis; sed DEVS tantum propositum quærit, & spiritum vitæ omnibus ministrat. Sed timeo, quod pauci simul iuuenes per tantum tempus possent sine fumo facere ignem, id est, sine ira habere caritatem, iuxta illud Psalm. 17. *Ascendit fumus in ira eius.* Ideo legitur, apud Cæsarium lib. 4. cap. 22. quod puella fuit quædam, diuitum filia, ita iracunda, vt vix aliquis eius rixas & odia euadere posset. Tandem mortua in atrio Ecclesiæ sepulta est. Mane venientes ad Ecclesiam, videbant tumbam eius ad instar fornacis eructantem fumum. Ecce sicut hic in ira fumabat, sic & ibi fumum emittebat. Videre igitur volentes, quid hoc portenderet, terram eijciunt: & ecce medietatem corporis partem superiorem ignis consumpserat, scilicet fel, cor, linguam & manus, cum quibus peccauerat: inferiorem verò ab vmbilico deorsum non tetigit. Deus in hoc suam castitatem approbauit.

Puellæ iracũdæ, de mortuũ corpus ab igne consumitur.

N 6. SEXTVM seruitium & vltimum est, viam ad terram sanctam per mare monstrare aut docere. MORALITER. Mare significat mundum. *Primo*, quia mare est multorum periculorum contentiuum, iuxta illud Eccles. 44. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* sic etiam in mundo diuersa pericula sunt, sicut probat Apostolus. 2 ad Corinth. 11. *Quod fuit in periculis ex genere, ex gentibus, ex ciuitate periculis, & ex falsis fratribus. Secundo*, mare est monstrorum multiplicium & animalium productiuum. Quia secundum Rabanum plura monstra producit mare quàm terra. Et Psalm. 103. *Hoc mare magnum & spaciosum: illic reptilia* &c. sic etiam in mari huius mundi sunt in animalibus varia monstra, & homines animales qui significantur, Daniel. 8. per *animalia quæ ascendebant de mari, Primumque erat quasi leæna, & alas habebat aquilæ*, significat superbiam vitæ, quæ semper vult volare in altum. *Secundum* fuit simile vrso, qui significat voluptatem carnalis concupiscentiæ. *Tertium* erat simile pardo, qui significat cupiditatem auaritiæ. *Quartum* habebat dentes ferreos terribiles, quod significat crudelitatem. Et qui habent hæc vitia in se non dicuntur homines, sed belluę. Sicut probat Boet. lib. 4. prosa. 3. Euenit, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. *Et infra*: Ita, inquit, fit, vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam conditionem, id est, naturam transire non possit, vertatur in belluam, id est, monstrum.

Christianus debet esse patiens.

Quicunque ergo per hoc mare mundi nauigare voluerit, securè ad terram sanctam, de qua dicit Propheta, Psalm 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, scire debet, quod quædam est auis, per quam intelligitur patientia, quæ semper debet esse in nido cordis. *Primo* igitur, quia ipsa ornat animam, eo quod ipsa est quasi vestis purpurea, decens valdè electos DEI: propter, quod dicit Apostolus ad Coloss. 3. *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Ecce patientia vltimo ponitur, quasi ornans & protegens alias virtutes. *Secundo*, quia ipsa animam perficit. Vnde super illud Iob. 4. *Perfectio viarum tuarum.* dicit Glossa, de patientia perfectio nasci-

Patientia ornat animã.

Perficit animam.

nascitur, iuxta illud Iacob. 1. *Patientia opus perfectum habet*, non quantum ad sufficientiam, sed patientia quantum ad excellentiam. Ideò dicit B. Gregorius 5. moral. Ille verè perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non potest, ipse sibi testis est, quod perfectè nondum profecit. Et idem dicit. 20. Moral. Nullus perfectus est, qui inter proximorū mala patiens non est. qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat. *Et subdit*: Abel quippe esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Sic in tritura areæ grana paleis premuntur: sic flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Quia sicut iusto peccator cum malitia iungitur sic in fornace auro palea cum igne sociatur, vt quo ardet palea, purgetur aurum. Sic ergò veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt. Hæc ille. *Tertio*. quia animam sapientem facit iuxta illud Prouerbior. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia*. Et iterum cap. 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Ideò dicit beatus Gregorius: Tanto aliquis ostenditur minus doctus, quanto minus patiens conuincitur. Propter hæc tria iam dicta, patientia ad instar dictæ auis debet frequenter manere in nido cordis: quia quamdiu manet in corde, semper tranquillum est mare huius mundi: quicquid enim in mundo patitur, semper in melius interpretatur. sicut legitur in Vitis Philosophorum de Diogene, quem quidam verbis contumeliosis dehonestauit: qui non respondit. Et dixerunt ei sui; quare non respondes? Ego, inquit, non possum illi tantam confusionem inferre respondendo, quantam ipse sibi garriendo intulit. Alius insuper verbis contumeliosis eum molestauit, sed ex hoc non est indignatus, sed tacuit. Et dixerunt sui. Quare nō indignaris? Qui respondit: Dehonestator verbis, aut est verdicus, aut mendax: si veridicus, propter veritatem non irascor: si mendax est, ex indignationis causa noscit quid loquitur, aut operatur. Ecce quod mare sui cordis perturbari non potuit, sed semper tranquillum fuit, quia patientia non euolauit.

Facit animā sapientem.

Diogenis dictum notandum.

O Iracūdi Deo inuisi.

Sic autem non est de iracundis & impijs, de quorum corde recessit sapientia & patientia. Ideò respondit. Isa. 57. *Impij cor quasi mare feruidum, quod quiescere non potest*. Refert Cæsarius in dialog. lib. 11. cap. 56. quod duæ generationes rusticorum mortales inimicitias ad inuicem exercebat. Inter quos erant duo elati, qui semper noua bella suscitabant, nullam pacem fieri permittentes. Diuino igitur nutu factum est, vt ambo vno die morerentur; & quia de vna erant parochia, sic placuit Domino per illos dissensionis malum ostendere, & quantæ pœnæ subiaceant auctores discordiæ. Mira res, & inaudita, cunctis qui aderant videntibus, corpora eorum dorsa verterunt ad inuicem capitibus, calcibus, ipsisq; dorsis tam impetuose collidentibus, vt caballos indomitos putares. Mox vnum extrahentes remotius in alio sepulchro posuerunt. & facta est rixa eorundem mortuorum causa pacis & concordiæ viuorum. Ecce quorū corda in vita quiescere non potuerunt, nec corpora eorum sepulchro posita quieuerunt. O si hic corpora eorum tantas rixas habuerunt, quantas miseræ eorum animæ in inferno hactenus habuerunt & pertulerunt? Idcirco quilibet homo, qui vult securè per mare mundi nauigare, & ad terram sanctam peruenire, debet auem patientiæ in nido cordis tenere, quia patientia est valde efficax ad terram hanc sanctam cœli perducere, quia dicit Hieronymus, non nisi per patientiam impletur, quod dicitur; Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matthæi 11. Vnde cum in alijs

alijs beatitudinibus fiat promissio de futuro, patientibus de regno cœlorum fit promissio de præsenti, Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Sed diceret aliquis. Quomodo scire possum, quando auis patientię est in nido cordis? Vide quando mare tui cordis est tranquillum, si tibi aliqua aduersa irrogantur, nec mens ad rixas prouocatur. Quia dicit Sapiens, *Iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas*, Prou. 15. Sicut patet in Vitis Patrum lib. 2. c. 17. de duobus fratribus carnalibus, qui simul habitabant. quos diabolus ab inuicem separare nitebatur. Quadam die vespere minor accendit lucernam, & posuit super candelabrum. Malitia autem diaboli candela ruit & extincta est. Per hoc diabolus volebat eos ad litem concitare. Surgens autem senior fratrem percussit. cum verò ille patienter prosternens se ad terram rogaret eum dicens; Magnanimus esto: & ego rursus accendam lucernam. Ecce cor suum mansit tranquillum: tamen mitigauit rixas iam suscitatas. quia non respondit ei verbum turbulentum. Confusus diabolus recessit ab eis. Ideò beatus Paulus loquens de patientia in verbis thematis dicit; *nihil differt à seruo.* quia patiens pronus est ad seruiendum. sicut patet de prædicto fratre, qui pronus fuit fratri seruire ad candelam extinctam reaccendere.

P

Sed NOTA, quod per aliam auem quæ est dictæ aui contraria, intelligitur ira, quæ est semper contra patientiam, nitens eam deinde cordis expellere, vt sic homo in mari huius mundi periclitari & demergi in infernum possit. Ideò hæc dicit contra patientiam, vt testatur Augustinus lib. de conflict. vit. & virt. cap. 8. Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt immò patienter hæc tolerare peccatum est. Quia si non eis cum magna asperitate resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Ecce sic dicit ira ad hominem, per quod à corde expellere patientiam laborat. Ideo consulendum est huiusmodi. vt nidum cordis sui, in quo manet auis patientia dicta, aspergat sanguine agni immaculati Iesu patientis, passionem eius mente recordetur, & tunc patientia in nido cordis manebit. Propter quod addit: Augustinus in libro vbi suprà. respondendo iræ: Si passio redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. *Christus*, vt ait Petrus, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Ipse enim dicit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Coercenda ira patientię contraria.

Passio Christi omnia dura emollit.

1. Petr. 2.

Ioan. 15.

Sed quanta sunt in comparatione passionum illius ea, quæ nos patimur? Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemque tulit: Et nos miseri ad nostram confusionem vno sermone fatigamur, imò verecundamur. Et quid agemus de eo, quod dicitur: *Si non compatimur, nec conregnabimus?* Quapropter retundendi sunt iræ stimuli, & eius metuenda damnatio. quia legimus scriptum: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Hæc Augustinus. Et certe si homo passionem Christi, quam patienter innocens tolerauit, ad animum reuocaret, posset vtique omnia aduersa patienter tolerare, sicque ad terram sanctam cœlestis Hierusalem securè nauigare, ad quam nos perducat. Hic conclude sermonem.

2. Tim. 2.

Matth. 5.

DE EADEM DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIuitatis Christi.

Sermo Tertius.

QVANTVM ad TERTIVM, ponit beatus Paulus in verbis præmissis obedientiæ pronitatem seu velocitatem, cum dicit: *Sed sub tutoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.*

In gestis Romanorum cap. 60.

Quidam rex erat, qui filiam habuit pulcherrimam & gratiosam, nomine Rosamunda. Puella ista adeo agilis erat in currendo, quod ante omnes ad terminũ perueniret. Rex autem per totum regnum suum fecerat proclamari, quicunq; cũ filia sua currere vellet si ante eam ad terminũ veniret, ipsam in vxorẽ haberet, & regnum istius possideret. Si verò ante terminum deficieret, capút suum amputaretur. Et hac proclamatione facta, multi cũ ea cucurrerunt, sed ante terminũ deficientes capita & vitam perdiderunt. Erat tunc pauper quidã, nomine Abibas, de vili stirpe productus, qui sumens secum sertum rosarũ, zonam sericeam, & loculum sericum, in quo erat pila deaurata & super pilam subscriptio talis; Qui mecum luserit, nunquam de ludo satiabitur. Et venit vt puellam in currendo impediret. Quem videns puella, indignè tulit, quod cum tali vili currere debuit: nec tamen contradicere ausa fuit. Ambobus igitur currentibus, puella per longam distantiam præcurrit eidem quod videns Abibas sertum rosarum protulit, & ante eam mox proiecit. Viso serto, puella se inclinauit, & sublevans in capite collocauit, & in tantum in eo delectabatur, quod ille eam præuenit. quod ipsa videns intra se ait: Nunquid filia regis debet cum tali ribaldo copulari? quasi diceret: Certè non fiet. & statim proiecto serto in foueam, cucurrit, & eo apprehenso ei alapam dedit dicens: Disce miser, non decet, vt tu me ducas in vxorem; & statim ante eam cucurrit. Ille cum hoc vidisset, zonam sericam ante eam proiecit, quam illa leuans se præcinxit, & tantam moram fecit, quod interim ille ante eam longe venit. Illa cum hoc vidisset, fleuit, & zonam in tres partes frangens post ipsum cucurrit, quem cum apprehendisset, alapam ei dedit dicens: Miser, me in vxorem non habebis. & statim ante eum remotè cucurrit. Abibas hoc videns sericum loculum proiecit. quo viso ipsa leuauit & aperiens pilam deauratam inuenit, superscriptionem legit, sicque tamdiu cum pila lusit, quod ille ante eam ad terminum præuenit.

Rex est Christus.

SPIRITVALITER ille rex est Christus, in cuius vestimento & fæmore vidit beatus Ioan. scriptum, *Rex regum. & Dominus dominantium*, Apoc. 19. Ipse inquam est rex cuius regnum nunquam finietur iuxta illud Lucæ 1. *Et regni eius non erit finis.* Ipse est rex, à quo omnes alij reges & principes dominia ipsorum acceperunt. sicut ipsemet testatur Prouerb. 8. *Per me reges regnant: per me legum conditores iusta decernunt: per me principes principiantur & imperant; & potentes decernunt iustitiam.* Videantur ergo mundi reges, principes, & potentes, à quo habeantur suas potestates. scilicet quod non superbiantur: sed potius sub rege cœli se humilient, iuxta illud 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.*

Ilte

Iste inquam rex Christus præcipuus Dominus, habet filiam, per quam MORALITER intellige Obedientiam; quam tunc de se genuit, quando Patri suo cœlesti obediens fuit. Et *primo* de cœlo descendẽdo, Ioan. 6. dicit ipse: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris.* *Secundo* nihil in mundo possidendo, Matth, 8. dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* *Tertio* crucem ascendendo, iuxta illud ad Philip 2. *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* De ista filia summi regis dicuntur hic quatuor: Primum est, quod est pulcherrima, quia figurata in Esther pulchra, cap. 15. *quæ est circundanta gloria sua, regio fulgens habitu, sumit secum duas puellas: super vnam innititur quasi pro delitijs: alia autem sequitur eam. Ipsa autem roseo colore vultu perfusa, nitentibus oculis tristem celat animum.* Quid enim MORALITER significat, quod Esther fuit circundata gloria, nisi quod vera obedientia parit gloriam. Qui enim obedit Deo, circundatur gloria, etiam in mundo, & in cœlo, iuxta illud Eccli. 10. *Semen honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.* Filia regis Obedientia.

Et merito Obedientia ad instar pulcherrimæ reginæ Esther est circundata gloria, quia sicut ipsa honorificat Dominum, sic glorificatur ab ipso, sicut promisit 1. Regum 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me,* semper mihi non obediendo, *erunt ignobiles.* Glossa, quia eijciuntur à statu gloriæ suæ & dignitatis. Sed quod erat fulgens regio habitu innuitur, quod ipsa Obedientia ornata est alijs virtutibus, quæ dicuntur cultus regius. Ipsa enim, vt dicit Gregor. 25. moral. sola est virtus, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit, ipsa enim secundum Hieronymum est genitrix omnium aliarum virtutum, & virtus omnium viuentium. Ideo exponitur de ipsa illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate,* id est, varijs virtutibus. Obedientiæ laus.

Per duas verò puellas, quas sumit secum hæc regalis filia sancta. Obedientia, sunt humilitas & caritas. Super humilitatem obedientia innititur, quia ipsa seruat eam, ne cadat. Quia secundum Augustinum. Humilitas est virtutum omnium caput, quod fouet & sustinet bonorum operum totum corpus. Caritas autem sequitur eam, quia ex caritate vltimate est Deo obediendum: nam sine caritate nec prodest obedientia. Quia dicit August. Vbi caritas non est, quid est quod potest prodesse? quasi diceret, Nihil. Ideo dico: Beatus ille, qui ex caritate obedit, quia qui coactè obediunt, mercedem obedientiæ non accipiunt. Humilitas & caritas, filiæ Obedientiæ

Quod autem est roseo colore in vultu perfusa, denotatur lætitia obedientiæ. Qui enim libenter obedit. lætitiam in facie ostendit, & paratum se offert. sicut Paulus Actor. 9. *Domine, quid me vis facere.* De tali dicit B. Bernardus in sermon. Nec dubium quin ampliorem gratiam mereatur qui paratum se exhibet ante mandatum, quàm qui obedire satagit. Roseus vultus, lætitia Obedientiæ

R SECVNDVM, quod dicitur de ista regis filia, scilicet Obedientia, est, quia est gratiosa. Sicut enim dicitur de regina Esther, quod *omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur,* Esther 2. Sic idem potest dici de obedientia. quia ipsa gratiam perditam nobis inuenit ex eo, quod Christus ex obedientia mori voluit, ex cuius morte gratiam nobis data fuit. Obedientia gratiosa.

S Quare autem Christus ex obedientia mori voluit ostendit B. Augustinus l. 3. sent.

 distinct.

distinct. 29. Nihil inuenit diabolus in Christo, vt moreretur: sed pro voluntate patris Christus mori voluit, non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia & iustitia mortem gustauit, per quam nos redemit de seruitute diaboli. Ecce quod obedientia Christi gratiam redemptionis nobis inuenit. Item obedientia dicitur ideo gratiosa, quia inuenit gratiam in conspectu Principum terrenorum, iuxta illud Prouerb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Quia vt frequenter qui velociter obediunt, præ alijs exaltantur. In figuram illius, Simonem qui interpretatur obediens, præfecit Dominus ceteris Apostolis. Matth. 16.

Obedientia exornat mũdum. TERTIVM, quod dicitur de ista filia regis, est quod dicta est Rosamundi: quia sicut Rosamundi decorat campum, sic sancta obedientia exornat mundum, id est homines qui sunt in mundo, eo quod animam ornat. quia etiam est inauris, id est, circulus aureus, quem cœlestis sponsus dat animæ eam exornando. De qua exponitur illud Prouerb. 25. *Inauris aurea in margarita fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.* Et dicit Glossa. Margarita fulgens inauri aureæ iungitur, & doctrina mentem illuminans auri, & obedienti vtiliter præponitur. Ideo legitur, quod Eleazar dedit Rebeccæ inaures aureas, & fuit figura: quod Christus animam obedientia exornaret.

Obedientia debet esse velox. QVARTVM, quod de hac pulchra filia regia dicitur, quod est velox in currendo, quia mandatum non protrahit, sed velociter facit. Ideo comparatur cruribus, quæ à currendo sunt dicta. quia per ea currimus & gressum facimus. Per quod significatur obedientiæ velocitas. De qua dicitur Psalm. 147. *Velociter currit sermo eius.* Tunc enim sermo currit velociter, quando ab obediente impletur celeriter. quia dicit Bernardus in lib. de præscrip. & dispo. Verus obediens non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, *vt* mandatum peragat imperantis. Et hoc patet, *Primo* in Petro & Andrea, qui à Domino vocati *continuo relictis retibus secuti sunt eum*, Matthæi 4. Et idem subdit de Iacobo & Ioanne, *qui etiam statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Ecce tam obedientes fuerunt, quod sua nec disposuerunt: quia secundum Hieronym. Perfecta obedientia

NOTA. est, sua imperfecta relinquere. *Secundo* patet in Zachæo, Lucæ 19. cui imperauit Dominus; *Zachae festinans & descende* &c. & sequitur: *quod festinans descendit, & accepit illum gaudens in domum suam*, &c. *Tertio* patet in vitis Patrum lib. 2. Abbas Siluanus habebat duodecim discipulos: vni eorum erat nomen Marcus, quem præ cæteris diligebat propter bonum obedientiæ, quod in eo erat. Cumq; quidam diceret ei, quod ceteri discipuli contristarentur in hoc; ipse pulsauit ad ostium vniuscuiusque, & nullus exire voluit: tandem vocauit Marcum, & statim exiuit. & Siluanus in quaternione, quem ille scribebat tempore vocationis, literam vltimam imperfectam inuenit:

Marci obedientia pfecta. quam post vocationem propter bonum obedientiæ complere voluit. Tunc illi iudicauerunt magis eum esse diligendum. Ecce quàm agilis est hæc summi regis filia in currendo. Igitur exponitur de ipsa illud Psalm. 18. *Exultauit vt gigas ad currendum viam, &c.*

Modo sicut audiuit dilectio vestra, quod ille rex per totum regnum suum fecerat proclamare, quod quicunque cum filia sua currere vellet, &c. ita rex cœlestis, cuius regnum est totum vniuersum Psalm. 23. *Domini est terra & plenitudo*, &c. Etiam misit nuncios suos tam in veteri lege, quàm in noua, qui proclamarent. Quicunque cum filia sua Obedientia currere vellet, si in cursu perseueraret, eam in sponsam haberet, & re-

Qui in cursu Obedientiæ

& regnum suum possideret: si autem ante terminum deficeret, mortem sustineret. Sed hic per *currere*, intellige *implere*. quasi diceret. quicunque currit cum Obedientia, id est, eam implet. persenerat, dignus est regno.

PRIMO quidem in veteri lege misit nuntium sanctum Moysen, qui clamauit: *Dominum Deum verum sequimini, & ipsum timete. mandatum ipsius custodite: & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis.* Deut. 13. Et quid aliud vult, quàm vt sint ei obedientes. Multi enim in hac lege cucurrerunt: aliqui ad metam venerunt & præmium acceperunt: alij è contra ante terminum defecerunt & puniti fuerunt. Abraham cum ea cucurrit, quando filium suum iussu Domini *immolare voluit.* Genes. 22. Et quoniam ante terminum non defecit, præmium obedientiæ accepit, & regnum Dei possedit. In signum istius, *diues cum esset in tormentis, eleuans oculos suos vidit Abraham*, scilicet in requie. Item septem fratres cucurrerunt cum Obedientia, quando contra mandatum Domini carnes porcinas comedere noluerunt. 2. Machab. 6. Volebant enim potius mori & in obedientia Dei manere, vt regnum Dei mererentur possidere. Luc. 16.

Sed est valde notabile illud, quod dicit hist. Quod facta proclamatione multi cum filia regis cucurrerunt: sed ante terminum deficientes vitam amiserunt. quia in antiqua lege multi fuerunt obedientes, sed tamen in obedientia non permanserunt. quare vitam perdiderũt. Ecce probationem de filijs Israel, Num. 9. qui cum hac filia summi regis cucurrerunt. Nam *ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium ipsius figebant tabernacula similiter ad præceptum ipsius deponebant tentoria.* Sed ipsi ante terminum defecerunt, quia legitur Nume. 14. quod inobedientes erant Moysi: quando contra præceptum illius *ascenderunt in montem Moab*, & ideo ab Amalechitis & Chananæis, qui erant in monte, sunt percussi, & vitam perdiderunt. Ita legitur 3. Reg. 13. Obedientia debet esse perseuerãs.

Vir quidam venit de Iuda in Bethel, & fuit secundum Glossam Propheta Abdon, qui accepit mandatum à Domino, nec comederet, nec biberet ibi. *Ad quem rex Ieroboam: Veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Cui ille: Si dederis mihi dimidiam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, nec bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti. Abijt ergo per aliam viam.* Ecce quod currit cum filia summi regis, scilicet Obedientia. Sed ante terminum defecit. quia sequitur ibidem: *Propheta erat in Bethel senex, ad quem venerunt filij sui, & narrauerunt ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ loquutus fuerat ad regem. Qui ait: Per quam viam abijt? Ostenderunt ei filij sui viam. Et ille. Sternite mihi asinam: & postquam strauissent abijt post virum Dei, & inuenit eum sedentem subtus terebinthum.* quia secundum Glossam fatigatus erat ex itineris labore. *Et ait illi. Túne es vir Dei, qui venisti de Iuda? Et ille: Ego sum. Dixitq; ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem. Qui ait: Non possum reuerti, nec venire tecum, vt comedam panem: neq; bibam aquam in loco isto quia mihi Dominus loquutus est. Qui ait illi. Et ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem & bibat aquam*, Gloss. i. quemcunque cibum & potum. Sed in hoc mentiebatur, vt eum deciperet. Ideo sequitur: *Fefellit eum, & reduxit secum: comedit ergo & bibit in domo eius*, sicq; inobediens Domino fuit. *Et factus est sermo Do-*

mo Domini ad eum dicens: Quia non obediens fuisti ori Domini & non custodisti mandatum eius, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumq; comedisset & bibisset Propheta strauit asinum suum, quia secundum Glossam sententiam Domini acceptauit, *& laceratus est in via à leone.* Vide rectum iudicium Dei. Iste cum Obedientia cucurrit: sed quia cursum suum non continuauit, vitam corporalem amisit.

Inobedientia Prophetæ morte punita.

Et dico NOTANTER vitam corporalem, quia vitam æternalem non amisit. Dicunt enim Doctores, eo quod volũtati se diuinæ commisit, peccatum inobedientiæ mortale expiauit corporali morte: ideo asinus stabat iuxta eum, & leo iuxta cadauer. Gloss. dicit: quod hoc factũ est prouidentia diuina custodiente vtrumq;, cadauer & asinum, vt portaretur cadauer ad sepulturæ locum. Et ex hoc apperet, ipsum esse saluatum.

Hunc Prophetam non peccasse mortaliter putat Abulensis quia quod comedit, deceptus fecit.

In nouo iterum Testamento misit Deus alium nuntium S. Paulum, qui ita insonuit ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et quid per hoc mandatum voluit? Non aliud, nisi cum Obedientia summi regis filia currere monuit. Quod audientes multi cum ea cucurrerunt, & vsq; in finem perseuerantes regnum possederunt. Sicut patet de Centurione, Act. 10. dicto Cornelius, qui faciens eleemosynas multas, meruit videre Angelum: licet esse gentilis. qui ait ei: *Corneli, eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Ille igitur obediens Angelo misit viros tres ad vocandum Petrum. Quô cum venisset Petrus, ait Cornelius: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia, quæcunq; præcepta tibi sunt à Domino.* Alij autem adhuc cum obedientia currunt, sed ante terminum deficiunt. Et sunt multiplices.

T
Qui ab Obedientia deficiunt.
I.
Concionem audire contemnentes.
Matth. 4.

PRIMI sunt, qui licet diebus Dominicis obediunt Prælatis suis Missas audiendo, sermones tamen contemnunt negligendo, qui tamen maximè sunt necessarij populo Christiano. sicut probat Innocentius III. in Concil. generali Extra. de offi. ordi. c. Inter dominos. Inter cetera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei per maximè sibi noscitur necessarium esse. Quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali nutritur cibo ex eo, quod *non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Hæc ille.

Cõtemptor verbi Dei punitus à Deo post mortẽ.

Ideo tales vitam æternam amittunt. quod probat Iacobus de Vitriaco serm. 190. de quodam rustico, qui nunquam volebat audire verbum Dei vel sermones, sed stans in cæmiterio interim loquebatur. Cum autem mortuus esset delatus ad Ecclesiam, & sacerdos cum alijs clericis officium vigiliarum circa ipsum decantaret, imago crucifixi cœpit obturare aures suas manibus à Cruce retractis. Quod cum homines circumstantes vidissent, mirabantur. Tunc sacerdos ait ad populum: Scire debetis, quod iste qui iacet hic mortuus, modo est in potestate diaboli. Sicut enim obstruxit aures suas, ne audiret verbum Dei; ita Deus obstruit aures suas, ne audiat preces, quas iam pro eo fundimus. & cessauerunt omnes pro eo orare, & extra cæmiterium corpus eius in agro cum bestijs est sepultum.

II.
Tabernas pro Ecclesia diebus festis frequẽtantes.

SECVNDO sunt, qui licet diebus Dominicis & festiuis obediunt Prælatis, ab opere manuali vel corporali cessando, tamen Ecclesias nolunt intrare, sed manent in tabernis ebrietatibus insudando. Circa quos dicit Apollonius de consec. dist. 3. cap. Iejunia, quod sancta dies Dominica transigi debet tantum in hymnis, canticis, & psalmis. quasi diceret, non in ebrietatibus. Et quia tales non perseuerant in obedientia, ideo

ideo obedientiæ non capiunt præmia: sed habebunt inferni supplicia. De hoc refert Beda in hist. Anglorum dicens. Noui hominem, quem vtinam non nouissem, in notabili monasterio ignobiliter viuentem. Hic cum corrigebatur, non emendabatur, sed peruertebatur. Sed quia faber erat optimus, propter officij necessitatem tolerabatur. Hic in festiuis diebus cum alij transirent ad Ecclesiam, remanebat in cella sua, vacabat ebrietati. Factum est autem, cum nollet Ecclesiam intrare, intrauit ianuam inferni inuitus. Subita enim infirmitate correptus, vocauit fratres, cum mœrore dicens: Sicut Stephanus vidit cœlos apertos, ita ipse sibi infernum, & Iudam, atque Caipham in medio eius, & Pilatum, & crucifixores Dei, & sibi misero non longè ab eis locum esse præparatum. Cum autem fratres eum prouocarent ad pœnitentiam, dicebat se non posse pœnitere, cum contra eum datum esset iudicium, & sic miser mortuus est, & longè ab alijs sepultus. *Punitio potatoris diebus festis.*

TERTII sunt, qui licet cum obedientia currunt, Missas diebus Dominicis audiendo, non tamen perseuerant, sed ante finem recedunt, præceptum contemnendo. quia dicit Canon de consec. dist. 1. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenerit populus, inde non prius discedat, quàm Missæ solennitas compleatur, & benedictionem accipiat à sacerdote. Et ibidem c. Missas dicit: Missas totas audire die Dominico secularibus præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si non fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Glossa, id est grauiter puniatur, vel excommunicetur. Et quia non debet quis excommunicari nisi pro mortali 11. q. 1. c. Nullus. sic videtur, quod talis mortaliter peccat, qui ante Missam recedit. Et est verum, si facit ex contemptu pertinaciter Superiorum: Glossa tamen quædam dicit: qui omittit audire Missam totam, vel facit ex mala consuetudine, vel determinato tempore, vel ex necessitate. Si *Primo* modo grauiter peccat. Si *secundo* vt in die Dominico vel solenni, peccat mortaliter: quia facit contra præcepta Decretorum. Si *tertio* modo, non peccat: nam necessitas rationabilis excusat. Hæc Glossa. Illi igitur sunt obedientes, non tamen perseuerant vsq; in finem, ideò partem obedientiæ perdunt iuxta illud Metristæ. *III. Ante finem Missæ discedentes.* *Quare aliquis excommunicãdus.*

Pars tibi nulla datur, quia laus in fine probatur.

Quicunque enim accipere vult præmium debet secundum Bernardum indesinenter obedire: Quid enim prodest currere, si cursus ante metam deficiat? quasi diceret. Nihil. *Sic igitur currite vt comprehendatis.*

Ideò in verbis thematis dicit B. Paulus, *sub tutoribus & actoribus est vsq, ad præfinitum tempus à patre.* quasi diceret; Quicunque vult esse hæres cœlestis regni, debet esse sub obedientia superiorum suorum vsque ad mortem: quia hoc est tempus à patre præfinitum, scilicet finalis perseuerantia, quæ secundum Bernardum est singularis filia summi regis. *V Quibus obediendum.*

Et dicit NOTANTER, *sub tutoribus*, in plurali. Vnde plures sunt tutores, quibus est obediendum. PRIMVS est Deus, qui secundum August. tuetur nos à rugientibus præparatis ad escam, id est, à dæmonibus, sicut dicit B. August. lib. 2. confess. & habetur dis. 8. c. Quæ contra mores. Sicut inquit, in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus hominibus. *Tutores varij.* *I. Deus.*

SECVNDI tutores sunt Prælati spirituales, quorum superior & principalis est Papa. Et huic est obediendum in his, quæ pertinent ad ministrationem Ecclesiasticarũ rerum *II. Prælati spirituales.*

rum potius, quàm Apostolo Paulo. Apostolus dicit ad Tit. 1. & habetur dist. 25 §. Nunc autem. Oportet Episcopum ordinatum esse sine crimine. Attamen auctoritate Pontificum Episcopi possunt dispensare in crimine adulterij. Extra. de iudi. c. At si clerici. Alexander III. qui dicit: De adulterijs & alijs criminibus, scilicet manifestis, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et hoc ideo, quia Papa est maior Paulo In administrat. 22. dist. c. 1. quia est loco Petri. 24. q. 1. c. Quoniam vetus. Et est vicarius IESV Christi vt Extra. de translat. inter corporalia. Et NOTA quod Papæ obediendum est in omnibus licitis. Si tamen aliquod mandatum vel rescriptū ab eo prodiret, quod esset contra dictum Dei, omnino respuendum est 22. q. 5. c. Similiter quidem. Post Papam autem sunt Episcopi, quibus etiam obediendum est, sicut præcepit Clemens Papa. 2. q. 7. c. Sacerdotes. Et reliqui Ecclesiæ ministri omnisq; plebs Episcopos suos diligere debet, & eorum præceptis obedire. Etiam si aliter ipsi, quod absit quam debent, agant, nisi in fide errauerint,

Papæ in omnibus licitis obediendū.

An teneatur Clericus libros suos iussu Episcopi alteri Clerico commodare.

Sed NOTA. Si Episcopus præcipiat alicui clerico, quod libros suos accomodet nepoti suo, vel Ecclesiæ renunciet, & alicui conferat, non tenetur obedire. quia nec ad diuini cultus obsequium pertinet, vel Ecclesiæ vtilitatem. Si autem Episcopus præciperet clerico duræ ceruicis, vt libros suos accommodaret clerico bonæ indolis, vt instrueretur in studio Theologiæ, ad quem ipse mitteret, vt proficeret; videtur quod sit ei obediendum: quia non mouet ipsum carnalitas, sed Ecclesiastica vtilitas. Extra, de magistris. super spe. Sed hoc intellige, si ex occasione Ecclesiæ, vel de bonis Ecclesiæ libros aquisierit, tenetur obedire, alias ècontra. Extra de iure patro. c. cum dilectus,

III. Domini tēporales.

TERTII tutores sunt domini temporales, quorum primus est Imperator, deinde Reges, Principes, quibus in licitis est obediendum, sicut declarat B. Ambros. 11. q. 3. c. Iulianus Imperator? quamuis esset apostata, habens sub se Christianos milites, quibus cum dicebat. Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Hæc ille. Hoc etiam habetur supra, K. A.

Domino præcipienti iustam expeditionē, an obediendū.

Sed dicas; Si Dominus meus præciperet mihi expeditionem, & haberet causam iustam, deberem illi obedire an non? vel haberem peccatum illud faciendo vel non? Dicunt aliqui; quod non haberem peccatum; quia Dominus peccauit præcipiendo, & non ego faciendo, vt dist. 8. c. Quæ contra mores. & 33. q. 54. c. Manifestum. & Extra. de iureiur. c. debiliores,

X

Tribus modis dæmon obedientiæ perfectionē impedit.

I. Superbia.

Sed est NOTANDVM, quod diabolus tria vitia proijcit in viam obedientiæ, vt eam impediat ab impletione mandatorum. Et hoc signatur in prædicta historia. Erat quidam pauper, nomine Abbas de vili stirpe productus. Iste pauper est diabolus, qui de magnis vitijs cecidit in infinitas miserias & paupertates, vt de hoc miretur, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* est enim de vili stirpe productus, quia propter vile peccatum factus est diabolus. Iste igitur de cœlo sic pauper veniens sumpsit secum sertum rosarum. per quod intellige superbiam. Quia dicunt communiter Dd & hoc determinat Magist. in 2. lib. pet. dist. 6 quod peccatum Angelorum, qui corruerunt, fuit superbia. Ideò Eccles 11. dicitur *Initium omnis peccati superbia*, Ex quo patet, quod peccatum superbiæ secum tulit.

Videns

Videns igitur primo Adam & Euam in statu innocentiæ currere cursum obedientiæ, proiecit ante eos sertum superbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Puella autem Eua viso hoc serto superbiæ, sustulit ipsum, & in capite posuit: & in eo tantũ delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magist. dicit li. 2 dist. 22. Talis fuit ordinis processus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti statim subrepsit elatio quædam & amor proprie potestatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus suadebat. Et ibid. dicit: Talisq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere similitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans esse verum, quod diabolus dicebat. & in ead. dist. dicit. de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius inesse illico post tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non solum puella Eua, sed & Adam dimisso cursu obediente sustulit sertum superbiæ; & sic ambo in cursu suo sunt impediti. Videntes autem quod cum tam distorto ribaldo, scilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, sertum superbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rursum obediendo vsque ad terminum, scilicet mortis cucurrerunt, & saluati sunt. vt dixi supra Dominica. I. sermo I. A. F.

Sic adhuc multi sunt, qui currunt cursum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus sertum superbiæ, vt sic ex superbia contemnant Ecclesiæ & superiorum mandata. Istis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, necesse est, vt sertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem assumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam Sicut de obedientia loquens Apostolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Parisiensis, quod humilitas est mater obedientiæ. Et B. Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia nisi humilium esse potest, cum humilitas sit euacuatio proprij sensus. Humilis enim habet, vbi sensum alienum recipiat quasi vacuus à suo: & quia sensum alienum recipit & alienam voluntatem, & sic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens sibi videatur, dimittenda est sibi & abigenda. Si enim admittatur superbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim stultus legere non potest literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi.* Eccles. 19. Timor enim, qui æstimat pericula, quæ non sunt, & defectus suos scrutatur, inuenit se sensu indigere. Et sic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns sensum suum non sufficere sibi, alieno sensui acquiescit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum scilicet proprium sensum.

Humilitate euacuatur proprium iudicium.

Superbia semel admissa, præscribit leges.

Y
II.
Luxuria.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens sertũ superbiæ proijcit in foueam, currit statim & proijcit Zonam sericam, per quã intellige luxuriã. quia scit. quod luxuriosi non obediũt mandatis Dei, iuxta illud Sapiẽtis Eccles. 21. *Audiuit* scilicet, *luxuriosus & displicebit ei, & pijciet illud post dorsũ suũ.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans se præcinxit, quando Bethsabeæ vxorẽ Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriũ perpetrauit. vt patet 2. Regum. 11. sicque diabol⁹ præualuit in currendo. Sed hoc ipse perpendens flere cœpit, quia dixit Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* nec solum fleuit, sed zonam

in tres partes fregit: quando ieiunio, oratione, & eleemosyna satisfecit, iuxta illud Psalm. *Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Et si tu sic zonam luxuriæ à diabolo ante te proiectam sustulisti, & propterea Prælatis tuis inobediens, fuisti, frange Zonam hanc in tres partes pœnitentiæ iam dictas; quia luxuriam non melius fugare potes, quam ieiunio, oratione, & eleemosyna. quia *hoc genus dæmonum non eijcitur nisi per orationes & ieiunium,* Matth. 17. & sic vtiq; præuenies diabolum, ne cum eo copuleris in æternum.

Z III. Auaritiâ.

Dinde *tertio* cum viderit diabolus hominem fracta zona luxuriæ Prælatis obedire, proijcit ante eum loculum seu bursam auaritiæ, vt sic occupatus terrenis non obediat Ecclesiæ mandatis.

Hanc bursam auaritiæ PRIMO leuant omnes, qui contempto Ecclesiæ officio, venantur ex auaritia festibus diebus aut Dominicis, quod tamen est inhibitum. Dicit enim Hostiens. Venatio est omnibus interdicta, si fiat eo tempore, quo debent homines in Ecclesia orare, siue sint clerici, siue laici, vt probatur 86. dist. c. An putatis & de consec. dist 3. c. Irreligiosa. Et etiam in diebus ieiuniorum, & festis, quibus debent homines venire ad Ecclesias, illicita est; nisi tempore famis, vel si vrsi venirent & segetes ac vineas deuastarent. Vt refert Thomas Cantipratensis lib. 2.

Venator impius punitus diuinitus in prole.

Apum, cap. 49. part. 17. Fuit in Teutonia nobilis miles, qui venationibus in tantum deditus erat, vt nunquam, saltem Dominico vel festo die Missam audiret, sed semper venationibus intentus esset. Corripiebat eum frequenter vxor sua Deo deuota, sed ille non curabat. Accidit, quod vxor post multos partus editos impraegnata, puerum pareret abortiuum, habentem caput carnis venatici, pendentibus auribus, & porcinis. Confusa ergo matre, cum multis matronis nobilibus quæ astabant, *consilium* omnium fuit, vt terra citius abortiuus legeretur. Venientem autem à venatione eius marito, quæsiuit; vbi puer esset, quam ipsa peperisset? Dissimulantibus autem omnibus cum pudore instat miles extracto gladio, vt ei partus ostendatur: Et mox timore compulsa mater, effodi de terra iubet prolem, dicens: Ecce quam manifesto prodigio insipientiam tuam vindicauit Omnipotēs, qui nullum honorem diebus sacris, nullam reuerentiam Sacramento corporis Christi præbuisti: sed magis ludis venationum indiscretis temporibus tribuisti. At hoc cum ille vidit, se correxit, & egit pœnitentiam de commissis.

A.

SECVNDO leuant hanc bursam videlicet auaritiæ omnes ciues & rustici, qui diebus Dominicis & festiuis ex auaritia vehunt vel vehi permittunt ligna vel alia onera, spretis diuinis officijs in ciuitates suas, siue in villas, quod tamen est inobedientiæ signum & illicitum. Quia habetur 2. Esdræ. 13. quod dixit Neemias Iudæ: *Vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbatho, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus: & inferentes in Hierusalem die sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua liceret, venderent.* Et infrà: *Obiurgaui optimates Iuda.* Gloss. qui populum regebant, eo quod talia permittebant. *Et dixi eis: Quæ est hæc res mala quam facitis & prophanatis diem sabbati? Nunquid non hæc fecerunt patres nostri?* quasi diceret, propter hoc fuerunt in captiuitatem ducti, & ciuitas ista destructa, & subditi. *& adduxit Deus noster omne malum super nos, & super ciuitatem hanc.* Et propter hoc Neemias posuit remedium, videlicet *die Sabbathi iussit claudi portas Hierusalem, & clauserunt.* Glossa, vt mercatores non possent ingredi ciuitatem ad exercendam

talem

talem mercationem, vel etiam inductionem lignorum in die sabbathi. *Et precepit, vt non aperirent eas vsq; post sabbathum: & de pueris suis constituit super portas Hierusalem, vt nullus inferret onus die Sabbathi.* Sed quia dicit sanctus Thomas, quod obseruatio diei Dominicæ successit diei sabbathi, ideo deberent Domini & ciues ciuitatis diligenter obseruare, ne talia onera in diebus Dominicis, saltem antequam fineretur diuinum officium in ciuitates inuehantur, ne contrarium facientes à Deo puniantur. Quia legitur quidam ductus ad pœnas inferni, qui vidit ibi plaustrum fœno oneratum & dictum est ei, quod totum fœnum in dorso suo combureretur, eo quod die Dominico inuexerat hoc, sciens tamen prohibitum esse à sacerdote. Ille autem reductus postea confessus est, & factus vir bonæ vitæ. Variè puniti ab violata festa.

Refert etiam Vincentius in spec. histor. lib. 27. cap. 41. Mulier quædam, in die festo sancti Iacobi panem subcinericium fecit & coxit. sed ille panis ad mensam allatus atque fractus; coram cunctis discumbentibus apparuit sanguinolentus: & dum magis frangeretur, magis sanguinem recepit. Et habetur originaliter in libello Calixti Papæ. Et ibidem dicitur: quod rusticus quidam induxit triticum in die festo in horreum. Et permissione diuina ignis totum horreum cum tritico consumpsit.

Refert etiam Gregorius Turonensis: Cum rusticus quidam in die festo arare vellet, protinus contractis digitis manubrium securis, quo aratrum mundare volebat, eius dextre adhæsit. Sed post duos annos in Ecclesia sancti Iuliani, ad eius preces curatus est.

Et dixi NOTANTER, cum ex auaritia inuehunt seu inuehi permittunt onera vt per hoc excludantur illi, qui ex pietate hoc faciunt pauperibus. Quia dicit Guilielmus Raymundus rubrica, de ferijs, id est, diebus Dominicis: quod si diuites arant agros pauperum, vel alios labores, ad opus eorum quadrigando, non credo quod peccent mortaliter: modo per huiusmodi laborem non reuocentur laborantes à diuinis audiendis, quæ tenentur audire. *Et subdit:* Quod autem talia licitè sustineantur, oportet quod principaliter fiant propter Dominum, non propter affectionem carnalem, aut spem remunerationis hominum laborantium, aut animalium, & quod necessitas paupertatis illius, cui fiunt, id exigat.

TERTIO leuant hunc loculum auaritiæ hi, qui diebus Dominicis & festiuis negligentes diuina officia, ex auaritia solent potum propinare, ientacula dare potatoribus in domibus suis, lusoresq; souere, sicq; pro exili lucro & vili de domibus suis faciunt tabernam diaboli Quia dicit Holkot super lib. Sap. lect. 141. Taberna est templum diaboli, in qua cultores ventris inueniuntur assidui, à mane vsque ad meridiem, comessationibus & potationibus & impudicitijs occupati. De quo templo verificatur illud 2. Machab. 6. *Templum luxuria & comessationibus plenum erat.* Sic enim obedientes Christiani in Ecclesia Dominis & festiuis diebus seruiunt Deo omnipotenti, & ibidem pascuntur cibo verbi Dei, sic isti in his diebus in taberna diaboli seruiunt interim Deo suo, *qui est venter* secundum Apostolum ad Philip 3. ita vt verificetur de ipsis illud, Apoc. 7. *Seruiunt ei nocte ac die.* Sed certè hoc seruitium, quod ipsi, scilicet tàm hospites actiui, quam passiui faciunt ibidem Dijs suis, credit eis in perpetuam inquietudinem, iuxta illud Hiere. 16. *Seruietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Taberna est templum diaboli.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Sermo.

Nolite conformari huic seculo, sed conformamini in nouitate sensus vestri. Ad Rom, 12.

B DICVNT experti nautæ, quod nauigantibus super mare multa pericula accidunt iuxta illud Eccli. 43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Ideo in consuetis nauigatio maris est dissuadenda: quia secundum Magistrum lib. proprietatum 13. In consuetis mare maximè nociuum est. quia timoris incussiuum, doloris capitis generatiuum, vomitus & nauseæ prouocatiuum, appetitusq; cibi & potus ablatiuum.

MORALITER. Mundus iste assimilatur mari propter duas rationes. PRIMO, quia mare est nubium, nebularum & ventorum generatiuum: sic mundus generat nubes vitiorum, nebulas errorum, & ventos persecutionum siue tentationum. Propter quod multi præcipitantur & suffocantur. In signum istius legitur Matth. 8. quod *grex porcorum cum magno impetu totus praeceps abijt in mare, & mortui sunt in aquis.* Per gregem porcorum intellige mundanos homines carnaliter viuentes, qui frequenter submerguntur æterna morte in huius mundi mari. quia dicit Isidor. in li. de summo bono: Signum quidem & præsagium est mortis æternæ, dum quis blanditias & dulcores sequitur suæ carnis. Ideo legitur, quod Magister quidam Parisiensis apparuit Episcopo post mortem, dixit ei: in malo statu sum, quia æternaliter damnatus. Et interrogauit Episcopus, vtrum suam scientiam adhuc haberet? respondit nihil scio nisi tria. *Primo*, quod æternaliter damnatus sum, *Secundo* quod sententia irreuocabilis data est contra me. *Tertio*, quod propter delitias corporis & honores mundi priuatus sum Dei æterna visione. Ecce delitiæ carnis suffocant. Et quæsiuit ab Episcopo, si mundus adhuc staret? Cui ille? Cur hoc quæris? Et respondit: Tot animæ istis diebus descenderunt in infernum, quod vix credidissem tot homines fuisse in mundo.

[Margin: Mundus cur mari assimiletur. — I. — Grex porcorum, quinã? — In inferno quæ sciẽtia.]

SECVNDO, sicut mare sequitur lunam. dicit enim Aristo. in lib de proprietatibus elementorum, quod mare immitatur lunam semperq; est in summo augmento & vigore, quando luna in suo lumine plus proficit. Sed quando deficit, mare etiam amplius non crescit sed decrescit. Sicut igitur mare, vt audistis, sequitur Lunam, ita mundus sequitur fortunam. & sicut crescit vel minuitur fortuna alicuius, ita parum vel multum appretiat ipsum mundus. Ideo dicit Metrista:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Hæ sunt duæ causæ, quare mundus mari adæquatur. Si autem vis hîc materiam dilatare, vide suprà adhuc duas causas sermone præcedenti. K. N.

C Et sicut mare habet naues suas, sic & mundus: quia vita hominis comparatur naui. Sicut enim nauis non relinquit vestigium hominis post se, iuxta illud Prou. 20.

Tria

Tria sunt mihi difficilia: scilicet via aquilæ in cœlo, via colubri supra Petram, & via nauis in medio maris. quasi diceret. quia viam post se non relinquunt, ideo capacitatem intellectus transcendunt. Sic & vita hominum mundialium nullam relinquit memoriam. Paucis transactis annis secundum Psal. 9. *Perit memoria eorum cum sonitu*, scilicet campanarum. Et hoc est certè verissimum. Plures enim nobiles & diuites perierunt, quorum nulla memoria habetur, nec scriptura, nec per memorialia. Et hoc est mente recogitandum, quia ad seculi contemptum iuuat multum. Ideo beatus Hieronymus in epistola 55. narrat, quod Xerxes rex Persarum, cum semel per sublimitatem in monte quasi infinitam hominum multitudinem, & mirabilem considerasset in exercitu, prorupit in lacrymas. Cum ab eo quæreretur causa, respondit: Post centum annos nullus eorum, quos nunc cerno, superfuturus erit. Hanc nauem humanæ vitæ interdum regit ratio, & tunc homo secure nauigat. Quia 1. Ethicor. Ratio semper ducit ad optima: interdum regit sensualitas: & tunc homo periclitatur. Vita hominis similis naui. Ratio & Sẽsualitas diuerso mode regũt vitam humanam.

Sed quia vix duo inter mille (vt ita dicam) sequuntur ductorem, scilicet rationem, sed magis rectorem, scilicet sensualitatem, ideo multi periclitantur in mari huius mundi. Propter quod dicit Apostolus in verbis thematis propositis; *Nolite conformari huic seculo.* scilicet bona eius concupiscendo. Quæ sunt illa? *Concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ*, 1. Ioan. 2. In quibus verbis duo facit: Mundi dissuadet conformationem. ibi. *Nolite conformari.* Mentis consulit renouationem, ibi: *Sed conformamini in nouitate.*

PRIMO igitur dissuadet mundi conformationem, ibi: *Nolite conformari huic seculo.* Vbi NOTA: Dicunt experti hortulani, & sic est, quod arbores, quæ sunt steriles in deserto si transplantentur in hortum fructiferæ redduntur, & quæ prius amarum fructum & insipidum protulerunt, postea sapidum & dulcem ferunt. Sed tamen ad talem transplantationem, *Primò* labor requiritur, quia dicit Aristo. lib. de vegeta. Arbores silnestres per debitam culturam efficiuntur hortenses, & ponit exemplum de Amygdalo. quæ est amara & per culturam efficitur dulcis. I.

Secundo necessarius est locus: Quædam enim plantæ in vno loco faciunt fructum perniciosum, quæ transplantatæ faciunt fructum bonum. Et ponit exemplum de Iusquiamo, quod in Persia natum, & in Ægyptum translatum, est perniciosum; sed in Hierusalem translatum, est comestibile & bonum. II.

Tertio necessarium est tempus, quia dicit Aristot. Plures plante plantantur in vere, pauce in autumno, pauciores in hyeme, paucissimæ in æstate. III.

Quarto necessarius est surculus, qui arbori & trunco insertus totam eius virtutem trahit ad suam qualitatem. IV.

MORALITER. Per desertum, in quo arbore sunt steriles, intelligitur mundus. D

Primo quia desertum ex quo non colitur, nec seritur, est locus infructuosus. Sic mundus, id est mundani homines, quia non scinduntur aratro pœnitentiæ, nec recipiunt semina doctrinæ, aut diuinæ gratiæ, ideo non producunt fructus meritorios operum æternæ gloriæ, iuxta illud Ierem. 16. *Erunt quasi myrcæ*, id est Heyde *in deserto:* quia myrice sunt infructuosæ. Mundus cur deserto similis. 1.

Secundo sicut desertus est locus spinosus, sic etiam in mundo sicut *spina solicitudinum temporalium* quia mentem inquietant, Lucæ 8. Vel *spina tribulationum* pressuræ, 2.

distinct. 29. Nihil inuenit diabolus in Christo, vt moreretur: sed pro voluntate patris Christus mori voluit, non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia & iustitia mortem gustauit, per quam nos redemit de seruitute diaboli. Ecce quod obedientia Christi gratiam redemptionis nobis inuenit. Item obedientia dicitur ideo gratiosa, quia inuenit gratiam in conspectu Principum terrenorum, iuxta illud Prouerb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Quia vt frequenter qui velociter obediunt, præ alijs exaltantur. In figuram illius, Simonem qui interpretatur obediens, præfecit Dominus ceteris Apostolis. Matth. 16.

Obedientia exornat mūdum.

TERTIVM, quod dicitur de ista filia regis, est quod dicta est Rosamundi: quia sicut Rosamundi decorat campum, sic sancta obedientia exornat mundum, id est homines qui sunt in mundo, eò quod animam ornat. quia etiam est inauris, id est, circulus aureus, quem cœlestis sponsus dat animæ eam exornando. De qua exponitur illud Prouerb. 25. *Inauris aurea in margarita fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.* Et dicit Glossa. Margarita fulgens inauri aureæ iungitur, & doctrina mentem illuminans auri, & obedienti vtiliter præponitur. Ideo legitur, quod Eleazar dedit Rebeccæ inaures aureas, & fuit figura: quod Christus animam obedientia exornaret.

Obedientia debet esse velox.

QVARTVM, quod de hac pulchra filia regia dicitur, quod est velox in currendo, quia mandatum non protrahit, sed velociter facit. Ideo comparatur cruribus, quæ à currendo sunt dicta. quia per ea currimus & gressum facimus. Per quod significatur obedientiæ velocitas. De qua dicitur Psalm. 147. *Velociter currit sermo eius.* Tunc enim sermo currit velociter, quando ab obediente impletur celeriter. quia dicit Bernardus in lib. de præscrip. & dispo. Verus obediens non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, *vt* mandatum peragat imperantis. Et hoc patet, *Primo* in Petro & Andrea, qui à Domino vocati *continuo relictis retibus secuti sunt eum*, Matthæi 4. Et idem subdit de Iacobo & Ioanne, *qui etiam statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Ecce tam obedientes fuerunt, quod sua nec disposuerunt: quia secundum Hieronym. Perfecta obedientia

NOTA.

est, sua imperfecta relinquere. *Secundo* patet in Zachæo, Lucæ 19. cui imperauit Dominus; *Zachae festinans & descende*, &c. & sequitur: *quod festinans descendit, & accepit illum gaudens in domum suam*, &c. *Tertio* patet in vitis Patrum lib. 2. Abbas Siluanus habebat duodecim discipulos: vni eorum erat nomen Marcus, quem præ cæteris diligebat propter bonum obedientiæ, quod in eo erat. Cumq; quidam diceret ei, quod ceteri discipuli contristarentur in hoc, ipse pulsauit ad ostium vniuscuiusque, & nullus exire voluit: tandem vocauit Marcum, & statim exiuit. & Siluanus in quaternione, quem ille scribebat tempore vocationis, literam vltimam imperfectam inuenit: quam post vocationem propter bonum obedientiæ complere voluit. Tunc illi iudicauerunt magis eum esse diligendum. Ecce quàm agilis est hæc summi regis filia in currendo. Igitur exponitur de ipsa illud Psalm. 18. *Exultauit vt gigas ad currendum viam, &c.*

Marci obedientia pfecta

Modo sicut audiuit dilectio vestra, quod ille rex per totum regnum suum fecerat proclamare, quod quicunque cum filia sua currere vellet, &c. ita rex cœlestis, cuius regnum est totum vniuersum Psalm. 23. *Domini est terra & plenitudo*, &c. Etiam misit nuncios suos tam in veteri lege, quàm in noua, qui proclamarent. Quicunque cum filia sua Obedientia currere vellet, si in cursu perseueraret, eam in sponsam haberet, & re-

Qui in cursu Obedientiæ

& regnum suum possideret: si autem ante terminum deficeret, mortem sustineret. Sed hic per *currere*, intellige *implere*. quasi diceret. quicunque currit cum Obedientia, id est, eam implet. perseuerat, dignus est regno.

PRIMO quidem in veteri lege misit nuntium sanctum Moysen, qui clamauit: *Dominum Deum verum sequimini, & ipsum timete. mandatum ipsius custodite: & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis*. Deut. 13. Et quid aliud vult, quàm vt sint ei obedientes. Multi enim in hac lege cucurrerunt: aliqui ad metam venerunt & præmium acceperunt: alij ècontra ante terminum defecerunt & puniti fuerunt. Abraham cum ea cucurrit, quando filium suum iussu Domini *immolare voluit*. Genes. 22. Et quoniam ante terminum non defecit, præmium obedientiæ accepit, & regnum Dei possedit. In signum istius, *diues cum esset in tormentis, eleuans oculos suos vidit Abraham*, scilicet in requie. Item septem fratres cucurrerunt cum Obedientia, quando contra mandatum Domini carnes porcinas comedere noluerunt. 2. Machab. 6. Volebant enim potius mori & in obedientia Dei manere, vt regnum Dei mererentur possidere. Luc. 16.

Sed est valde notabile illud, quod dicit hist. Quod facta proclamatione multi cum filia regis cucurrerunt: sed ante terminum deficientes vitam amiserunt. quia in antiqua lege multi fuerunt obedientes, sed tamen in obedientia non permanserunt. quare vitam perdiderũt. Ecce probationem de filijs Israel, Num. 9. qui cum hac filia summi regis cucurrerunt. Nam *ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium ipsius figebant tabernacula similiter ad præceptum ipsius deponebant tentoria*. Sed ipsi ante terminum defecerunt, quia legitur Nume. 14. quod inobedientes erant Moysi: quando contra præceptum illius *ascenderunt in montem Moab*, & ideo ab Amalechitis & Chananæis, qui erant in monte, sunt percussi, & vitam perdiderunt. Ita legitur 3. Reg. 13. Obedientia debet esse perseuerãs.

Vir quidam venit de Iuda in Bethel, & fuit secundum Glossam Propheta Abdon, qui accepit mandatum à Domino, nec comederet, nec biberet ibi. *Ad quem rex Ieroboam: Veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Cui ille: Si dederis mihi dimidiam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, nec bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti. Abijt ergo per aliam viam.* Ecce quod currit cum filia summi regis, scilicet Obedientia. Sed ante terminum defecit. quia sequitur ibidem: *Propheta erat in Bethel senex, ad quem venerunt filij sui, & narrauerunt ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ loquutus fuerat ad regem. Qui ait: Per quam viam abijt? Ostenderunt ei filij sui viam. Et ille. Sternite mihi asinam: & postquam strauissent abijt post virum Dei, & inuenit eum sedentem subtus terebinthum.* quia secundum Glossam fatigatus erat ex itineris labore. *Et ait illi. Túne es vir Dei, qui venisti de Iuda? Et ille: Ego sum. Dixitq; ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem. Qui ait: Non possum reuerti, nec venire tecum, vt comedam panem: neq; bibam aquam in loco isto quia mihi Dominus loquutus est. Qui ait illi. Et ego Propheta sum similis tui. & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem & bibat aquam*, Gloss. i. quemcunque cibum & potum. Sed in hoc mentiebatur, vt eum deciperet. Ideo sequitur: *Fefellit eum, & reduxit secum: comedit ergo & bibit in domo eius*, sicq; inobediens Domino fuit. *Et factus est ser-*

mo Domini ad eum dicens: Quia non obediens fuisti ori Domini & non custodisti mandatū eius, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumq; comedisset & bibisset Propheta *strauit asinum suum*, quia secundum Glossam sententiam Domini acceptauit, *& laceratus est in via à leone.* Vide rectum iudicium Dei. Iste cum Obedientia cucurrit: sed quia cursum suum non continuauit, vitam corporalem amisit.

Inobediētia Prophetæ morte punita.

Et dico NOTANTER vitam corporalem, quia vitam æternalem non amisit. Dicunt enim Doctores, eò quod volūtati se diuinæ commisit, peccatum inobedientiæ mortale expiauit corporali morte: ideo asinus stabat iuxta eum, & leo iuxta cadauer Gloss. dicit: quod hoc factū est prouidentia diuina custodiente vtrumq;, cadauer & asinum, vt portaretur cadauer ad sepulturæ locum. Et ex hoc apperet, ipsum esse saluatum.

Hunc Prophetam non peccasse mortaliter putat Abulensis quia quod comedit, deceptus fecit.

In nouo iterum Testamento misit Deus alium nuntium S. Paulum, qui ita insonuit ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et quid per hoc mandatum voluit? Non aliud, nisi cum Obedientia summi regis filia currere monuit. Quod audientes multi cum ea cucurrērunt, & vsq; in finem perseuerantes regnum possederunt. Sicut patet de Centurione, Act. 10. dicto Cornelius, qui faciens eleemosynas multas, meruit videre Angelum: licet esse gentilis. qui ait ei: *Corneli, eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Ille igitur obediens Angelo misit viros tres ad vocandum Petrum. Quô cum venisset Petrus, ait Cornelius: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia, quæcunq; præcepta tibi sunt à Domino.* Alij autem adhuc cum obedientia currunt, sed ante terminum deficiunt. Et sunt multiplices.

T
Qui ab Obedientia deficiunt.

PRIMI sunt, qui licet diebus Dominicis obediunt Prælatis suis Missas audiendo, sermones tamen contemnunt negligendo, qui tamen maximè sunt necessarij populo Christiano. sicut probat Innocentius III. in Concil. generali Extra. de offi. ordi. c. Inter dominos. Inter cetera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei per maximè sibi noscitur necessarium esse. Quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali nutritur cibo ex eo, quod *non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Hæc ille.

I.
Concionem audire contemnentes.
Matth. 4.

Ideo tales vitam æternam amittunt. quod probat Iacobus de Vitriaco serm. 190. de quodam rustico, qui nunquam volebat audire verbum Dei vel sermones, sed stans in cœmiterio interim loquebatur. Cum autem mortuus esset delatus ad Ecclesiam, & sacerdos cum alijs clericis officium vigiliarum circa ipsum decantaret, imago crucifixi cœpit obturare aures suas manibus à Cruce retractis. Quod cum homines circumstantes vidissent, mirabantur. Tunc sacerdos ait ad populum: Scire debetis, quod iste qui iacet hic mortuus, modo est in potestate diaboli. Sicut enim obstruxit aures suas, ne audiret verbum Dei; ita Deus obstruit aures suas, ne audiat preces, quas iam pro eo fundimus. & cessauerunt omnes pro eo orare, & extra cæmiterium corpus eius in agro cum bestijs est sepultum.

Cōtemptor verbi Dei punitus à Deo post mortē.

II.
Tabernas pro Ecclesia diebus festis frequētātes.

SECVNDO sunt, qui licet diebus Dominicis & festiuis obediunt Prælatis, ab opere manuali vel corporali cessando, tamen Ecclesias nolunt intrare, sed manent in tabernis ebrietatibus insudando. Circa quos dicit Apollonius de consec. dist. 3. cap. Ieiunia, quod sancta dies Dominica transigi debet tantum in hymnis, canticis, & psalmis. quasi diceret, non in ebrietatibus. Et quia tales non perseuerant in obedientia, ideo

ideo obedientiæ non capiunt præmia: sed habebunt inferni supplicia. De hoc refert Beda in hist. Anglorum dicens. Noui hominem, quem vtinam non nouissem, in notabili monasterio ignobiliter viuentem. Hic cum corrigebatur, non emendabatur, sed peruertebatur. Sed quia faber erat optimus, propter officij necessitatem tolerabatur. Hic in festiuis diebus cum alij transirent ad Ecclesiam, remanebat in cella sua, vacabat ebrietati. Factum est autem, cum nollet Ecclesiam intrare, intrauit ianuam inferni inuitus. Subita enim infirmitate correptus, vocauit fratres, cum mœrore dicens: Sicut Stephanus vidit cœlos apertos, ita ipse sibi infernum, & Iudam, atque Caipham in medio eius, & Pilatum, & crucifixores Dei, & sibi misero non longè ab eis locum esse præparatum. Cum autem fratres eum prouocarent ad pœnitentiam, dicebat se non posse pœnitere, cum contra eum datum esset iudicium, & sic miser mortuus est, & longè ab alijs sepultus. Punitio potatoris diebus festis.

TERTII sunt, qui licet cum obedientia currunt, Missas diebus Dominicis audiendo, non tamen perseuerant, sed ante finem recedunt, præceptum contemnendo. quia dicit Canon de consec. dist 1. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenerit populus, inde non prius discedat, quàm Missæ solennitas compleatur, & benedictionem accipiat à sacerdote. Et ibidem c. Missas dicit: Missas totas audire die Dominico secularibus præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si non fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Glossa, id est grauiter puniatur, vel excommunicetur. Et quia non debet quis excommunicari nisi pro mortali 11. q. 1. c. Nullus. sic videtur, quod talis mortaliter peccat, qui ante Missam recedit. Et est verum, si facit ex contemptu pertinaciter Superiorum. Glossa tamen quædam dicit: qui omittit audire Missam totam, vel facit ex mala consuetudine, vel determinato tempore, vel ex necessitate. Si *Primo* modo grauiter peccat. Si *secundo* vt in die Dominico vel solenni, peccat mortaliter: quia facit contra præcepta Decretorum. Si *tertio* modo, non peccat: nam necessitas rationabilis excusat. Hæc Glossa. Illi igitur sunt obedientes, non tamen perseuerant vsq; in finem. ideò partem obedientiæ perdunt iuxta illud Metristæ. III. Ante finem Missæ discedentes. Quare aliquis excommunicādus.

Pars tibi nulla datur, quia laus in fine probatur.

Quicunque enim accipere vult præmium debet secundum Bernardum indesinenter obedire: Quid enim prodest currere, si cursus ante metam deficiat? quasi diceret. Nihil. *Sic igitur currite vt comprehendatis.*

Ideò in verbis thematis dicit B. Paulus, *sub tutoribus & actoribus est vsq; ad præfinitum tempus à patre.* quasi diceret; Quicunque vult esse hæres cœlestis regni, debet esse sub obedientia superiorum suorum vsque ad mortem: quia hoc est tempus à patre præfinitum, scilicet finalis perseuerantia, quæ secundum Bernardum est singularis filia summi regis. V Quibus obediendum.

Et dicit NOTANTER, *sub tutoribus*, in plurali. Vnde plures sunt tutores, quibus est obediendum. PRIMVS est Deus, qui secundum August. tuetur nos à rugientibus præparatis ad escam, id est, à dæmonibus, sicut dicit B. August. lib. 2. confess. & habetur dist. 8. c. Quæ contra mores Sicut inquit, in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus hominibus. Tutores varij. I. Deus.

SECVNDI tutores sunt Prælati spirituales, quorum superior & principalis est Papa. Et huic est obediendum in his, quæ pertinent ad ministrationem Ecclesiasticarū rerum II. Prælati spirituales.

rum potius, quàm Apostolo Paulo. Apostolus dicit ad Tit. 1. & habetur dist. 25. Nunc autem. Oportet Episcopum ordinatum esse sine crimine. Attamen auctoritate Pontificum Episcopi possunt dispensare in crimine adulterij. Extra. de iudi. c. At si clerici. Alexander III. qui dicit: De adulterijs & alijs criminibus, scilicet manifestis, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et hoc ideo, quia Papa est maior Paulo In administrat. 22. dist. c. 1. quia est loco Petri. 24. q. 1. c. Quoniam vetus. Et est vicarius IESV Christi vt Extra. de translat. inter corporalia. Et NOTA quod Papæ obediendum est in omnibus licitis. Si tamen aliquod mandatum vel rescriptũ ab eo prodiret, quod esset contra dictum Dei, omnino respuendum est 22. q. 5. c. Similiter quidem. Post Papam autem sunt Episcopi, quibus etiam obediendum est, sicut præcepit Clemens Papa. 2. q. 7. c. Sacerdotes. Et reliqui Ecclesiæ ministri omnisq; plebs Episcopos suos diligere debet, & eorum præceptis obedire. Etiam si aliter ipsi, quod absit quam debent, agant, nisi in fide errauerint,

Papæ in omnibus licitis obediendũ.

An teneatur Clericus libros suos iussu Episcopi alteri Clerico commodare.

Sed NOTA. Si Episcopus præcipiat alicui clerico, quod libros suos accomodet nepoti suo, vel Ecclesiæ renunciet, & alicui conferat, non tenetur obedire. quia nec ad diuini cultus obsequium pertinet, vel Ecclesiæ vtilitatem. Si autem Episcopus præciperet clerico duræ ceruicis, vt libros suos accommodaret clerico bonæ indolis, vt instrueretur in studio Theologiæ, ad quem ipse mitteret, vt proficeret; videtur quod sit ei obediendum: quia non mouet ipsum carnalitas, sed Ecclesiastica vtilitas. Extra, de magistris. super spe. Sed hoc intellige, si ex occasione Ecclesiæ, vel de bonis Ecclesiæ libros aquisierit, tenetur obedire, aliàs ècontra. Extra de iure patro. c. cum dilectus.

III. Domini tẽporales.

TERTII tutores sunt domini temporales, quorum primus est Imperator, deinde Reges, Principes, quibus in licitis est obediendum, sicut declarat B. Ambros. 11. q. 3. c. Iulianus Imperator? quamuis esset apostata, habens sub se Christianos milites, quibus cum dicebat. Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Hæc ille. Hoc etiam habetur supra, K. A.

Domino præcipienti iustam expeditionẽ, an obediendũ.

Sed dicas; Si Dominus meus præciperet mihi expeditionem, & haberet causam iustam, deberem illi obedire an non? vel haberem peccatum illud faciendo vel non? Dicunt aliqui; quod non haberem peccatum; quia Dominus peccauit præcipiendo, & non ego faciendo, vt dist. 8. c. Quæ contra mores. & 33. q. 54. c. Manifestum. & Extra. de iureiur. c. debiliores.

X Tribus modis dæmon obedientiæ perfectionẽ impedit. I. Superbia.

Sed est NOTANDVM, quod diabolus tria vitia proijcit in viam obedientiæ, vt eam impediat ab impletione mandatorum. Et hoc signatur in prædicta historia. Erat quidam pauper, nomine Abbas de vili stirpe productus. Iste pauper est diabolus, qui de magnis vitijs cecidit in infinitas miserias & paupertates, vt de hoc miretur, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* est enim de vili stirpe productus, quia propter vile peccatum factus est diabolus. Iste igitur de cœlo sic pauper veniens sumpsit secum sertum rosarum. per quod intellige superbiam. Quia dicunt communiter Dd & hoc determinat Magist. in 2. lib. pet. dist. 6 quod peccatum Angelorum, qui corruerunt, fuit superbia. Ideò Eccles. 11. dicitur *Initium omnis peccati superbia*. Ex quo patet, quod peccatum superbiæ secum tulit.

Videns

Videns igitur primo Adam & Euam in ſtatu innocentiæ currere curſum obedientiæ, proiecit ante eos ſertum ſuperbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Puella autem Eua viſo hoc ſerto ſuperbiæ, ſuſtulit ipſum, & in capite poſuit: & in eo tantũ delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magiſt. dicit li. 2 diſt. 22. Talis fuit ordinis proceſſus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti ſtatim ſubrepſit elatio quædam & amor proprie poteſtatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus ſuadebat. Et ibid. dicit: Taliſq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere ſimilitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans eſſe verum, quod diabolus dicebat. & in ead. diſt. dicit. de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius ineſſe illico poſt tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non ſolum puella Eua, ſed & Adam dimiſſo curſu obediente ſuſtulit ſertum ſuperbiæ; & ſic ambo in curſu ſuo ſunt impediti. Videntes autem quod cum tam diſtorto ribaldo, ſcilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, ſertum ſuperbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rurſum obediendo vſque ad terminum, ſcilicet mortis cucurrerunt, & ſaluati ſunt. vt dixi ſupra Dominica. I. ſermo I. A. F.

Sic adhuc multi ſunt, qui currunt curſum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus ſertum ſuperbiæ, vt ſic ex ſuperbia contemnant Eccleſiæ & ſuperiorum mandata. Iſtis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, neceſſe eſt, vt ſertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem aſſumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam. Sicut de obedientia loquens Apoſtolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Pariſienſis, quod humilitas eſt mater obedientiæ. Et B. Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia niſi humilium eſſe poteſt, cum humilitas ſit euacuatio proprij ſenſus. Humilis enim habet, vbi ſenſum alienum recipiat quaſi vacuus à ſuo: & quia ſenſum alienum recipit & alienam voluntatem, & ſic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens ſibi videatur, dimittenda eſt ſibi & abigenda. Si enim admittatur ſuperbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim ſtultus legere non poteſt literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quam qui abundat ſenſu, & transgreditur legem altiſſimi.* Eccleſ. 19. Timor enim, qui æſtimat pericula, quæ non ſunt, & defectus ſuos ſcrutatur, inuenit ſe ſenſu indigere. Et ſic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns ſenſum ſuum non ſufficere ſibi, alieno ſenſui acquieſcit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum ſcilicet proprium ſenſum.

Humilitate euacuatur proprium iudicium.

Superbia ſemel admiſſa, præſcribit leges.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens ſertũ ſuperbiæ proijcit in foueam, currit ſtatim & proijcit Zonam ſericam, per quã intellige luxuriã. quia ſcit. quod luxurioſi non obediũt mandatis Dei, iuxta illud Sapiẽtis Eccleſ. 21. *Audiuit* ſcilicet, *luxurioſus & diſplicebit ei, & pijciet illud poſt dorſũ ſuũ.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans ſe præcinxit, quando Bethſabeæ vxorẽ Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriũ perpetrauit, vt patet 2. Regum. 11. ſicque diabol⁹ præualuit in currendo. Sed hoc ipſe perpendens flere cœpit, quia dixit Pſal. 6. *Leuabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* nec ſolum fleuit, ſed zonam

Y *II.* Luxuriã.

rum potius, quàm Apostolo Paulo. Apostolus dicit ad Tit. 1. & habetur dist. 25 §. Nunc autem. Oportet Episcopum ordinatum esse sine crimine. Attamen auctoritate Pontificum Episcopi possunt dispensare in crimine adulterij. Extra. de iudi. c. At si clerici. Alexander III. qui dicit: De adulterijs & alijs criminibus, scilicet manifestis, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et hoc ideo, quia Papa est maior Paulo In administrat. 22. dist. c. 1. quia est loco Petri. 24. q. 1. c. Quoniam vetus. Et est vicarius IESV Christi vt Extra. de transla. inter corporalia. Et NOTA quod Papæ obediendum est in omnibus licitis. Si tamen aliquod mandatum vel rescriptũ ab eo prodiret, quod esset contra dictum Dei, omnino respuendum est 22. q. 5. c. Similiter quidem. Post Papam autem sunt Episcopi, quibus etiam obediendum est, sicut præcepit Clemens Papa. 2. q. 7. c. Sacerdotes. Et reliqui Ecclesiæ ministri omnisq; plebs Episcopos suos diligere debet, & eorum præceptis obedire. Etiam si aliter ipsi, quod absit quam debent, agant, nisi in fide errauerint,

Papæ in omnibus licitis obediendũ.

An teneatur Clericus libros suos iussu Episcopi alteri Clerico commodare.

Sed NOTA. Si Episcopus præcipiat alicui clerico, quod libros suos accomodet nepoti suo, vel Ecclesiæ renunciet, & alicui conferat, non tenetur obedire. quia nec ad diuini cultus obsequium pertinet, vel Ecclesiæ vtilitatem. Si autem Episcopus præciperet clerico duræ ceruicis, vt libros suos accommodaret clerico bonæ indolis, vt instrueretur in studio Theologiæ, ad quem ipse mitteret, vt proficeret; videtur quod sit ei obediendum: quia non mouet ipsum carnalitas, sed Ecclesiastica vtilitas. Extra, de magistris. super spe. Sed hoc intellige, si ex occasione Ecclesiæ, vel de bonis Ecclesiæ libros aquisierit, tenetur obedire, aliàs èontra. Extra de iure patro. c. cum dilectus.

III. Domini temporales.

TERTII tutores sunt domini temporales, quorum primus est Imperator, deinde Reges, Principes, quibus in licitis est obediendum, sicut declarat B. Ambros. 11. q. 3. c. Iulianus Imperator? quamuis esset apostata, habens sub se Christianos milites, quibus cum dicebat. Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Hæc ille. Hoc etiam habetur supra, K. A.

Domino præcipienti iustam expeditionẽ, an obediendũ.

Sed dicas; Si Dominus meus præciperet mihi expeditionem, & haberet causam iustam, deberem illi obedire an non? vel haberem peccatum illud faciendo vel non? Dicunt aliqui; quod non haberem peccatum; quia Dominus peccauit præcipiendo, & non ego faciendo, vt dist. 8. c. Quæ contra mores. & 33. q. 54. c. Manifestum. & Extra. de iureiur. c. debiliores,

X

Tribus modis dæmon obedientiæ perfectionẽ impedit.

I. Superbia.

Sed est NOTANDVM, quod diabolus tria vitia proijcit in viam obedientiæ, vt eam impediat ab impletione mandatorum. Et hoc signatur in prædicta historia. Erat quidam pauper, nomine Abbas de vili stirpe productus. Iste pauper est diabolus, qui de magnis vitijs cecidit in infinitas miserias & paupertates, vt de hoc miretur, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* est enim de vili stirpe productus, quia propter vile peccatum factus est diabolus. Iste igitur de cœlo sic pauper veniens sumpsit secum sertum rosarum. per quod intellige superbiam. Quia dicunt communiter Dd & hoc determinat Magist. in 2. lib. pet. dist. 6 quod peccatum Angelorum, qui corruerunt, fuit superbia. Ideò Eccles 11. dicitur *Initium omnis peccati superbia*, Ex quo patet, quod peccatum superbiæ secum tulit.

Videns

Videns igitur primo Adam & Euam in ſtatu innocentiæ currere curſum obedientiæ, proiecit ante eos ſertum ſuperbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Puella autem Eua viſo hoc ſerto ſuperbiæ, ſuſtulit ipſum, & in capite poſuit: & in eo tantũ delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magiſt. dicit li. 2 diſt. 22. Talis fuit ordinis proceſſus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti ſtatim subrepſit elatio quædam & amor proprie poteſtatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus ſuadebat. Et ibid. dicit: Taliſq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere ſimilitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans eſſe verum, quod diabolus dicebat. & in ead. diſt. dicit. de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius ineſſe illico poſt tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non ſolum puella Eua, ſed & Adam dimiſſo curſu obediente ſuſtulit ſertum ſuperbiæ; & ſic ambo in curſu ſuo ſunt impediti. Videntes autem quod cum tam diſtorto ribaldo, ſcilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, ſertum ſuperbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rurſum obediendo vſque ad terminum, ſcilicet mortis cucurrerunt, & ſaluati ſunt. vt dixi ſupra Dominica. I. ſermo I. A. F.

Sic adhuc multi ſunt, qui currunt curſum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus ſertum ſuperbiæ, vt ſic ex ſuperbia contemnant Eccleſiæ & ſuperiorum mandata. Iſtis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, neceſſe eſt, vt ſertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem aſſumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam. Sicut de obedientia loquens Apoſtolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Pariſienſis, quod humilitas eſt mater obedientiæ. Et B. Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia niſi humilium eſſe poteſt, cum humilitas ſit euacuatio proprij ſenſus. Humilis enim habet, vbi ſenſum alienum recipiat quaſi vacuus à ſuo: & quia ſenſum alienum recipit & alienam voluntatem, & ſic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens ſibi videatur, dimittenda eſt ſibi & abigenda. Si enim admittatur ſuperbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim ſtultus legere non poteſt literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quam qui abundat ſenſu, & transgreditur legem altiſſimi.* Eccleſ. 19. Timor enim, qui æſtimat pericula, quæ non ſunt, & defectus ſuos ſcrutatur, inuenit ſe ſenſu indigere. Et ſic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns ſenſum ſuum non ſufficere ſibi, alieno ſenſui acquieſcit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum ſcilicet proprium ſenſum.

Humilitate euacuatur proprium iudicium.

Superbia ſemel admiſſa, præſcribit leges.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens ſertũ ſuperbiæ proijcit in foueam, currit ſtatim & proijcit Zonam ſericam, per quã intellige luxuriã. quia ſcit. quod luxurioſi non obediũt mandatis Dei, iuxta illud Sapiẽtis Eccleſ. 21. *Audiuit* ſcilicet, *luxurioſus & diſplicebit ei, & pijciet illud poſt dorſũ ſuũ.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans ſe præcinxit, quando Bethſabeæ vxorẽ Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriũ perpetrauit, vt patet 2. Regum. 11. ſicque diabolꝰ præualuit in currendo. Sed hoc ipſe perpendens flere cœpit, quia dixit Pſal. 6. *Leuabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* nec ſolum fleuit, ſed zonam

Y II. Luxuriã.

in tres

rum potius, quàm Apostolo Paulo. Apostolus dicit ad Tit. 1. & habetur dist. 25 §. Nunc autem. Oportet Episcopum ordinatum esse sine crimine. Attamen auctoritate Pontificum Episcopi possunt dispensare in crimine adulterij. Extra. de iudi. c. At si clerici. Alexander III. qui dicit: De adulterijs & alijs criminibus, scilicet manifestis, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et hoc ideo, quia Papa est maior Paulo In administrat. 22. dist. c. 1. quia est loco Petri. 24. q. 1. c. Quoniam vetus. Et est vicarius IESV Christi vt Extra. de translat. inter corporalia. Et NOTA quod Papæ obediendum est in omnibus licitis. Si tamen aliquod mandatum vel rescriptũ ab eo prodiret, quod esset contra dictum Dei, omnino respuendum est 22. q. 5. c. Similiter quidem. Post Papam autem sunt Episcopi, quibus etiam obediendum est, sicut præcepit Clemens Papa. 2. q. 7. c. Sacerdotes. Et reliqui Ecclesiæ ministri omnisq; plebs Episcopos suos diligere debet, & eorum præceptis obedire. Etiam si aliter ipsi, quod absit quam debent, agant, nisi in fide errauerint,

Papæ in omnibus licitis obediendũ.

An teneatur Clericus libros suos iussu Episcopi alteri Clerico commodare.

Sed NOTA. Si Episcopus præcipiat alicui clerico, quod libros suos accomodet nepoti suo, vel Ecclesiæ renunciet, & alicui conferat, non tenetur obedire. quia nec ad diuini cultus obsequium pertinet, vel Ecclesiæ vtilitatem. Si autem Episcopus præciperet clerico duræ ceruicis, vt libros suos accommodaret clerico bonæ indolis, vt instrueretur in studio Theologiæ, ad quem ipse mitteret, vt proficeret; videtur quod sit ei obediendum: quia non mouet ipsum carnalitas, sed Ecclesiastica vtilitas. Extra, de magistris. super spe. Sed hoc intellige, si ex occasione Ecclesiæ, vel de bonis Ecclesiæ libros aquisierit, tenetur obedire, alias ècontra. Extra de iure patro. c. cum dilectus.

III. Domini tẽporales.

TERTII tutores sunt domini temporales, quorum primus est Imperator, deinde Reges, Principes, quibus in licitis est obediendum, sicut declarat B. Ambros. 11. q. 3. c. Iulianus Imperator? quamuis esset apostata, habens sub se Christianos milites, quibus cum dicebat. Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Hæc ille. Hoc etiam habetur supra, K. A.

Domino præcipienti iustam expeditionẽ, an obediendũ.

Sed dicas; Si Dominus meus præciperet mihi expeditionem, & haberet causam iustam, deberem illi obedire an non? vel haberem peccatum illud faciendo vel non? Dicunt aliqui; quod non haberem peccatum; quia Dominus peccauit præcipiendo, & non ego faciendo, vt dist. 8. c. Quæ contra mores, & 33. q. 54. c. Manifestum. & Extra. de iureiur. c. debiliores,

X Tribus modis dæmon obedientiæ perfectionẽ impedit. I. Superbia.

Sed est NOTANDVM, quod diabolus tria vitia proijcit in viam obedientiæ, vt eam impediat ab impletione mandatorum. Et hoc signatur in prædicta historia. Erat quidam pauper, nomine Abbas de vili stirpe productus. Iste pauper est diabolus, qui de magnis vitijs cecidit in infinitas miserias & paupertates, vt de hoc miretur, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* est enim de vili stirpe productus, quia propter vile peccatum factus est diabolus. Iste igitur de cœlo sic pauper veniens sumpsit secum sertum rosarum. per quod intellige superbiam. Quia dicunt communiter Dd & hoc determinat Magist. in 2. lib. pet. dist. 6 quod peccatum Angelorum, qui corruerunt, fuit superbia. Ideò Eccles 11. dicitur *Initium omnis peccati superbia*, Ex quo patet, quod peccatum superbiæ secum tulit.

Videns

Videns igitur primo Adam & Euam in statu innocentiæ currere cursum obedientiæ, proiecit ante eos sertum superbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Puella autem Eua viso hoc serto superbiæ, sustulit ipsum, & in capite posuit: & in eo tantū delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magist. dicit li. 2 dist. 22. Talis fuit ordinis processus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti statim subrepsit elatio quædam & amor proprie potestatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus suadebat. Et ibid. dicit: Talisq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere similitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans esse verum, quod diabolus dicebat. & in ead. dist. dicit de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius inesse illico post tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non solum puella Eua, sed & Adam dimisso cursu obediente sustulit sertum superbiæ; & sic ambo in cursu suo sunt impediti. Videntes autem quod cum tam distorto ribaldo, scilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, sertum superbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rursum obediendo vsque ad terminum, scilicet mortis cucurrerunt, & saluati sunt. vt dixi supra Dominica. I. sermo I. A. F.

Sic adhuc multi sunt, qui currunt cursum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus sertum superbiæ, vt sic ex superbia contemnant Ecclesiæ & superiorum mandata. Istis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, necesse est, vt sertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem assumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam. Sicut de obedientia loquens Apostolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Parisiensis, quod humilitas est mater obedientiæ. Et B. Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia nisi humilium esse potest, cum humilitas sit euacuatio proprij sensus. Humilis enim habet, vbi sensum alienum recipiat quasi vacuus à suo: & quia sensum alienum recipit & alienam voluntatem, & sic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens sibi videatur, dimittenda est sibi & abigenda. Si enim admittatur superbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim stultus legere non potest literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi.* Ecclesi. 19. Timor enim, qui æstimat pericula, quæ non sunt, & defectus suos scrutatur, inuenit se sensu indigere. Et sic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns sensum suum non sufficere sibi, alieno sensui acquiescit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum scilicet proprium sensum.

Humilitate euacuatur proprium iudicium.

Superbia semel admissa, præscribit leges.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens sertū superbiæ proijcit in foueam, currit statim & proijcit Zonam sericam, per quā intellige luxuriā. quia scit. quod luxuriosi non obediūt mandatis Dei, iuxta illud Sapiētis Ecclesi. 21. *Audiuit scilicet, luxuriosus & displicebit ei, & pijciet illud post dorsū suū.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans se præcinxit, quando Bethsabeæ vxorē Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriū perpetrauit. vt patet 2. Regum. 11. sicque diabol⁹ præualuit in currendo. Sed hoc ipse perpendens flere cœpit, quia dixit Psal. 6. *Leuabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* nec solum fleuit, sed zonam

Y
II.
Luxuriā.

rum potius, quàm Apostolo Paulo. Apostolus dicit ad Tit. 1. & habetur dist. 25 §. Nunc autem. Oportet Episcopum ordinatum esse sine crimine. Attamen auctoritate Pontificum Episcopi possunt dispensare in crimine adulterij. Extra. de iudi. c. At si clerici. Alexander III. qui dicit: De adulterijs & alijs criminibus, scilicet manifestis, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et hoc ideo, quia Papa est maior Paulo In administrat. 22. dist. c. 1. quia est loco Petri. 24. q. 1. c. Quoniam vetus. Et est vicarius IESV Christi vt Extra. de translat. inter corporalia. Et NOTA quod Papæ obediendum est in omnibus licitis. Si tamen aliquod mandatum vel rescriptũ ab eo prodiret, quod esset contra dictum Dei, omnino respuendum est 22. q. 5. c. Similiter quidem. Post Papam autem sunt Episcopi, quibus etiam obediendum est, sicut præcepit Clemens Papa. 2. q. 7. c. Sacerdotes. Et reliqui Ecclesiæ ministri omnisq; plebs Episcopos suos diligere debet, & eorum præceptis obedire. Etiam si aliter ipsi, quod absit quam debent, agant, nisi in fide errauerint,

Papæ in omnibus licitis obediendũ.

An teneatur Clericus libros suos iussu Episcopi alteri Clerico commodare.

Sed NOTA. Si Episcopus præcipiat alicui clerico, quod libros suos accomodet nepoti suo, vel Ecclesiæ renunciet, & alicui conferat, non tenetur obedire. quia nec ad diuini cultus obsequium pertinet, vel Ecclesiæ vtilitatem. Si autem Episcopus præciperet clerico duræ ceruicis, vt libros suos accommodaret clerico bonæ indolis, vt instrueretur in studio Theologiæ, ad quem ipse mitteret, vt proficeret; videtur quod sit ei obediendum: quia non mouet ipsum carnalitas, sed Ecclesiastica vtilitas. Extra, de magistris. super spe. Sed hoc intellige, si ex occasione Ecclesiæ, vel de bonis Ecclesiæ libros aquisierit, tenetur obedire, aliàs ècontra. Extra de iure patro. c. cum dilectus.

III. Domini tẽporales.

TERTII tutores sunt domini temporales, quorum primus est Imperator, deinde Reges, Principes, quibus in licitis est obediendum, sicut declarat B. Ambros. 11. q. 3. c. Iulianus Imperator? quamuis esset apostata, habens sub se Christianos milites, quibus cum dicebat. Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Hæc ille. Hoc etiam habetur supra, K. A.

Domino præcipienti iustam expeditionẽ, an obediendũ.

Sed dicas; Si Dominus meus præciperet mihi expeditionem, & haberet causam iustam, deberem illi obedire an non? vel haberem peccatum illud faciendo vel non? Dicunt aliqui; quod non haberem peccatum; quia Dominus peccauit præcipiendo, & non ego faciendo, vt dist. 8. c. Quæ contra mores. & 33. q. 54. c. Manifestum. & Extra. de iureiur. c. debiliores.

X

Tribus modis dæmon obedientiæ perfectionẽ impedit.

I. Superbia.

Sed est NOTANDVM, quod diabolus tria vitia proijcit in viam obedientiæ, vt eam impediat ab impletione mandatorum. Et hoc signatur in prædicta historia. Erat quidam pauper, nomine Abbas de vili stirpe productus. Iste pauper est diabolus, qui de magnis vitijs cecidit in infinitas miserias & paupertates, vt de hoc miretur, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* est enim de vili stirpe productus, quia propter vile peccatum factus est diabolus. Iste igitur de cœlo sic pauper veniens sumpsit secum sertum rosarum. per quod intellige superbiam. Quia dicunt communiter Dd & hoc determinat Magist. in 2. lib. pet. dist. 6 quod peccatum Angelorum, qui corruerunt, fuit superbia. Ideò Eccles 11. dicitur ***Initium omnis peccati superbia***, Ex quo patet, quod peccatum superbiæ secum tulit.

Videns

Videns igitur primo Adam & Euam in ſtatu innocentiæ currere curſum obedientiæ, proiecit ante eos ſertum ſuperbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Puella autem Eua viſo hoc ſerto ſuperbiæ, ſuſtulit ipſum, & in capite poſuit: & in eo tantũ delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magiſt. dicit li. 2 diſt. 22. Talis fuit ordinis proceſſus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti ſtatim ſubrepſit elatio quædam & amor proprie poteſtatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus ſuadebat. Et ibid. dicit: Taliſq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere ſimilitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans eſſe verum, quod diabolus dicebat. & in ead. diſt. dicit de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius ineſſe illico poſt tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non ſolum puella Eua, ſed & Adam dimiſſo curſu obediente ſuſtulit ſertum ſuperbiæ; & ſic ambo in curſu ſuo ſunt impediti. Videntes autem quod cum tam diſtorto ribaldo, ſcilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, ſertum ſuperbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rurſum obediendo vſque ad terminum, ſcilicet mortis cucurrerunt, & ſaluati ſunt. vt dixi ſupra Dominica. I. ſermo I. A. F.

Sic adhuc multi ſunt, qui currunt curſum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus ſertum ſuperbiæ, vt ſic ex ſuperbia contemnant Eccleſiæ & ſuperiorum mandata. Iſtis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, neceſſe eſt, vt ſertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem aſſumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam. Sicut de obedientia loquens Apoſtolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Pariſienſis, quod humilitas eſt mater obedientiæ. Et B. Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia niſi humilium eſſe poteſt, cum humilitas ſit euacuatio proprij ſenſus. Humilis enim habet, vbi ſenſum alienum recipiat quaſi vacuus à ſuo: & quia ſenſum alienum recipit & alienam voluntatem, & ſic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens ſibi videatur, dimittenda eſt ſibi & abigenda. Si enim admittatur ſuperbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim ſtultus legere non poteſt literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quam qui abundat ſenſu, & transgreditur legem altiſſimi.* Eccleſ. 19. Timor enim, qui æſtimat pericula, quæ non ſunt, & defectus ſuos ſcrutatur, inuenit ſe ſenſu indigere. Et ſic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns ſenſum ſuum non ſufficere ſibi, alieno ſenſui acquieſcit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum ſcilicet proprium ſenſum.

Humilitas euacuatur proprium iudicium.

Superbia ſemel admiſſa, præſcribit leges.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens ſertũ ſuperbiæ proijcit in foueam, currit ſtatim & proijcit Zonam ſericam, per quã intellige luxuriã. quia ſcit, quod luxurioſi non obediũt mandatis Dei, iuxta illud Sapiẽtis Eccleſ. 21. *Audiuit* ſcilicet, *luxurioſus & diſplicebit ei, & pijciet illud poſt dorſũ ſuũ.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans ſe præcinxit, quando Bethſabeæ vxorẽ Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriũ perpetrauit, vt patet 2. Regum. 11. ſicque diabolus præualuit in currendo. Sed hoc ipſe perpendens flere cœpit, quia dixit Pſal. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* nec ſolum fleuit, ſed zonam

Y II. Luxuria.

mo Domini ad eum dicens: Quia non obediens fuisti ori Domini & non custodisti mandatū eius, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumq; comedisset & bibisset Propheta strauit asinum suum, quia secundum Glossam sententiam Domini acceptauit, *& laceratus est in via à leone.* Vide rectum iudicium Dei. Iste cum Obedientia cucurrit: sed quia cursum suum non continuauit, vitam corporalem amisit.

Inobediētia Prophetæ morte punita.

Et dico NOTANTER vitam corporalem, quia vitam æternalem non amisit. Dicunt enim Doctores, eò quod volūtati se diuinæ commisit, peccatum inobedientiæ mortale expiauit corporali morte: ideo asinus stabat iuxta eum, & leo iuxta cadauer Gloss. dicit: quod hoc factū est prouidentia diuina custodiente vtrumq;, cadauer & asinum, vt portaretur cadauer ad sepulturæ locum. Et ex hoc apperet, ipsum esse saluatum.

Hunc Prophetam non peccasse mortaliter putat Abulensis quia quod comedit, deceptus fecit.

In nouo iterum Testamento misit Deus alium nuntium S. Paulum, qui ita insonuit ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et quid per hoc mandatum voluit? Non aliud, nisi cum Obedientia summi regis filia currere monuit. Quod audientes multi cum ea cucurrērunt, & vsq; in finem perseuerantes regnum possederunt. Sicut patet de Centurione, Act. 10. dicto Cornelius, qui faciens eleemosynas multas, meruit videre Angelum: licet esse gentilis. qui ait ei: *Corneli, eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Domini. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Ille igitur obediens Angelo misit viros tres ad vocandum Petrum. Quô cum venisset Petrus, ait Cornelius: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia, quæcunq; præcepta tibi sunt à Domino.* Alij autem adhuc cum obedientia currunt, sed ante terminum deficiunt. Et sunt multiplices.

T

Qui ab Obedientia deficiunt.

PRIMI sunt, qui licet diebus Dominicis obediunt Prælatis suis Missas audiendo, sermones tamen contemnunt negligendo, qui tamen maximè sunt necessarij populo Christiano: sicut probat Innocentius III. in Concil. generali Extra. de offi. ordi. c. Inter dominos. Inter cetera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei per maximè sibi noscitur necessarium esse. Quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali nutritur cibo ex eo, quod *non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Hæc ille.

I. Concionem audire contemnentes.

Matth. 4.

Ideo tales vitam æternam amittunt. quod probat Iacobus de Vitriaco serm. 190. de quodam rustico, qui nunquam volebat audire verbum Dei vel sermones, sed stans in cæmiterio interim loquebatur. Cum autem mortuus esset delatus ad Ecclesiam, & sacerdos cum alijs clericis officium vigiliarum circa ipsum decantaret, imago crucifixi cœpit obturare aures suas manibus à Cruce retractis. Quod cum homines circumstantes vidissent, mirabantur. Tunc sacerdos ait ad populum: Scire debetis, quod iste qui iacet hic mortuus, modo est in potestate diaboli. Sicut enim obstruxit aures suas, ne audiret verbum Dei; ita Deus obstruit aures suas, ne audiat preces, quas iam pro eo fundimus. & cessauerunt omnes pro eo orare, & extra cæmiterium corpus eius in agro cum bestijs est sepultum.

Cōtemptor verbi Dei punitus à Deo post mortē.

II. Tabernas pro Ecclesia diebus festis frequētātes.

SECVNDO sunt, qui licet diebus Dominicis & festiuis obediunt Prælatis, ab opere manuali vel corporali cessando, tamen Ecclesias nolunt intrare, sed manent in tabernis ebrietatibus insudando. Circa quos dicit Apollonius de consec. dist. 3. cap. Ieiunia, quod sancta dies Dominica transigi debet tantum in hymnis, canticis, & psalmis. quasi diceret, non in ebrietatibus. Et quia tales non perseuerant in obedientia, ideo

ideo obedientiæ non capiunt præmia: sed habebunt inferni supplicia. De hoc refert Beda in hist. Anglorum dicens. Noui hominem, quem vtinam non nouissem, in notabili monasterio ignobiliter viuentem. Hic cum corrigebatur, non emendabatur, sed peruertebatur. Sed quia faber erat optimus, propter officij necessitatem tolerabatur. Hic in festiuis diebus cum alij transirent ad Ecclesiam, remanebat in cella sua, vacabat ebrietati. Factum est autem, cum nollet Ecclesiam intrare, intrauit ianuam inferni inuitus. Subita enim infirmitate correptus, vocauit fratres, cum mœrore dicens: Sicut Stephanus vidit cœlos apertos, ita ipse sibi infernum, & Iudam, atque Caipham in medio eius, & Pilatum, & crucifixores Dei, & sibi misero non longè ab eis locum esse præparatum. Cum autem fratres eum prouocarent ad pœnitentiam, dicebat se non posse pœnitere, cum contra eum datum esset iudicium, & sic miser mortuus est, & longè ab alijs sepultus.

Punitio potatoris diebus festis.

TERTII sunt, qui licet cum obedientia currunt, Missas diebus Dominicis audiendo, non tamen perseuerant, sed ante finem recedunt, præceptum contemnendo: quia dicit Canon de consec. dist 1. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenerit populus, inde non prius discedat, quàm Missæ solennitas compleatur, & benedictionem accipiat à sacerdote. Et ibidem c. Missas dicit: Missas totas audire die Dominico secularibus præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si non fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Glossa, id est grauiter puniatur, vel excommunicetur. Et quia non debet quis excommunicari nisi pro mortali 11. q. 1. c. Nullus. sic videtur, quod talis mortaliter peccat, qui ante Missam recedit. Et est verum, si facit ex contemptu pertinaciter Superiorum. Glossa tamen quædam dicit: qui omittit audire Missam totam, vel facit ex mala consuetudine, vel determinato tempore, vel ex necessitate. Si *Primo* modo grauiter peccat. Si *secundo* vt in die Dominico vel solenni, peccat mortaliter: quia facit contra præcepta Decretorum. Si *tertio* modo, non peccat: nam necessitas rationabilis excusat. Hæc Glossa. Illi igitur sunt obedientes, non tamen perseuerant vsq; in finem. ideò partem obedientiæ perdunt iuxta illud Metristæ.

III. Ante finem Missæ discedentes.

Quare aliquis excommunicandus.

Pars tibi nulla datur, quia laus in fine probatur.

Quicunque enim accipere vult præmium debet secundum Bernardum indesinenter obedire: Quid enim prodest currere, si cursus ante metam deficiat? quasi diceret. Nihil. *Sic igitur currite vt comprehendatis.*

Ideò in verbis thematis dicit B. Paulus, *sub tutoribus & actoribus est vsq, ad præfinitum tempus à patre.* quasi diceret; Quicunque vult esse hæres cœlestis regni, debet esse sub obedientia superiorum suorum vsque ad mortem: quia hoc est tempus à patre præfinitum, scilicet finalis perseuerantia, quæ secundum Bernardum est singularis filia summi regis.

V Quibus obediendum.

Et dicit NOTANTER, *sub tutoribus*, in plurali. Vnde plures sunt tutores, quibus est obediendum. PRIMVS est Deus, qui secundum August. tuetur nos à rugientibus præparatis ad escam, id est, à dæmonibus, sicut dicit B. August. lib. 2. confess. & habetur dis. 8. c. Quæ contra mores. Sicut inquit, in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus hominibus.

Tutores varij.

I. Deus.

SECVNDI tutores sunt Prælati spirituales, quorum superior & principalis est Papa. Et huic est obediendum in his, quæ pertinent ad ministrationem Ecclesiasticarũ re-

II. Prælati spirituales.

rum

Videns igitur primo Adam & Euam in statu innocentiæ currere cursum obedientiæ, proiecit ante eos sertum superbiæ cum dixit Gen. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Puella autem Eua viso hoc serto superbiæ, sustulit ipsum, & in capite posuit: & in eo tantũ delectata fuit, quod diabolus eam præuenit. Ideo Magist. dicit li. 2 dist. 22. Talis fuit ordinis processus: diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. quo audito, mulieris menti statim subrepsit elatio quædam & amor proprie potestatis. Ex quo placuit ei facere, quod diabolus suadebat. Et ibid. dicit: Talisq; elatio in mentem mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere similitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans esse verum, quod diabolus dicebat. & in ead. dist. dicit. de Adam: Potuit aliqua elatio mentis eius inesse illico post tentationem ex qua voluit lignum vetitum experiri.

Ex quo claret, quod non solum puella Eua, sed & Adam dimisso cursu obediente sustulit sertum superbiæ; & sic ambo in cursu suo sunt impediti. Videntes autem quod cum tam distorto ribaldo, scilicet diabolo deberent copulari, & æternaliter damnari, sertum superbiæ in foueam humilitatis proiecerunt: & rursum obediendo vsque ad terminum, scilicet mortis cucurrerunt, & saluati sunt. vt dixi supra Dominica. I. sermo I. A. F.

Sic adhuc multi sunt, qui currunt cursum obedientiæ, ante quorum oculos proijcit diabolus sertum superbiæ, vt sic ex superbia contemnant Ecclesiæ & superiorum mandata. Istis igitur, ne æternaliter cum diabolo copulentur, necesse est, vt sertum elationis proijciant in foueam humiliationis, & humilitatem assumant: quia humilitas multum valet ad obedientiam. Sicut de obedientia loquens Apostolus præmittit prius de humilitate, cum dicit ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens.* Ideo dixit Cancellarius Parisiensis, quod humilitas est mater obedientiæ. Et B. Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei. Obedientia nisi humilium esse potest, cum humilitas sit euacuatio proprij sensus. Humilis enim habet, vbi sensum alienum recipiat quasi vacuus à suo: & quia sensum alienum recipit & alienam voluntatem, & sic fit obediens. Idcirco dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens sibi videatur, dimittenda est sibi & abigenda. Si enim admittatur superbia prima die, qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium enim stultus legere non potest literas, quas inuenit. Et Sapiens. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi.* Eccles. 19. Timor enim, qui æstimat pericula, quæ non sunt, & defectus suos scrutatur, inuenit se sensu indigere. Et sic timor humilitatem introducit: humilitas verò videns sensum suum non sufficere sibi, alieno sensui acquiescit, nec vult habere ducem illum, qui in tot foueas præcipitauit eum scilicet proprium sensum.

Humilitate euacuatur proprium iudicium.

Superbia semel admissa, præscribit leges.

Videns igitur diabolus, quod homo obediens sertũ superbiæ proijcit in foueam, currit statim & proijcit Zonam sericam, per quã intellige luxuriã. quia scit. quod luxuriosi non obediũt mandatis Dei, iuxta illud Sapiẽtis Eccles. 21. *Audiuit* scilicet, *luxuriosus & displicebit ei, & pijciet illud post dorsũ suũ.* Zonam hanc luxuriæ proiecit ante Dauid, quam ille leuans se præcinxit, quando Bethsabeæ vxorẽ Vriæ concupiuit & pro ea mittens adulteriũ perpetrauit. vt patet 2. Regum. 11. sicque diabol⁹ præualuit in currendo. Sed hoc ipse perpendens flere cœpit, quia dixit Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* nec solum fleuit, sed zonam

Y

II.

Luxuriã.

in tres

in tres partes fregit: quando ieiunio, oratione, & eleemosyna satisfecit, iuxta illud Psalm. *Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Et si tu sic zonam luxuriæ à diabolo ante te proiectam sustulisti, & propterea Prælatis tuis inobediens, fuisti, frange Zonam hanc in tres partes pœnitentiæ iam dictas; quia luxuriam non melius fugare potes, quam ieiunio, oratione, & eleemosyna. quia *hoc genus dæmonum non eijcitur nisi per orationes & ieiunium,* Matth. 17. & sic vtiq; præuenies diabolum, ne cum eo copuleris in æternum.

Z III. Auaritiâ.

Dinde *tertio* cum viderit diabolus hominem fracta zona luxuriæ Prælatis obedire, proijcit ante eum loculum seu bursam auaritiæ, vt sic occupatus terrenis non obediat Ecclesiæ mandatis.

Hanc bursam auaritiæ PRIMO leuant omnes, qui contempto Ecclesiæ officio, venantur ex auaritia festibus diebus aut Dominicis, quod tamen est inhibitum. Dicit enim Hostiens. Venatio est omnibus interdicta, si fiat eo tempore, quo debent homines in Ecclesia orare, siue sint clerici, siue laici, vt probatur 86. dist. c. An putatis & de consec. dist 3. c. Irreligiosa. Et etiam in diebus ieiuniorum, & festis, quibus debent homines venire ad Ecclesias, illicita est; nisi tempore famis, vel si vrsi venirent & segetes ac vineas deuastarent. Vt refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 49. part. 17. Fuit in Teutonia nobilis miles qui venationibus in tantum deditus erat, vt nunquam, saltem Dominico vel festo die Missam audiret, sed semper venationibus intentus esset. Corripiebat eum frequenter vxor sua Deo deuota, sed ille non curabat. Accidit, quod vxor post multos partus editos imprægnata, puerum pareret abortiuum, habentem caput carnis venatici, pendentibus auribus, & porcinis. Confusa ergo matre, cum multis matronis nobilibus quæ astabant, consilium omnium fuit, vt terra citius abortiuus legeretur. Venientem autem à venatione eius marito, quæsiuit; vbi puer esset, quam ipsa peperisset? Dissimulantibus autem omnibus cum pudore instat miles extracto gladio, vt ei partus ostendatur: Et mox timore compulsa mater, effodi de terra iubet prolem, dicens: Ecce quam manifesto prodigio insipientiam tuam vindicauit Omnipotēs, qui nullum honorem diebus sacris, nullam reuerentiam Sacramento corporis Christi præbuisti: sed magis ludis venationum indiscretis temporibus tribuisti. At hoc cum ille vidit, se correxit, & egit pœnitentiam de commissis.

Venator impius punitus diuinitus in prole.

A. SECVNDO leuant hanc bursam videlicet auaritiæ omnes ciues & rustici, qui diebus Dominicis & festiuis ex auaritia vehunt vel vehi permittunt ligna vel alia onera, spretis diuinis officijs in ciuitates suas, siue in villas, quod tamen est inobedientiæ signum & illicitum. Quia habetur 2. Esdræ. 13. quod dixit Neemias Iudæ: *Vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbatho, portantes acernos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus: & inferentes in Hierusalem die sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua liceret, venderent.* Et infrà: *Obiurgaui optimates Iuda.* Gloss. qui populum regebant, eo quod talia permittebant. *Et dixi eis: Quæ est hæc res mala quam facitis & prophanatis diem sabbati? Nunquid non hæc fecerunt patres nostri?* quasi diceret, propter hoc fuerunt in captiuitatem ducti, & ciuitas ista destructa, & subditi. *& adduxit Deus noster omne malum super nos, & super ciuitatem hanc.* Et propter hoc Neemias posuit remedium, videlicet *die Sabbathi iussit claudi portas Hierusalem, & clauserunt.* Glossa, vt mercatores non possent ingredi ciuitatem ad exercendam

talem

talem mercationem, vel etiam inductionem lignorum in die sabbathi. *Et precepit, vt non aperirent eas vsq; post sabbathum: & de pueris suis constituit super portas Hierusalem, vt nullus inferret onus die Sabbathi.* Sed quia dicit sanctus Thomas, quod obseruatio diei Dominicæ successit diei sabbathi, ideo deberent Domini & ciues ciuitatis diligenter obseruare, ne talia onera in diebus Dominicis, saltem antequam fineretur diuinum officium in ciuitates inuehantur, ne contrarium facientes à Deo puniantur. Quia legitur quidam ductus ad pœnas inferni, qui vidit ibi plaustrum fœno oneratum: & dictum est ei, quod totum fœnum in dorso suo combureretur, eo quod die Dominico inuexerat hoc, sciens tamen prohibitum esse à sacerdote. Ille autem reductus postea confessus est, & factus vir bonæ vitæ. Variè puniti ab violantibus festa.

Refert etiam Vincentius in spec. histor. lib. 27. cap. 41. Mulier quædam, in die festo sancti Iacobi panem subcinericium fecit & coxit. sed ille panis ad mensam allatus atque fractus; coram cunctis discumbentibus apparuit sanguinolentus: & dum magis frangeretur, magis sanguinem recepit. Et habetur originaliter in libello Calixti Papæ. Et ibidem dicitur: quod rusticus quidam induxit triticum in die festo in horreum. Et permissione diuina ignis totum horreum cum tritico consumpsit.

Refert etiam Gregorius Turonensis: Cum rusticus quidam in die festo arare vellet, protinus contractis digitis manubrium securis, quo aratrum mundare volebat, eius dextre adhæsit. Sed post duos annos in Ecclesia sancti Iuliani, ad eius preces curatus est.

Et dixi NOTANTER, cum ex auaritia inuehunt seu inuehi permittunt onera vt per hoc excludantur illi, qui ex pietate hoc faciunt pauperibus. Quia dicit Gulielmus Raymundus rubrica, de ferijs, id est, diebus Dominicis: quod si diuites arant agros pauperum, vel alios labores, ad opus eorum quadrigando, non credo quod peccent mortaliter: modo per huiusmodi laborem non reuocentur laborantes à diuinis audiendis, quæ tenentur audire. *Et subdit:* Quod autem talia licitè sustineantur, oportet quod principaliter fiant propter Dominum, non propter affectionem carnalem, aut spem remunerationis hominum laborantium, aut animalium, & quod necessitas paupertatis illius, cui fiunt, id exigat.

TERTIO leuant hunc loculum auaritiæ hi, qui diebus Dominicis & festiuis negligentes diuina officia, ex auaritia solent potum propinare, ientacula dare potatoribus in domibus suis, lusoresq; fouere, sicq; pro exili lucro & vili de domibus suis faciunt tabernam diaboli. Quia dicit Holkot super lib. Sap. lect. 141. Taberna est templum diaboli, in qua cultores ventris inueniuntur assidui, à mane vsque ad meridiem, comessationibus & potationibus & impudicitijs occupari. De quo templo verificatur illud 2. Machab. 6. *Templum luxuria & comessationibus plenum erat.* Sic enim obedientes Christiani in Ecclesia Dominis & festiuis diebus seruiunt Deo omnipotenti, & ibidem pascuntur cibo verbi Dei, sic isti in his diebus in taberna diaboli seruiunt interim Deo suo, *qui est venter* secundum Apostolum ad Philip 3. ita vt verificetur de ipsis illud, Apoc. 7. *Seruiunt ei nocte ac die.* Sed certè hoc seruitium, quod ipsi, scilicet tàm hospites actiui, quam passiui faciunt ibidem Dijs suis, credit eis in perpetuam inquietudinem, iuxta illud Hiere. 16. *Seruietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Taberna est templum diaboli.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Sermo.

Nolite conformari huic seculo, sed conformamini in nouitate sensus vestri. Ad Rom, 12.

B DICVNT experti naute, quod nauigantibus super mare multa pericula accidunt iuxta illud Eccli. 43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Ideo inconsuetis nauigatio maris est dissuadenda: quia secundum Magistrum lib. proprietatum 13. Inconsuetis mare maximè nociuum est. quia timoris incussiuum, doloris capitis generatiuum, vomitus & nauseæ prouocatiuum, appetitusq; cibi & potus ablatiuum.

Mundus cur mari assimiletur.

MORALITER. Mundus iste assimilatur mari propter duas rationes. PRIMO, I. quia mare est nubium, nebularum & ventorum generatiuum: sic mundus generat nubes vitiorum, nebulas errorum, & ventos persecutionum siue tentationum. Propter quod multi præcipitantur & suffocantur. In signum istius legitur Matth. 8. quod *grex porcorum cum magno impetu totus praeceps abijt in mare, & mortui sunt in aquis.* Per gregem porcorum intellige mundanos homines carnaliter viuentes, qui frequenter submerguntur æterna morte in huius mundi mari. quia dicit Isidor. in li. de summo bono: Signum quidem & præsagium est mortis æternæ, dum quis blanditias & dulcores sequitur suæ carnis. Ideo legitur, quod Magister quidam Parisiensis apparuit Episcopo post mortem, dixit ei: in malo statu sum, quia æternaliter damnatus. Et interrogauit Episcopus, vtrum suam scientiam adhuc haberet? respondit nihil scio nisi tria. *Primo*, quod æternaliter damnatus sum, *Secundo* quod sententia irreuocabilis data est contra me. *Tertio*, quod propter delitias corporis & honores mundi priuatus sum Dei æterna visione. Ecce delitiæ carnis suffocant. Et quæsiuit ab Episcopo, si mundus adhuc staret? Cui ille? Cur hoc quæris? Et respondit: Tot animæ istis diebus descenderunt in infernum, quod vix credidissem tot homines fuisse in mundo.

Grex porcorum, qui nã?

In inferno quæ scientia.

SECVNDO, sicut mare sequitur lunam. dicit enim Aristo. in lib de proprietatibus elementorum, quod mare immitatur lunam semperq; est in summo augmento & vigore, quando luna in suo lumine plus proficit. Sed quando deficit, mare etiam amplius non crescit sed decrescit. Sicut igitur mare, vt audistis, sequitur Lunam, ita mundus sequitur fortunam. & sicut crescit vel minuitur fortuna alicuius, ita parum vel multum appretiat ipsum mundus. Ideo dicit Metrista:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Hæ sunt duæ causæ, quare mundus mari adæquatur. Si autem vis hic materiam dilatare, vide suprà adhuc duas causas sermone præcedenti. K. N.

C Et sicut mare habet naues suas, sic & mundus: quia vita hominis comparatur naui. Sicut enim nauis non relinquit vestigium hominis post se, iuxta illud Prou. 20.

Tria

Tria sunt mihi difficilia: scilicet via aquila in cælo, via colubri supra Petram, & via nauis in medio maris. quasi diceret. quia viam post se non relinquunt, ideo capacitatem intellectus transcendunt. Sic & vita hominum mundialium nullam relinquit memoriam. Paucis transactis annis secundum Psal. 9. *Perit memoria eorum cum sonitu*, scilicet campanarum. Et hoc est certè verissimum. Plures enim nobiles & diuites perierunt, quorum nulla memoria habetur, nec scriptura, nec per memorialia. Et hoc est mente recogitandum, quia ad seculi contemptum iuuat multum. Ideo beatus Hieronymus in epistola 55. narrat, quod Xerxes rex Persarum, cum semel per sublimitatem in monte quasi infinitam hominum multitudinem, & mirabilem considerasset in exercitu, prorupit in lacrymas. Cum ab eo quæreretur causa, respondit: Post centum annos nullus eorum, quos nunc cerno, superfuturus erit. Hanc nauem humanæ vitæ interdum regit ratio, & tunc homo secure nauigat. Quia 1. Ethicor. Ratio semper ducit ad optima: interdum regit sensualitas: & tunc homo periclitatur.

Vita hominis similis naui.

Ratio & Sẽsualitas diuerso mode regũt vitam humanam.

Sed quia vix duo inter mille (vt ita dicam) sequuntur ductorem, scilicet rationem, sed magis rectorem, scilicet sensualitatem, ideo multi periclitantur in mari huius mundi. Propter quod dicit Apostolus in verbis thematis propositis; *Nolite conformari huic seculo.* scilicet bona eius concupiscendo. Quæ sunt illa? *Concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ*, 1. Ioan. 2. In quibus verbis duo facit: Mundi dissuadet conformationem. ibi. *Nolite conformari.* Mentis consulit renouationem, ibi: *Sed conformamini in nouitate.*

PRIMO igitur dissuadet mundi conformationem, ibi: *Nolite conformari huic seculo.* Vbi NOTA: Dicunt experti hortulani, & sic est, quod arbores, quæ sunt steriles in deserto si transplantentur in hortum fructiferæ redduntur, & quæ prius amarum fructum & insipidum protulerunt, postea sapidum & dulcem ferunt. Sed tamen ad talem transplantationem, *Primò* labor requiritur, quia dicit Aristo. lib. de vegeta. Arbores siluestres per debitam culturam efficiuntur hortenses. & ponit exemplum de Amygdalo. quæ est amara & per culturam efficitur dulcis. *I.*

Secundo necessarius est locus: Quædam enim plantæ in vno loco faciunt fructum perniciosum, quæ transplantatæ faciunt fructum bonum. Et ponit exemplum de Iusquiamo, quod in Persia natum, & in Ægyptum translatum, est perniciosum; sed in Hierusalem translatum, est comestibile & bonum. *II.*

Tertio necessarium est tempus, quia dicit Aristot. Plures plante plantantur in vere, pauce in autumno, pauciores in hyeme, paucissimæ in æstate. *III.*

Quarto necessarius est surculus, qui arbori & trunco insertus totam eius virtutem trahit ad suam qualitatem. *IV.*

MORALITER. Per desertum, in quo arbore sunt steriles, intelligitur mundus. D

Mundus est deserto similis.

Primo quia desertum ex quo non colitur, nec seritur, est locus infructuosus. Sic mundus, id est mundani homines, quia non scinduntur aratro pœnitentiæ, nec recipiunt semina doctrinæ, aut diuinæ gratiæ, ideo non producunt fructus meritorios operum æternæ gloriæ, iuxta illud Ierem. 16. *Erunt quasi myrce*, id est Heyde *in deserto:* quia myrice sunt infructuosæ. 1.

Secundo sicut desertus est locus spinosus, sic etiam in mundo sicut *spinæ solicitudinum temporalium* quia mentem inquietant, Lucæ 8. Vel *spina tribulationum* pressu- 2.

riæ, quæ cor cruciant Ioan 16. *In mundo pressuram habebitis*; Vel, spinæ inordinatorum peccatorum, quæ conscientiam pungunt & lacerant, iuxta illud Augustini lib. Confess. Voluisti domine, & ita est, vt omnis inordinatus animus sit sibi ipsi pœna.

3. *Tertio* desertum est venenosorum animalium domicilium, ferarum latibulum, latronum habitaculum. Est locus valde periculosus. Sic in mundo sunt animalia venenosa per luxuriam, homines ferini per superbiam, & latrones per auaritiam. De primis Malach 1. *Posui hereditates eorum in traditiones deserti*. De secundis fuit dictum Nabuchodonosori superbo, *Eijcient te ab hominibus, & cum feris erit habitatio tua*. Dan. 4. De tertijs, 2. Cor. 11. *In periculis latronum*.

4. *Quarto*, desertum est locus defectuosus quia est locus sitis & ariditatis, scilicet carens aqua, iuxta illud Psal. 62. *In terra deserta, inuia, & in aquosa*. Sic in omnibus mundanis est ariditas diuinæ gratiæ, & in ordinata sitis circa temporalia. Dicit Psal. 106. *Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis deficit*. quia carent aqua gratiæ, quæ hanc sitim inordinatam extinguit. sic testatur Dominus Ioan. 4. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Vbi ergo hæc aqua deficit, est sitis in ordinata & possunt dicere homines, *anima nostra sicut terra sine aqua tibi*. Ideo dicit Inno. de vili. huma. condit. patre 2. lib. 8. Cupidè vis scire, quare vacuus sis, & nunquam implearis: Aduerte: Non est plena mensa tua, quantumcunque detineat: adhuc est capax amplius. sic animus humanus est capax Dei semper in amplius. Quantumlibet ergo detineat auarus, nunquam est plenus nisi domum habeat, cuius semper est capax. Si vis ergo cupidè satiari, desine esse cupidus: quia dum cupidus fueris, satiari non poteris. Hæc ille.

5. *Quinto*, sicut desertum est locus horroris & vastæ solitudinis, sic mundus est illa solitudo, de qua dicitur in Deut. 8. *Ductor tuus fui in solitudine magna atq; terribili, in aqua erat serpens flatu adurens & scorpio, ac dipsas*. Hoc exponit Ansel. lib. 1. cap. 53. *Serpens flatu adurens* est ipse mundus, qui flatu cupiditatis interficit: *Scorpio vero* in facie plandiens & retro pungens est caro siue voluptas carnis, quasi diceret, licet voluptas carnis in principio blanda sit, tamen in fine pungit & angit. sicut de hoc dicit Boet. lib. 3. prosa. 7. Quid de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietatis vero pœnitentiæ? *Et infra:* Tristes verò esse voluptatem exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Per experientiam cognoscet fines libidinum esse tristes. Et Metro. 7. eiusdem libri dicit:

Habet omnis hoc voluptas, Stimulis angit fruentes.

Ideo refert Valerius in Policra. cum demosthenes Orator quæreret amorem Thaidis meretricis & ipsa vt ei præberet consensum, centum peteret talenta; ille aspiciens in cœlum dixit: Absit à me, vt pro tanto pretio tantum emam pœnitentiæ. *Sed dipsas* latenter interficiens est diabolus, qui *circuit tanquam leo, rugiens quærens, quem deuoret* 1. Petri. 5. & 3. q. 1. c. Nulli dubium, dicitur: Nam & diabolus non cessat circumire querens quem deuoret, & quærens quem ex fidelibus perdat & maxime illos, quos ardentiores in seruitio saluatoris eiusq; familiares inuenerit.

Dipsas designat diabolum.

Sicut etiam in desertis sunt viæ deuiæ, vrticis plenæ, arenosæ, lapidosæ, puluerulentæ, fæculentæ, & alijs incommodis onerosæ; sic in mundo sunt viæ deuiæ iracundorũ, quia ira facit à ratione deuiare quia dicit Grego. lib. 5. moral. Per iram sapientia per-

perditur, vt quo ordine agendum sit, omnino nesciatur. Sed vrticis & vepribus plenæ sunt viæ pigrorum, iuxta illud Prouerb. vlt. *Per agrum pigri hominis transiui: per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerunt super faciem eius spina.* Gloss. ordina. Per agrum pigri & stulti hominis est vitam cuiuslibet negligentis inspicere. Ideo dicit, *per agrum hominis, pigri transiui*. id est, vitam eius inspexi, *& ecce totum repleuerunt vrtica*, id est, incitamenta libidinis & terrena desideria. Ideo dicitur Ezech 16. *quod otium fuit iniquitas Sodomæ.* quia ille vel illa, qui vel quæ non est in labore, de facili in libidinem declinat. Ira sapientiam perdit.

Item viæ arenosæ sunt viæ auarorum, quia aurum in arena quærunt, de quo Sap. 7. Omne enim aurum tanquam arena est exigua. Viæ lutosæ sunt viæ superborum, iuxta illud Prouerb. 21. Viæ peccantium complanatæ lapidibus. Sed viæ puluerulente sunt viæ gulosorum, qui instruunt puluerem, id est, corpus in puluerem reuersurum Eccles. 12. *Reuertatur puluis in terram suam.* Viæ feculentæ sunt viæ luxuriosorũ, qui fœtent per carnis corruptionem Genes. 7. *Omnis enim caro corruperat viam suã.* Viæ arenosæ, viæ auarorum.

Et est NOTANDVM. sicut audiuit dilectio vestra, quod per desertum mundus significatur, sic per arbores in deserto positas significantur homines. quia dicit Agathon in vitis Patrum, homo similis est arbori corporali, cui⁹ labor folia, interior custodia fructus. Istæ inquam spirituales arbores in deserto huius mundi sunt steriles à fructibus bonorum operum. Quia dicit Hieronymus, si mundus cultello veritatis aperitur, nihil in eo nisi falsitas inuenitur. Ecce in mundo sunt falsi fructus. & si homo mundanus interdum habeat bonos fructus, tamen tenere eos vsq; in finem valde est difficile. Quod probat Ioan. Chrysostomus super Matth. per similitudinem: Sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus suos ad maturitatem producere, sic difficile est virum fidelem iuxta mundum viuentem, in actibus suis iustitiam immaculatam vsq; in finem tenere. Vbi in iustitia includit etiam alias virtutes, vt humilitatem, & sic de alijs. Et quædam Gloss. super Ioan. 2. dicit: Sicut dilectio Dei est causa omnium virtutũ, ita dilectio è contra mundi omnium vitiorum & B. Augustinus super Ioan: si delectat te mundus, semper vis esse in mundo. Idcirco vt homo mundanus fertilis efficiatur, debet ex deserto mundi in hortum pœnitentiæ transplantari, & hæc plantatio debet fieri per sanctos Doctores. Quorum vnus fuit egregius prædicator B. Paulus, qui per verbum doctrinæ suæ intendit omnes seculares de deserto seculi radicitus euellere, cum dicit in verbo thematis præassumpto; *Nolite conformari huic seculo*: & in hortũ pœnitentiæ transplantare, cũ dicit: *sed reformamini in nouitate.* É Arbores huius deserti sunt homines. Similitudo. Homo mũdanus sterilis, quomodo possint fieri fertilis.

Et ad hanc transplantationem *Primo* requiritur labor. Sicut enim arbores siluestres per debitam culturam efficiuntur hortenses, sic homines seculares etiam si colunt & purgant agrum cordis sui debitè, erunt pœnitentes, & sic semina verbi possunt suscipere, & fructus bonos facere. Ideo dicit Boet. lib 3. Metro. 3. Transplantationi necessarius. 1. Labor.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arua prius fruticibus, id est, à spinis vel radicibus.
Falce rubos filicemq; resecet, Vt noua fruge grauis Ceres eat.

Et secundum Gloss. Filix est herba inutilis habens folia admodum filorum, quasi diceret: Quicunq; vult seminare in anima fructus bonorum operum, debet agrum cordis purgare à spinis solicitudinum huius mundi, & falce confessionis debet inutiles herbas peccatorum resecare, vt sic nouus fructus producatur. Et concludit Boetius in fine metri: Falce confessionis peccata resecanda.

In

Tu quoq; falsa tuens bona prius, Incipe colla iugo retrahere.

Vera dehinc animum subierint. quasi diceret; A mundanis extirpanda sunt vitia; & postea inserendæ virtutes. Et vt dicit Gloss. Bartol. Brixiensis super Canoné, Cum renunciatur 32. q. 1. Pri⁹ desinit quis esse vitiosus, quàm incipiet esse virtuosus. Bonus enim & malus similis esse non potest. Ecce quod requiritur primo labor, vt homo de statu vanitatis mundanæ plantetur ad statum pœnitentiæ.

F 2 Locus. *Secundo* necessarius est locus: Sicut enim arbores quædam in vno loco faciunt fructum malum, in alio faciunt bonum, sic animus hominis cum in Ægypto, id est in tenebris peccati ponitur, est malus, cum plantatur in Hierusalem, id est, in pace iustitiæ, id est conscientiæ, efficitur bonus & salutifer, vt dicatur de ipso Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit.*

Sterilitas quomodo cauenda. Sed tamen est NOTANDVM, ne in radice arboris plantandæ in alium locum aliquid maneat in terra, sed totaliter excutiatur. alioquin vt prius, sterilis remaneret. Sic etiam mundialis homo, qui debet ad locum gratiæ & pœnitentiæ transplantari, cauere debet, ne de terrenis affectibus & peccatis in radice intentionis aliquid remaneat. Quia dicit Anselmus lib. 3. cap. 7. Peccatori non prodest transmutatio loci sine transmutatione vitij. Et probat hoc per dictum Bedæ, qui ait: Nec Lucifero profuit locus cœli, nec Adam locus paradisi, nec Loth locus montis excelsi, nec filijs Israel locus deserti. Ideo interrogatus Socrates à quodam ciue, quare loci mutatio nihil sibi prodesset ad mutationem vitiorum? Respondit: Non est mirum si mutatio loci non mutat vitium. quia semper mutas teipsum. si autem vitium dimittatur, prodest mutatio loci. Ideo dicit Isidorus 81 dist. cap. Valet interdum conuersis pro salute suæ animæ mutatio loci. Plerunq; enim mutatur locus, mutatur & mentis affectus. *Et subdit:* Congruum est ergo, inde etiam corporaliter euelli, vbi quis praue vixit & illecebris seruiuit. Nam locus. vbi quis prauè vixit, in conspectu mentis apponit, quod sæpe quisq; ibi cogitauit vel fecit.

Loci mutatio prodest animæ saluti.

3. Tempus. *Tertio* necessarium est tempus. Sic enim plures arbores plantantur in vere, paucæ in Autumno, pauciores in hyeme, & paucissimæ in æstate. Sic conueniens valde est, vt in vere iuuentutis mundani homines transplantentur ad statum pœnitentiæ & salutis, quia Threno. 3. dicitur: *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Et Sapiens, *Semina mane semen tuum,* Eccles. 11. Et ratio huius conuenientiæ est: quia in autumno maturæ ætatis, vel in hyeme senectutis, vel in æstate, id est, in feruore malæ consuetudinis, humor & gratia deuotionis deficit. Ideo dicit beatus Augustinus de pœn. dist. vlt. c. Nullus & habetur originaliter li. de pœn. vera & falsa. Illi, qui cũ potuerunt. nunquam conuerti voluerũt, confitentes cũ iam peccare nequeunt, non sic facile acquirunt, quod volunt. *Et infrà:* Quem igitur sero pœnitet, oportet non solum Deum timere iudicem, sed & iustum diligere.

Humor deuotionis quando deficiat.

Sed de mala consuetudine dicitur Ierem. 13. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Ideo conuenientius tempus ad plantandum homines de statu mundanæ culpæ ad locum pœnitentiæ, est adolescentia. Ideo dicit B. Augustinus in quodam sermone, qui incipit, Pœnitentes, & habetur transsumptiuè de pœn. dist. 7. circa medium §. Quamquam. Si vis à dubio liberari, vis, quod incertum est, euadere, age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quia securus es. quia pœnitentiam egisti eo tempore,

quo

quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata dimiserunt te: non tu illa.

Quarto necessarius est surculus, qui significat verbum Dei, quod animum commutat. Sicut legitur de quodam pastore, qui propter gregis custodiam rarò ad Ecclesiam, ad sermonem & ad Missam iuit, sed seculariter vixit. semel transiens in ciuitatem cucurrit ad Ecclesiam, & audiuit prædicare, quod quilibet esset obligatus ad peccatum vitandum, & Deum diligendum. Ex quo quidem sermone fuit ædificatus. Visis igitur exinde creaturis, cogitauit: Creatura Deo seruit & Deo obedit: aqua in currēdo, aues in cauendo, herbæ se erigendo, & sic de alijs. Insuper viso semel bufone ad seipsum ait: Nunquid te talem omnipotens creare potuit, quem peccatis continuè offendis? ingratus eius beneficijs infinitis factus & creatus ad imaginem ipsius, & ad beatitudinem consequendam, redemptus illius passione? quasi diceret. Ita: Ideo eum laudare debuisti, & illius obsequijs mancipari. Vnde conuersus ad pœnitentiam à quodam sancto viro sufficienter informatus, inde laudabiliter perseurauit. Ideo dixit Iacob in cano. cap. 1. *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

4. Surculus. Vtile audire verbum Dei Exemplum.

Quantum ad SECVNDVM, Apostolus consulit animæ mentis renouationem, ibi: *Sed conformamini in nouitate sensus vestri.* Vbi NOTA, quod Physiologus scribit de aquila: quod sic se solet renouare in nouitate, quando sentit per senectutem se aggrauatam, tunc volens suo senio subuenire, & se vt iuuenis fiat, renouare, quærit fontem continuè fluentē: quo inuento, se in aera erigit altius quàm aliqua auium ascendere potest quousq; præ solis ardore altius volare non potest. sicq; sol ambas accendit sibi alas. qui minuit sibi antiquas pennas, & alleuiat onerosas. Quo facto, respicit ad fontis originem & in ipsam cadit, & antiquas pennas deponit, sicq; iuuenescit, ac si de nouo de nido exiuisset.

G

Quomodo homo debet conformari in nouitate sensus sui.

MORALITER. per aquilam intellige hominem. Quia sicut aquila antiqua efficitur per antiquam vitam; sic homo spiritualiter antiquatur per culpam. sicut patet de Dauid, qui per superbiam suam, quam habuerat in numeratione populi sui, vt habetur 2. Regum 24. fuit in anima inueteratus, quod dixit Psal. 6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Vbi per inimicos intelligit peccata, vel sathanam, & eius satellites, qui prouocauit eum ad peccatum numerationis populi, sicut habetur 1. Paralip. 21. *Surrexit autem Sathan contra Israel, & incitauit Dauid, vt numeraret populum seu Israel.* Sic & tu homo, quando peccas, in anima antiquus fis, iuxta illud Psal. 31. *Inueterauerunt omnia ossa mea* Gloss. id est, vires animæ ex peccatorū contractione, quæ per ossa significantur, in quibus consistit robur corporis, sicut in viribus animæ robur mentis.

Sed posset contingere, quod homo ex senio suorum peccatorum desperaret. Sicut Cain, qui ait Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Ideo consolatur ipsum Apostolus promittens reformationem iuuentutis, cum dicit per Psal. 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Et dicit signanter, *vt aquila.* quia volens peccator renouari debet assumere duas alas: quarum *prima* debet esse amor Dei, vt Deum præ omnibus & super omnia diligat: *Secunda* debet esse amor proximi. De quibus alis habetur originaliter Deut. 6. & transumptiuè Matth 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,* quoad dexteram alam; sed quoad

 sinistram

finistram additur. *Diliges proximum tuum.* Sed Leu. 19. habetur: *diliges amicum tuum sicut teipsum.* Habitis igitur istis alis debet volare, & quærere istum fontem lacrymarum. Quia dicit Augustinus. vna lacryma de corde puro profusa plus purgat, quàm decem anni in purgatorio. Et idem dicit: Aqua lacrymarum balneum est, quo abluuntur animæ, vt fiant cœlestis regni sponsæ. Sed hic fons lacrymarum continuè debet fluere, quia quotiens se peccator peccasse commemorat, bonum est, si saltem potest, lacrymas fundat. Certe Dauid dixit, Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* quia secundum Gloss. in nocte, secreto cubili, magis erumpebat in signum pœnitentiæ per fluuium lacrymarum, propter peccatum commissum. ita refert Clemens in itinerario, quod S. Petrus propter memoriam peccati trinæ negationis, consueuerat semper media nocte vel ante, surgere quasi in hora, in qua peccauerat, & lacrymis se vberrimis profundere. Idem faciebat quando gallos cantare audiebat.

Balneum animæ aqua lacrymarū.

Quæsito igitur fonte lacrymarum, debet se erigere per contemplationem & meditationem, meditando videlicet, quod tam pium Dominum suis peccatis offendit, & sic accendit alas dilectionis. quia magis inflammatur in charitate Dei & proximi, quæ minuit antiquas pennas peccatorum venialium & alleuiat onerosas mortalium. Ideo dicitur Prou. 10. originaliter, & habetur transumptiuè 1. Petri 4. deinde 1. q. 1. c. Multe sunt operationes. *Charitas operit* delicta vniuersa vel *multitudinem peccatorum.* Quo facto debet totaliter redire vel descendere in quæsitum fontem lacrymarum, vt sic totaliter innouetur & à pœnis purgatorij liberetur. Sicut legitur de quadam muliere, quæ lacrymas Christi multum honorauit, & pro tanto, vt daret ei lacrymas compunctionis, per quas peccata possit delere, & mortē æternam euadere, quam Deus exaudiuit, & sibi tantas lacrymas dedit quod totam pœnam deleret, quam debuit in purgatorio sustinere, quæ post purgata ad cœlum volauit.

Caritas minuit peccata animalia.

DE EADEM DOMINICA,
SERMO II.

in Euangelium,

Quærebant eum inter cognatos & notos. & non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo. Lucæ. 2.

H

Ebur attrahit aurum

RECITAT Auicenna lib. iuuenalium; quod prudentes inquisitores auri quærunt ipsum scutellis eburneis subter aquas. Ratio est, quia aurum naturaliter attrahitur ebore. Sic testatur Plin. in spec. nat. Ebore naturaliter attrahi ipsum aurum, quemadmodum adamante ferrum.

Christus aurum.

SPIRITVALITER per aurum intellige Christum Dominum propter aliquas proprietates auri, quæ bene conueniunt illi. PRIMA secundum Philosophum in problematibus est, quod aurum in lecto naturaliter fugat somnum. quia aurum secundum Auicen. est amicum vigiliæ, non somni. Ideo Galenus medicus suadet deponi aurum à languidis, vt quiescant. Propter quod errant illi, qui in digitis infirmorum annulos aureos ponunt, eo fine, vt requiem habeant, cum è contra in-

Aurum infirmis nociuum, som-

tra inquietationes reddant. Hæc proprietas cõgruè Christo conuenit, qui somnũ peccati in nobis fugat & odit, vigiliamque boni operis diligit. Propter primũ scili. quod somnũ peccati fugat & odit, dicit Sapien. *Vsquequo piger dormis?* scilicet in peccatis. Et sequitur: *Veniet tibi quasi viator egestas.* Prou. 6. quasi diceret, non solum egestas temporalis rerum, aut spiritualis virtutum, sed & gehennalis omnium malorum. Propter secundũ, scilicet quod diligit viam bonorum operum, dicitur Marci, 13. *Vigilate & orate Nescitis enim, quando tempus sit*, scilicet mortis, & infrà: *Vigilate, nescitis quando Dominus veniet: sero, an media nocte, an gallicantu. an mane. ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes,* scilicet in peccatis. Et addit Dominus. *Quod autem vobis*, scilicet discipulis meis, *dico: omnibus dico: Vigilate.* — num fugat

Secunda proprietas auri est, quod inspicientes lætos facit. Et hoc testatur Fontinus in descriptione vniuersi. Cum aurum inspicimus, naturaliter læti sumus. Cui concordat Plinius in spec. nat. Nos ex auri intuitu lęti sumus. Cuius rationẽ ponit Architarentinus in lib. de euentib. in natura. Aurum dulcorat sibi proximum aerem, qui alteratus alterat cor humanum. Sic Christum intuentes lęti sunt. Nam Petrus videns Christum in monte transfiguratũ, cum *facies eius resplenduit vt sol, vestimenta eius alba facta sunt vt nix*, adeo lætus fact⁹ est, quod ibi manere voluit, cũ dixit: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnũ; Moysi vnum: & Eliæ vnum*, Matth. 17. Et si tantam lętitiã efficit visio Christi in terris, quantam nunc facit electis suis in cœlis? Vnde in lætam faciẽ eius desiderant Angeli prospicere, 1. Pet. 1. Ideo dicit Ioan. 21. *Iterum videbo vos*, scilicet in æterna gloria, *& gaudebit cor vestrũ, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Vnde autem veniat gaudium gaudiorum electorum in cœlo, dixi Dominica præcedenti K. D. — Aurum lętificat.

Tertia proprietas auri est quod inter alia metalla nullum est eo quietius. Nam percussum non in tantum resonat, sicut facit æs vel argentum. Sic Christus inter omnes homines fuit quietior. Nam in passione sua non maledixit, nec murmurauit: sicut prædixit Psal. 37. *Sicut mutus non aperiens os suum.* Et habetur 1. Petri 2. *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* His proprietatibus patet, quod Christus conuenienter auro comparatur. — Nullum metallum auro quietius.

Sed per diligentes inquisitores, intelliguntur ad præsens homines, quas præ alijs animalibus prudentia insigniuit, de quibus dixit Matth. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Si enim volunt Christũ quęrere nobile & purũ aurũ, debent habere scutellas eburneas, per quas intelliguntur corda casta & pura: quia casti & puri faciliter Christum inueniunt. quia dicit Egesippu⁹ Hierosol. lib. 4. Omnis qui diuinorum esse voluerit executor, atq; familiaris maiestatis essentiæq; diuinæ, in mentis se exerceat puritate. In signum istius, quod casti & puri inueniũt Christũ, Maria, quę est virgo, castissima & purissima, & Ioseph qui fuit pur⁹ virgo inuenerũt Christũ in templo; sicut testatur Euang. in verbis prælibatis. In quib⁹ principaliter duo tanguntur: scilicet inquisitio Christi studiosa ibi; *Requirebant.* Et Inuentio eius gaudiosa, ibi; *Et factũ est post* &c. — Cor castum, scutella eburnea.

De Primo est Notandum. Cuiusdam Regis, vt legitur in histo. Rom. cap. 129. filius permittente patre scilicet rege, exijt sibi quærere amicos. Et factũ est quod in septem annis sibi tres amicos acquisiuit. *Primum* amicum plus quàm se dilexit: *Secundũ* sicut seipsum: *Tertiũ* min⁹ quàm se. Patris igitur consilio habito, ad amicos probandũ, porcum occidit, & in saccũ ponens, ad primum amicũ properauit, dicẽs: — I De amicitiæ veræ probatione.

 Homi-

Hominem istum occidi; rogo te, vt mihi in necessitate subuenias, & ipsum in domo tua sepulturæ tradas. Cui ille: Sicut tu eum occidisti, sic & pœnam meruisti. sed quia me plus quàm te dilexisti, eunti tibi ad patibulum, tres vel quatuor vlnas panni, quibus operiri valeas, dabo. Confusus ille, ad secundum amicum abijt, & eius auxilium implorat. Ad quem ille: Vitam meam non pro te ponam: sed propter amicitiam, te eunte ad pœnam tecum ibo & in via te consolabor quantum potero. Quo dimisso, iuit ad tertium: qui benignè eum recipit dicens: Da mihi corpus, & illud sepeliam, & pro te ipso pœnam sustinebo. Cum autem saccum apperiret, porcum inuenit.

SPIRITVALITER autem rex iste Christus est, qui secundum Psal. 46. dicitur: *Rex magnus super omnem terram*, cuius filius est spritualiter populus Christianus. Hic inquam permittente Deo quæsiuit sibi in septem annis tres amicos. intellige per septem annos omne tempus quo viuit. Quia secundum Gregorium in septem diebus omne tempus comprehenditur. Sed per *primum* amicum subaudi mundum, quem filius iste, scilicet populus Christianus plus diligit, quàm se. quod patet: quia toto conamine quærunt amorem mundi, & se periculo maximo exponunt, vt à mundo diligantur. & nesciunt hi miseri, quod amare mundum, est primo amare ad vlterum, iuxta illud Iac. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunq; igitur voluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Amor enim mundi adulterat animam, vt dicit Augstinus de verb. Domini.

Quid sit amare mundum.

Secundo amare mundum est amare proditorem suum. Mundus enim se diligentes tradit dœmonibus, Matth. 26. *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est: tenete eum*, De hoc osculo dicit Sapiens Prouerb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam oscula fraudulenta odientis*, id est diaboli vel mundi blandimenta, quæ sunt Ioab 2. Regum 2.

Mund⁹ proditor est.

Tertio amare mundum est amare periculum, iuxta illud Augustini. Amas mundum: absorbet te. mundus enim amatores suos deuorare nouit, non portare. Et Sapiens Eccl. 3. *Qui amat mundum, in illo peribit.* Et iterum Augustinus in Epistola ad Athanasium: Mundus iste periculosior est blandus quam molestus, & magis cauendus.

Mundus amatores suos deuorat.

Quarto amare mundum est amare diaboli dominum. quia diabolus regnat in mundo, *qui est rex super omnes filios superbiæ*, Iob. 41. Sed certè huius crudelis Domini dominum, debent fugere Christianorum consortia, abrenunciando huic mundo, exemplo cuiusdam militis, de quo legitur; quod fuit de Austria natus, & totus mundo deditus. Hic quadam nocte solus ante castrum in hortum suum pulchrum floribus vt melius de mundi pompa cogitare posset, descendit. quædam ei domina humana æstimatione pulchra & ornata se ei presentauit dicens: Ecce adsum, quam toto amore hactenus quæsiuisti, ad me accedas. Ille verò gaudens valde, diligentius inspexit: se beatum reputans, quod aspectu affatu talis dominæ dignus fuit. At illa: Sicut me ante vidisti, ita me retro intuearis. Viditq; in dorso eam plenam vermibus, putredine, immunditia, & fœtore, ita quod horror istorum omnem gloriam prius visam superabat, atq; in stuporem raptus ac nimis territus est. Cui illa: Ego sum gloria mundi: & tales sunt fructus mei. Et ad hæc verba imago disparuit, & miles emendatus redijt, & Deo deinde viuens mundo abrenuntiauit. Ideo dicit B. August in lib.

Amor mundi, diaboli dominium.

de agone Christiano. Mittitur diabolus foras, quando ex toto corde renunciatur huic mundo. Sic enim renunciatur huic mundo & diabolo, qui est princeps huius mundi.

Quinto mundum diligere, & in domo igne accensa velle manere, quia *totus mundus in igne positus est*, 1. Ioan. 5. Est enim fornax mundus Babylonica igne succensa, Dan. 3. ideo non est amandus, nec querendus, sed fugiendus, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo.* Etiam ideo mundus non est diligendus, quia est amicus falsus, & non ministrat exeuntibus nisi viles panniculos, sicut legitur de Rege Saladino, vt scribit Vincent. in spec. histo. lib. 30. c. 54. qui cum apud Damascum mortem imminere sciret, signiferum suum vocauit dicens: Tu qui soles ferre vexilla mea per bella, vexilla mortis meæ, scilicet panniculum vilem, fer per totam ciuitatem Damascum super lanceam, clamitando: Ecce rex Orientis moriens non fert secum nisi hoc palliũ vile. Et sic mortuus est. Item, mundus etiam ideo non est diligendus, quia in eius delitijs non inuenitur Christus, iuxta illud Iob 28. *Non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Mundus fornax Babylonica.

K

Per SECUNDUM amicum, quem mundani quærunt & diligunt, vt seipsos, intelliguntur liberi, vxor, cognati, in quibus multi spem salutis ponunt, & bona hic facere negligunt. De quorum confidentia dicit Propheta Hierm. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Vbi per carnem intelligit filios & cognatos, qui tantum conducunt corpus ad sepulchrum, cum anima transit ad tormentum. Postea redeunt domum, pro anima nullum facientes bonum. quia dicit Chrysostomus hom. 24. Sicut humor ex radicibus ascendit in herbam, & transmittitur in semen nec reuertitur, sic caritas de parentibus ascendit in filios, & sic non reuertitur de filijs ad parentes. Ideo videtur, quod sint falsi amici, nec inter illos valet Christus inueniri. sicut patet in verbis Euangelij, quod Maria & Ioseph requirebant Christum inter cognatos & notos, & non inuenerunt. Quod autem nec in pompis mundi, nec inter cognatos Christus potest inueniri, figuratum fuit 4. Reg. 2. quod quinquaginta viri quæsierunt Eliam per montes atq; colles per tres dies, nec eum inuenire potuerunt. Assumptus enim erat in curru igneo, & translatus in paradisum.

SPIRITUALITER. Elias interpretatur Dominus meus, & significat Christum: de quo dicit Thomas Ioan: 20. *Dominus meus & Deus meus.* Hunc vero Eliam quærunt quinquaginta viri, per quos intellige quinq; sensus. Per montes mundus, per colles filij vel cognati possunt de signari. Sed sicut hi quinquaginta viri Eliam non potuerunt inuenire, sic nec quinq; sensus hominis inueniunt Christum in mundi pompis: & sic transeunt tres dies: scilicet adolescentia, virilitas & senectus. & postea moriuntur nec Christo inuento. Et hæc tangit B. Augustinus. lib. soliloq. cap. 31. Circumiui, inquit, ciuitatis vicos & plateas huius mundi, quærens te, & non inueni, quia malè quærebam foris, quod erat intus. Misi nuntios meos omnes sensus exteriores, vt quererem te: & non inueni, quia malè quærebam. Nam oculi dicunt; Si coloratus nõ fuit, per nos non intrauit. Aures dicunt; Si sonitum non fecit, per nos non transiuit. Nasus dicit; Si non oluit, per me non venit. Gustus dicit: Si non sapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addit; Si corpulentus non est, nihil de hac re Christus nõ inuenitur in mundi pompis.

me interroges. *Et infrà:* Circuibam omnia, quærens te, & propter omnia derelinquens me. interrogaui terram, si esset Deus meus? & dixit mihi, quod non; & omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogaui mare, & abyssos, & reptilia, quæ in eis sunt, & responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos eum. Interrogaui flabilem aerem, & inquit vniuersus aer cum omnibus incolis suis. Fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogaui cælum, Solem, Lunam & stellas: Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus, qui circumstant fores carnis meæ, dicite mihi de Deo meo quod vos noscitis: dicite mihi aliquid de illo. Et exclamauerunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogaui deinde mundi molem. Dic mihi si es Deus meus, annon? Et respondit voce forti: Non sum, inquit ego, sed per ipsum sum ego, quem quæris in me. ipse fecit me, supra me quære eum, qui regit me, qui fecit me. Hæc Augustinus.

L TERTIVS amicus, quem ille minus dilexit quàm se, est Deus, quem certè nos super omnia diligere tenemur, iuxta illud Bernardi: Valde mihi amandus est, per quem sum, viuo, & sapio. Dignus plane est morte: qui tibi, Domine IESV Christe, recusat viuere. *Idem*, Parum ne tibi videtur hoc? Cogita, qualem te fecit. Nempe secundum corpus egregiam creaturam, & naturam secundam imaginem creatoris, magis animam insignem rationis participem, beatitudinis æternæ capacem. Idem in libro de diligendo Deo. In excusabilis enim est omnis infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe virtus ei innata. & non ignorat ratio, id est, iustitia, quod extremè illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Si naturaliter amat filius patrem, à quo habet partem corporis sui, quanto magis debet diligere Deum, qui corpus eius & animam ex nihilo fecit? Hæc ille. Istum amicum Christum Dominum debet quilibet diligenter quærere, & præ omnibus alijs eligere in auxilium in necessitatis tempore, iuxta illud B. Augustini: Elige, inquit, tibi istum amicum præ omnibus amicis tuis, scilicet Christum, qui cum omnia tibi subtracta fuerint: solus is seruabit in die sepulturæ tuæ; cum amici tui recedunt à te, ille te non relinquet, & tuebitur te à rugientibus præparatis ad escam, & perducet te ad ignotam regionem, atque perducet te per plateas cœlestis Hierusalem; vbi collocabit te cum Angelis ante faciem maiestatis suæ, vbi est cumulus felicitatis superueniens gloria, id est superabundans lætia & omnia bona. Ideo consulit Propheta Isa. 55. *Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est.* item consulit Amos. 5. *Quærite Dominum & viuite.* Et Dominus per se dicit Hierem. 29. *Quæretis me, & inuenietis, cum quæsieritis me ex toto corde vestro, & inueniar à vobis.*

Ratio dictat Deum esse diligendum.

Christ⁹ præ omnibus alijs quærendus.

Est igitur NOTANDVM, quod Christus est quærendus sicut quæritur topasius propter quinque. *Primo* enim quærendus est propter *necessitatem*: *Secundo* propter *maiestatem*: *Tertio* propter *charitatem*: *Quarto* propter *preciositatem*: *Quinto* propter *vtilitatem*. PRIMO enim quærendus est propter necessitatem. Topasius enim in necessitate dicitur inuentus, sicut scribit auctor proprie. libro 26. quod primo inuentus est in Arabia hoc modo. Cum incolæ loci fame laborarent, & necessitate compulsi radices euellerent, hanc gemmam effoderunt, quam in lingua sua topasion vocauerunt, quod idem sonat, quod quærere. Sic etiam

Quomodo Christus quærendus.

I. Propter necessitatem.

CHRI-

CHRISTVS, si in necessitate quæritur, ad instar topasij; faciliter inuenitur. Et hoc patet in multis locis sacræ scripturæ. Daniel. 14. Cum Daniel esset in lacu leonum, & magnam necessitatem pareretur, quæsiuit Dominum, & inuenit, *cum per Abacuc cibus recreatus fuit.* Idem patet Daniel. 13. de Susanna, quæ accusata fuit iniustè & falsè, in sua necessitate quæsiuit Dominum, & inuenit. quia Dominus spiritum Danielis suscitauit qui eam à morte & ab his impijs liberauit.

SECVNDO, quærendus est Christus ad similitudinem topasij propter suam magnitudinem aut maiestatem. Sicut enim hæc gemma inter alias est maxima, quia dicit Plinius in spec. nat. quod Philadelphus fecit ex ea statuam quatuor cubitorum. Sic Christus est maximus sanctitate omnium, potestate, dignitate, & felicitate. De sua sanctitate canunt Angeli, Isa. 6. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabbaoth.* De sua potestate, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Est enim triplex potestas, sicut dixi suprà, Dominica 4. H. P. Ideo B. Augustinus lib. 2. confess. & habetur. 8. dist. cap. Quæ contra morem. Potestas Dei præcedit omnium hominum potestatem. De ipsius potestate, Ioan. Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem.* Sed de felicitate dicit Hieronymus, quod Christus est beatitudo omnium electorum. Et quia est adeo magnus, merito Christiani faciunt de eo statuam, & ipsius adorant imaginem crucifixi. quia per crucem maximè ostensa est virtus eius. Et hæc statua est quatuor cubitorum, imò potius fuit quatuor lignorum, ex eo, quod virtus eius per quatuor partes mundi se diffudit. scilicet per Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, vt dicit Ansel. lib. 2. cap. 30. II. Propter magnitudinẽ.

Et dicit NOTANTER, quod ipsius adorant imaginem crucifixi, quia dicit Gloss. super C. Firmiter. de summa Trinit. & fide Cathol. Crux in quantum est imago, vel signum Christi in ea Crucifixi, sic debet adoratione latriæ adorari: sed in quantum est lignum contactum sanctissimo corporis Christi sanguine, & quatenus in ea pependit, & genus humanum redemit, sic ei honor venerationis debetur, & nulla species adorationis ei exhibetur. M

Sed si dicas, Tamen Ecclesia canit, Tuam crucem adoramus, Domine. *Respondetur,* quod ibi adorare, idem est quod petere ab ea. & sic crucem non adoramus. Vel adorare, idem est quod venerari, vel honorare, & sic adoratur, iuxta illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedem eius.* Obiectio.

TERTIO, quærendus est ad instar topasij propter suam charitatem. Nam sicut topasius ex genere virenti est, omni resplendens colore, habet tamen principaliter duos colores: scilicet ex auro & ætherea claritate: maxime dum tangitur radijs solis, omnium gemmarum superat claritatem, vt dicit Gloss. super Apocal. Sic Christus ex virenti genere, de virgine Maria secundum carnem est progenitus; sicut firmiter sancta & immaculata tenet Ecclesia ita canens aperte: *Ex Maria virgine & homo factus est.* Et sic habuit colorem aureum, per quem intelligitur dilectio, quia ex vera dilectione, quam ad genus humanum habuit, de cœlis descendit, & naturam humanam misericorditer assumpsit. Et hoc potest patere ex verbis Ieremiæ Prophetæ c. 31. qui loquitur in persona Domini. *In caritate perpetua dilexi te ideo attraxi te, miserans tui.* Et sicut topasius resplendet omni colore, sic existens hic in terris resplenduit omni III. Propter caritatem.

Christ⁹ plenus fuit omni gratia, & virtute, & sapientia à cōceptu.

omni gratia & virtute iuxta illud Eccles. 22. *In me omnis gratia viæ, & virtutis.* De hoc dicit Magister lib. 3. dist. 13. cap. 1. Præterea sciendum est Christum secundum hominem, vel ab ipsa conceptione gratiæ plenitudinem recepisse, cui spiritus datus est non ad mensuram, & in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Et sunt originaliter verba Augustini ad Dardanum, & allegat ibidem Magister illud Ierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* quia in vtero virginis perfectus vir extitit non solum secundum animam & carnem, sed etiam secundum sapientiam & gratiam, qua plenus erat. *Et subdit Magister:* Huic sententiæ videtur obuiare, quod in Lucæ Euangelio, scilicet cap. 2. legitur, *Iesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines.* Si enim proficiebat sapientia & gratia, non videtur à conceptione habuisse plenitudinem gratiæ sine mensura. *Ad quod sane dici potest,* ipsum secundum hominem tantam à conceptione accepisse sapientiæ & gratiæ plenitudinem, vt Deus ei plenius afferre non potuerit; & tamen verè dicitur profecisse sapientia & gratia, non quidem in se, sed in alijs, qui de eius sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiæ & gratiæ munera secundum processum ætatis magis ac magis patefaciebat. Hæc Magister. Et hoc etiam innuunt verba illa, quæ dicta sunt de topasio, dum tangitur radijs solis omnium gemmarum superat claritatem. Quia quod Christus erat à conceptione gratia plenus, causa fuit quod radij solis fuit tactus. quia ratione vnionis diuinæ naturæ & humanæ habuit gratiæ plenitudinem. non sic alij sancti. quia vt dicit Magister vbi suprà, de sanctis loquens: Acceperunt de illius plenitudine non secundum essentiam, sed secundum similitudinem quia illam nunquam eandem essentialiter, sed similem acceperunt gratiam. ideo meritò illorum superat claritatem.

Obiectio.

Responsio.

Quomodo Deus profecerit gratia.

N

IV.

Propter prætiositatem.

Christo nihil pretiosius.

QVARTO quærendus est Christus quemadmodum topasius propter pretiositatem. Est enim topasius gemma preciosissima, quia nihil in thesauris regum preciosius ea inuenitur. Sic certe Christo nihil preciosius inueniri potest. quia *in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. Est enim ille thesaurus, de quo dicitur. Matth. 13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* quia diuinitas fuit abscondita in agro, id est in carne. quod etiam diabolus non potuit eius aduentum indagare. Nam dicebat (vt scribit Augustinus in homilia quadam) Quis est iste, qui me nesciente ingressus est mundum, Noui, quia de fœmina natus, sed nescio, vnde conceptus est. Ecce astat mater: sed patrem inuestigare nescio. editoq; mater filio exultat vt virgo: cum iacet in cunabulis paruulus, suffundit lacrimas vultumque similem esse mortalium vagitibus prodit. Ecce nobilis thesaurus diuinitatis absconditus fuit in agro sanctissimæ suæ humanitatis.

Topasius lunam sentit.

Est tamen NOTANDVM. Licet hæc gemma preciosissima, est tamen à Luna passiua. Sentit enim motus eius. Ideo dicitur valere contra lunaticam passionem. Sed maiorem dicitur habere effectum, secundum quod Luna recipit incrementum. Per lunæ motum siue cursum accipe naturæ passibilitatē humanæ in motu, quam Christus in se sensit, quando nostram mortalitatem & pœnales passiones assumpsit. sicut testatur Magister li. 3. dist. 15. cap. 1. Filius Dei naturā hominis suscepit passibilē animā passibilem carnem & mortalē. Vt enim probaret verum corpus se habere, suscepit defect⁹ corporis, famem, sitim, & huiusmodi: & vt veram animam se probaret habere, suscepit defectus animæ, scilicet tristitiam, dolorem, timorem, & huiusmodi. *Et infrà:*

Assumpsit, inquit, defectus pœnę, sed non culpæ, nec tamen omnes defectus pœnæ, sed omnes quas assumere eum expediebat, & suæ dignitati non derogabat. Sicut enim propter hominem homo factus est, ita propter hominem hominis defectus suscepit. Hæc Magister. Et dicit Augustinus vbi suprà. Assumpsit enim passiones pœnæ, & abstulit passiones culpæ. Et isto modo iste verus topasius Christus valet contra lunaticas passiones, scilicet contra peccata, ipsa à nobis tollendo, iuxta illud Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Et sicut hæc gemma dicitur habere maiorem effectum, &c. Sic Christus quanto plus in corpore, quod per motum vel incrementum lunæ significatur, passus fuit, tanto maiorem effectum habuit, cum sic multos ad se attraxit, iuxta illud Ioan 12. *Ego si exaltatus fuero*, scilicet passurus in cruce, *omnia traham ad meipsum.*

Christus verus topasius curat Lunaticos.

V. Propter vtilitatem.

QVINTO quærendus est Christus, quemadmodum topasius propter quinque vtilitates. Est enim gemma vtilissima. PRIMA vtilitas, sicut dicitur in Lapidario, quod feruentes vndas bullire compescit; Sic Christus quemadmodum patet Matth. 8. *Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* sic & nunc compescit vndas persecutionis & tentationis, quas mali concitant contra bonos. Sicut legitur de sancto Antonio. Cum quadam nocte à dœmonibus esset laceratus, subitus radius quidam lucis effulsit, statimque sanatus, præsentem Dominum intellexit dicens: Vbi eras Domine? vbi eras? quare à principio non fuisti, vt curares vulnera mea? Mox ille ad eum: At hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam nominari. Ideo dicitur 2. Paralip. 20. *Confidenter state: videbitis auxilium Domini super vos.* Et 2. Pet. 2. *Nouit Deus pios de tentatione eripere.*

1. Vndas bullientes compescit.

SECVNDA vtilitas huius gemmæ est, quod iram sedat: sic & Christus iram sedat, cum dicit Matth. 5. *Quicunque irascitur fratri suo reus erit iudicio.*

2. Iram sedat.

TERTIA vtilitas, quod tristitiam fugat. Sic & Christus fugat tristitiam ab homine, cum dicit per Sapientem: Eccli. 30. *Tristitiam ne des animæ tuæ.* Et Gloss. intelligit de tristitia irrationali. quia hæc non solum nocet corpori, sed etiam animæ. Quia per tristitiam desperantes interdum interimunt seipsos. Et sequitur: *Iucunditas cordis hæc est vita hominis.* Et idem: *Tristitiam longe expelle à te.* Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. & Matth. 6. per se dicit Christus: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.*

3. Tristitiam fugat.

QVARTA vtilitas est, quod noxios motus sedat: quia Christus non solum peccatorum actus interiores sedat atque damnat, Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

4. Motus noxios sedat.

QVINTA vtilitas est, quod hæc gemma phrenesin curat. Sic & Christus stultam & inutilem locutionem, Sicut est insipientium, qui per phreneticos significantur, curauit, cum dicit Matth. 12. *De omni verbo otioso, quod fuerint homines loquuti, reddent rationem in die iudicij.*

5. Phrenesin curat.

Sed dicit aliquis: Audiui quod Christus sit quærendus: sed vbi quærendus sit, nescio. Non in mundi delitijs, nec inter cognatos & notos. quia dicit Bernardus super verbum thematis. Quomodo te inueniam, Iesu bone, inter cognatos & notos meos, cum non inuentus es inter tuos? Quomodo te inueniam in gaudio vel in quiete, scilicet mundi, quem mater pia vix inuenit cum dolore? *Ad hoc dico*, quod

Vbi Christus quærendus.

primò est quærendus in pace cordis: quia cum Maria & Ioseph, vt dicit Euangelium, Christum inter cognatos & notos quæsiuissent, & non inuenissent, regressi sunt in Hierusalem, & quærentes inuenerunt eum.

Christus quærendus O 1. In pace.

MORALITER. Hierusalem, quæ interpretatur pacis visio, significat animam pacificam: in qua sine dubio Christus habitat. quia dicit Orosius super Cantic. Christus nimirum si ingressum facit in animam, per pacem ipsam & concordiam interna consolatur. Cui concordat Abbas Ephrem: Qui amplectitur pacem in mentis suæ hospicio, mansionem præparat Christo. Quia Christus est pax, & in pace quiescere cupit: vir autem immundus omnibus modis excęcatur. Ecce quod Christus est in anima pacem diligens. Ideo diligite pacem & inuenietis Christum. Ideo dicit Augustinus lib. solilo. cap. 31. Inueni locum vbi habitas, quia in anima, quam creasti ad imaginem tuam & ad similitudinem. Illo modo inuenit Christum quædam nobilis puella, quæ talem pacem habuit cum Deo, præcipue quod post baptismum eum nunquam peccatis mortalibus offendit, licet carere venialibus non poterat. Pacem etiam habuit non solum cum Deo, sed etiam cum hominibus. nullum turbauit: nullumq; læsit, nec molestauit. & propterea Christus in ea habitauit, & hanc gratiam ei dedit, quod Angeli eius animam cum dulcissimo cantu & gaudio cunctis audientibus ad gaudia æterna perduxerunt, vbi nunc dicere potest illud Cant. 3. *Inueni, quem diligit anima mea.*

2. In cruce. Exemplum de latrone.

SECVNDO, quærendus est Christus in ara crucis. quia dicit Bernardus: Circumire Domine possum cœlũ, terram, mare & aridam, & nũquam nisi in cruce te inueniam, vbi dormis, vbi pascis, vbi cubas in meridie. Nullus ergo te quærit, nisi crucifixũ te inuenit. Et sic quidam latro dũ ab inimicis suis persequebatur, de equo descendit, & vnũ Pater noster ante crucifixũ dixit. Venientesq; inimici eius eum occiderunt, & statim Angeli animam eius ad cœlum assumpserunt, sicque Christum in cruce inuenit.

3. Inter pauperes.

TERTIO, quærendus est Christus inter pauperes. Ideo dicit B. August. Ostendam quomodo Dominum possis inuenire aut cognoscere. Si vis videre Deum, require modicum: respice ad pauperem: suscipe peregrinum: visita infirmum: curre in carcerem: vincula captis absolue; ac nodos iniquitatis incide: Moneo itaq;, ne despicias nudum, ne inuolutum pannis contemnas. in hac enim veste primum Dominus, cum à magis quæreretur, inuentus est. Idem dixit Christus per se Ioan. 13. *Qui accipit miserum me accipit.* Quod autem Christus inter pauperes inueniatur, probat Gregorius in homil. Quidam paterfamilias multum fuit hospitalis. Quadam autem die cum peregrinos suscepisset, & aquam daret manibus eorum ex humilitate, vnus fuit inter eos, in cuius manus aquam fundere voluit. & cum reuersus vrceum accepisset, eum non inuenit. Cum hoc factum apud se miraretur, eadem nocte ei per visionem dixit Christus: Ceteris diebus me in membris meis suscepisti: hesterna autem die me in meipso suscepisti.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo Tertius.

Et factum est post triduum inuenerunt eum in templo, Lucæ 2.

QVI

QVI thesaurum quærit, vel fodit in terram, tria facit, terram eijecit foueam in altũ facit, sedulus insistit, donec inueniat. Et dicit Lex. ff. de rer. diuisi. §. thesaurus. Si quis quærit in loco sacro, & inuenit casu fortuito, sic thesaurus est inventoris: si autem studiosè, sic est Ecclesiæ. Si vero inuenit in loco non sacro & alieno vel hoc erat casu fortuito, & tunc thesaurus est medius inuentoris & medius Domini loci: vel studiosa inquisitione, tunc totũs thesaurus est Domini loci. Idem notant Ioannes & Azon. P Christus thesaurus.

SPIRITVALITER. Per thesaurum intellige Christum: quia sicut thesaurus inuentus ditat suum inuentorem, sic qui inuenit Christum, in bonis spiritualibus valde ditabitur: quia dicit Prou. 8. *Mecum sunt diuitiæ & gloria*, id est, diuitiæ gloriosæ vel diuitiæ spirituales, & quandoq; corporales, vt dicit Gloss. Quicunque ergo hunc nobilem thesaurum quærere voluerit, *Primo* debet terrena reijcere, & à se separare, iuxta illud Ierem. 15. *Si seperaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Per *pretiosum* intellige virtutes, quæ sunt veræ diuitiæ, quas conscientia secum portat, vt in perpetuum diues fiat, vt dicit Bernardus. sed per *vile* intellige terrena, quæ sunt vilia iuxta illud Sapien. 7. *Omnia in comparatione illius*, scilicet virtutis *aliena & exigua: & quasi lutum æstimabitur argentum in conspectu ipsius*. Prætiosum igitur tunc homo à vili separat, qui preciositatem virtutum ostendit, & terrenarum vilitatum amorem seiungit. *Secundo* debet in se facere foueam humilitatis quia Genes. 18. legitur quod *Dominus apparuit Abrahæ in valle Mambre*. Et est Mambre nomen viri in signum, quod hi, qui sunt in vallibus aut foueis humilitatis, inueniant Christum. Ideo dicit Beatus Bernardus: O felix humilitas, quæ Dei ad se trahit clementiam, & ligat eius omnipotentiam. *Tertio* debet sedulus inquisitioni insistere. sicut fecit illa Cant. 3. quæ dicit: *In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui* (scilicet iterum) *illum & non inueni. Surgam, & circumibo ciuitatem*, scilicet interrogando, *Num quem diligit anima mea vidistis?* Ecce quantum sedula fuit inquirendo, ideo meruit inuenire, quem feruenter quærebat, quia dicit: *Paululum dum pertransissem, inueni quem diligit anima mea.* Ex quo docemur, non solum semel, sed sæpius Christum quærere; & non dundaxat quęrere, sed etiam vigiles interrogare. Per vigiles intellige sacerdotes, qui interrogandi sunt, vbi Christus sit inueniendus. Ideo dicit Augustinus: O anima, si sapienter quæreres, & diligenter, tribus signis hoc ostenderes. *Primo* lumen peteres, ne tenebris impedireris: *Secundo* scientes interrogares, vt ad inueniendum expireris. *Tertio* in nullo desisteres, donec acquireres quod quæreres. quasi diceret, sedulo quæreres. Sic ad literam fecerunt Ioseph & Maria, cum Christum perdiderunt, omnia terrena postposuerunt: se humiliauerunt. quia solitarij quæsierunt. quod fuit signum humilitatis, & in inquisitione perstiterunt: quoad vsque eum inuenerunt. Et sic dicunt verba proposita vestra charitati. *Et factum est post triduum.* In quibus verbis quoad sensum moralem duo tanguntur.

Thesaurum quomodo quærendus. 1. 2. 3. Vigiles designant Sacerdotes.

Triduana Iesu inquisitio	ibi	*Factum est autem.*
Honoranda ipsius inuentio.		*Et inuenerunt.*

CIRCA PRIMVM est NOTANDVM sicut ad literam Maria & Ioseph Christum perdiderunt

Q. diderunt, & post triduum ipsum quæsierunt, sic peccatores ipsum perdunt, & necesse est, vt per tres dies ipsum quærant. Et hæc inquisitio aliter fieri non potest nisi pœnitentia mediante. Quia pœnitentiæ feruor, peccatores suscitat & Deum inuenire facit. Cuius exemplum patet in Phœnicæ, de qua refert Aristot. in lib. animalium, quod sine pari viuit trecentis vel quingentis annis: quibus completis, cum suum defectum sentit, nidum ex lignis aromaticis & multum siccis facit, quæ in æstate ex feruore solis flante Fauonio accenduntur. Quibus iam accensis, sponte nidum ingreditur, & ibidem inter ligna ardentia incineratur. Ex quo cinere infra triduum quidam vermiculus nascitur, qui paulatim plumas recipiens in volucrem reformatur. Ideo dicit Ambrosius in hexam. & probationem illius probat Alanus. Cum onias summus Pontifex in Heliopoli ciuitate Ægypti templum ad similitudinem Hierosolymorum ædificasset, prima die azimorum cum multa ligna aromatica super altare congregasset, & ignem ad offerendum sacrifioium accendisset, subito omnibus videntibus descendit in medium ignis regalis auis, quæ in igne sacrificij statim in cinerem est redacta. remanente autem cinere & diligenter de præcepto sacerdotis reseruato, infra triduum quidam vermiculus de prædicto cinere est procreatus, qui tandem recipiens formam auis ad solitudinem euolauit.

Deus quærendus per pœnitentiæ tres partes.

MORALITER quoad præsens ista auis gerit figuram peccatoris. Et meritò quia sicut hæc auis quærit vitam suam in igne, sic peccator, qui Christo siue vita gratiæ caret, debet ipsum quærere in igne pœnitentiæ. Idcirco, vt dicit Anselmus lib. 4. c. 63. Postquam peccator diutius vixerit in suis peccatis, & suæ vitæ vel status defectum siue per mortis metũ, siue per aliquod aduersũ cognoscit, debet ex cõsideratione offensæ ex contemplatione diuinæ iustitiæ, & insuper ex timore gehennæ, atq; mortis incertitudine, tanquam ex aromaticis lignis construere nidũ mentis. Tunc ad cor suum pœnitens spontaneꝰ ac cito introeat, in prædictis timoribus penitus se per feruentem compunctionem adurens, in humilitatis cinerem redigat, & sic post tres dies vita gratiæ penitus viuet. PRIMVS dies est dies compunctionis, quæ vt dicit Petrus in 4. dist. 17. à Magistro sic definitur: Contritio est dolor voluntariè assumptus pro peccatis confitendis & satisfaciendis.

Peccatori vita in igne pœnitentiæ quærenda

I. Dies compunctionis.

Requisita ad veram cõtritionem.

Ad hoc autem, quod homo habeat contritionem sex requiruntur, vt dicit Raymundus. PRIMVM est peccatorum recordatio quia ex peccatorum recordatione venit contritio eorum. Quia, vt dicit Isidorus, contritio est compunctio & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati & timore iudicij. Ideo rex Ezechias cum ad contritionem veniret, ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa 38.

I. Recordatio peccatorũ.

II. Pudor.

SECVNDVM est pudor, qui cogitationem comitatur. Si enim cogitat homo, quod peccauit coram rege cœli, & purissima eius matre, omnibus angelis, & sanctis eius, multo pudore deberet affici iuxta illud Prouerb. 12. *Putredo in ossibus eius, qui pro confusione res dignas gerit.* Ideo dicit Venerabilis Boet. lib. 5. prosa vlt. Auersamini vitia: colite virtutes: ad rectas spes animum subleuate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna est vobis, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis; cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis: quasi diceret, ideo debetis habere pudorem, & deinceps contritionem.

III.

TERTIVM est vilitas peccatorum. de qua Ieremias Propheta cap. 2. de anima

ma peccatrice. *Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas.* De hac etiam vtilitate, quam facit peccatum, dicit Hugo de arrha animæ. Vide quid feceris, ô anima mea; dereliquisti sponsum tuum, & cum alijs prostituisti amorem tuum: corrupisti virginitatem tuam; fœdasti pulchritudinem tuam; dispersisti ornatum tuum. Tam vilis & tam turpis facta es, quod sponsi huius amplexibus digna fuisti, & amplius nos es. Meretrix enim facta es, & præ nimijs fornicationibus tuis laxata sunt vbera tua: rugosa facta est frons tua, genæ tuæ macidæ: languentes & stupentes oculi tui: labia pallore obducta, & ipsis quoq; amatoribus odiosa. Hæc ille. Ecce ad quantam vilitatem peccatum adducit. Meritò igitur cogitatio vilitatis peccati contritionem facit. Vilitas peccatorum.

IV. Timor futuri iudicij.

QVARTVM est timor futuri iudicij & supplicium reproborum, quibus Dominus horribilis apparebit. iuxta illud Gregorij super Ezech. Redemtor humani generis cum iudex apparuerit speciosus iustis, & terribilis in iustis erit. Quem enim mansuetum inspiciunt electi, hunc eundem pauidum ac terribilem conspiciunt reprobi.

V. Patriæ cœlestis amissio.

QVINTVM est amissio patriæ cœlestis. Cum enim peccat homo, amittit cælestem patriam vel coronam, iuxta illud Apoc. 3. *Tene quod habes: vt nemo accipiat coronam tuam.* Ideo de hoc meritò conteri debet.

VI. Spes veniæ, &c.

SEXTVM est spes veniæ, gratiæ & gloriæ. *Venia*, qua peccata dimittuntur: *Gratia*, qua bona operamur: & *Gloria*, qua remunerabimur.

Vtrum peccata sola contritione remittantur.

Sed quærit Magister lib. 4. dist. 17. Vtrum per solam cordis contritionẽ absq; oris confessione & operis satisfactione, peccatum, alicui dimittatur; & ponit ibi duas opiniones: *Vna* est Hugonis lib. 2. de sacramentis, qui dicit, quod nullus sine confessione oris & satisfactione operis veniam acquirere potest, nec à peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. *Alij dicunt*, ante oris confessionem in cordis contritione peccatum dimittitur à DEO, si tamen votum, id est, voluntatem habeat confitendi. Et pro hac secunda opinione adducit dictum Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quod exponens Cassiodorus ait: Dixi, id est, deliberaui apud me: quod confitebor: & tu remisisti, &c. Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem, Gloss. quod aliquis vult confiteri, peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione iudicatur. Idem declarat Magister per illud Ezechielis. 18. *Quacunq; hora homo peccator ingemuerit, &c.* non dicitur: ore confessus fuerit, sed conuersus ingemuerit, *saluus erit.* Vnde datur intelligi, vt dicit Magister, quod etiam ore tacente aliquando veniam consequimur. Econtra illi de *prima opinione* pro se adducunt illud Isa. 43. *Dic tu iniquitates, vt iustificeris.* Et illud Ambrosij. lib. de paradiso: Non potest quisquam iustificari, nisi fuerit peccatum ante confessus. Et plures ibidem adducit auctoritates sanctorum Magister pro hac opinione prima. sed sic concordant Doctores cap. 3. Sane potest dici, quod sine cõfessione oris & satisfactione operis & solutione pœnæ exterioris, peccata delentur per contritionem & humilitatem cordis. Ex quo enim quis proponit mente compuncta se confessurum, Deus D mittit; quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur à macula & contagione peccati comissi, & debitum æternæ mortis relaxatur. Hæc Magister. & hoc probat Cæsarius in dialogis lib. 2. cap. 10. per exemplum. Erat quidam iuuenis in studio, qui suggerente De vi contritionis pulchra historia.

Bb 3 generis

generis humani inimico, talia quædam peccata cōmiserat, quæ obstante erubescentia nulli hominum confiteri poterat. Cogitans tamē, quæ tormenta gehennæ malis sint præparata & quæ bonis abscondita sint gaudia, perennis vitæ, timens etiam quotidie iudicium Dei super se, intus torquebatur ex remorsu conscientiæ, & fortis tabescebat in corpore. Quid plura? tandem miserante domino in adolescente timor ille seruilis verecundiam vicit & charitatem in corde & animo eius introduxit; veniensq; ad sanctum Victorem, Priorem eiusdem conuentus vocauit & quia confitendi gratia aduenisset, indicauit. Ille paratus ad officium statim venit in locum, qui deputatus ad hoc erat, sedit: præmissaq; exhortatione iuuenis exspectauit. Mira res; tantam in hora illa pius Dominus cordi eius contulit contritionem, vt quotiens confessionem inciperet, totiens singultibus intercepta vox deficeret, in oculis lacrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in guttere. Hæc vt Prior vidit, dicebat scholari: Vade; scribe peccata tua in schedula, deferq; ad me. Concilium placuit inueni: abijt, & scripsit. die altera redijt, & si posset confiteri iterum tentans, vt prius defecit: & cum nihil proficeret, schedulam Priori porrexit. Legit Prior: & obstupuit, dixitq; iuueni: Non sufficio tibi consilium solus dare. Vis, ostendam Abbati? Et licentiauit eū. Venit itaq; Prior ad Abbatem & porrexit schedulam ad legendum, rem ei per ordinem exponens. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores & consolentur desperati. Mox vt Abbas chartulam ad legendum aperuit totam eius scripturam deletam inuenit. Impletumq; est in eo, quod dicit Dominus per Isa. cap. 44. *Deleui vt nubes iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Et ait Abbas Priori: Quid legam in schedula ista? nihil in ea scriptum est. Hæc vt Prior audiuit, schedulam simul cum Abbate inspexit. dixitq; ad illum: Sciat pro certo paternitas vestra, supradictum iuuenem in hac schedula scripsisse peccata sua, & cum à me fuissent lecta, vobis etiam donaui legenda. Sed video, quod misericors DEVS, qui maximam iuuenis contritionem attendit, culpam iam sufficienter punitam, iustè deleuit: Deletioq; siquidem totius scripti, abolitionem totius significat peccati, & aduocantes scholarem ostenderunt schedulam, dicentes, eius peccata diuinitus esse deleta. Quam cum perspexisset, & ex signis plenius cognouisset, in tantum cor eius magnitudine gaudij est dilatatum, in quantum ex magnitudine peccati fuerat angustiatum: & nullam iniungentes satisfactionē, monuerunt, quatenus Deo de acceptis beneficijs gratias ageret, atq; de cætero cautius caueret. Ecce quod contritio cum voluntate confitendi delet peccata, vt declarauit Magister.

Sed ad auctoritatem Isaiæ & Ambrosij dicit quod ea ad confessionem cordis vel ad interiorem pœnam est reuerenda. Sicut illud August. quòd nullus dicitur veniam consequi, nisi prius quantulamcunq; soluerit pœnam peccati: vel de exteriori pœna accipiendum est, vel ad contemnentes vel negligentes referendum.

R 2. Dies confessionis. Quid confessio, & quod debet esse amara.

SECVNDA dies est dies confessionis: & hic dies necessario sequitur diem contritionis. Quia dicit Magister lib. 4. dist. 17. cap. 3. Sicut præcepta est nobis interior pœna, scilicet contritio, ita & oris confessio, si adsit facultas. Vnde nec verè pœnitens est, qui voluntatem pœnitendi non habet. Ideo confessio à B. August. sic definitur. Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ apperitur. Hanc approbat Thomas super 4. sentent. dist. 17. Sed Raymundus sic definit. confessio est legitima coram sacerdote peccatorum suorum declaratio. Et dicit ibidem Raymundus, quod

quod confeſſio debet primo eſſe amara, iuxta illud Ierem. 32. *Statue tibi ſpecula: pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam.*

Signa huius amaritudinis ſunt quinq;. PRIMVM eſt *verecundia*, quæ eſt magna pars ſatisfactionis. de pœnit. diſt. 1. cap. Quem pœnitet. Vbi dicit Auguſtinus Laborat mens, patiendo verecundiam & erubeſcentiam. Et quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro peccato, ſit dignus miſericordia. Sed tamen NOTA, quod nihil propter verecundiam in confeſſione eſt celandum vel diuidendum. quia dicitur de pœnit. diſt. 5. §. 1. ante finem. Propter verecundiam nullus debet diuidere confeſſionem, vt diuerſa diuerſis dicat. Vnde legitur apud Ioannem Iuniorem in ſcala cœli: Duo fratres erant, quorum vnus diu erat Papæ pœnitentiarius: Alter vero innocens, & purus, & diſcurrebant ad prędicandum. Tandem recepti ſunt in quodam caſtro cuiuſdam nobilis matronę, vbi celebrauerunt. Gauiſa domina, cogitauit: Nequaquam te hos verecundari oportet, ſed ſecurè illis potes confiteri, cum ſint peregrini & ignoti. Et cum vni eorum confiteretur, ad ſingula peccata eius buſo peſſimus exibat de ore eius, & ſaltando exibat Eccleſiam. Tandem enorme peccatum dum confiteri voluit, de ipſius ore terribilis draco caput ſuum emittere cœpit, exire tamen noluit. quia verecundia victa, illa crimen illud celauit. Ideo buſones omnes ante expulſi cum terribili dracone redeuntes in os mulieris reintrauerunt. Fratribus autem recedentibus, narrauit minor Pœnitentiario illi totum illud quod vidiſſet. Territus pœnitentiarius, ad Dominam redijt exhortandam, quam defunctam inuenit. Vnde triſtati fratres, ieiunijs & orationibus inſiſtunt, donec tertia die illa redijt draconem horribilem equitando, cuius collum duo crudeles ſerpentes amplexando cingebant; vbera eius ſurgentes dentibus diripiebant; cuius etiam oculos duo buſones horribiles poſſidebant, & ex ipſis ignis ſulphureus fœtidiſſimus emanabat, eique manus à duobus magnis canibus deuorabantur, & aures eius ſagittis igneis replebantur, eius etiam caput lacertæ venenoſiſſimæ corrodebant. Vnde fratres territi corruerunt. Quibus illa ait: Ne timeatis, amici Dei omnipotentis. Nam ego ſum infeliciſſima omnium peccatorum, vobis pridie confeſſa, ſed non integrè: quia vnum peccatum, quod cum conſanguineo commiſi, ex verecundia in confeſſione celaui. Ideo perpetuoſum damnata. Quam pœnitentiarius, ex parte DEI & Domini noſtri IESV CHRISTI adiurauit, vt reſponderet ſibi, quid illa pœna ſignificaret? Cui illa: Capitis mei ſuperiorem partem lacertę puniunt, propter ſuperflua capitis ornamenta: buſones oculorum puniunt illicitos aſpectus: ſagittæ puniunt nefarios aurium auditus: ſimiliter ſulphureo igne punitur os meum propter blaſphemias & diffamationes, cantilenas, oſcula, turpia, & vaniloquia, & inutilia verba. Similiter propter illicitos tactus & amplexus ſerpentes vbera mea ſugunt & mordent, & cingunt meum collum. Canes verò manus meas corrodunt, quia eos extendi ad nutriendos canes, & ſubtraxi pauperibus CHRISTI; & quia annulis & gemmis eas luxurioſè ornaui. Hunc etiam crudeliſſimum draconem equito, propter concubitus luxurioſos, à quo viſcera & muliebria mea intollerabiliter comburuntur vnà cum tibijs, & genibus, & fœmoribus. Cui Pœnitentiarius: Quæ ſunt peccata, quibus plures damnantur? reſpondit: Omnes maſculini ſexus cunctis peccatis mortalibus damnantur.

Amaritudinis ſigna. 1.

Confeſſio nō diuidenda.

Exemplum terribile.

Confeſſionē imperfectā faciens ſubitò moritur.

Mulieres damnantur præcipue propter quatuor genera peccatorum: scilicet linguæ, & ornatus superflui, sortilegij, & fictæ confessionis propter nimiam verecundiam. Requisita vero an suffragio iuuari posset? subito draco terribilis crucians eam ad infernum traxit. Ideo dicit B. Augustinus super illud Psal. 84. *Non absorbeat me profundum* &c. puteus est profunditas iniquitatis, in quam si cecideris, non claudet os suum, si clauseris os tuum, scilicet in confessione propter verecundiam. Confitere igitur & dic: *De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.* & euades.

S 2. Humilitas. SECVNDVM signum amaræ confessionis est humilitas. Volens enim confiteri peccata sua, vt veniam consequatur, debet se coram Deo principaliter & sacerdote humiliare, iuxta illud 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Sicut fecit Publicanus Lucæ 18. qui ex vera humilitate *nolebat oculos ad cœlos leuare, sed percutiebat pectus suum, & dicebat: Propitius esto mihi peccatori.* Ecce verbum Humile: quod & si diabolus vellet dicere, vel huic simile, veniam consequeretur.

Confessione videns diabolus homines candidari, voluit & ipse confiteri.

Refert Cæsarius in dialogis lib. 3. cap. 26. Cum sacerdos quidam tempore quadragesimali in Ecclesia sua audiret confessionem, adfuit quantum ad apparentiam iuuenis robustus corpore, exspectans tempus confitendi. Omnibus expeditis accessit ipse nouissimus, genua flexit, ad confessionem os aperuit, & tam enormia confessus est crimina, tam multa homicidia, furta, blasphemias, periuria, discordias, &c. quorum se incensorem esse dicebat, vt tædio grauatus sacerdos diceret ad illum; Si mille esses annorum, nimis esset tam multa & grauia commisisse. Et ille: Amplius, inquit, sum quam mille annorum. Tunc amplius sacerdos territus, ait: Quis ergo es? Respondit: Dæmon ego sum, vnus de illis, qui cum Lucifero ceciderunt, & peccata mea ex minima parte confessus sum. si velles audire residua (quæ sunt innumerabilia) paratus essem tibi confiteri. Sacerdos igitur sciens peccatum diaboli esse insanabile, dixit: Quid tibi iniungam pro confessione, ô diabole? & quare eandem fecisti? Cui dæmon: Stabam ex opposito tui; vt vidi peccatores ad te accedere, & iustos redire, auscultans valde diligenter, quid illi dixerint, quidq; eis respōsum sit à te, & quod post peccata grauia commissa, sit eis indulgentia, & vita æterna promissa. Ego vero idem sperans, veni peccata mea confiteri. Sacerdos verò exemplo Martini diabolo fiducialiter respondit: Si volueris vti consilio meo, & agere pro peccatis tuis pœnitentiam purè, sicut hi, quos hinc exire vidisti, similem indulgentiam consequeris. Respondit dæmon; Si tollerabilem mihi iniunxeris satisfactionem parebo tibi. Sacerdos verò inquit: Valde modicam & minorem his, qui ante te confessi sunt tibi iniungam pœnitentiam. Vade, & tribus vicibus in die iacta te in terram, sicque humiliter prostratus dicas: Domine Deus Creator meus, peccaui tibi: ignosce mihi: hæc solummodo sit pœnitentia tua. Cumque diceret diabolus: Non possum facere: hoc est mihi nimis graue. Respondit sacerdos. Quare in tam modico grauaris? Ait: Non possum me in tantum humiliare: aliud quodcunque iniunxeris, libenter suscipiam. Tunc indignatus sacerdos, dixit: O diabole, si tanta est cordis tui superbia, vt nec velis nec possis te in tam modico humiliare creatori tuo, recede à me: quia neque hic neque in futuro misericordiam consequeris ab illo. Ad quam vocem mox ille euanuit. Ideo dicit Bernardus: Omnia que remordent conscientiam, confitere humiliter, purè & fideliter.

Seuerus in vita S. Martini cap. 24.

TER-

TERTIVM signum sunt lacrymę, iuxta illud Thren. 2. *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem: non des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui.* Ideò dicit Chrysostomus, de pœn. dicit 1. cap. Mensuram. Lauant lacrymæ delictum, quod pudor est confiteri. Vide supra, I. Dominica in Aduentu. sermo I. A. E. 3. Lacrymæ.

QVARTVM signum est fortitudo. Exemplum de Maria Magdalena quæ adeò fortis fuit in confitendo per amaram interius compunctionem, quod nullo pudore obstante publicè fuit confessa turpitudinem delictorum, Lucæ. 7. 4. Fortitudo.

QVINTVM est pronitas obedientiæ, vt se totaliter ponat confitens in arbitrio sacerdotis, nihil sibi reseruans, sed vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vitæ animæ, quæcunque faceret pro euitanda corporis morte. 5. Simplex Obedientia

SECVNDO confessio debet esse festino, iuxta illud Eccles. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Et Eccles. 21. *Fili si peccasti non adijcias iterum: sed de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi.* Et est NOTANDVM, quod propter quinque quilibet homò debet ad confessionem festinare. *Primo* propter horæ mortis certitudinem. quia dicitur Lucæ 12. *Veniet Dominus serui illius*, scilicet qui protrahit confiteri, *in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.* Sicut factum est illi, de quo legitur apud Collectorem magni speculi exemplorum: Princeps quidam duxit malam vitam, quem cum hortaretur vxor eius ad confessionem, dicebat: Non possum confiteri, quia timeo, quod grauis pœnitentia dabitur mihi: sicque protraxit confessionem. Cui vxor: Et quomodo, inquit, sustinere poteris pœnas inferni, quæ grauiores sunt quàm aliquæ pœnæ huius mundi? Cui ille: Putas quod infernus sit: Sacerdotes ista inuenerunt, vt timeantur. Quadem igitur die cum iaceret in strato suo, venientes dœmones acceperunt ipsum, & delectu suo proiecerunt, & animam ad infernum portauerunt. Vxor hæc videns, orauit Deum, vt sibi reuelaret statum viri sui. Et ecce mane surgent corpus sui viri inuenit quasi titionem & carbonem denigratum, & in manu literam, in qua erat scriptum: Iam certificatus sum, quia infernus est, & timor, quem habui ad agendum pœnitentiam, me illuc deportauit.

T II. Confessio debet esse festina. 1. Quia hora mortis incerta. Historia terribilis.

Secundo ideo est festinandum, quia morans in peccato semper peccata cumulat, iuxta illud Apoc. vlt. *Qui in sorditus est, sordescat adhuc.* Quære supra Dominica prima in aduentu sermone. III. B. H. quasi in fine. vbi habetur de quinto somno. & sermone. IV. eiusdem Dominicæ. B. Y. Vide exemplum de Æthiope, qui sarcinam augmentauit. 2. Quia peccata peccatis cumulantur.

Tertio, quia quis quanto maiorem moram fecerit in peccato, tanto magis elongabitur à Deo, quia Prou. 20. *Longe est Dominus ab impijs*, & per cōsequens difficilior conuersio. quia dicit Ouidius. 3. Quia à Deo elongant.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Principijs obsta: sero medicina paratur.

Quarto, quia extrema ægritudine vix potest aliquis verè pœnitere. Quia dicit Hugo lib. 2. part. 14. cap. 5. tunc cruciatus ligat membra, & dolor sensuum opprimit, vt vix homo aliquid valeat cogitare. Et secundum Gregorium. ibi requiritur sensus rationis, vbi est vis doloris. & dicit etiam Augustin. quod tunc incurrunt impedimenta. Nam morbus vrget, pœna terret, filij, quos illicitè dilexit vxor, & mundus ad eum se vocant. Ideò idem Augustin. in lib. 50. Homiliarum, homil. 41.

V 4. In extremis raro est pœnitentia vera.

NOTA. De pœnitẽtia quæ fit in fine vitæ. quæ incipit: Pœnitens. Et ponitur de pœn. distin. vlt. circa med. §. Quanquam. Si quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam,& accipit (Glos.) notificatam,& mox reconciliatur; & hinc vadit; fateor vobis,non illi negamus, quod petit: Glossa, Pœnitentiam, Eucharistiam, Vnctionem: sed non præsumimus, quod bene hinc exeat. Si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem vero dare non possumus. Nunquid dico, damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Vis quod incertum est, euadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Require reliquum supra L. F. sermone. 1. huius Dominicæ

Horribilis visio de quodã milite defuncto. De illis vero, qui in fine pœnitent, terribile narrat exemplum Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 51. part. 4. Quidam nobilis circa montes Alpium pergens, familiam suam cum canibus amisit. die autẽ inclinata solus in sylua est relictus. Illo verò horrente solitudinem & si quid audiret, diu exspectante, demum duos ex canibus latrantes auscultat. Quos venabulo insonante confortans reptando manibus & pedibus, ad locum conatur ascendere, vbi latrantes caniculos audiebat. Cumque ascendisset, inuenit locum planum, pulchrum nimis floribus atque gramineum. inter montes: in quo hominem quasi elegantem forma facie tenus prostratũ contemplatur, duasque clauas ferreas ad vtrumque latus iacentis horribilibus oculis intuetur, miris plagis & vulneribus cruentatum. Quem vt sic vidit, si ex parte Dei est, mandauit, vt loquatur, Tunc ille: Ex parte, inquit, Dei sum: & ordinatione diuina tibi appareo, vt in me misero exemplum sumas pœnitendi. In vita mea, inquit, fui peccator immundissimus: ego luxurijs & immunditijs debachabar; nec in illis alicui conditioni vel sexui, flexus miseratione peperci. Medio verò tempore validissimam febrim sum perpessus: attamen nec contritus, nec confessus sum, nec accepi Eucharistiæ sacramentum. Instante autem hora mortis obmutui. & ecce misericordia diuina præuentus, & valida contritione permotus quasi, loqui non poteram: excussi tamen lacrymas, & in his Deo propitiante vitam terminaui. Sic defunctus traditus sum duobus dœmonibus vsque in diem iudicij horribiliter cruciandus. Ideo dicit Leo papa de pœn. dist. 7. Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est. quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur.

5. Vt clamantem in vita exaudiat. *Quinto*, quia nisi in vita præsenti clamantem exaudierit, clamabit & ipse, & non exaudietur. Prou. 30. Ideo dicit Dominus Ierem. 11. *Ecce inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam illos.*

X

III. TERTIO confessio debet esse integra. Iuxta illud Thren. 2. *Effunde sicut aquam cor tuum.* Ideò dicit Augustin. Caueas ne verecundia ductus diuidas confessionem. Et

Vt confessio sit integra, requiritur. NOTA: Ad hoc, quod confessio sit integra, nouem requiruntur.

1. Vt sit voluntaria. *Primum*, quod sit voluntaria, sicut confessio Neemiæ. 10. c. qui ait: *Ego & domus patris mei peccauimus, iniquitatem fecimus.* Similiter confessio trium puerorum, Dan. 3. qui dixerunt: *Peccauimus: iniquitatem fecimus.* qui enim coactè confitetur, veniam fortassis non meretur. sic confessio Acham veniam non meruit, Iosuæ 7.

2. Fidelis. *Secundum*. quod sit fidelis vt tam ipse quàm sacerdos, vel confessor, sint in fide Catholica. Ideò dicit Bernard Sit tua confessio fidelis, vt confitearis in spe, de indulgentia penitus non diffidens, vt tuo te ore nõ tantum iustifices, sed nec condemnes, Sicut Cain qui ait: *Maior est iniquitas mea, &c*, Gen. 4.

Tertium,

Tertium, vt sit propria, vt seipsum accuset, non alium. Iuxta illud Psal. 55. *Deus vitam meam annuntiauit tibi*. Et dicit S. Thomas in 4. distinct. 16. Homo in confessione debet famam aliorum in quantum potest custodire, sed suam conscientiam magis expurgare, nisi esset de necessitate aliqua de persona confiteri. tunc quidem posset, non tamen ad eam prodendum, sed vt pœnitentiarius pro ea oret. tunc non peccat, sed meretur, vt probatur. 22. q. 5. c. Hoc videtur. 3. Propria.

Quartum. vt sit accusatoria, vt dicat se commisisse peccatum ex propria malitia, non prætendens excusationes in peccatis, sicuti primi parentes, Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, de ligno, & comedi*. Mulier verò retorsit in serpentem, dicens: *serpens decepit me*. Ideò *iustus in principio est accusator sui*, Prou. 18. 4. Accusatoria.

Quintum, quod debet esse vera, id est, non tacens verum, nec admiscens falsum, etiam causa humilitatis. Quia, vt dicit S. Thom. in 4. dist. 21. Non licet peccata, quæ quis non fecit, confiteri. Et secundum Anselmum. 22. q. 2. Cum causa humilitatis mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris peccator. 5. Vera.

Sed diceres: Tamen dicit Gregor. dist. 5. c. Ad eius. Bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere, vbi culpa non est, ideo possum me causa humilitatis accusare de peccatis, quæ non feci. *Ad hoc dicit* Barthol Brixien. In genere quis potest se dicere peccatorem, quia nemo sine crimine viuit, & recognoscendo in se culpam esse, non peccat; dummodo credat hoc verum esse, quod dicit. Et specialiter, dicendo aliquod peccatum de se, cuius contrarium credit, mortaliter peccat. Obiectio. Responsio.

Si autem obijcitur de sacerdote, qui omnia crimina de se specialiter confitetur. *Responde*, quod illud facit in persona Ecclesiæ, quia nullum vitium est, quod non reperiatur in aliquo membro Ecclesiæ. Vel dic, vt dicit Augustinus, quod in vno peccato multa peccata possunt notari. Nam cum quis peccat mortaliter, committit homicidium occidendo animam suam; committit furtum, quia se subtrahit Deo, & fornicatur cum diabolo per periuriũ, quia promissam in baptismo non seruat fidem. Et quod dicit Sacerdos vel Laicus in omnibus vitijs, in quibus miser homo peccauit, ibi comprehenduntur genera singulorum, & non singula generum. Alia obiectio. Periculum mortaliter peccantis.

Sextum quod sit nuda. Quia non debet confiteri per nuntium, nec per epistolam, intellige eo absente. Nam cum quis est præsens, potest per epistolam vel literam cõfiteri, ne peccata à memoria labantur, 30. q. 5. c. Qualis. Et quod dicit Thomas in 4. distin. 17. Nemo debet confessionem, prout est pars sacramenti per scripturam, siue per aliam personam applicare. Intellige, cum aliquis absens vellet scribere peccata sua, & dirigere sacerdoti sicque confiteri. Hoc non debet fieri. Si autem scriberet, & præsens coram sacerdote de charta proprio ore pronunciaret, licitum esset. Si tamen non verbis, vel nominibus pallliantibus crimen explicaret. 6. Nuda. Non licet absenti per epistolam confiteri.

Septimum, vt sit discreta, scilicet, vt distinctim & sigillatim confiteatur singula peccata. Iuxta illud Psalm. 37. *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Et Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c.* id est per singula peccata conscientiam meam. 7. Discreta.

Octauum, quod quærat sacerdotem, qui possit eum ligare & soluere; de pœn. dist. 1. c. Quem pœnitet. Qui vult peccata confiteri, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer mouet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit. 8. Fiat Sacerdoti qui possit ligare & soluere.

Quæstio. Sed dicas; Quis poteſt ligare & ſoluere? *Reſpondeo*, quod proprius ſacerdos, cui vt inquit D. Tho. in 4. diſt. 17. oportet confiteri. Et intelligitur proprius ſacerdos omnis qui habet curam ordinariam animæ illius; Sicut Papa, Epiſcopus, Legatus, & Parrochialis.

9. *Nonum*, quod ſit pura quoad intentionem, non quo ad vanam gloriam. Iuxta illud Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.*

Y Obiectio. Sed diceres. Non ſufficit ſoli Deo confiteri? Dicit Magiſter lib. 4. diſt. 17. cap. 4. quibuſdam viſum eſt ſufficere (& illi ſecundum Gloſſ. ſunt vendentes, Hæretici, & Beghardi) ſi ſoli Deo fiat confeſſio ſine iudicio ſacerdotali, & cõfeſſione Eccleſiæ. Quia Dauid dixit Pſal. 31. *Dixi, confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino, &c.* non ait, ſacerdoti: & tamen remiſſum peccatum ſibi dicit. Sed illi erant, & à diabolo falluntur, Refert Arnoldus. Quidam vir multum honorabat B. Virginem, attamen criminale peccatum cõmiſit, quod nunquam confeſſus fuit præ pudore. Poſt multum verò temporis pœnitentia ductus quæſiuit ſecretum locum, & confeſſus eſt Deo dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Ego commiſi tale peccatum, quod nunquam auſus fui alicui homini dicere præ pudore. hoc confiteor tibi Deus & oro te, vt ignoſcas mihi illud. Cumque illa meditando diceret, apparuit ei diabolus in forma ſacerdotis dicens: quid meditaris? Dicit: Ego multo tempore celaui criminale peccatum, quia puduit me dicere. Cui dæmon: Ego diuina miſeratione ad te miſſus ſum, & veni, vt confitearis. & ſtatim confeſſus eſt, & dixit diabolus: Hoc iniungo tibi, vt hoc peccatum nunquam amplius confitearis, & credas tibi eſſe remiſſum. qui ſtatim promiſit ſe hoc facturum. Cumque vir ille veniret ad extremam horam, angeli contendebant cum dæmonibus pro anima illius. Dixerunt dæmones; ſcriptum eſt, & Dominus dicit: Qualem te inuenio, talem te iudico. ſecundum hæc dicta noſter eſt, quia in mortali peccato inuentus eſt, & ſuſcipientes animam ad inferos duxerunt. Cumque veniſſent ad portas inferni, occurrit eis B. Virgo, & dixit: Quia doloſè eum decepiſtis, ne confiteretur peccatum mortale, quod commiſit. Præcipio vobis per tremandum iudicium, vt animam ad corpus reducatis, vt ſic illud peccatum, quod ſperabat ſe per illuſiones veſtras emẽdaſſe, recipiendo vitam emendet. Qui ſtatim animam reduxerunt ad corpus, & reuixit & plenius cõfeſſus eſt ſacerdoti, & Deo ſatisfecit. Ideò neceſſe eſt, vt confeſſio fiat non ſolum Deo, ſed etiam ſacerdoti. Iuxta illud Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem & ſaluemini.* Idem vult Auguſtinus in lib. de pœnitentia diſt. 1. cap. Iudicet ſemetipſum homo: vbi inter cætera dicit: Veniat ad Antiſtites, id eſt, ſacerdotes, per quos claues illi in Eccleſia miniſtrantur. Idem de pœn. diſt. 1. cap. Quem pœnitet. Omninò pœniteat & dolorem lacrymis oſtendat: repræſentet vitam ſuam Deo per ſacerdotem: præueniat iudicium Dei per confeſſionem, præcepit enim Dominus emundandis, vt oſtendant ora ſacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata non per mentium, non per ſcripturam manifeſtanda. Et Magiſter vbi ſuprà in fin. cap. 5. concludit. Ex his alijsq; plurib. indubitanter oſtenditur; oportere Deo, & deinde ſacerdoti offerre confeſſionem, nec aliter poſſe peruenire ad ingreſſum paradiſi, ſi adſit facultas. Ideo legitur remiſiſſe Dominus quendam iuuenem ad confeſſionem ſacerdotis.

Vendentes. id eſt, mercatores impij.

Non ſatis eſt cõfiteri peccata Deo, ſed oportet ea aperire ſacerdoti.

Iuuenis

Iuuenis quidam luxuriosus mala intentione rubetum, vbi erant infames mulieres, intrauit. Cui occurrens diabolus interrogauit quo vellet? Qui dixit illi intentionem suam. Cui diabolus: Vade, vade, quia bene soluam tempore suo. Qui cum intrasset vlterius, occurrit illi Christus in habitu cuiusdam monachi, & quo tenderet requisiuit, appellans eum filium. Et dixit Vos non estis pater meus. Cui ille: Certè, tu es filius meus. Et ille respondit cum indignatione; quod non esset filius eius. Tunc Christus aperta cappa ostendit ei manus & latus, quæ ambæ erant cruentatæ, sicut apud crucifixum solent depingi. Credis, inquit, quod ego sum pater tuus? Qui exclamauit: Dominus meus, & Deus meus. Tunc dixit ei Christus: Vade, confitere. Quia ille, qui tibi occurrebat ante rubetum, est diabolus, & aspectat te, vt tibi frangat collum. Qui dum exisset de silua cum proposito confitendi, diabolus eum non nouit. & ipse interrogans diabolum dixit: Quid tu exspectas? Cui ille: Certè tu ille non es; iste erat totus noster: & mihi data fuit potestas super eum, vt ipsum occiderem: tu vero alter es. Qui intelligens Dei misericordiam circa se factum, intrans claustrum confessus est, & sic bono fine vitam finiuit. E Historia notanda.

Sed diceres; Nunquid & laico posset quis confiteri? Respondet Magister vbi suprà cap. 6. sanè dici potest, quod sacerdotis examen requirendum est studiosè, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi & soluendi, & ideo quibus ipsi dimittunt, & Dominus dimittit. si tamen defuerit sacerdos, [*sequitur auctor in hoc sententiam Magistri sent. & D. Thomæ, iam à Pontifice & Doctorib. reprobatam, per accidens tamē laico quis confiteri peccatū, cum sacerdos haberi non potest, tenetur, cum ꝑpter peccatū graui tentatione desperationis pulsatur, vt à laico consolationē accipiat, & in spē venia erigatur, nō autē vt absoluatur, quia absoluere solus sacerdos potest.*] proximo vel socio faciēda est confessio. Cui cōcordat Aug. de pœ. di. 1. c. Quē pœnitet. Tanta est vis cōfessionis, si deest copia sacerdotū, confiteatur proximo. Refert Cæsarius in Dialogis lib. 3. cap. 2. Miles quidam in villa quadam habitabat, cuius vxorem eiusdem villæ sacerdos per adulterium maculauit. quod cum miles audiuit vtpote vir prudens, verbis non facilè credidit, nullamque mentionem de hoc facere voluit vxori suæ, siue sacerdoti, veritatem verius volens experiri; non tamen sine suspicione fuit. Erat autem in quadam villa non multum à militis villa remota quidam obsessus, in quo dæmonium tam nequam erat, quod coram astantibus improperaret peccata, quæ per confessionem veram non essent detecta. Quod cum miles intellexisset, rogauit suspectum sibi sacerdotem, vt ad colloquium secum ire non recusaret. Et acquieuit sacerdos. Cum ergò venisset in villam vbi obsessus erat, conscius sibiipsi sacerdos suspectum cœpit habere militem, quia eum non latebat, quod obsessus à tam nequam dæmone in eadem villa habitaret: timensq;, quod crimen suum à dæmone proderetur, necessitatem naturæ simulans intrauit stabulum, ad seruum militis pedibusque eius prostratus dixit: Rogo te propter Deum, vt audias confessionem meam. Quem seruus expauescens leuauit, audiens quæ ab illo dicebantur. Facta verò confessione, cum sibi sacerdos aliquid iniungi peteret: Respondit ille dicens: quantum alteri sacerdoti pro tali peccato iniungeretis, hoc sit satisfactio vestra; sicq; exiens securior cum milite ad Ecclesiam venit, in qua dæmoniacus fuit. & requisitus est à milite in hæc verba: Nosti aliquid de me? Hoc enim ex industria fecit, vt sacerdoti tolleret suspicionem. Cui dæmon: nescio quid respondere debeo. Adiecit: Quid An in necessitate laico confitendū. NOTA BENE.

tibi videtur de isto domino? Respondit ille: Nihil de eo scio lingua Teutonica, latinè mox subiunxit: In stabulo iustificatus est. Nullus tunc aderat Clericorum.

3. Dies satisfactionis. TERTIVS dies est dies satisfactionis, quæ merito sequitur duos dies præcedentes. Quia nisi quis Deum in die satisfactionis quæsierit, eum inuenire non poterit. Est ergo satisfactio secundum Augustin. de pœn. dist. 3. circa principium; Causas peccatorum excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. Cuius sunt principaliter tres partes, vt dicitur de pœn. dist. 6. §. 1. Eleemosyna, ieiunium, oratio. *Eleemosyna* est contra auaritiam: *Ieiunium* contra carnis concupiscentiam: *Oratio* contra superbiam quæ tria peccata in toto regnant mundo. Iuxta illud 1. Ioan 2. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

Partes satisfactionis tres.

Eleemosyna de bonis propriis, non alienis facienda.

Est tamen NOTANDVM. Quicunque vult eleemosyna pro peccatis suis satisfacere, debet de iustis bonis tribuere. quia 2. q 1. dicitur: Non est putanda eleemosyna, quæ pauperibus dispensatur, si ex illicitis rebus acquiritur: sed si habeat aliquid de exactionibus pauperum, furto, rapinis, vsuris, debet restitui his, quibus ablata est, aliàs non verè pœnitet qui ablatum non restituit, 14 q. 6. c. Si res. & 23. q. 8. pessima. Refert Cæsarius exemplum in dialogis, lib. 12. c. 14. Miles quidam, Fridericus nomine abstulit cuidam viduæ pelles ouinas, & sibi partem agri vsurpauit iniustè. Defunctus igitur apparuit cuidam ciui in dextrario nigerrimo, de cuius naribus fumus & flamma procedebat, tectus pellibus ouinis, & molem terræ gestans in humeris suis. Cui ciuis: Estis vos dominus Fridericus? Respondit: Ego sum. Subiunxit: Vnde venitis? Et quid significant ista, quæ ego video? Ego, inquit, in magnis pœnis sum, pelles istas cuidam viduæ abstuli, quas modo ardentes sentio; similiter partem cuiusdam agri, mihi iniustè vendicaui, cuius nunc pondere premor. Sed si filij mei ista restituerent, pœnam meam mihi multum alleuiarent. Sicque euanuit. Audientes filij patris ab illo, maluerunt eum in pœnis æternis manere, quàm prædicta restituere. Ideo consulendum est his, qui iniusta possident, vt ea per se restituant, cum adhuc viuunt. Sicut fecit ille comes, de quo dixi supra Dominica prima in aduentu sermone I. A. N. Sic etiam fecit ille, de quo subditur.

Exemplum de prædonũ suppliciis.

Restitutio facienda non relinquenda posteris.

Narrat Thomas, quem alij vocant Guilelmum in libro de apibus Quidam vsurarius fuit diues valde, qui diuersarum Ecclesiarum thesauros loco pignoris tenebat. Percussus infirmitate cœpit considerare pondus vsuræ, tormenta gehennæ, & difficultatem pœnitentiæ. Et vocans ad se quendam Abbatem nigri ordinis sibi familiarem, dixit ei: Domine, grauiter infirmor: non possum aliquid de rebus meis ordinare, neque vsuras restituere. si volueritis de anima mea reddere rationem peccatorum meorum mihi promittere absolutionem omnia bona mea tam mobilia, quam immobilia vestræ subijciam potestati, vt de illis quod visum fuerit, faciatis Cernens Abbas hominem contritum & vere pœnitentem, Ego deliberabo ait, festinansq; ad Episcopum iuit Respondit Episcopus: bonum mihi videtur, vt pro anima eius respondeas & substantiam recipias ita duntaxat vt Ecclesiæ meæ thesauros de iure illi debitos restituas. Mox Abbas ad ægrum rediens respondit: Ego deliberaui. vt bona tua suscipiam, & pro peccatis tuis respondeam. Cui infirmus: Nunc consilium meum est, vt allatis curribus omnia mea efferas, me nouissimè tollas. nullumq; patiens impe-

impedimentum in efferendo. Habebat enim arcas plenas auro & argento, pignora etiam plurima in vasis & alijs ornamentis, frumentum, vinum, oleum, & supellectilem multam, pecoraque multa, & infinita. Tunc Abbas prius omnibus abductis nouissimo in gestorio ponens infirmum properauit ad monasterium, qui mox vt mónasterium intrauit, spiritum exhalauit. Abbas vero non immemor sponsionis suæ in quantum potuit, omnibus superuenientibus vsuras restituit, plurimas largiens pro anima illius eleemosynas, residuum in vsus fratrum conuertit. Et postmodum anima ipsius accepta de potestate dæmonum per Angelos tanquam viri contriti & pœnitentis præsentata est domino Iesu Christo, & sic post hos tres dies, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem Christum in templo cœlesti lætanter adinuenit. Quod nobis præstare dignetur &c.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Sermo.

Hospitalitatem sectantes benedicite persequentibus vos, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Ita scribitur ad Ro. 12.

ARISTOTELES li 9. Animalium, & B. Ambrosius in exam. dicunt: Aquila pullos suos vngue suspensos radijs solis obijcit, & solem aspicere compellit. & hoc facit antequam habeant alas completas. Et si oculus alicuius lacrymetur, aut solem aspicere non poterit, ipsum tanquam degenerem aut abijcit, aut occidit: si autem directa acie radium solis intuitus fuerit, ipsum tanquam similem sibi diligit atque nutrit. Et addit Ambrosius in exam. Quare herodius aut falco inter omnes prædæ aues, habet animum pium & affectum circa pullos, eodemque sedulitatis officio, quo proprios fœtus pascit, pari subministratione pullum ab aquila abiectum sibi non cognitum suscipit atque nutrit.

SPIRITVALITER per aquilam intellige Christum Dominum. quia sicut aquila, vt dicit Rabbi Salomon super Exodum, portat pullos suos in desertum, quando portat eos de aliquo loco, ne sagitta aliqua feriantur: Sic Christus quando portauit nos de obligatione æternæ pœnæ, portauit peccata nostra in suo corpore, sicut testatur B. Petrus 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum.* quod exponit Magist. lib. 3. dist. 19. c. 3. Peccata nostra, id est, pœnam peccatorũ nostrorum dicitur in corpore suo super lignum portasse. quia per ipsius pœnam quam in cruce tulit, omnis pœna temporalis, quæ pro peccato cõmisso debebatur, in baptismo penitus laxatur, vt nulla à baptizato exigatur, & in pœnitentia minoratur. Ideo Christus comparatur aquilæ. Exo. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans expandit alas suas; & assumpsit eos atque portauit in humeris suis.* quod exponit Honorius dicens. Dominus Christus expandit alas crucis, & assumpsit redéptos in gratiam, portauit in humeris suis, quando crucem baiulauit & peccata nostra portauit. Iste inquam cœlestis aquila Christus Dominus in nido huius mundi habet duplices pullos, bonos videlicet & malos, quos suspédit vngue & radijs solis obijcit, quando asperis verbis S. Scripturę ad se amandũ prouocat, sicq; seipsum verũ solem aspicere compellit, vt per illud verbum 1. Ioan. 3. *Qui non diligit me,* scilicet Christũ, *manet in morte,* scili-

[Margin notes: Christus aquila. — Christus aquila probat bonos & malos.]

scilicet æterna, vel caret charitate, quæ est vita animæ, qui autem ipsum inspiciunt & eum diligunt, pascit eos & diligit, necegere permittit. Quia secundum Psalm. 34. *Nunquam*, inquit, *vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, scilicet mendicando. Qui vero velut degeneres oculos suos auertunt; & in peccatis viuunt, abijcit eos, dum pauperes eos effici permittit: sicut promisit filio prodigo, qui ad tantam paupertatem peruenit, vt ventrem de *siliquis saturare desiderarit. & nemo illi dabat.* Lucæ 15. Nos autem ad instar herodij facere debemus, vt quos Christus verus aquila abijcit, & in paupertate sinit viuere, illos nos hospito suscipere necesse est & nutrire, sicut de hoc hortatur Apostolus in verbo præassumpto, dū dicit, *hospitalitatem sectantes* (vulgariter Vbergastung) *benedicite persequentibus vos*, in quibus verbis ad tria exhortamur.

Ad receptionem peregrinorum	ibi	*Hospitalitatem sectantes.*
Ad benedictionem inimicorum.		*Benedicite persequentibus.*
Exultationem virtuosorum		*Gaudete cum gaudentibus.*

C PRIMO igitur exhortatur Apostolus Christi fideles ad receptionem peregrinorum, cum dicit, *Hospitalitatem sectantes.* Circa quod NOTANDVM dicit Thomas Cantipratensis de apibus lib. 2. cap. 21. Apes sunt hospitalitatis virtuti deditæ, nam apes extraneas, dum bonæ & mitis naturæ sunt, secum in sua aluearia recipiunt.

Pauperes cur principaliter recipiendi.

In quo MORALITER nos docent, vt pauperes homines principaliter bonos, & milites ad hospitia nostra recipiamus, principaliter propter quatuor, videlicet propter,

Gratiarum susceptionem.	*Temporalium multiplicationem.*
Vitæ conseruationem.	*Christi aut Angelorum visionem*

I. Propter gratiarū actionem.

PRIMO igitur sunt recipiendi propter gratiarum susceptionem: interdum enim multam gratiam à Deo recipit, qui pauperem in hospitio suo colit. Cumque etiam diuina cognitio infunditur alicui, occasione alicuius sancti viri in hospitio recepti. Figura huius habetur Lucæ vlt. Duo discipuli euntes in Emaus rogauerunt Christum in specie peregrini, quem tamen tunc non nouerunt, vt maneret apud eos dicentes. *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, cum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Item. 3. Regum 17. legitur. quod mulier, quæ Eliam hospitio recepit hanc gratiam ab eo recepit, quod filium suum suscitauit.

II. Propter multiplicationē temporalium.

SECVNDO, pauperes sunt recipiendi propter temporalium multiplicationem: quia vidua prædicta, quæ Eliam hospitauit, olei augmentationem recepit, *vt ei non deficeret farina & oleum vsq; in diem, qua Dominus daturus est pluuiam.* Sic etiam legitur. 4. Reg. 4. quod Heliseus etiam viduam quandam consolatus est in eo, quod oleū augmentauit, in quo & filium suum à creditoribus liberauit.

Miraculum de hospitalitate remu-

Refert etiam Thomas Cantipratensis lib. 2. de apibus cap. 21. part. 2. Fuit Romæ vir pius & bonus qui indifferenter religiosos & pauperes ad hospitium inuitabat.

bat. Contigit autem eum confectum senioribus temporalibus attenuari, & angustiabatur plus se solitam hospitalitatem exercere non posse, quàm ad vsus suos sufficientiam non habere. Cumque vna nocte anxius pro talibus iaceret in lecto semiuigilans, audiuit vocem dicentem sibi. Vidi caritatem tuam, & misericordiam, quam exhibendo hospitalitatem multo tempore habuisti, & per hanc ad vitam pauperem deuenisti. Volo ergò non solum in futuro te remunerare, verum etiam in præsenti. Loquere illi diuiti, & de vinea tua, quæ melior est, cum vinea illius concambium facies. Ipse autem libenter annuet verbis tuis. Habita ergo illius, vinea, in medio illius aceruum fodias in profundum, & sub eo reperies quod Romanis copijs est inuisum. Ad hanc igitur vocem cum homo non protinus obediret, secundò & tertiò idem vox diuina, vt prius præcepit. Tunc homo ad diuitem veniens, obtulit cambium vinearum. Cui diues, libenter; inquit, & quò melior tua vinea est mea, tibi soluam. Cui pauper, nolo ait, sed æquo valore concambium fiat, & factum est sic. Mox pauper, communicato secreto consilio cum filio suo quem habebat, & cum duabus pariter filiabus, ad aceruum supradictum cum eis accedit. Cumque diu fodissent, nec effectus sui signum aliquod inuenissent, cœperunt patri suo filius cum filiabus insultare. Quibus pater: nullo ait, modo possum credere, quod frustrabor. Tandem igitur in profundo inter ingentes lapides, vas marmoreum plenum aqua, & in ore ipsius vasis ollam vitream plenam balsamo, & in orificio ollæ paruum vas fictile, & in eo tres lapides pretiosos, smaragdum, sapphirum, & carbunculum quantitatis non modicæ, repererunt. Nihil autem aquam in vase marmoreo reputantes eam effuderunt, quæ vt mox instrumenta quædam ærea, in quibus laborauerant perfusione contingeret, colorem eius in pulcherrimi auri speciem commutauit. Erat enim aqua ex carnibus, & sanguine basilisci in modum aquæ rosaceæ per eleuationem, vel distilationem facta, qua solet ab Alchimistis aurum fieri sophisticatum: sed hac aqua Deus noluit prædicti viri innocentiam maculare, & ideo effusa disparuit. Balsamo verò cum dictus homo debilitatus visu, vsus fuisset nescius, quasi communi oleo per dies aliquot, recuperauit integerrimè visum. Et pòst, agnito, quod esset balsamum, vendidit illud inæstimabili pretio: & pro lapidibus, quos inuenerat preciosis, pecunias copiosissimas & multas accepit, factusq; diues & inclitus, glorificauit Deum, & post se filios & nepotes in multis copijs dereliquit.

nerata, quod Romæ contigit.

TERTIO, pauperes sunt hospitandi propter vitæ conseruationem, conseruat enim Deus vitam corporalem his, qui sunt dediti hospitalitati. Et hoc ostenditur in Raab meretrice, quæ nuntios filiorum Israël recepit, nonne à morte saluata est? Iosuæ. 6 *Sola Raab meretrix viuat*, & hoc commemorat Apostolus ad Hebr. 11. *Raab meretrix non perijt, cum incredulis excipiens exploratores cum pace.*

III. Propter vitę conseruationem.

QVARTO, propter Christi & Angelorum visionem, aut apparitionem. Personaliter enim Christum suscipit & videt, qui pauperes in domum suam introducit. De quo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. de Apibus cap. 1. part. 13. Vidi monachū Cisterciensis ordinis virum pietate plenum, qui frigore niuium terra Brabantiæ respersa per totum, præmissio in villam famulo, solus in campis per deuia veniebat. Et ecce inuenit puerum elegantissimæ formæ & tenerrimæ, quasi triennem, magno flectu & eiulatu, solum in niue residentem. Compassus ei, de equo descendit, & flentem amplexus flere cœpit cum eo, & quærere quid haberet. [illegible]

IV. Propter Christi & angelorum visionem.

ingemiſcit & quærit. Vbi eſt mater tua? Nunquid perdidiſti matrem? At puer fortius flens, tandē dixit: Heu me, heu me, quare non flerem, quare non eiularē? Ecce vides, quod egens, ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt, qui colligat me, vel hoſpitium pręſtet: Mox monachus ſurgens, & puerum in brachijs eleuans, oſculatus eſt eum dicens. Ceſſes flere, dulciſſime puer, ad hoſpitium te portabo, & faciam nutrire: Hoc dicens, cum puero equum aſcendere voluit, ſed puer de brachio tenentis exiliens, repentè diſparuit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. At ille in terram cadens plorans & eiulans dixit. Heu me, puer bone, quare me dereliquiſti? Quare tam citò abijſti? Cur te perdidi? Et ait autor: Quis ſine lacrymis audire poteſt, quod filius vnicus Patris, Deus exiſtens, hoſpitium in terra quęrit? Eget igitur cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis, refrigeſcente caritate multorum, non eſt, qui eum recipiat cordis hoſpitio, foueat oſculis deuotionis & veſtibus contegat caritatis. De hoc vide plura Dominica. 3. in aduentu Domini ſermo. II. H. N. Dominica. I. octa. Epiphaniæ ſermo. II. in fin. In quibus patet, quod Chriſtum interdum perſonaliter hoſpitalis recipit atque videt. Ideò dicit B. Gregorius in homil. Penſate, fratres cariſſimi, quanta hoſpitalitatis virtus ſit, ad menſas veſtras Chriſtum ſuſcipite, vt vos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna valeatis: præbete Domino peregrino Chriſto, vt vos in iudicio quaſi non peregrinos ſuſcipiat, ſed vt proprios ad regnum recipiat.

Matth. 24.

D Hoſpitales igitur Angelos ſuſcipere, & videre meruerunt ſicut patet de Abraham, & de Lot. De Abraham Geneſ. 18. qui recepit Angelos in domum ſuam æſtimans peregrinos eſſe, dicens ad vnum. *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed adferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore, Ponamq; bucellam panis & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis.* Sed de Lot. Gen. 19. qui rogauit peregrinos, *vt declinarent in domum ſuam*, & meruit videre Angelos quando dixit: *Obſecro domini declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi.* Ideò dicit Origenes domos hoſpitales ingreſſi ſunt Angeli, domos verò hoſpitibus clauſas, igne & ſulphure Dominus ſuccendit. Et Beatus Hieronymus, Abraham & Lot Angelos ſuſceperunt: & 42. §. 1. Abraham & Lot per hoſpitalitatis opera Deo placuerunt, & Angelos recipere meruerunt. Ideò hortatur nos Beatus Apoſtolus in verbis pręmiſſis ad hoſpitalitatem cum dicit. *Hoſpitalitatem ſectantes.* Et ad Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim quidam placuerunt Angelis hoſpitio receptis.*

Et eſt NOTANDVM. Dictum eſt ſuperius notanter, quod apes recipiunt ſecum in aluearia ſua extraneas apes, cum bonæ, & mitis naturæ, ſunt; in ſignum, quod recipere debemus maximè bonos viros & peregrinos. De *primo* legitur 4. Regum. 4. de Heliſęo de quo dixit mulier: *Animaduerto quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectum & menſam.* De *ſecundo.* habemus Iob. 30. *Foris non manſit peregrinus.* Et Beatus Ioan. 3. cano. *Cariſſime fideliter facis quicquid operaris in fratres peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt caritati tuæ.*

Sed ſunt (*heu*) quidam; & certè valdè multi, qui etiam bonos nolunt recipere in ſuo hoſpitio, qui dicunt Iudi. 19 *Vadimus ad domum Dei, nullusq; ſub tectum ſuum vult nos recipere.* Ideò B. Bonauentura in lib. qui intitulatur ſtimulus amoris, part. 1. cap.

cap. 13. dicit. O misera hominum nequitia, Dominus noster in seipso latronem suscepit in hospitio, & nos in terrenis lutosis domibus, etiam bonos homines recipere nolumus. Excusamus nos & dicimus, fortè ipsi sunt latrones. Memento miser; quia latronem ipse Deus recepit. Et si fortè recipere non potes, quia pauper es collige tamen in corde tuo ei compatiendo.

Et NOTANDVM. Sicut apes extraneas ad aluearia secum ducunt, sic etiam eas cibant ac defendunt. vt dicunt naturales: sic & nos non solum debemus pauperes & extraneos in domus nostras ducere, sed etiam pascere & defendere. De *primo* Iudi. 19. *Pax tecum sit, ego præbeo omnia, quæ necessaria sunt, tantū, quæso, ne in platea maneas.* Narrat Gregorius in dialogo. Quod Abbas Cassianus venit ad quendam senem, qui dedit ei manducare vsque ad satietatem cum socijs suis, & hortabatur eum plus comedere; qui cum diceret se esse satiatum. Respondit, ego cùm diuersis fratribus venientibus septies manducaui, & adhuc esurio; & tu semel manducas, es satiatus. Et dixit ieiunium esse frangendum propter hospites, quia in hospite suscipitur Christus & non possunt filij sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus. De *secundo* legitur Gen. 19. Sodomitæ videntes ingredi Angelos iuuenes, venerunt, vt cum eis peccarent, & violentiam facerent; quibus Lot ait. *Abutimini filiabus meis: sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis.* Ideò dicit B. Ambrosius 32. q 7. Lot ideo filias suas pro Angelis Sodomitis obtulit, vt hospitalitas non violaretur, & maius peccatum vitaretur. Et dicit Glossa Bartholomæi Brixiensis, quod volebat hospites seruare illæsos.

Cassianus. lib. 5.

Quantum ad SECVNDVM hortatur nos Apostolus ad benedictionem, & præcipuè inimicorum cum dicit, *Benedicite persequentibus vos, & nolite maledicere.* Et dicit notanter *benedicite*. E

. Vbi NOTA. Homines PRIMO benedicere debent cibos suos antequam comedant exemplo Christi, qui *benedixit septem panes* antequam apponerentur turbæ Matth. 7. & Matth. 15. similiter Ioan. 6. *benedixit quinque panes*. & post distribuit discumbentibus; & præsertim Clerici debent benedicere mensas suas, quia dist. 40. c. Non licet clericos nisi hymno dicto comedere panem, & post cibos gratias Deo auctori referre. Et idem habetur dist. 44. cap. Quando, ex Concilio Maticen. Quando autem conuenerint presbyteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum Versum ante mensam incipiat, & quasi benedicat, & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, potum & cibum benedicant, & aliquis illorum ex Clericis, aliquid de sacra Scriptura legat; & post refectionem similiter hymnū sanctum dicant, ad exemplum Christi, sicut in cœna fecisse dicitur.

Benedictio mensę commendatur.

Quare autem bonum sit benedictionem præcedere refectionem Clericorum, legitur in annulo. c. 6. quod iuxta Hallis ciuitatem quidam sacerdos Saxoniæ, faciens pro hospitibus scilicet alijs sacerdotibus piscari, quos tunc inuitauerat; piscatores cœperunt quoddam monstrum hispidum humanam effigiem habens, quod cum ad sacerdotis domum detulissent super fornacem detulerunt & locauerunt, & multi ad ipsum videndum conuenerunt. Conuiuantibus autem cum gaudio quidam deuotus sacerdos ibidem comesurus superueniens, ceteris sine benedictione manducantibus & verba varia & leuia loquentibus intrans dixit: *Benedicite*. Quibus respondentibus, *Dominus*, Monstrū prius mutū, tunc cachinnando dixit alta voce, Vę, I.

Væ vltimo, Væ, Væ vltimo. Mirantibus cunctis & timentibus, adiurant monſtrum
Fructus benedictionis menſæ. per quendam ſacerdotem ceteris audaciorem, & ait: Ego ſum diabolus, & cum multis alijs dæmonibus huc veni; iam vos procuraui, & feci ſine benedicite cibum ſumere, & poſt modicum prouocati ad iurgia vos mutuo mortificaſſetis, ſed hic deuotus ſacerdos ſuo ſaluberrimo verbo, veluti ventus omnẽ poteſtatem noſtram diſperſit, quod ego vidi, & ſocios meos deriſi, quo facto diſparuit. Cuncti verò, qui aderant, Deum collaudabant, qui virtute verbi ſui omnem fallaciam diabolicam miſericorditer eis parcendo detexit.

II. SECVNDO debent homines benedicere Deo pro obtenta victoria; & ideo Dauid, qui poſtquam Goliam gigantem in nomine Domini in funda & lapide deuiciſſet, vti habetur. 1. Reg. 17. *Dominum benedixit faciendo.* Pſal. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Sic ſequitur Iudith. 12. Poſtquam Iudith abſcidit caput Holofernis Ozias princeps viſo capite dixit. *Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram.*

III. TERTIO debet homo Deo benedicere opere completo, ſicut fecit Salomon 3. Reg. 8. Poſtquam templum Domini compleuiſſet, Domino benedixit, & ait: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui locutus eſt ore ad Dauid patrem meum, & manibus meis perfecit.*

IV. QVARTO debet homo benedicere Deo poſtquam tribulationem euaſit ſicut fecerunt nobis in exemplum Tobias & Sara. Tob. 8. Poſtquam liberati eſſent à dæmone, qui ſeptem viros occidit dicebant. *Benedicimus te Deus Iſraël, quia non contigit nobis quemadmodum putabamus: feciſti enim nobiſcum miſericordiam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos.*

V. QVINTO debent peccatores benedicere pueris ſuis, & non maledicere, exemplo Iſaac, qui benedixit filio ſuo Iacob dicens: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam.* Et Eſau ſic benedixit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper, erit benedictio tua,* Gen. 27. Iacob benedixit filio ſuo Ioſeph, & poſtea alijs pueris ſuis, dicens. *Benedicat pueris iſtis, & inuocetur nomen meum ſuper eos: & creſcant in multitudinem ſuper terram,* Gen. 48.

F Et dixit NOTANTER Apoſtolus, *Benedicite* ſcilicet pueris veſtris, *& nolite maledicere*; quia maledictiones, quæ fiunt pueris à parentibus ſuis ſolent eſſe multum nociuæ. Sicut legitur parentes maledixerunt proprio filio, & ſtatim rapuit dæmon eundem puerum. Similiter mulier quædam nobilis maledixit decem filijs ſuis & illicò tremuerunt toto corpore, & omnibus membris, & hinc inde ſunt diſperſi. Et ideò Sapiens Eccleſ. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

VI. SEXTO debet homo benedicere ſibi ipſi, & non maledicere. Benedicere enim debet ſe contra diabolum his verbis, quæ docuit B. Virgo Maria quendam infirmum fratrem ordinis Prædicatorum, ad quem diabolus venturus erat in habitu monachi. Ideò dixit ei, in ſimilitudine habitus tui, diabolus, vt frater malus, veniet, ſed contra hunc verbis huiuſmodi te ſigna: Benedicat me Deus pater, qui cuncta creauit ex nihilo. Benedicat me Deus filius, qui hominem reparauit ex ſanguine proprio. Benedicat me Deus ſpiritus ſanctus, cuius me ſaluet piæ conſolationis infuſio. Hæc dicit Thomas Cantipratenſis lib. 2. Apum, cap. 53. part. 4. Et dicit ſignanter Apoſtolus,

Nolite maledicere: quia maledictio super caput maledicentis reuertitur, iuxta illud Prouerb. 26. *Sicut auis ad alta transuolans, & passer quò libet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet*. Et hoc probat Cæsarius in dialogo: Fœmina quædam misera, ex impatientia maledixit sibiipsi, & pedes suos pelui imponens, & extra eam saltans retrorsum, sic ait: Hic salto de potestate Dei in potestatem diaboli, quam diabolus mox recipiens, & per aëra ducens multis, qui aderant videntibus, ita vt vsque nusquam comparuit.

SEPTIMO, homo debet benedicere persequentibus se, & non eis maledicere, exemplo Christi de quo. 1. Pet. 2. *cum malediceretur non maledicebat*. Refert B. Gregorius lib. 3. dialogor. cap. 15. de duobus viris. quorum vnus Euthitius, alter Florentius dicebatur, in habitu sanctæ religionis in Nursia prouincia habitabant. Mortuo rectore monasterij, in rectorem Euthitium elegerunt, qui precibus fratrum victus, oratorium in quo habitauerat, Florentio committens, multis annis rector monasterij in sanctæ conuersationis studio fuit. Florentius verò cum solus esset, orauit Dominum, vt aliquod solatium impertiretur sibi Cumq; egressus esset oratorium ante fores inuenit vrsum stantem, & caput sibi inclinantem, quem à Domino sibi commissum intellexit. Cumque quatuor, vel quinque pecudes sine custode haberet, illas vrso committens, ait: Pasce has oues, & semper ad sextam horam redibis. Cumque hoc vrsus frequenter ageret, & secundum iussum Florentij quandoq; ad sextam, quandoque ad nonam, tempore ieiunij, rediret, quatuor monachi Euthitij inuidentes Florentio, quod Magister eorum tali signo non floresceret & clarésceret, vrsum occiderunt. Qui cum hora statuta non veniret, Florentius eum ad vesperam exspectans, cœpit tristari, & pergens ad agrum mortuoque inuento apud oues, dum cognouisset à relatoribus quis fecisset, tàm mortem vrsi, quàm malitiam fratrum, deplorauit. Cumque ad Euthitium esset deductus, vt ipsum consolaretur vehementis doloris stimulo accensus, accersitis occisoribus vrsi, illis maledicens ait. Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vita ante oculos hominum ex malitia sua vindictam recipient, qui nihil lædentem vrsum meum occiderunt, quod & factum est. Nam hi quatuor monachi qui illud fecerunt, statim elephantino morbo sunt percussi, ita vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Domini cernens, expauit vehementer, seque fratribus ita maledixisse pertimuit: quod & omni tempore vitæ suæ deplorauit. Et concludit Gregorius ibidem, quia ideo Deus illud permisit, ne vir miræ simplicitatis, quantolibet dolore commotus, vltra præsumeret iaculum maledictionis intorquere. Ideò dicit Petrus Apostolus. 2. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, vel maledictionem pro maledictione*. VII.

Quantum ad TERTIVM hortatur Apostolus ad coexultationem virtuosorum, cum inquit: *Gaudete cum gaudentibus*. Circa quod NOTANDVM, duplex esse gaudium, scilicet virtutis & mundi. Gaudium virtutis secundum Augustin est velut fons gaudij in domo propria nascens: sed gaudium mundi quid sit idem respondit dicens: Quid seculi gaudium sit, breuiter dico. Seculi lætitia est impunita nequitia, scilicet luxuriæ in spectaculis vacare, ebrietate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati. G

Gaudiũ duplex Virtutis

Mundi gaudium, quid?

Et vlterius est NOTANDVM gaudium virtutis præcellit gaudium mundi in quatuor. PRIMO in continuitate, quia gaudium virtutis est continuum, iuxta illud Pro-

Gaudiũ virtutis in quo præcellat.

1. In continuitate. uerbior. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium*: quasi diceret, homo securus à peccatis delectabiliter viuit, sicut homines in conuiuio. Et ibidem. *cor gaudens*, id est bona conscientia *exhilarat faciem* exteriorem, secundum Glossam interlinearem. Hoc est verum gaudium, de quo Seneca in epistola ad Lucilium: Crede mihi, verum gaudium non nascitur nisi ex pura conscientia: sed gaudium mundi non est continuum; quia secundum Sapientem, Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat*. Cui consonat Innocentius Papa III. de vtilitate humanæ condit. part. 1. cap. 33. Semper humanæ lætitiæ tristitia succedit; & quod incipit gaudio, desinit esse in tristitia. Ideò dicit Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*. Hypocrita est mundus exterius deauratus. Quare legitur de quodam, qui totum consumpsit diem in gaudio, de sero intra se cogitauit: quo peruenit gaudium, quod hodie tota die habuimus, & sic videns falsitatem huius mundi gaudij, compunctus religionem intrauit.

2. In puritate. SECVNDO, gaudium virtutis præcellit in puritate: gaudium enim humanæ felicitatis multis amaritudinibus est respersum, vt dicit Boëtius lib. de conso. prosa. 4. Homo enim carnalis vnam amaritudinem habet ex dilatione delitiarum, quas vehementer appetit. Aliam ex defectu animæ quem inuenit in vsu earum. Vbicunq; enim caro, vt dicit Augustin. quærit refectionem, inuenit defectionem. Excessum etiam in sumendo sequitur duplex amaritudo, scilicet remissio conscientiæ, & grauamen animi, quia dicit Seneca: Voluptas quo auidius hausta est, eò citius in contrarium redit. Et Sapiens Eccles. 31. *Amaritudo animi vinum multum potatum*. Econtra verò gaudium virtutis purum est, non respersum tot amaritudinibus. Ideo dicit B. Augustinus libro confessio. Tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergens offensionibus, omnes illicitos iocunditatores, vt ita quærerem, sine offensione iocunditari, & vbi hoc possum non inuenio quicquam præter te Domine.

Amaritudo duplex.

3. In dignitate. TERTIO gaudium virtutis præcellit in dignitate. Gaudium enim virtutis est de his, de quibus dignum est gaudere. Quia dicit Glossa super Gal. 5. Exultatio est de his, quæ digna sunt, gaudium autem mundi de indignis. Iuxta illud Senecæ: In voluptate nihil est magnificum. Et prouerb. 3. Sapiens dicit, *Stultorum exultatio ignominia*. Et iterum cap. 15. *Stultitia est gaudium stulto*.

4. In salubritate. QVARTO, præcellit in salubritate gaudium virtutis. Salubre enim est, faciens contemni gaudia vana, iuxta illud Eccles. 1. *Vbi multa sapientia ibi multa indignatio*. Vbi & sapor virtutum sentitur, iocunditas carnalis despicitur. Quia secundum Augustinũ: Gustato spiritu, desipit omnis caro. ITEM, gaudium virtutis facit triumphare de diabolo: Vnica enim ratio vincendi inimicum est, lætitia spiritualis, vt ait beatus Antonius. Ideò dicit Sapiens Eccles. 30. *Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis*. Sed ècontra gaudium mundi noxius est; nec mirum cum sit à Deo maledictum, Lucæ 5. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram*. Quod autem gaudium mundi noxium est, legitur in lib. de donis, quia secundum cõsuetudinem cuiusdam ciuitatis, iuuenes æquitabant cum gaudio huius mundi, tenẽtes laruas turpissimas ceteris chorizantibus per villam, quos plebanus in ambone pluries admonuit, vt desisterent, sed ipsi noluerunt verbis suis acquiescere, nec ei obedire: Et ecce subito in die festo in specie virorum ac mulierum, maxima multitudo dæmo-

Lætitia spiritualis vincendus inimicus.

dæmonum coniungit se illis. Tunc vulgo cantanti præ gaudio, vox diabolica statim audita est: Qui me amauerunt & mihi seruierunt, modo mecum erunt delicati homines, meis ludis estis vsi, vt sitis melius contra Deum dissoluti; & subitò terra aperta, cunctos ad inferna absorbuit, tàm cantantes. quàm chorizantes similiter & equitantes. Ecce verificatum est hic illud Iob. 21. *Tenent citharam & tympanum, & gaudent ad sonitum organi, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Idcirco ad gaudium mundi non hortatur nos Apostolus, cum dicit: *Gaudete cum gaudentibus*: quia illi *latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prou. 2. Sed ad gaudium virtuosorum nos monet, vt si videmus aliquem hominem gaudere in virtutibus, quatenus illi congaudeamus. Idem docet B. August. lib. 50. homiliar. homilia 15. in fine. Congaude illi, cui Dominus aliquam gratiam dedit, & habebis. Habet ille virginitatem, ama illam, & tua est. Item si tu forte habes maiorem patientiam, diligat te, & sua est, ille potest satis vigilare, si non inuides; tuum est studium eius. Tu forte potes amplius ieiunare, si amat, suum est ieiunium tuum, quia per caritatem tu in illo es, & ipse in te est.

DE EADEM DOMINICA

Sermo Secundus, in Euangelium.

Die tertia nuptia facta sunt in Cana Galilea, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Ioan. 2.

MAgister lib. 13. propriet. dicit, quando aliqua aurea cum argenteis debēt malleando cōbinari, vel incorporari, necesse est à tribus præseruari, scilicet puluere, vento, & humiditate. Quod si aliquod horum inter aurū & argentum se permiscuerit, nequaquam vnum cum altero se tenebit: ideò oportet, vt in mūdo, quieto loco, hæc duo metalla ad inuicē combinentur, & dum debitè sic iunguntur, ab inuicem non poterunt vlterius separari. H

MORALITER. Per aurum, quod est nobilissimum metallum, intellige ad pręsens ipsum virum, qui est nobilissima inter creaturas creatura, eo quod est imago & gloria Dei, & est caput mulieris: vt habetur 33. q. 5. c. Hæc imago, &c. Cum caput mulieris. Ideò de ipso dicitur Prouerb. vlt. *Nobilis in portis vir eius*; Sed per argentum, quod est album & mundum, intellige mulierem, quæ debet esse alba per puritatem, & mūda per castitatem, vt cum Sara dicere possit Tob. 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia,* scilicet carnali & mentali. Sic igitur vir, qui designatur per aurum, & mulier quæ per argentum intelligitur, debent simul matrimonialiter coniūgi, non debet ibi esse puluis auaritiæ, non ventus superbię, nec humiditas luxuriæ. De PRIMO dicit Chrysostomus homil. 1. Multi diuitias eligunt non mores, & omne quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant; propterea non generant filios subditos, vel sibi, vel DEO, sed contumaces, & contra DEVM, & filij eorum non sunt fructus coniunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis. Ideò idem dicit Chrysost. super Matth. Tu iuuenis quando vxorem ducere vis, noli quærere diuitem, sed bene morigeratam: quia boni mores semper diuitias quærunt, &

Aurū designat virum.

Argentum, mulierem.

Quæ mulier eligi debeat.

& acquirant. Ideò refert Eudoxius in gestis Philosophorum; Quidam pater quæsiuit à Philosopho Theophrasto cui libentius filiam tradere deberet vxorem, an pauperi in scientia, & moribus ornato, an locupleti parum probato? Respondit Philosophus mallem viro pecunia indigenti, quàm pecunia viro abundanti. De SECVNDO & TERTIO dicitur Tob. 3. *Quod duxit Sara virum suum cum timore* quasi diceret; Non cum superbia, *& non cum libidine mea consensi suscipere.* Et Angelus dixit, Tobiæ cap. 6. *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorũ magis, quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Si enim iam aliquid dictorum, scilicet puluis auaritiæ, ventus superbiæ, aut humiditas luxuriæ, in coniunctione viri & mulieris se permiscuerit interdum matrimonium non tenebit, sed vnus ab alio corrumpitur, sicut multoties est expertum, & continuè experitur. Cum autem debitè coniunguntur, scilicet ex verò amore, humiliter, in timore Dei & castè, non possunt ab inuicem separari; Sicut probat Innocent. Papa de vit. huma. condi. part. 1. c. 18. Qualiscunq; casus euenit, necessariò vxor est habenda, si ęgra, si fæda, si mala, si superba, si iracunda, si parte aliqua vitiosa; propter solam fornicationẽ à viro potest dimitti, & intellige quoad thorum & quoad cohabitationem: & hoc cum iudicio Ecclesiæ. *Et subdit Innocentius:* Sed nec dimittens potest aliam ducere nec dimissa potest alteri copulari; intelligitur hoc viro viuente adhuc: potest tamen tempore intermedio continentiam vouere inuito viro. Vnde dicit S. Thomas in 3. part. q. 62. a. 3. Et similiter in 4. scrip. q. 35. a. 3. quod in matrimonio sunt tria, scilicet obligatio ad vinculum, ad thorum, & ad cohabitationem. Quantum ad vinculum, non potest dimittere, nec per se nec per Ecclesiam; Quoad thorum, potest sine iudicio Ecclesiæ negare debitum; vt etiam dicit Bonauentura. Quoad cohabitationem, vt volunt quidam, non potest dimittere vxorem auctoritate propria. Et ad hoc sonat Nicolaus Papa 33. q. 2. potest tamen iudicio Ecclesiæ. De coniunctione autem viri & mulieris dicunt verba prælibata: *Die tertia nuptiæ factæ sunt &c.* In quibus verbis tanguntur quatuor, quæ in omnibus nuptijs sunt valde necessaria.

Vinculum matrimonij indissolubile.

Diuortium.

Euidentia fiendorum.	ibi	*Die tertia.*
Concordia animorum.		*In cana Galilea.*
Pudicitia coniugatorum.		*Erat mater Iesu.*
Memoria egenorum.		*Vocatus est Iesus.*

1 Quantum ad PRIMVM. Necessaria est euidentia fiendorum: vt videlicet, quod nuptiæ fiendæ, sint euidentes & non occultæ, & hoc tangitur *die tertia*, quasi diceret, debent fieri in die, id est manifestè, & non in nocte, id est in angulo. Et hoc prohibet nuptias clandestinas & occultas. Ideo debet præcedere trina proclamatio in Ecclesia coram plebis multitudine, scilicet banno, vt infra competentem terminum qui scit impedimentum proponat & si apparuerit probabilis coniectura contra copulam, futuram. interdicatur expresè, donec constat quid fieri debet; aliter si contraherent sine bannis aut post prohibitionem, & extiterit impedimentum, puta gradus prohibitus, tunc filij dicentur illegitimi, & non excusabitur propter ignorantiam parentum.

Trina nuptiarum proclamatio.

Sacerdos verò qui tales inhibitiones contempserit, vel qui interesse præsumpserit, per triennium ab officio suspendatur, vt prob[illegible] de clandest. desponsa. c. Cum inhibitio. Si autem processerit trina procla[illegible] Ecclesiæ publicè con-

co- trahent bona fide, credentes se legitimè copulari; posteaquam exstiterit impedimentum, & separantur, pueri omnes ab eis geniti, legitimi censeantur, & vtroque parenti succedunt. vt Extra, qui filij sunt legitimi c. Ex tenore. Ecce quantum valeat trina nubendorum proclamatio, & publica solemnitas nuptiarum. Dicit enim Raymundus: Si omittantur consuetæ solennitates, & fiat matrimonium clandestinum, siue occultum, in hoc casu non præsumitur matrimonium, vel coniugium, sed fornicatio siue adulterium: & habetur 30. q. 5. c. Alter. Non tamen intelligas sic, quod non possit esse secundum illud quod Ecclesiæ præsumit. Et dicit Petrus de Tharantasia, Clandestinus consensus potest duplex esse. *Vnus* qui licet fiat sine solennitate Ecclesiastica & publica, fit tamen in præsentia testium; & talis consensus facit matrimonium verum & præsumptum. *Alius*, qui fit sine præsentia testium, & talis quamuis faciat matrimonium verum, non tamen præsumptum. Ideo consulendum est talibus, quod de nouo & publicè contrahant, & faciant pœnitentiam, quia scandalizauerunt Ecclesiam: & prædicti certè exposuerunt se non paruo periculo. Nam posset alter alterum dimittere quando vellet, & de facto cum alio vel alia contrahere, & sic in adulterio manere, quia non posset probari primum matrimonium. Idem dicit Hostiensis. Ideo dicit hic Euangelista. *Nuptiæ factæ sunt die tertia*. Vbi per *diem* intelligi debet manifesta proclamatio & publica solemnitas: si tamen causa ex postulat, possunt omitti. Et hoc notauit Hugo 30. q. 5. c. In principio. Vt quia fortè senex est vir, & erubescit contrahere cum solemnitate tanta, aut accipit nobilem, cum ipse sit ignobilis, & è contra, & timet parentes eius. Additq; Gulielmus 1. dist. Credo quando diu manserunt sicut vir & vxor, non erubescunt adhibere solennitates bannorum, vel benedictionis nuptialis. Credo ergo, dicit ibidem, quod in talibus possit dispensari per Episcopum, ex Canone, nec credo quod sufficiat dispensatio minoris Prælati. Et dicit notanter *tertia die*; quia tres dies debent præcedere nuptias, primus dies vt manifestè per sponsalia initietur.

Hæc omnia ante Concilium Tridentinum. Nunc vero quid tenendum sit, vide dictũ Cõcilium sessione 24. decreto de refor. Matrim. c. 1. & seq.

K

Quot modis sponsalia cõtrahantur.

Sunt autem sponsalia futurarum nuptiarum promissio, pro vt ponitur. ff. de spon. in. 30. q. 5. c. Nostrates. & contrahuntur quatuor modis. Vno modo vna promissione vt cum vir dicat: accipiam te in vxorem meam, & illa dicat accipiam te in virum meum, & si talia verba de futuro fiunt cum consensu vtrorumque puerorum, à parentibus non sunt frangenda 31. q. 7. c. Si qui parentes. Hæc etiam impediunt cum alio contrahendo, sed non iam contractum 27. q. vlt. cap. vltim. quia soluta sunt sponsalia, propter fortius vinculum matrimonij superueniens, vt Extra de spon. de illis. & debet agere pœnitentiam de fide mentita. Extra de spon. duorum. *I.*

SECVNDO contrahuntur sponsalia datis arrhis sponsalitionis, & si non sequitur matrimonium, debent arrhæ restitui hoc modo; si matrimonium non fuit secutum absque alterius culpa, vt propter superuenientem mortem, vel religionis ingressum, & huiusmodi restitui debent simpliciter; Si verò fuerit secutum propter culpam dantis, perdit arrhas: si propter culpam recipientis, restituat eas in duplum, vt c. de spon. le. ar. & le. si. *II.*

TERTIO, per annuli subarrhationem eodem modo sicut de arrhis sponsalitijs Dei, & siue interueniat consensus siue non, dum constat de subarrhatione, præsumitur pro sponsalibus si fiat apertè subarrhatio vt 30. q. 5. c. Nostrates, & c. Fœminæ. *III.*

minæ. Si autem præsumitur à sponsis, præsumitur à matrimonio. vt Extra de spons. cap. Tuæ.

IV. QVARTO, contrahuntur sponsalia non solum in promissione, sed etiam in iuramenti appositione, vt si vir iuret mulieri, quod velit eam ducere. Extra de spon. c. De illis, &c. Præterea. Si autem volueris de hac materia latius loqui, vide summam Pisani & Raymundum.

L SECVNDVS dies est, vt manifestè per consensum de præsenti ratificetur. Quia dicit Magister lib. 4. dist. 28. Efficiens causa matrimonij est consensus non quilibet, sed per verba expressus, nec de futuro sed de præsenti. Si namq; consentiunt in futurum, dicentes: Accipiam te in virum, & ego te in vxorem, non est iste consensus efficax matrimonij; quasi diceret, ideo requiritur consensus de præsenti cum his, accipio te in virum, & ego te in vxorem. De hoc consensu dicit Isidorus 27. q. 2. c. Consensus facit matrimonium.

Consensus coniugũ mutuus, qualis debeat esse.

Dicit tamen Raymundus, quando vir consentit in mulierem per verba de præsenti, & illa in virum, statim est matrimonium, etiamsi consensus non exprimatur verbis, sed signis in his, qui non possunt dicere, vt mutus, &c. Quare tunc Magister dicit quod talis consensus debet esse per verba expressus?

Ad hoc respondet Petrus, quod sacramentum matrimonij res sensibilis est, & ideò requiritur exterius signum expressum. Expressio autem huiusmodi conuenientius fit per verba de præsenti; sed potest fieri per alium modum, vt per literas absentium, vel per euidentia signa præsentium non valentium loqui, vel audire, vt dixit Raymundus. sine consensu autem quæcunq; alia dicantur vel fiant, etiamsi interuenerit carnalis copula, non est matrimonium, vt Extra de spons. duorum ca. *Tuas dudum*; & Extra de spons. cap. Si inter virum. Ideò dixerunt parentes Rebeccæ Gen. 24. *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem.* Ideò illi malefaciunt, qui cogunt filias suas ad nuptias contrahendas, vel etiam alias personas; quia dicit Magister lib. 4. dist. 19. oportet consensum coniugalem liberum esse à coactione. Coactus verò consensus, qui non consensus apellari debet, non facit coniugium: & allegat ibi Vrbanum Papam qui scribit Sanctio regi Arragonum in hæc verba: De neptis tuæ coniugio, quàm te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione confirmasti, hæc æquitate dictante decreuimus, vt si illa virum illum omninò sicut dicitur renuit, & in eadem voluntatis auctoritate persistit, vt viro illi prorsus se deneget nupturam; nequaquam eam inuitam ac renitentem eiusdem viri cogas coniugio copulari. Hæc ille.

Peccant cogentes filios aut filias nubere.

TERTIVS dies, vt manifestè per traductionem consumetur. Quia quidam dicunt, quorum sententiam recitat Magist. lib. 4. dist. 27. Verum coniugium non contrahitur ante traductionem, & carnalem copulam, nec verè coniuges esse aliquos, antequam intercedat commixtio sexus, sed à prima die desponsationis, vir sponsus, & mulier sponsa est, & non coniunx; Et propter horum assertionem necesse est, vt manifestè nuptiæ per traductionem consumentur. Sed tamen hæc assertio est contra Isidorum 9. lib. Ethym. qui dicit; Coniuges verius appellantur à prima die desponsationis, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus. Idem dicit Augustinus. Coniunx vocatur ex prima desponsationis fide, quàm concubitu non cognouerat, nec fuerat agniturus. Propter coniugium fidele, ambo parentes

An copula sit de essentia cõiugij.

parentes Christi vocari meruerunt, non solum illa mulier, sed ille pater eius. Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, tangitur in verbis propositis concordia animorum, ibi; *In Cana Galileæ*, & interpretatur in Cana zelus, quod idem est, quod amor, vel concordia, ad significandum, quod postquam tradita est sponsa sponso, debet inter eos esse dilectio. Quia dicit Magister lib. 4. dist. 26. in fine. Coniugium est signum spiritualis coniunctionis ac dilectionis animorum, quo inter se coniuges vniri debeant. Vnde Apostolus ad Ephes. 5. ait: *Viri diligite vxores vestras, vt corpora vestra.* De amore & concordia coniugum.

Est autem NOTANDVM, vt inquit Auctor lib. 12. propriet. Inter omnia animantia aues sequuntur maximam honestatem. Nam secundum ordinem naturæ, mares fœminas cum solennitate quærunt, inuentas diligunt, & pro ipsis pugnant, & periculo se exponunt, vt principaliter patet de gallo. qui zelat & diligit vxores suas: & inuento cibo, voce quadam ipsas conuocat, & sibi subtrahit, vt eas reficiat, pinguiorem & teneriorem quam plus diligit, secum quietis tempore vicinius collocat, & ipsius præsentiam circa se plus affectat.

MORALITER loquendo, sic etiam debent solliciti esse sibi ipsi mares in requirendo fœminas. PRIMO quidem, vt quilibet quærat sibi fœminam morigeratam, bonam, & sibi in moribus conformem, quia benè morigerata scit se benè habere erga virum suum; & in illo oritur dilectio inter eos. Bona autem mulier non est rebellis viro suo, nec conturbat virum, quod iterum est dilectionis signum. Ideo dicit Sapiens. *Beatus, qui inuenit mulierem bonam.* Prouerb. 18. Qualis fœmina quærenda pro matrimonio.

Vt autem bonam inueniat, dat doctrinam Chrysost. super Matth. Qui ducere vult vxorem, debet considerare ambos parentes bonos, aut malos, aut vnum bonum, & alterum malum; si ambo sunt boni securè accedat, quasi diceret tunc filia est bona, *quia bonos fructus, facit arbor bona*. Matth. 3. Si ambo sint mali, omninò dimittat: quasi diceret, sic filia erit mala, eo quod arbor mala facit malos fructus: si autem alter bonus, & alter malus, quid facturus sit timeat; Veruntamen si pater sit bonus, & mater mala, magis conuenit timere: Si verò è conuerso scilicet, si pater est malus, & mater bona minus conuenit formidare; Et huius ratio est, quia puellæ magis sequi mores maternos, quàm paternos consueuerunt. Sed si mulier est similis in moribus, signum est dilectionis, sicut radix amicitiæ est similitudo morum, iuxta illud Aristot. 8. Ethicorum: Simile diligit sibi simile. Et iterum. 9. Ethicor. Simile amicum est simili. Ita dissimilitudo morum signum est discordiæ & inimicitiæ, iuxta illud Aristot. 1. Oeconom. Dissimilium morum, rarò sunt amabiles. Cui consonat liber de amicitia: Dispares mores disparia sequuntur studia, id est, conuersationes. Similitudo morũ inter coniuges.

Hinc est quod hi viri, qui non recipiunt mores bonitatemque, nec non mulieris similitudinem, sed tantum eius pulchritudinem, aut diuitias, vt frequenter inueniunt sibi eas contrarias. Nam pulchræ ab alijs etiam amantur, qui quidem extraneus amor facit odium viro; Nam dicit Seneca: Pulchra citò adamatur, turpis facile contemnitur. Vnde difficile est custodire, quod omnes amant. Idcirco pulchritudo in muliere si sit sine pudentia & bonitate, plus contemnenda est, quàm petenda. Quia dicit Sapiens. *Circulus aureus in naribus suis*, id est, scrophæ, *mulier pulchra & fatua*, Prouerbior. 11. Vbi dicit Glossa. Sus si habet circulum aureum

circa rostrum suum, ponit ipsum intra lutum, Sic mulier fatua, siue incontinens, ornatum pulchritudinis à Deo sibi datum, ponit ad luxuriæ lutum. Ideò etiam melius est viro, vt quærat bonam & pauperem, quàm malam & diuitem: *Dicit Sapiens,* Prouerb. 21. *Melius est sedere in angulo domus,* scilicet cum paupere & bona, *quam in muliere litigiosa in domo conuiuij.* Ideò Ecclesi. 26. dicit Iesus Syrach. *Mulieris bonæ, beatus vir:* non dixit mulieris pulchræ, vel diuitis. Et ponit rationem, *numerum enim annorum illorum duplex,* quasi diceret: amborum vita prolongatur ex bonitate & dilectione mutua.

Eccles. 26.

M

De paritate coniugum quoad ætatem, opes, conditioné. Imparitas in coniugio est vitanda.

SECUNDO est necesse si debeat dilectio esse inter eos, vt quærat sibi similem, non tantum in moribus, sed etiam in iuuentute, nobilitate, diuitijs, & senectute, vt videlicet iuuenis ducat iuuenem, nobilis nobilem, diues diuitem, & senex senem. Iuxta illud Poëtæ: Si qua velis aptæ mulieri nube pari. Et rationem illius ponit Ægidius Romanus de regimine principum lib. 2. part. 1. c. 12. dicens. In omni coniugio nimia imparitas videtur esse vitanda videlicet imparitas in coniugio, siue sit secundum nobilitatem, siue secundum ætatem, vel plurimum est causa litis vel etiam est causa, quod sibi coniuges fidem non seruant; vt, si nimis nobilis nubat ignobili, non erit eis societas digna, sed vnus alteri, vltra quàm leges coniugij requirant, conabitur dominari: si etiam nimis senex iuuenculæ nubatur, quia iuuenes senum societate non gaudent: talis imparitas ætatis erit quoddam incitamentum, quod sibi coniuges fidem non seruant. Hæc Ægidius.

Si autem diues nubat pauperi, obijcit sibi paupertatem; vel si pulchra nubit deformi, habet eum exosum, & adultera efficitur: Paritas ista in annulo ostenditur, qui si strictior sit, digito non congruit: si latior, decidit. Sic etiam inter coniuges, si sint dispares, vel simul manentes non sunt discordes, vel vnus ab alio discedit. Ideò dixit Dominus Genes. 2. quando voluit Adæ dare coniugem: *Faciamus ei adiutorium simile sibi:* de costa viri formauit DEVS mulierem, ne posset vnus contra alium gloriari, se esse nobiliori genere: non formauit eam de capite, ne crederetur ad dominationem formata. Quia dicitur Eccles. 25. *Mulier si primatum habet,* scilicet in domo, *contraria est viro suo,* scilicet verbis & factis, neque de pedibus eam formauit ne crederetur formata ad seruitutem; sed de medio, vt tanquam socia habeatur. Postquam viri sibi mulieres bonas, similes scilicet in moribus, in iuuentute, nobilitate, &c. quæsierint, debent ad instar auium eas diligere. Iuxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Et post pauca ponit rationē. *Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam.* Et subdit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

Simile.

Mulier quæ debeat viro, vt ab ipso diligatur.

Ad hoc autem, vt à viris mulieres diligantur, tenentur eis quinque: *Primo* dilectionem, vt legitur de Michol, quæ dilexit Dauid virum suum, vt habetur 1. Regū 19. & Tob. 10. parentes monebant filiam suam, vt diligeret virum suum. *Secundo* fidem thori quia dicit Rom. 7. *Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro.* *Tertio* timorem sanctum, iuxta illud ad Ephes. 5. *Vxor timeat virum suum.* *Quarto* subiectiuam obedientiam secundum verbum Domini Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.* *Quinto* mollem responsionem, quia Prouerb. 15. *Responsio mollis, frangit iram, sermo durus, suscitat iram.*

His

His igitur quinque in mulieribus consideratis, debent viri prudentes coniuges suas diligere, nec eas molestare: Dilectio tamen ista debet esse honesta, quia nimia & inhonesta dilectio cauenda est inter virum & mulierem. Quia dicit Gregor. 32.q.4. c. Origo & B. Augustin. 2.q.8.c. Adulteri. Omnis amator vehemens vxori suæ, propriè adulter est. Glossa, in quantum recedit ab amore Dei; vel fortè similis est, in quantitate peccati, adultero; & si amor huiusmodi præponitur amori DEI, peccatum est mortale; Quibus concordat Sextus Pitagoricus in sententijs. Adulter inquit, est in suam vxorem amator ardens, in aliena quippe vxore omnis amator turpis, & in sua nihil turpius, quàm amare vxorem sicut adulteram. I. Dilectio coniugum sit honesta.

SECVNDO, debent viri ad instar auium pro vxoribus suis pugnare, & periculo se exponere. Debent enim se mutuo defendere coniuges, non solum ab iniurijs spiritualibus, sed etiam à vitijs, & inhonestatibus; quod tunc fit, quando vnus coniugium alium malè viuentem corripit, & corrigit. Si enim vxor malè sit morigerata, sicut docet Chrysostomus super Matth. tribus modis à vitijs castigari debet. PRIMO docendo secundum Deum, si autem timorem Dei non sentit, improperando, vt homines erubescat; si nec pudorem sentit frequenter confusa, fac illi sicut præcepit Salomon *cor durum* baculo percute. Ergo primò admone, quia multum proficit doctrina iustitiæ; deinde confunde, quia pudor est frequenter frenum vitiorum. SECVNDO bonum est, vt castigetur, quia ancilla erubescere nescit, vt libera. Hæc Chrysostomus. Si autem vir se malè habeat docet Augustin. lib. 50. hom. vt vxor eum quatuor modis cohibeat. *Primo* admonendo. *Secundo* obiurgando, vt si non prosint caritatiuæ admonitiones, faciat duras obiurgationes. *Tertio* si hoc non valet, Ecclesiam interpellet, vt Prælati consilium quærendo, maximè si peccatum notorium sit. *Quarto* ad Deum currendo, per vires spirituales & orationes: quiá *saluatur vir infidelis per mulierem fidelem*. 1. ad Cor. 7. N De correctione quam sibi mutuo debēt cōiuges. Eccli. 3. Vir malus quomodo cohibendus.

Quantum ad TERTIVM tangitur pudicitia coniugatorum, cum dicitur: *Et erat mater Iesu ibi.* Circa, quod NOTA, quod pudicitia coniugalis consistit in tribus. PRIMO, vt causa prolis matrimonium contrahatur. Dicit n. Auctor. 12. lib. propriet. quod aues ideo amore coniugalis fœderis, procurandæ prolis, se coniugunt & sociantur, & fœtus procreatos ab ipsis, nutriunt atq; pascunt. In hoc MORALITER docet, qui volunt matrimonialiter sociari, vt hoc faciant causa prolis procreandæ. Quia dicit Hieronymus 32.q.4.c. Ergo. & 32.q.2.c. Pudor. Intentio matrimonij debet esse causa prima prolificandi; & hoc perpendens Tobias iunior dixit, Tob. 8. *Nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem eam coniugem, sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Finis Matrimonij, proles.

Qui enim non hac causa vxores ducunt, sed causa libidinis, super hos dæmones potestates accipiunt, sicut patet de septem viris Saræ, quas dæmon strangulabat. Ideò dixit Angelus Tobiæ 6. *In eos, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: super eos habet dæmonium potestatem.*

ITEM debent non solum causa prolis contrahere, sed pueros etiam à se genitos pascere, instruere, & à vitijs cohibere. Ideò debent eos pascere, quia dicit Basilius in exam. & Beda, quod aues coruini generis pascunt pullos in iuuentute, & è contra iuuenes pascunt parentes in senectute. & quando debilitantur minores scilicet iunio- Quid parentes filijs, filij parentibus debeant.

iuniores, in suis rostris eleuant & deferunt seniores. Et quid per hoc ostenditur, nisi quod parentes debent nutrire pueros suos dum iuuenes sunt, & iuuenes debent è contra in senectute parentibus prouidere. Quia dicit Ambrosius in exam. In omnibus his vulneribus naturalis pietas commendatur, vt homo pietatis obsequium denegare parentibus erubescat, quod ab auibus impendi sibi inuicem non ignorat.

Filij quomodo instruendi.

SECVNDO debent eos instruere exemplo aquilarum, dicit Aristoteles lib. 6. Animalium: Aquila pullos suos iam adultos paullatim prouocat ad volandum, & facit eos esurire, vt auidius eam sequantur, & si forte pigritauerint ad exeundum, percutit eos cum rostro, & subtrahit eis cibos vt sic cogat eos ad exeundum. Et si hoc faciunt volatilia irrationabilia, multo magis homines ratione præditi, aut dotati, debent pueros suos in bonis moribus instruere, vel arte. Exemplum habemus Tobiæ 10. de parentibus Saræ, qui instruebant eam *diligere maritum, regere familiam gubernare domum & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Sic etiam Mathathias iam moriens instruxit filios suos 1. Machab. 2. *Nunc filij æmulatores estote legis: & date animas vestras pro testamento patrum.* Quia dicit Sapiens Eccles. 7. *Filij si tibi sint, erudi illos, & curua eos, à pueritia eorum.* Et dicit Gloss. Pater tenetur puero prouidere de nutrimento, & de doctrina aut documento, & non solum tenetur eos instruere in morib. sed etiam in artibus Iuxta illud Caton.

Cum tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos,
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Et rationem ponit Plato in sententijs: Si pater non studet filium instruere, vel artem vel scientiam quibus proficiat, vel lucretur, filius ille non tenetur patri in necessitatibus prouidere. Ideo legitur quod Constantinus Imperator præcepit, vt filiæ suæ artem vel consuetudinem manibus operandi haberent, vt per exercitia operis vitia vitarent. Et si fortuna sibi non arrideret, scirent laboribus manuum victum quærere & amictum. Ideo refert Suetonius de Augusto Imperatore, qui filiam suam & neptes ita disposuit, vt lanificio assuefierent.

Debent TERTIO eos à vitio cohibere. Iuxta illud. *Eccles. 30. Ne des filio tuo potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit dolor animæ.*

SECVNDO, pudicitia coniugalis consistit in hoc vt propriæ fragilitati succurratur. Iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Propter fornicationem*, scilicet vitandam, *vnusquisq; vxorem suam habeat, & vnaquæq; mulier virum suum habeat.* Ideo dicit Magister lib. 4. dist. 26. c. 1. Coniugij institutio duplex est: *Vna* ante peccatum, & ad officium facta est in paradiso, scilicet propter propagationem prolis, vbi esset thorus immaculatus & nuptiæ honorabiles; Ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent: *Altera* verò post peccatum, ad remedium; Glossa, quantum ad vitandam fornicationem, facta est, vt dicit Magister extra paradisum, propter illicitum motum deuitandum: *Primò*, vt natura multiplicaretur: *Secundò*, vt natura scilicet corrupta exciperetur, id est excusaretur & vitium cohiberetur.

Coniugij institutio duplex.

TERTIO, pudicitia coniugalis in hoc est, vt locus, tempus, & debitus modus seruetur. Dicunt enim naturales quod aues seruant temporis congruitatem, & hoc est tempus veris; sic debent coniugati debito tempore opus matrimonij exercere & non

Circumstantiæ actus coniugalis, lo-

non tempore vetito, id est, prohibito, vt tempore menstrui, vel tempore puerperij, vt dicitur dist. 5. cap. Cum enixa. Quia dicitur Leuit. 15. *Si coierit vir cum muliere tempore sanguinis menstrualis, immundus erit.* Et iterum c. 18. *Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes.* Et dicit Augustinus quod tunc abstinendum est, à tali opere, propter prolis corruptionem. Et dicit Hieronymus, quod tunc concipiuntur membris priuati, cæci, claudi, & leprosi. Nec tempore etiam sacro, nec festiuo, quando vacandum est orationi. Ideo dicit Augustinus: Propter dies processionis & ieiuniorum aliquando non licet coire, quia à licitis etiam abstinendum est, vt facilius impetrari possit quod postulatur; vnde & tempore quo mulier impregnata est: Quia dicit Aristoteles. lib. 5. animalium, Postquam fœmina elephantis est impregnata, omnino ab ipso non tangitur. ITEM, nec in loco sacro est illud opus exercendum. Qualiter autem hoc opus debeat exerceri modo debito, hoc supersedeo ne grauem pias continentium aures. Si autem vis de hoc in confessione aliquid proponere, vide Gulielmum in Sum. virtu. tract. 6. cap. 7. cus, tempus, modus.

Quantum ad QVARTVM, tangitur memoria egenorum, cum concludit: *Vocatus est autem* IESVS *& discipuli eius ad nuptias.* Vbi NOTANDVM. Cum celebratur conuiuium nuptiarum, semper debet ibi esse memoria egenorum, qui debent inuitari exemplo Tobiæ 8. de Raguele, quando tradidit filiam suam Saram Tobiæ in vxorem fecit solemne conuiuium. Nam *duas vaccas pingues & quatuor arietes occidit & dari epulas omnibus vicinis & amicis iussit.* Et non est putandum quod sine pauperibus comedisset qui semper pauperum in suis conuiuijs memor fuit, vt habetur Tob. 2. Et merito sunt arguendi qui egenos de suis conuiuijs excludunt, cum dicat Dominus Lucæ 14. *Cum facis prandium, noli vocare amicos, vicinos, aut diuites, sed voca pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Et debent hoc facere coniugati non solum in nuptiarum conuiuijs, sed etiam in alijs suis prandijs debent Christum in suis pauperibus vocare, & non excludere, ne à Christo excludantur. O Misericordia & liberalitas coniugũ erga pauperes.

Refert enim Robertus Holkot super lib. Sapien. lect. 210. Senator quidam cum vxore sua ædificauit castrum, in quo scripsit hæc metra:

Decretum detur, ne dormiat aut epuletur.

Hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana. quasi diceret: Hic non intrent triplices homines: Laici illiterati, & deformes, sed militares qui significantur per Achillem; & docti qui significantur per Platonem, & formosæ mulieres quæ notantur per Dianam: Et sic exclusit pauperes. Contigit autem eum infirmari, & Christus visitauit eum dicens: Exclusisti me in meis, & ego te excludam à regno meo. Audiens hoc Senator B. Virginem MARIAM implorauit, quæ misertа ei apparuit & ipsum alios versus docuit, scilicet; Hospitalitatis opus quã sit Deo gratum.

Muta decretum, sanctorum collige cœtum,

Nudum Martinum, Iacobum, Lazarum peregrinum.

Ideo legitur in Vitis Patrum lib. 4. c. 19. de exemplis. §. 1. Duo antiqui Patres in eremo rogauerunt Dominum, vt ostenderet eis ad quam mensuram venissent; Et venit vox illis dicens: In villa quæ est in Ægypto, est quidam secularis Eucharistus nomine, & vxor eius Maria, nondum peruenistis ad mensuram ipsorum; Exsurgentes illi venerunt in vicum illum, & percunctantes inuenerunt cellulam ipsius; Eucharistus cũ vxore sua.

Maria in virginitate viuens, substantiam suā in tres partes diuidit.

sius & vxorem eius, & dicunt ad eam. Vbi est vir tuus? Et illa. In campo, & pascit oues. Et introduxit eos in domum: Cum sero factum esset, venit illic cum ouibus. Et videns illos seniores, parauit mensam, misitq; aquam in peluim, vt lauaret pedes eorum. Qui dixerunt: Non gustabimus quicquam, nisi indicaueris nobis prius operationem tuam. Et ille cum humilitate: Ego, inquit, sum pastor ouium, & hæc vxor mea est. Cumque perseuerassent illi rogantes, vt omnia denunciaret, & ipse nollet dicere, dixerunt ei: Deus misit nos ad te. Audiens autem hoc verbum timuit, dixitq; eis: Ecce oues duas habemus à parentibus nostris, & quicquid nobis donauerit ex ipsis Dominus, diuidimus in tres partes, vnam partem pauperibus alteram in susceptionem peregrinorum, & tertia partem in vsum nostrum. Ex quo autem accepi vxorem meam, neque ego pollutus sum, neque ipsa, sed virgo est. Singuli autem remoti ab inuicem dormimus, & nocte induimus nos saccis, in die verò vestimenta nostra, & vsque huc nemo hominum cognouit. Cumq; hæc audissent illi patres, admirati sunt, & recesserunt glorificantes Deum.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIÆ.

Sermo tertius.

Die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, &c. Ioan. 2.

P

CONSVETVDO fuit olim quod virgines quæ debebant regibus copulari, per aliquod tempus cultibus regijs ornarentur, sicque ornatæ in thalamum regis ducerentur, & quæ oculis regis magis placuisset, hanc in sponsam & reginam habuisset: Et hoc figuratum Esther 2. vbi legitur; Postquam Vasthi propter superbiam fuisset abiecta, factum est regis præceptum, vt de omni regno suo congregarentur puellæ speciosæ, & virgines; & adducerentur ad ciuitatem Susam & traderentur in domum fœminarum, sub manu Egei Eunuchi, qui erat præpositus & custos fœminarum: vel reginarum, ibi acciperent mundum muliebrem, ornatum, & cetera ad vsum necessaria, sicque omnibus abundanter secundū regiam ambitionem expletis, excolerentur per sex menses, oleo myrrhino vngerentur, & per alios sex quibusdam pigmentis vterentur, & sic decenter compositæ & ornatæ de triclinio fœminarum, ad regis cubiculum transirent, vt quæ ex omnibus magis oculis regis placuisset, illa pro Vasthi in solio regni sedere debuisset.

Assuerus significat Christum.

SPIRITVALITER. Assuerus qui interpretatur beatus, significat Christum summi regis filium, qui (vt ait Hugo in soliloq. de arrha animæ) venit in hunc mundum, quem ipse creauerat & desponsauerat sibi in vxorem electam & vnicam, regalibus nuptijs dignam Sed tunc Iudæa, quæ significatur per Vasthi, quia in forma parentū suorum recipere contempsit, abiecta est, & missi sunt ministri regis, scilicet Apostoli, per vniuersum mundum, congregare animas, & ad ciuitatem adducere regis, id est, ad sanctam Ecclesiam, in qua Deus est, & mansio mulierum vel reginarum, id est

est sanctarum animarum, & fœcundantur, & generant non ad seruitutem, sed ad regnum filios; quæ quia non ex timore, sed ex charitate Deo seruiunt, quasi in libertatem bonorum operum partus edunt. *Et subdit Hugo vlterius exponendo figuram*, Multi quidem vocati per fidem intrant Ecclesiam, & ibi sacramenta Christi, quasi quædam vnguenta & antidota, ad reparationem & ornatum animarum præparata, accipiunt. Sed quia veritatis ore multi sunt vocati, pauci verò electi, non omnes qui ad hunc cultum sunt admissi, ad regnum sunt eligendi; nam tantum isti eliguntur qui sic student se per ista mundare & excolere, vt, cum ad regis præsentiam introducti fuerint, tales inueniantur, vt ipse magis velit eligere quàm reprobare. *Et tunc alloquitur doctor Hugo animam suam dicens*: Vbi posita es vide, & qualem pulchritudinem debes diligere. Posuit te Christus in triclinio, vbi mulieres ornantur, varia pigmentaria, diuersas species tibi dedit, vbi cibos regios de mensa sua tibi ministrare præcepit; quicquid ad suauitatem, quicquid ad refectionem, quicquid ad reparandum speciem, & quicquid ad augendum decorem valere potest, tribuit: Sed caue ne ad colendam temetipsam negligens sis, ne in nouissimo tuo, cum in sponsi conspectu repræsentata fueris, indigna (quod absit) eius consortio inueniaris. Præpara te vt sponsam sponsi cœlestis, sponsam regis immortalis. Hæc Hugo. Et si anima nostra etiam velut Christi sponsa se præparauerit, coniugio eius digna erit; vt sic dici possit de Christo sponso & anima deuota, *die tertia nuptiæ factæ sunt* in quibus tria tanguntur.

Nuptiarum solennitas.	ibi	*Nuptiæ.*
Loci congruitas.	ibi	*In Cana.*
Conuiuarum nobilitas.	ibi	*Et erat mater.*

Quantum ad PRIMVM, tangitur nuptiarum solennitas cum dicitur die tertia nuptiæ factæ sunt.

Circa quod NOTANDVM Euangelista dicit: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* Vnde nuptiæ sunt duplices scilicet carnales & spirituales. *Carnales* fuerunt inter Adam & Euam, quæ initiatæ fuerunt tunc, quando Adam dixit Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: ratificatæ fuerunt tunc, quando dixit; *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*: Vbi tangit primum bonum coniugij, scilicet bonum inseparabilitatis; sed cum addit; *Adhærebit vxori suæ* tangit secundum bonum, scilicet fidelitatis, quia non debet adhærere alijs mulieribus. Cum autẽ concludit. *Et erunt duo in carne vna*. tangit tertium bonum coniugij, scilicet bonum prolis. De his tribus bonis dicit B. Augustinus super Gen. lib. 9. c. 9. nuptiale tripartitum est, scilicet fides, proles, & sacramentum. *In fide* attenditur ne post vinculum coniugale cum alio, vel cum alia coeatur. *In prole*, vt ametur, suscipiatur, & religiosè educetur. *In sacramento*, vt coniugium non separetur; Hæc ille. Sed hæ nuptiæ inter Adam & Euam consummatæ sunt, quando ipse cognouit vxorem suam. Genes. 4. Sic nunc nuptiæ carnales, aut matrimonium Christianorum, initiatur per sponsalia, scilicet per verba de futuro, vt ff. de spon. lib. 1. & ratificantur per verba de præsenti, vt 27. q. 2. §. 1. Vel ratificantur quando per Ecclesiam approbantur, vt 30. q. 2. cap. 1. & Extra de clama. de spons. c. Cumque inhibitio: sed consummatur per carnalem copulam, Extra de coniug. c. Ex publico, vbi habetur. Matrimonium per solam carnis copulam consummatur, ad quam nullus debet coniugem cogere. Istæ inquam nuptiæ sunt valde commendabiles & solennes propter multa.

Q

Matrimoniũ initiatũ, ratum, consummatum.

Bonũ nuptiale triplex.

Matrimonij commendatio ex multis capitibus.

I. Ratione Auctoris.

PRIMO propter auctoritatem instituentis. Cum enim alios ordines instituerint aliqui sancti, vt Franciscus, Dominicus, Augustinus, Benedictus, ordinem autem matrimonij instituit ipse Deus, sicut dicit Magister lib. 4. dist. 26. cap. 1. Cumq; alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium susceperunt, sacramentum matrimonij etiam legitur ante peccatum à Domino institutum, scilicet Gen. 2. Et si ideo culpabilis est monachus, si ordinum Francisci transgreditur, constat quod multum culpabilior est, qui ordinem matrimonij à Deo institutum supergreditur.

II. Ratione loci.

SECVNDO, propter locum, quia in paradiso sunt institutæ: *Immisit Dominus soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius &c.* Ecce dicit Gloss. quod raptus est Adam in spiritu, & interfuit curiæ cœlesti, & ibi agnouit virtutem matrimonij, & cuius rei esset sacramentum, & erat tunc Adam in paradiso terrestri, mente verò in paradiso cœlesti. Et super illud dicit Augustinus: Extasis recte intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adæ particeps angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei, nouissima intelligeret: vnde euigilans, spiritu prophetico ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.*

III. Ratione Antiquitatis.

TERTIO, propter antiquitatem, non enim de nouo institutum est, immò antiquitate & prioritate excedit omnem ordinem in terris institutum, vt Extra de maio. & obed. c. 1. Qui prior est tempore potior est in iure.

IV. Ratione status.

QVARTO propter statum, quia in statu innocentiæ, in illo felici tempore, in quo homo nondum peccauerat, matrimonium est institutum.

V. Quia in diluuio non perijt.

QVINTO, quia hunc ordinem solum seruauit Dominus tempore diluuij. In arca enim tantum saluati sunt *Noe & vxor eius, & tres filij eius & vxores eorum.* Genes. 7. Omnes autem fornicarij & Sodomitæ, meretricesque, diluuio perierunt.

VI. Quia B. Virgo Maria matrimonio iuncta fuit.

SEXTO, ideo honorabile est matrimonium, quod beata virgo habuit matrimonij ordinem, & intrare voluit, licet proposuisset seruare virginitatem; sicut dicit Augustinus in lib. de concup. & nupt. Noluit tamen Dei filius carnem sumere ex ea, donec fuit in matrimonio; Est autem matrimonium pallium, quo Beata Virgo vsa est, quo occultauit cœlestem conceptum. Sub hoc pallio celatum est diabolo mysterium redemptionis nostræ. Infelices & maledictæ sunt illæ quæ potius eligunt esse in confusione diaboli, quàm in ordine Mariæ. Confusio diaboli est status meretricum ita quod quandoque peccant cum patre, cum filio, quandoque cum duobus fratrib. vel cognatis, quandoq; cum fratribus, quandoq; cum coniugatis, quandoq; cum solutis, quandoq; cum religiosis, quandoq; cum leprosis. Infelices etiam sunt adulteræ, quæ matrimonio detrahunt, quæ non timent pallium B. Virginis maculare, ideo grauiter peccant & puniuntur vt dixi supra Dominic. IV. in aduentu I. F.

Adulter sine confessione moritur & damnatur.

Item legitur quod iuuenis quidam peccauit cum vxore proximi sui, quem Deus plagauit, vt subitanea morte sine confessione & sacramentis moreretur, qui post mortem ex permissione diuina, in terrorem adulterorum, apparuit adulteræ rauca voce, & querulosè; Et ipsa quæsiuit de statu suo, qui respondit: Damnatus sum propter adulteria quæ tecum commisi. Et subiunxit: Vis videre ardorem meum quomodo intus & foris ardeo? & emittens vrinam quæ fuit sicut cuprum bulliens? & ipsa deterrita ad confessionem venit, & vitam suam emendauit. Hoc exemplum potes in terrorem coniugatis prædicare, ne audeant pallium Beatæ MARIÆ Virginis inquinare.

SEPTIMO quod Christus voluit honorare nuptias sua præsentia, & matris suæ, & discipulorum. Ioan. 2. Et sunt verba præsentis Euangelij. Et non solum honorauit sua præsentia, sed etiam solenni miraculo, cum aquam in vinum conuertit; Ipsum vero miraculum, quo aqua mutata est in vinum, ostendit cuius virtutis sit matrimonium. Aqua enim vilis, facta est vinum pretiosum; sic opus carnale vile est absque matrimonio; patet itaque quod opus matrimoniale est pretiosum. Vnde infelices sunt concubinarij, qui aquam fœtentem præeligunt, potius volentes opus illud exercere extra matrimonium cum peccato, quàm in matrimonio sine peccato: ideo grauiter puniuntur.

VII. Quia Christus nuptias sua præsentia honestauit & miraculo. Concubinarij quare infelices.

Refert Cæsarius in dialogis lib. 11. c. 59. Mulier quędam luxuriosa nocte quadam ante tribunal Christi rapta est, in cuius circumitu vidit sanctos infinitos, animabus verò in medium ductis, illæ ad gloriam, istæ ad supplicium iudicabantur. Cum hęc videret & tremeret, accusante eam conscientia, manus suppliciter ad iudicem tetendit, cuius ille misertus, ait: Quid me rogas? Da mihi minimum digitum tuum, & ego dabo tibi manus meas, ac si diceret; Da mihi modicam fidem, quod te de tuis vitijs emendes & ego dabo tibi gratiam meam; sicque euigilauit. Quæ cum visum retulisset cuidam religiosæ matronæ nomine Aleydi, ait; Misera, emenda vitam tuam, satis enim commonita es. Illa primum quidem timuit, sed timor idem citius cessauit. Cumq; vt prius vitijs pristinis subiaceret, pro admonitione flagella adduntur; Nam cum post acerrimas infirmitates exspirasset, & nudata super arcam, tecta tantum linteamine, posita fuisset, duo canes ante domum se momorderunt, superuenerunt que omnes canes villæ, & intrantes domum, linteamen corpori suppositum dentibus suis comminuerunt: qui vix à rusticis tandem sunt expulsi. Cadauere verò sepulto, canes fugati redeuntes, ad sepulchrum fecerunt sicut prius. Et dicit Cæsarius. Puto quod anima modicum habuerit pacis, sicut multi, qui viderunt, interpretati sunt.

Sed dicis: Quare Christus voluit interesse nuptijs? *Respondetur.* Ad damnandam perfidiam hæreticorum. Dicit enim B. Aug. lib. de hæresib. c. 25. & idem ponit Magist. lib. 4. dist. 26. fuerunt nonnulli hæretici nuptias detestantes, qui Taciani appellati sunt. Hi omnino nuptias damnant, ac pares fornicationibus alijsq; corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum coniugies, marem vel fœminam. Quod autem res bona sit coniugium, ex eo probatur, quod à Domino legitur coniugium institutũ fuisse inter primos parentes, & etiam quod in Cana Galileæ interfuit Dominus noster Iesus Christus, easq; miraculo cõmendauit, aqua in vinũ conuersa.

OCTAVVM, quod honorabiles vel solennes facit nuptias vel matrimonium, est excellens benedictio, quam Ecclesia facit coniugibus iuxta altare ad Missam in præsentia Dominici corporis. Et hoc tamen intellige de primis nuptijs, cum virgo nubit. Dicit enim Thomas in 4. dist 4. cum dicitur quod secundæ nuptiæ non debent benedici, intelligitur tàm ex parte viri quàm mulieris, si saltem ex parte mulieris sint secundæ nuptiæ; si autem virgo contrahit cum illo qui habuit aliam vxorem nihilominus benedicatur. Et dicitur NOTANTER, quando ex parte viri vel mulieris &c. Vir autem vel mulier ad bigamiam, vel econtra transiens, non debent à presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sunt, eorum benedictio iterari non debet. Et dicit Gloss. quod benedici non debent sic nuptiæ ad exhortationem continentiæ.

S *VIII.* Ratione benedictionis.

Sed diceres: Quid impedit hanc benedictionem iterari, cum non sit sacramentum, sed oratio super hominem, vt probatur 1. q. 1. c. Manus. *Respondet Gratianus* quod iteratur secundum consuetudinem quorundam, vt de pœn. dist. 3. §. Ex persona. Et dicit Bartholomæus Brixiensis, Benedictio ista, cum aliquis benedicit virginem, iteratur secundum consuetudinem quorundam locorum, & hoc nisi Papa sciat talem consuetudinem, aliàs non licet. Illo modo etiam potest intelligi sanctus Thomas vbi supra.

IX. Ratione fructus & prolis.

NONO nuptiæ sunt honorabiles propter fructum qui ex eis sequitur. Ideo dicit Hieronymus: Laudo coniugium quia virgines procreat, lego de spinis rosam, & de concha margaritam. Et tantum de nuptijs carnalibus. Sed nuptiæ *spirituales* sunt duplices, aliquæ sunt laudabiles, aliquæ vituperabiles. Nuptiæ *laudabiles* sunt multiplices. *Primæ* sunt Dei & animæ fidelis, sponsus est Christus. De quo Bernardus: O anima mea, si sponsum desideras altæ nobilitatis, fęcundæ largitatis & attingibilis bonitatis, à quo nobiliteris, à quo diteris, per quem bonitatem sortieris, iunge te IESV Christo qui nobilitate præeminet vt malos charitate attrahat; sed sponsa huius nobilissimi sponsi est anima fidelis. De quo miratur B. Bernardus: Vnde hoc, ô anima, vt eius sponsa mereris esse, in quem Angeli desiderant prospicere? Vnde tibi hoc; vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, vt sis socia mensæ, socia regni, socia diuini thalami, vt introducat te rex in thalamum suum? Quid ergo retribuis Domino, pro omnibus quæ retribuit tibi?

Nuptiæ laudabiles variæ.

Nuptiæ spirituales.

Et est NOTANDVM. Sicut illa dicitur sponsa carnalis, cui sponsus munera donat, quam castè amat, quam prole fęcundat, & quam sibi thoro sociat; sic etiam ex his quatuor anima dicitur sponsa, sicut testatur Bernardus: Quatuor sunt, inquit, propter quæ fidelis anima sponsa dicitur Christi: dona gratiarum quibus subarrhata est in baptismate: Christi amor, quo illi sociata est in vnctione chrismatis: proles virtutum, quibus fęcundata est diuini verbi dogmate: thorus immaculatus, quo illi in æternum sociatur: est enim procul in ænigmate.

Sed si quęreret quis. Quæ est arrha Christi, quam dedit Christus sponsus dilectis sponsis suis? *Respondet Hugo* de sancto Victore. Nulla est anima, quæ Christi sponsi arrham non accepit, sed est arrha quędam communis, quędam spiritualis; Arrha cōmunis est, quod viuimus, sapimus, quod discernimus, & quod intelligimus. Arrha spiritualis est, quod baptizati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutū accepimus: *Et subdit hoc spiritualius declarando:* Quod, inquit, quisq; habet, hoc illi arrha est: Arrha est diuiti diuitiæ suæ, quibus firmatur, ne cum molestia paupertatis frangatur. Arrha est pauperi paupertas sua, qua castigatur, ne abundans per incontinentiam æstuat; Arrha est forti fortitudo sua, qua roboratur, vt ad bonum opus cōualescat; Arrha est debili debilitas sua, qua stringitur, ne malum perficiat: Arrha est sapienti sapientia sua, qua illuminatur vt bonum perficiat; Arrha est simplici simplicitas sua, qua humiliatur nę superbiat. Ideo in omnibus gratias agere debemus, vt, dum vbique eius misericordiam conspicimus semper in eius amore proficiamus. Hęc Hugo.

Arrha duplex.

Istæ nuptiæ Christi & animæ fidelis, initiatæ sunt in creatione: Contractæ in baptismo iuxta illud Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide* scilicet patrinorū; Ratificatę autem sunt in sancta operatione, quia per hanc anima conformatur cū Deo, iuxta illud

Psal-

Psalmi 14. *Qui facit hac, non commouebitur in aeternum:* Vel ratificantur in Dei adhæsione, iuxta illud 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, vnus est spiritus cum eo*: Vel ratificatur in morte, quando de ærumnis huius seculi siue mortalitatis subtrahitur: tunc aquæ tribulationis mutantur in vinum æternæ consolationis, vt tunc dicere possit anima, *Seruasti vinum bonum vsq, adhuc.*

Vlterius est NOTANDVM. Sicut est in nuptijs carnalibus sponsi & sponsæ, sic est in nuptijs spiritualibus Christi & fidelis animę. Nam in nuptijs carnalibus, sponsa quanto decentius potest adornatur; pectus monilibus munitur, annulo decoratur, conuiuium præparatur, & dote coniugium confirmatur. Sic etiam in nuptijs spiritualibus anima Christi debet decenter se ornare, sicut loquitur Hugo lib. sol. de arrha animæ ad animam suam. Prius, inquit, stude formam tuam excolere, & faciem tuam ornare, habitum componere, mores corrigere, maculas tergere, mundiciam reparare, & disciplinam seruare, & omnibus tandem in melius commutatis, digno sponso dignam sponsam reddere. *Secundo*, debet pectus monili muniri. Per monile, quod auro & gemmis cum labore fabricatur, cœlestis sapientia designatur: hæc cum maxima difficultate acquiritur; Qua acquisita, debet pectus muniri ne secreta cordis cunctis aperiantur, ne teneræ sponsæ arrha, adulationis falsitate lædatur, & suggestio qua ratio obnubiletur, subintret, & casta prostituatur, vt dicit quidam Doctor. *Tertio*, Anima annulo ornatur. Sed per annulum, sine quo nulla desponsatur, Certè spiritus sancti pignus non incongruè accipitur, sine quo cœlestis sponsi amplexibus nemo coniungitur. *Quarto*, Conuiuium præparatur. Debet enim anima sponso Christo conuiuium præparare ad similitudinem Esther reginæ, quæ præparauit solenne conuiuium regi Assuero, & ipsum sola inuitauit, dicens in suo libro cap. 5. *Si inueni gratiam in oculis regis, impleat meam petitionem, vt veniat ad conuiuium quod ei præparaui.* Sic debet anima Christum inuitare, & ei quinque fercula dare. *Primum* est humilitas cordis; *Secundum* est pulchritudo actionis. *Tertium* est rigor vitæ: *Quartum* abstinentia illicitorum. *Quintum* perseuerantia charitatis; Et patent hæc fercula in hoc metro.

T

Ornatus spō sę spiritualis

I.

II.

III.

IV.

Anima Christo quinque fercula apponere debet.

Sit humilis. pulchra, rigor, abstinentia, Zelus.

In hoc conuiuio debent esse positæ sex hydriæ. PRIMA debet esse temperantia quæ figuratur in hydria, quam *Rebecca decora nimis in scapulis portauit.* Genes. 24. Rebecca interpretatur, multum accepit, sicut dixi supra Dominica I. sermo IV. C. L. Hæc quidem debet portare hydriam temperantiæ, in humeris suis, quia est virtus, qua ipsa resistit illecebris in ipsam impetum facientibus, vt dicit quidam Doctor: Et istius hydriæ sunt tres metretæ, eo quod triplex est temperantia aut continentia, scilicet virginalis, vidualis, & coniugalis, quæ omnes saluant; vt de summa Trinitate & fide Catholica c. Firmiter dicitur, non solum virgines & continentes, verum etiam coniugati per fidem rectam. & operationem bonam, placentes Deo, ad æternam mereantur beatitudinem peruenire.

Hydriæ sex, quæ?

1. Tēperantię.

Temperantia triplex.

SECVNDA hydria est iustitia, mediante qua actus carnis mortificantur, & hæc figurata est Iudicum 7. de bello Gedeonis contra Madionitas quia dicitur, quod hydrias confregerunt, & in sinistris manibus lampades tenuerunt, & dexteris tubis sonuerunt.

V

2. Iustitiæ.

Hydriæ quas fregerunt, MORALITER significant actus carnis, qui tunc frangun-

tur cum mortificantur, iuxta verbum Apostoli: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Ad Coloss. 3. Et dicit Glossa. Immunditia dicitur quantum ad peccatum contra naturam; sed libido quantum ad oscula, tactus, amplexus, &c. quæ omnia sunt mortificanda, eo quod non pertinent ad Iustitiam, & tunc apparent lampades bonorum exemplorum, quæ in sinistris aduersitatis teneri debent. Et istius hydriæ sunt tres metretæ, eo quod triplex est mortificatio, scilicet cogitationis, affectionis & operationis.

Mortificatio triplex.

3. Sapientiæ.

TERTIA hydria est sapientia, significata per hydriam Salomonis 3. Reg. 7. quæ erat *de auro purissimo.* Et hæc necessaria est animæ fideli, qua mediante ipsa præcauet insidias diaboli, vt dicit Augustinus. Et benè dicitur, *de auro purissimo*, imo melior est auro & argento, Iuxta illud Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit sapientiam, cui affluit prudentia, melior est acquisitio eius, auro & argento.* Et cap. 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est.* &, *Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Et Sapien. 7. *Omne aurum in comparatione sapientiæ, arena est exigua, & quasi lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Et hæc hydria prudentiæ capit tres metretas, eo quod tres sunt partes prudentiæ scilicet præsentium ordinatio, præteritorum recordatio, & futurorum præuisio, de quibus dicit Seneca in lib. de quatuor virtutibus Cardinalibus. Si prudens es, tribus temporibus dispensetur animus tuus, præsentia ordina, prouide futura, & recordare præterita.

4. Fortitudinis

QVARTA hydria est fortitudo, quæ figurata est 3. Reg. 17. per hydriam bonæ Sunamitis, de qua dixit ad Eliam. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus potest capere farinæ in hydria.* MORALITER. Hydria est fortitudo quę impleri debet farina diuersarum affectionum, per multitudinem tribulationum attritarum. Quemadmodum enim grana in farinam molendo conuertuntur in dulcedinem: & multum vtilis est animæ fideli vt habeat hydriam fortitudinis, quia habitat adhuc in mundo qui est locus laboris & certaminis, iuxta illud Bernardi: In mundo isto quasi in stadio certaminis sumus positi. Ideo dicit Isa. 52. *Induere fortitudine tua filia Sion,* quia Dominus gaudet de fortitudine fidelium animarum. Iuxta illud Neemiæ 8. *Gaudium enim Domini est fortitudo vestra.* Hæc hydria fortitudinis solum capit binas metretas, quia secundum Aristotelem est terribilium aggressio, & difficilium perpessio: Vel capit tres metretas, quia fortitudo in quantum magnitudinem efficit, habet tres partes. Quia quantum ad actus suos habet principium, medium, & finem; Quantum ad principium pertinet ad eam magnanimitas, quæ est rationalis aggressio terribilium; Quantũ ad medium, fiducia, quæ est certa spes producendi ad finem rẽ quæ inchoata est; Quantum ad finem, magnificentia, quę est rerum quę geruntur felix consummatio, vt dicit Gulielmus in Sum. virtu. tracta. 12. cap. 5.

Fortitudo habet tres partes.

5. Cõsideratio humanæ fragilitatis.

QVINTA hydria est humanæ fragilitatis consideratio de qua dicit Metrista.

Est homo res fragilis perdurans tempore paruo.

Et merito similis flori qui crescit in auro, id est in campo. Ideo Innocen. In lib. de vilit. huma. condit. part. 1. cap. 2. Homo creatus est de terra quæ ceteris vilior est elementis, stellas & planetas fecit ex igne; flatus & ventos fecit ex aëre; pisces & volucres fecit ex aqua, homines & iumẽta fecit ex terra: Considerans igitur aquatica, se vilem inueniet; considerans aëra, se viliorem cognoscit; considerans ignea, se vilissimũ reputabit; nec valebit se purificare in cœlestibus, nec audebit sę cõferrę terrenis, quia

parem

parem se iumentis inueniet. Hæc ille. Hæc hydria, scilicet cõsideratio humanæ fragilitatis, ideo necessaria est animæ fideli ne superbiat & Christũ sponsum perdat, sed in statu veræ humilitatis permaneat: & ipsius sunt duæ metretæ scilicet certitudo mortis, vel miseriæ, & incertitudo amoris Dei, vel gloriæ regni cœlestis. De *certitudine* miseriæ, quam patitur humana fragilitas. dicitur Apocal. 3. *Dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius indigeo, & nescis quia miser es.* Gloss. per carentiam gratiæ, *& miserabilis* per reatum pœnæ. *Secundo* de *incertitudine* patet, quia gloriam regni cœlestis nondum habent animæ fideles, & nesciunt an ad eam perueniant: *Quia nescit homo, an amore vel odio Dei dignus sit.* Eccles. 9. Hydria humanæ fragilitatis.

6. SEXTA hydria est sollicitudo temporalis, & hæc est laboris; de qua Ioan. 4 *Reliquit mulier hydriam, & abiit in ciuitatem*; & benè dicit *reliquit*, quia interdum relinquenda est sollicitudo temporalis propter aliorum conuersionem. Huius hydriæ sunt duæ metretæ, scilicet afflictionis continuitas & incontinuatione stabilitas. Istæ hydriæ ponendæ sunt in nuptijs spiritualibus Christi & fidelis animæ, & debent in se continere aquas lacrymarum; & sic in Galilæam, quæ interpretatur transmigratio, de bono in melius debet transire homo, & aquas lacrymarum mutare in vinum spiritualium gaudiorum. Sollicitudo temporalis.

QVINTO nuptiæ carnales dote confirmantur. Est autem dos vel donatio propter nuptias, quas vir dat vxori; vt, si vnus procaretur virginem, quæ haberet viginti marcas, & ipse promitteret sibi quadraginta, vt Instit. de dona. §. Sed nos; Sic etiam nuptiæ spirituales dote confirmantur. Est autem duplex dos quam Christus dabit electis suis sponsis, vna quoad corpus, & erit quadruplex. *Prima* corporum claritas Matth. 13. *Tunc fulgebunt iusti in regno patris eorum*, *Secunda* est impossibilitas de qua dicit Augustinus. In tantum corpora nostra glorificata erunt inpassibilia, vt si in inferno ponerentur nullatenus paterentur. *Tertia* est agilitas de qua Augustinus: Corpora glorificata erunt in tantum agilia, vt vbi esse voluerint, sine mora, sine quouis obstaculo statim erunt; quia vbi vult spiritus, protinus erit & corpus. *Quarta* est subtilitas; Erunt enim corpora glorificata tam subtilia, vt non obstantibus quibuscunq; obstaculis transeant vbi velint, vt dicit idem: Sed quoad animam dabit tres dotes, scilicet cognitionem, dilectionem, fruitionem, Ex cognitione procedit dilectio, & ex vtraq; fruitio siue comprehensio, vt dicit Vincent. in spe. histo. lib. 32. c. 24. & concludit: Hæ sunt dotes quibus sponsa Christi dotabitur, quando in domum sponsæ introducetur. X Dotes corporis gloriosi. Dotes animæ:

SECVNDO nuptiæ *spirituales* sunt inter Christum & animam pœnitentem. Nam Christus efficitur sponsus animæ pœnitentis, sicut dicit ad ipsum promittendo sibi veniam per Amandum in horol. Sap. lib. 1. cap. 4. Ego, inquit, sum frater tuus, sponsus tuus, paratus misereri & tegere peccata tua, & proijcere in profundum maris, & sic remittere quasi nunquam fuissent, dummodo conuerti, & de cetero cauere tibi volueris. Ecce ô anima pœnitens quam pium & misericordem habes sponsum. Istæ nuptiæ inchoantur in agnitione per verba de futuro, id est, per propositum confitendi. sed contrahuntur in confessione per verba de præsenti, vbi loquitur confitens dicendo peccatum, & sacerdos voce DEI absoluendo ipsum, vel remittendo. quia sacerdos DEI est minister remissionis 15. q. 1. cap. Nec is; siue executor vel interpres 23. q. 5. cap. vltim.

Et

Absoluere quid sit. Et quomodo intelligitur quando dicit, *Absoluo te?* *Respondent*, Innocentius & Hostien. *Primo*, denuncio te absolutum. *Secundo*, absoluo te à pœna æterna in pœnam temporalem. dist. 8. c. vlt. Et sic cum sacerdos hoc modo peccatorem absoluit, & pœnitentiam salutarem imponit, nuptiæ ratificantur in boni operis assuefactione, vel in continuatione, vt 12. q. 3. c. Æstimantur. Illarum nuptiarum tria sunt bona. PRIMVM est fides, vt cum diabolo non adulteretur, sed cum Christo vniatur. Quia dicit Augustinus: Sicut Deus omnem creaturam spiritualem, sic anima omnem creaturam corporalem excedit naturæ dignitate. Oportet autem vt anima sit aut sponsa Christi aut adultera diaboli. Hæc ille. Si tamen (quod absit) anima oblita fidei, cum diabolo adulteretur, ex hoc non debet desperare quia dicit Christus Ierem. 3. *Fornicata es cum multis amatoribus tuis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Et Isa. 54. *Misericordia mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non mouebitur.*

Bona nuptiarum spiritualium.

I. Fides

II. Proles. SECVNDVM bonum est proles, vt in bonis operibus se studeat exercere, vt in eleemosynis, ieiunijs, &c. quia dicitur 22. q. 5. c. De forma. Non sufficit mala non facere, nisi etiam quis bonis operibus studeat insudare. Et sunt verba beati Gregorij. Ideo dicit Hugo in sol. de arrha animæ, animam suam hortans post peccata sua bona facere dicens: Deinde vestimenta bonorum operum induis. & fructu eleemosynarum cum ieiunijs & orationibus, cum sacris vigilijs, atque alijs bonis operibus charitatis, quasi quodam miro ornatu decoraris. Ad vltimum sequuntur aromata virtutum, quorum odor suauiter spirans, omnem illum antiquarum sordium fugat fœtorem, & magis læta & magis sospes efficeris, ita vt tu tota quodammodo transmutari in aliam formam videaris. Datur tibi etiam speculum scilicet sacra Scriptura vt ibi videas faciem tuam, neq; minus, neq; aliter quam deceat, habeat compositio ornatus tui.

Aromata virtutum.

Speculum Scripturæ.

III. Sacramentũ. TERTIVM bonum est sacramentum, vt eum inseparabiliter amplexetur, dicens cum Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est*, &c. Harum nuptiarum locus est Cana Galileæ, id est, zelus transmigrationis quæ est triplex. *Prima* de vitijs ad virtutes: quia diuitiæ parant vitia, secundum illud Eccli. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à peccato.* Ideo pœnitens anima debet migrare de vitijs ad virtutes, quæ sunt veræ diuitiæ, secundum illud Gregorij in homilia: Fratres si verè diuites esse cupitis, veras diuitias amate. *Secunda* transmigratio est de virtutibus ad virtutes, sicut docet Beda in homilia: Nos omni studio contendere debemus, semper in bonis operibus alius alium præcedere, cum omni humilitate, sicut boni serui in charitate non ficta, in verbis veritatis, in virtutibus sanctis, in continentia, in castitate, in ieiunijs & vigilijs, in orationibus & ceteris virtutibus, vt de vobis dici possit illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem sancti & electi Dei.* *Tertia* transmigratio erit de mundo ad cœlum, vbi tunc vt dicit Isa. 62. *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Dominus Deus tuus.*

Locus nuptiarum Galilæa, Transmigratio triplex.
1.
2.
3.

Et est NOTANDVM. Sicut in his nuptijs scilicet Cana Galileæ, erant conuiuæ nobiles, vt Maria, IESVS, & discipuli eius. & cum hoc sex hydriæ positæ, ita & in his nuptijs spiritualibus Dei & animæ pœnitentis, debet esse Maria per quam intelligitur amaritudo pœnitentiæ; quam habuit Ezechias rex post peccatum cum dixit Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* De hoc vide supra Dominica infra octauam Epiphaniæ sermo 3. L.K.

Item

Item ibi debet esse Iesus, per quem intellige spem salutis: non debet se anima in sola pœnitentia amaricare, sed debet etiam salutem sperare; quia nisi sibi salutem venire speraret, Iesus non adesset; ideo dicit Dominus Psal. 61. *Sperate in eum omnis congregatio populi effundite coram illo corda vestra*. Quare enim anima pœnitens desperaret, cum Iesus est misericors & mansuetus? Nam beatus Augustinus. O qualis dicitur pietas, quam nulla potest superare iniquitas. Alia sunt quæ Deus misericorditer ignoscit mala nostra; largitur bona sua; semper præsto ad ignoscendum, paratus semper ad largiendum: hic pius, hic largus, vtrobiq; benignus; confiteamur igitur illi mala nostra, cõfiteamur à nobis esse mala nostra, vt pie ignoscat; cõfiteamur ab ipso bona nostra, vt conseruet & augeat. Item debent ibi esse discipuli Iesu per quos intelligitur disciplina bonæ conuersationis, quam debent pœnitentes habere, iuxta illud 1. Pet. 2. *Conuersationem vestram inter gentes bonam habentes*. & ad Philip. Apostolus 3. *Nostra conuersatio est in cœlis*. Et ista tanguntur Hierem. 31. *Statue tibi speculam*; Ecce bona cõuersatio; *Pone tibi amaritudines*; Ecce compunctionis amaritudo. *Dirige cor tuum in viam rectam*; Ecce spes quæ non declinat ad sinistram desperationis, vel ad dexteram præsumptionis. Discipuli Iesu quid denotent.

QVARTO debent ibi esse sex hydriæ plenæ aqua. *Prima* igitur hydria est peregrinatio quæ à sanctis Patribus est inuenta, sicut dicitur dist. 30. c. Si quis. Peregrinatio ad loca sancta non est contemnenda, quia à sanctis Patribus est approbata. Quia legitur 1. Regum 1. *Helcana ascendebat de ciuitate sua statutis diebus, vt Deum in Silo adoraret*. Ita etiam legitur Actor. 8. *quod vir Æthiops Eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopiæ, qui erat super omnes gazas eius, veniebat adorare in Hierusalem*. Et sic de alijs multis: propter quod dicitur Baruch. 4. *Delicati mei ambulauerunt vias asperas*. Peregrinatio ad sancta loca approbata.

Et dixi NOTANTER quod *prima* hydria pœnitentium debet esse deuota peregrinatio. Indeuota verò, scilicet, si non benè viuitur in via, vel in loco ad quem itur, non est laudabilis: ideo dicitur 12. q. 2. c. Socrates. Peregrinum fuisse Hierosolymis, non est laudabile, sed eum benè vixisse. SECVNDA hydria quæ in nuptijs pœnitentiũ debet esse est carnis maceratio, quæ fit per ieiunium, fletum, & planctum. Et dicit beatus Gregorius, quò plus caro premitur, eò cœlesti spe animus securius roboratur. 1. Peregrinatio deuota. 2. Carnis castigatio.

Est tamen circa hoc NOTANDVM. Licet caro nostra est domanda & maceranda, exemplo Apostoli 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, non tamen est omnino conterenda Iuxta illud Bernardi in epistola ad Charthusianum. Affligendum est aliquando corpus, sed non conterendũ, quia modus in omnibus est habendus. Illo modo macerauit corpus suum quidam senex de quo legitur in vitas Patrum lib. 2. cap. 2. Quidam senior erat in Eremo per multos annos in abstinentia & maceratione carnis & in omni studio spirituali laborans; Venerunt ad eum quidam fratres mirati sunt ad eius perseuerantiam dicentes: Quomodo toleras istum aridum & squalidum locum pater? Quibus ille. Omnis labor totius operis quo hic dego, nondum vnius horæ æternorum tormentorum gehennæ spacium habet: oportet nos in isto paruo sistere, & sustinere labores, vt inueniamus in futuro vitam æternam.

Est tamen maceratio pro loco & tempore moderanda vel augenda, sicut fecit quidam Abbas in Vitas Patrum lib. 4. qui dicebatur Miranus cum sederet in cella sua in monte Sina, mediocriter se regebat in his, quæ erant necessaria corpori; quando autem Corporis maceratio moderanda.

rem factus est Episcopus in Pharam, multum coarctabat ... suam in duritia cõtinentiæ. Cui discipulus. Abbas, quando eras in eremo non ita te cruciabas; Et illic erat solitudo, & quies, & paupertas, & ego volebam gubernare corpusculum ne infirmaretur, & quæreret quod non habebat. Nunc aut hic seculum est & occasiones sunt excedendi plurimæ, & si infirmitatem incurrero, hic sunt mihi cruciatus; qui succurrunt ne perdam propositum monachi.

Z 3. Eleemosynorũ largitio. TERTIA hydria est eleemosynæ largitio, quæ secundum Augustinũ mundat peccata & interpellat pro nobis ad Dominum. Ideo dicit Rabanus: Nihil plus valet animæ saluti quàm eleemosyna: quia frustra manus extendis, si illas ad pauperes non extendis. Hæc, inquam, eleemosyna fabricat palatium miræ pulchritudinis in cœlo. Legitur in vita S. Ioannis Eleemosynarij. Cum quidam Episcopus Trullus iuisset Alexãdriam, & triginta libras auri expenderet pro palatij fabrica, quẽ Ioannes prædictus inuitans in domum suam, monuit eum dicens: Hoc esse ædificium & thesaurũ Episcoporum, reficere pauperes Iesu Christi; qui ad eius prædicationem prædictum aurum tradidit Episcopo sancto ad dandum pauperibus; sed posteà pœnitens de prædictis, cum esset auarus, decidit in lectum, quod S. Ioannes audiens remisit eidẽ, qui statim curatus est. Iterum inuitatus comedit cum eo, & iterum in extasi positus, ductus est ab angelo in palatium miræ pulchritudinis, mirũ habens splendorem, & partem auream, in qua erat scriptum. Hæc erit requies æterna Trulli Episcopi; qui cum hæc legeret attendẽs mirabilem pulchritudinem eius, dixit angelus; Delete hunc titulum, & scribite. Hæc erit requies Ioannis Patriarchæ. Sed hac visione territus, nõ solũ prędictas libras auri pauperib⁹ erogauit, sed post etiã magnus eleemosynarius factus est.

(Margin: Trullus Episcopus. — Eleemosyna ædificat palatium in cœlo.)

4. Remissio iniuriarum. QVARTA hydria harum nuptiarum inter Deum & hominem pœnitentem, est iniuriæ remissio. Si enim homo iniuriam remittit proximo, remittit & Deus peccata ipsius. Iuxta illud Eccles. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur: Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* quasi diceret: Non dimittetur ei; nisi & ipse ipsam iniuriam remittat ex corde: ideò dicit Dominus Luc. 6. *Dimittite & dimittemini.*

De illis qui nolunt remittere iniurias, refert Thomas Cantipratanus lib. 2. Apũ, cap. 18. part. 2. Cum venerabilis pater Iacobus de Vitriaco crucem Hierosolymitanam in Brabantia prædicaret, contigit vt quadam die pacificaturus quasdam mortales inimicitias, iniuriam passum, primò simpliciter, deinde pedibus eius prostratus, semel, iterum, & tertiò cum multitudine populi præsente rogaret, nec proficeret in rebellem: Conuersus ad populũ, dixit palam omnibus: Contestor vos, quia qui spernit nos, spernit & eum qui misit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis præsentibus pateat, eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora. Vbi vir sanctus orationem expleuit, miserandus ille euersis oculis, semel, iterum, & tertiò in terram corruit, oreque cruorem spumans & saniem, horroris spectaculum maximum omnibus tribuit. Tunc flente & rogante populo, sanctus vir fusa prece prostratum erexit, qui mox cum lacrymis veniam postulauit. Ideo dicit beatus Augustinus: Medici pij quando furijs & calcibus infirmorum ceduntur, tunc illorum amplius miserentur, & tu eandem de inimico tuo tene consuetudinem.

(Margin: Lucæ 10.)

QVINTA

QVINTA hydria est peccatorum conuersio, fit enim pœnitens exemplum peccatori vt conuertatur, tunc & peccatum sibi dimittitur, iuxta illud Iacobi 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua, saluabit animam eius à morte.* 5. Conuersio peccatorum.

SEXTA hydria est orationis continuatio, quæ secundum Cassiodorum superbum cor serenat, à terrenis desiderijs nudat, à vitijs purgat, ad cœlestia subleuat, & ad participandum spiritualibus bonis habilitat. 6. Orationis cõtinuatio.

Illæ sex hydriæ capiunt metretas binas quando dolent pœnitentes de peccatis commissis & bonis omissis, sed tunc capiunt trinas cum dolent quod in Deum, in proximos, & in seipsos delinquunt; & hæc aqua satisfactionis mutatur in vinum consolationis, quando de hac miseria transitur in gaudium sempiternum, vt sic verificetur illud Ioannis 15. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

TERTIVM matrimonium laudabile, & Christi & Ecclesiæ, initiatum in Christi natiuitate, contractum in eius prædicatione, ratificatum in diuina auctoritate, in miraculorum operatione, & consummatum in passione, cum dicit Ioan. 19. *Consummatum est*, Vel, hæ nuptiæ Ecclesiæ tunc sunt *initiatæ*, quando, vt habetur Matth. 4. cœpit prædicare dicens. *Pœnitentiam agite* &c. *Ratificata* in Eucharistiæ institutione, Matt. 26. *Manducantibus illis accepit Iesus panem & benedixit* &c. & *Consummata* sunt in Spiritus sancti missione. Act. 2. & Euangelij diuulgatione. Matrimoniũ Christi & Eccl. siæ.

QVINTO, nuptiæ sunt inter sacerdotem & Ecclesiam initiatæ, in eius canonica præsentatione; De qua quære. Extra de iure pa. per ta. Quando sacerdos huic præsentationi & electioni assentit, *contrahuntur*; quando verò Prælatus ipsum admittit, & confirmat, *ratificantur*: quando autem curam committit, *consummantur*. De hoc matrimonio, vel nuptijs legitur 4. distinct. c. sicut. & 21. quæ. 2. cap. Sicut vnaquæque. Matrimoniũ inter sacerdotem & Ecclesiam.

Nuptiæ autem *vituperabiles* sunt inter diabolum & animam peccatricem: initiantur in suggestione, quæ delectat: contrahũtur in consensu qui accept t ratificantur in opere, quod confirmat: sed consummantur in peccati consuetudine, in qua consummatio est malitiæ scilicet contemtus. Prou. 18. *Peccator cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* In his nuptijs maledictis, propinat diabolus sponsis suis peccatricibus animabus vinum bonum, scilicet dilectionis carnalis, quæ videtur amatoribus mundi bona: sed in fine tunc propinabit illud, quod deterius est, quia erit amarissimum, turbulentissimum, & mortiferum. De primo Deuter. 32. *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus.* Ideò dicit diabolus illud Ierem. 23. *Ecce ego cibabo eos absinthio. & potabo eos felle.* De secundo dicit Psal. 106. *Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius.* Et Isa 24. *Clamor eorum in plateis*, scilicet inferni *super vino.* De tertio. Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum, venenum aspidum insanabile.* Nuptiæ vituperabiles inter animã & diabolum.

His vinis tunc potabit suos vt æterna morte moriantur. Iuxta illud. Ierem. 51. *In calore eorũ ponam potus eorum, & inebriabo eos vt sopiantur, & dormiant semper somnũ sempiternum:* quasi diceret, ex hoc potu sequantur mortẽ æternæ mortis. Quod probandum, legitur in lib. qui dicitur Viridarius; Quidã nobilis erat mundi amator & pauperum oppressor, hic dũ requiesceret in lecto, camerarius suus iacens ante camerã, rapitur in visione ante tribunal Dei, & ibi accusabatur Dominus eius de omnibus quæ gesserat, pro quibus acceperat sententiam dãnationis. Quo facto, cũ magno tripudio ductus est ante Luciferũ, & ille dedit ei osculũ, dicens: Non sit tibi pax in secula secu- A Exemplum terribile de nobile damnato.

 lorum,

lorum, & ait Ipse consueuit balneare, ducite eum ad balneum: tunc dæmones eum sumentes in vngues, in ignem proiecerunt, & aliqui super ipsum effuderunt: eductusque positus est in lecto infernali, de quo Isa. 14. *Subter te sternetur tinea*, &c & dixit Lucifer: Date ei de calice iræ Dei: & propinatus est ei ignis & sulphur, quæ est pars calicis eorum. Qui dum clamaret, sufficit: dixit Lucifer. Audire consueuit dulces simphonias, surgant simphoniaci; Et ecce duo dæmones cum tubis igneis, ignẽ in eum sic sufflauerunt, vt de oculis, & de naribus, & ore eius flãma ignis exiuerit; Tunc Lucifer ait; Adducite eum ad me; & adducto eo, dixit: Canta mihi vnum. Et ille; Quid cantabo nisi maledictionem? Maledictus dies in quo natus sum, & Lucifer canta meliorem. Quid, inquit, cantabo? nisi maledicta sit hora, in qua mater mea me genuit; Et ille. Canta adhuc meliorem. Et miser dixit. Quid cantabo? nisi quod ipse Deus sit maledictus, qui me nasci permisit. Hoc est, ait Lucifer, quod volui. Ducite igitur eũ in sedem quam meruit, qui proiectus est in vnum puteum, & factus est talis strepitus ac si totus mundus caderet. Ad quem strepitũ euigilans camerarius cucurrit ad Cameram, & Dominum mortuum inuenit. Narrata igitur visione, ordinem intrauit. Hoc exemplum ideo inserui, vt audirent mundi amatores delicati, qualiter post vinum & delitias potantur amarissimis potibus pœnarum. Ecce diabolus dicitur omnis homo qui in primo homine omnes homines vitiauit, vt dicit Glossa super Matth. 13. *Inimicus homo fecit* &c. Ideo primo ponit bonum vinum voluptatum, & postquam sui his inebriati fuerint, tunc ponit illud quod deterius est.

Aliud exemplum.

Audi de hoc vino aut potu quẽ propinat diabolus post corporis delicias, aliud terribile exemplũ. Quidam deuotus vidit in spiritu quendam secularem (qui multũ excesserat in mundi gloria, in gula, luxuria, cantibus, & varijs solatijs) ad infernum deduci. Ecce princeps dæmonum de cathedra sua occurrit illi, & collocauit eum in ipsa dicens: Sede hic pro honore quem habuisti in sæculo. Erat autem cathedra tota ignea: oblatus est autem ei in vase potus amarissimus, fœtidus, & immundus, & coactus est bibere dicentibus. Bibe hunc potum delectabilem quem bibisti in seculo. Astiterunt autem duo dæmones cum tubis, sufflantes in auribus eius, & exibat per aures eius, oculos, & nares & ceteros meatus, flamma ignea; Et, hæc inquiunt, habeas tibi pro cantilenis vanis, quas audisti; posuerunt & serpentes circa collum, & brachia, dicentes: & hæc habeas propter amplexus mulierum.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Sermo Primus.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, Ad Rom. 12.

B

Vulpis & Cerastis astutia

VULPES est animal valde astutum & deceptorium. Nam dicit Isidorus lib. 12. dum non habet escam, hanc statim inuenit astutiam, quod mortuam se fingit, & sic aues descendentes quasi ad cadauer, statim rapit

rapit & occidit. Idem refert de serpente cornuto, qui dicitur Cerastes, qui similem habet astutiam. Nam totum corpus occultat sub arena solis cornibus sine coperculo derelictis, quod videntes auiculæ, credunt quod sint vermes, & dum eas capere & inde refici nituntur, à doloso serpente subito rapiuntur.

Moraliter. His animalibus astutis quidam homines similes sunt, qui valde citò sciunt vias nocendi inuenire, & decipere alios occulte; putantes se in hoc sapientes, cum tamen potius astutia & deceptio, quàm prudentia nominetur. Quia dicit S. Thomas 2. 2. q. 60. Astutia est, cum quis ad consequendum aliquem finem bonum vel malum, vtitur non veris vijs, sed falsis simulatis, & apparentibus: sicut legitur figuratum, Genes. 37. Fratres Ioseph oderunt eum, eò quod à patre plus quàm ipsi amaretur. Cumque quodam tempore Iacob filium suum Ioseph ad eos destinaret, videntes eum dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & videamus quid prosint ipsi somnia sua.* Consilio tamen inito Ismaelitis vendiderunt, & statim astutiam excogitauerunt vt deluderent patrem. Nam sumpserunt tunicam, & in sanguine occisi hœdi intinxerunt, & eam ad patrem cruentatam detulerunt, dicentes: *Vide si tunica filij tui sit, annon. Quam cum vidisset pater,* ait: *Fera pessima filium meum deuorauit,* sicque deceptus fuit. Ecce qualiter ad ostendendum finem suæ malitiæ, vsi sunt vijs simulatis; quod tamen non est faciendum, quia dicit Thomas vbi suprà. Non oportet eum qui vult esse prudens, ad finem bonum falsis vijs, & simulatis peruenire, sed veris. Vnde astutia etiam si ordinatur ad bonum, est peccatum. Ideo Apostolus. 2. Cor. 4. *Abdicamus occulta dedecoris,* id est sordes peccatorum, *non ambulantes in astutia, sed in manifestatione veritatis.* Et hanc astutiam prohibet Apostolus etiam in verbis allegatis cum dicit. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos &c.* In quibus verbis nos, Apostolus ad duo instruit: Bona nostra proximis communicare, ibi; *Nolite esse prudentes*; Mala ab eis illata tolerare, ibi: *Nulli malum &c.* Quantum ad Primum docet bona nostra scilicet animæ, vt prudentiam, proximis communicare, & non apud nos retinere, cum dicit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos &c.* quasi diceret, sed magis exerceatis eam apud proximos vestros.

Astutia, quid?

Astutia est peccatum.

Circa quod Notandum. Animalia irrationalia communicant nobis suas prudentias. Et primò patet de serpente qui suas prudentias nobis communicat, vt & eas alijs communicemus. Prima enim prudentia aut sapientia est, in capitis conseruatione: quia serpens caput conseruat & custodit, in quo eius vita consistit, vt dicit Augustinus lib. 2. de Trinit. Et dicit Plinius in spec. nat. Si serpens caput cum longitudine duorum digitorum amiserit, nihilominus viuit propter quod totum corpus pro conseruando capite exponit.

C

Serpentis prudentiæ

I. Capitis conseruatio.

Spiritualiter. Per caput intellige Christum, de quo dicit Apostolus ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Glossa, militantem & triumphantem, quæ est corpus ipsius. Pro isto igitur capite nostro in quo est vita nostra, expendere debemus nos & nostra, & propter honorem eius, iniurias sustinere tam in corporibus quam in rebus vt dicit Holkot super lib. Sap. lect. 74. Vel in hoc docent nos serpentes vt caput nostrum Christum in nobis custodiamus, & pro ipso, à quo habemus vitam gratiæ & gloriæ, omnia alia negligamus sicut fecit Apostolus ad Phil. 3. qui ait: *Propter quem* scilicet Christum *omnia detrimenta feci,* id est reputaui, *& arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam,* id est habeam ipsum in præmium, *& inueniar*

niar in illo. Et merito pro capite nostro Christo debemus omnia exponere, quia ipso saluo, omnia sunt salua, etiam capilli: iuxta illud Matt. 10. *Capilli capitis vestri numerati sunt.* Propter quod dixit vnus de septem fratribus 2. Machab. 7. quando truncatus fuit membris. *E cælo,* inquit, *ista possideo, sed propter leges Dei nunc hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea spero recepturum.* Ecce ô homo serpentes communicauerunt tibi primam sapientiam; disce eam & communica alijs. Tunc verò eam alijs communicas, quando pro Christi honore omnia contemnere eos doces, dicens cum Sapiente. *Qui negligit damnum,* scilicet temporale, *propter amicum,* scilicet Christum, *iustus est.* Prouerb. 12.

II. Aurium obstructio.

SECVNDA sapientia quam communicant nobis serpentes, est in aurium obstructione, quia obstruit aures suas, ne audiat incantatores. Quærunt enim venena incantatores, quæ sunt in serpentibus vel in capitibus, ad medicamentum vitæ conferentia; serpens hoc præsentiens caput suum inter spiras corporis inuolutum, abscondit, & vnam aurem applicat ad petram, aliam cum cauda obstruit.

Sic nos MORALITER facere oportet secundum Robertum, vbi suprà, Incantatores sunt mali homines & corrupti, & allicientes nos sub specie amicitiæ, ad vitia mundi, vel carnis, malis suggestionibus, & exemplis peruersis. Quando igitur tales incantant nos, superiorem partem rationis, tanquam aurem, Christo petræ coniungamus: De quo 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus.* & inferiorem obstruamus cogitatione finis nostri, quasi cauda corporis vitæ, ne illi qui blandè & leniter nobis voluptates suggerunt, pertrahant ad consensum. Hæc ille. Vel per incantatores intellige dæmones, qui quærunt in nobis venena peccatorum; quia omne studium in hoc est, vt possint nobis facere venena, hoc est, vitia vitiorum. His tamen incantatoribus resistere hoc modo debemus, vt vnam aurẽ obstruamus cauta, id est memoria mortis, quia dicit Sapiens, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. Aliam aurem applicare debemus ad terram, per considerationem propriæ fragilitatis; De quo dixi suprà sermone præcedenti M. V. vbi de quinta hydria didicistis. Secundum igitur prudentiã serpentis nolite prudentes esse apud vosmetipsos, sed communicate eam alijs hominibus. Tunc enim communicatis, cum imprudentes, vt diabolo & malis hominibus resistant, docetis, per hoc verbum Apostoli. 1. Pet. 5. *Sobrij estote & vigilate,* quasi diceret: diligenter à peccatis præcauete, *quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.*

Dæmones incãtatores. Quomodo eis resistẽdũ.

III. Pellis depositio.

TERTIA prudentia quam communicant nobis serpentes, est in pellis depositione; quia serpens in arcto foramine se ponit, vbi veterem pellem deponit: De quo vide suprà latius Dominica prima in aduentu, sermon. 2. A. Z. Sed hic hoc addam, quod prudentes homines in arcta via pœnitentiæ se ponunt, vbi pellem veteris hominis deponunt: Iuxta illud Apostoli ad Eph. 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desiderium erroris.* Vel sic moralizat Holkot vbi suprà: Petra, per quam transit, Christus est; foramina multa, sunt ipsius plurima vulnera. Cum igitur veterem, id est, nostram conuersationem corruptam, & voluntatem malam, & abominabilem deponere volumus, tunc contemplatione passionis Christi per suorum vulnerum foramina transeamus.

Quia

Quia legitur, quod fuit Clericus lubricus & immundus, qui quotidie proponebat se conuertere, & pœnitentiam agere, & tamen semper differebat, cui apparuit Dominus in forma qua crucifixus fuit in visione, ostendens ei vulnera & sanguinem, dicens: Vide quid pro tuis peccatis passus sui in corpore meo, vt te & alios peccatores ad me vocarem, & à peccatis saluarem. Reuertere ad me, & ego suscipiam te. Ille autem meditatione deuota transiens per vulnera Christi, deseruit peccata, intrans religionem sanctè vixit. Ideo ait Dominus, Exod. 33. *Ponam te in foramine petræ, & proteget te dextra mea.* Et dicit Deus pater, Cantic. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ*, id est ad vulnera Christi filij mei. Et addit Robertus Holkot super lib. Sap. lect. 74. Duo requiruntur quod serpentes in foramine pellem relinquant. *Primo* foraminis angustia siue subtilitas. Si enim latum esset, siue difficultate transiret, & veterem pellem secum portaret. *Secundo* requiritur stabilitas. Nisi enim esset stabile foramen, potius secum ferret quàm pellem ibi relinqueret. Isto modo si volumus pellem veteris conuersationis deponere, oportet arctam viam pœnitentiæ pertransire. Et hoc non quomodocunque, sed in stabili proposito vitam nostram in melius commutandi.

D

Vt serpens pellem deponat, quale foramen quæras.

Audiuit modo dilectio vestra tertiam serpentis sapientiam, qualiter eam nobis communicauerit, & quid in hoc moraliter innuit: certè vt etiam eam alijs communicemus, eas ad depositionem veteris & malæ consuetudinis exhortantes, dicentes cum Christo: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*, Matth. 4.

IV.

Carnis subiectio.

Finis carnis, putreto.

QVARTA prudentia serpentum quam nobis communicat, est in carnis subiectione. Nam sicut serpens calcaneo mulieris insidiatur & inimicatur Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & serpentem:* Sic nos debemus inimicari mulieri, id est carni, & calcaneum eius obseruare: Per calcaneum intellige finem carnis, & finis eius est putreto, quem finem si attendes, desideria & delitias carnis domabis iuxta illud Augustini. Nihil tantum valet ad domandum carnis desideria, quàm cogitare qualis ipsa futura sit. Idem etiam dicit: Deliciæ carnis hic non satiant, & in futuro damnant; vbicunque caro quærit refectionẽ inuenit defectionem. Et beatus Gregorius: Qui, inquit, in præsenti suauitate, hamo capitur, quasi per amœna prata ad interitum ducitur.

Odorum suauitati nimis indulgens, diuino iudició percussa horrendius fœtet.

Refert Petrus Damianus epist. 3. ad Blancam Comitissam, cap. 11. exemplum, quomodo deliciæ carnis ad interitum ducunt & damnant. Quidam, inquit, Dux Venetiarum Constantinopolitanæ vrbis ciuem habebat vxorem, ita tenerè & delicatè viuentem, vt etiam aquis communibus se non ablueret, sed serui eius de rore cœli ibi collecto balneum præparabant. Cibos suis manibus non tangebat, sed postquam erant ab eius enucho coram eo in frustra concisi, cum fuscinulis aureis ore suo imponebat. Cubiculum eius tot aromatibus redolebat, vt vix auditu sit credibile. Sed dum viueret sic delicatè, iudicio Dei percussa est, & viuens computruit, vt iam fœtorem illius nullus posset sustinere: relinquentibus ergo eam omnibus famulis, vna sola mansit in eius serui in ancilla, quæ non sine specierum redolentium auxilio, quasi raptim ministrans, quotidie recedebat, sicque diem clausit extremum diutius miserabiliter cruciata.

Audistis charissimi fratres & sorores, quartam prudentiam serpentum, qualiter oportet subijcere carnem, & eius attendere finem: Non igitur simus prudentes in

hoc

hoc solum coram nobismetipsis, sed etiam communicemus eam alijs nostris proximis, vt ipsi finem carnis obseruent, dicentes eis Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem ibis*, vt sic carnis delicias fugiant, ne in æternum pereant. Quia dicit Augustinus contra Faustum: Miseria hic inchoatur, quasi diceret, & in futuro æternaliter durat, cum caro voluptatibus & libidine inflammatur.

V. Fuga mūdi. QVINTA prudentia serpentum quam nobis communicant, est quod mundum fugiamus. Nam propter inimicitias, quas serpens habet cum homine, fugit ab eis & sub spinis latitat in locis desertis. In hoc nos docet, vt propter odium mundi & eius insidias, ipsum fugiamus, & sub asperitate pœnitentiæ latitemus. Ideo dicit Augustinus in quodam tractatu: Si Christus pro te cœlesti, de sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus: si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. Quare mundus sit fugiendus quære plura Dominica infra octauam Epiphaniæ L.B.D.E. & I. Animaduertistis electi Dei, quintam sapientiam serpentum, quam nobis communicant, videlicet vt mundum cum suis concupiscentijs fugiamus; necesse est, vt & mundum fugiant quantum ad delectationem, dicentes 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in illo.*

E

VI. Veneni vomitus. SEXTA prudentia quam nobis communicant serpentes, est in veneni euomitione, quia dicit Solinus in libro de mirabilibus mundi; Serpens transiens aquam vel fontem, prius euomit venenum: cuius ratio est. Nam aqua est frigida, & venenum etiam naturaliter est frigidum, & sic periret serpens à frigore, nisi euomeret venenum.

MORALITER. Sicut venenum primo gustui dulce existit, & postea vehementissimè & amarissimè lædit, vt dicit Constantinus in tractatu de naturis liquidorum, sic peccatum in præsenti sumptum, dulcissimum æstimatur; postmodum autem in mortis tempore amarissimum sentitur. Iuxta illud Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis*, id est culpæ vel carnalis voluptatis, *nouissima autem illius amara quasi absynthiū.* Ideo dicit Gregorius: Momentaneum est quod delectat, æternum verò quod cruciat. Istud quidem venenum peccati debet homo per confessionem euomere, qui vult per aquas huius mundi ad pratum cœlestis gaudij pertingere. Quia dicit Hugo de sancto Victore: Nihil Deo magis acceptabile, quàm confessio in homine suæ culpæ. Si hic vis de confessione latius loqui, recurre ad prædictam Dominicam sermone 3. L. R.

Venenum peccati, cōfessione euomendum.

Ecce audistis sextam prudentiam serpentis, qualiter per euomitionem veneni, instruit nos confessionem peccati: idcirco hanc prudentiam non debemus apud nos tenere, sed etiam alios docere, vt venenum peccati eijciant per confessionem, sicut docuit B. Augustinus super Psalm. O homo, inquit, quid times confiteri, illud quod per confessionem scio, minus scio quàm illud quod nescio; confitere homo peccator homini peccatori, & elige quod vis. Si enim confessus fueris lates: si non, damnaberis: Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet hominem humilem; ad hoc damnat, vt puniat superbum. Hæc Augustinus.

Prudētia hericiorum. SECVNDO communicant nobis prudentiam hericij: *Primo* contra tentationis insultum. Nam videmus cum hericius aliquid sentit, in globum se conglomerat, & contra insidias se recolligit, quia habet corium vndique spinis circum septem, inter

I.

eas

eas se claudit, & à tangentibus se defendit. Quid autem est MORALITER pellis spinosa & aspera, nisi pœnitentia & afflictio carnis dura, in qua homo dum per humilitatem se abscondit, & eam tentationi opponit, tentationes euadit, Ideo Dauid cum tentaretur, carnem afflixit, iuxta illud Psalm. 34. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam.*

Et NOTA, quod pœnitentia non solum tollit hominum tentationes, sed etiam dæmonum, quod patet in hoc exemplo. Erat quidam miles perpetrator multorum scelerum. Hic ad instantiam vxoris Deificæ, accessit ad Episcopum, & ipsi omnia peccata confessus est. Cum autem daret ei pœnitentiam, ait, quod nec ieiunare, nec orare posset: iniunxit ei, vt vna nocte clausus in Ecclesia, silentium teneret, donec ipse ad eum cum signo crucis intraret, at ipse sumpsit hanc pœnitentiam; & facta oratione Episcopus claudens eum, abscessit; statim adest tentator diabolus, & ei tanquam mercator pannos varij coloris exhibet ad emendum, & gratis multa dare promittit, si ei per nemus, saluum conductum præberet. Ille pœnitentiæ memor tacuit. Postea diabolus formauit se in speciem cuiusdam cognati sui, clamans Ecclesiam intrauit, dicens: Inimicus talis venit, & dominam cum pueris occidit; sed ille tacuit: Deinde in persona filij sui minoris venit, dicens: Eia pater, quid agis? En tota domus combusta est, & familia occisa, & inimicus hic stat, quem optimè occidere possumus; sed cum ille taceret; Dixit, & si venire non vis, ego me vita priuabo, & exijt: miles autem stabat immobilis. Postremò multitudo dæmonum in specie ferarum irruentes in eum, grauiter vulnerauerunt; & ille cum silentio stetit imperterritus; & sic tentationem euasit, quia in spinis pœnitentiæ inclusus fuit. Mane Episcopns veniens, cum signo crucis eum deduxit de Ecclesia, & dum quæreret vbi vxor & filij iacerent occisi, dixit Episcopus quod omnes benè valerent. Et miles. Ego audiui clamores & strepitum armorum, & vidi ignem. Cumque sic loqueretur, Ecce filij eius veniebant, & cognoscens illusionem dæmonum pœnitentiam suscepit, & tandem in Domino quieuit.

Simile quiddam legitur apud Ioannẽ Maiorem ordinis Prædicatorum.

II. Hericij prudentia imitanda.

Secundo hericij communicant nobis prudentiam, quoad nutrimentum: quia dicit Isidorus lib. 11. quod hericij est magna prudentia, quia ascendit in vitem, vel in aliam pomiferam arborem, & vuas exacinat, & deijcit poma, & inuoluit se super fructus vt spinis infigantur, & sic portat escam filijs. MORALITER. Per vites, vel arbores, intelliguntur sanctorum vitæ, vel virtutes: quia quilibet dicere potest Ecclesiast. 24. *Ego sicut vitis fructificaui.* Ad istas vites, vel arbores, tunc homines ascendunt, quando ad sanctorum virtutes & vitas considerandas, per mentis contemplationem se erigunt. quia dicit canon. 20. dist. c. De quibus: Exempla Sanctorum tam in scriptis quàm in factis, perspicaciter sunt recordanda. Quia Sanctorum exempla & virtutes, multoties malos conuertunt; Et post hæc debent poma eijcere, scilicet suos defectus cognoscere.

Exemplum de B. Dominico.

Quadam enim die, dum beatus Dominicus cum alijs iret sacerdotibus, ad disputandum contra hæreticos, & de via dubitarent, quæsierunt à quodam quem crediderunt catholicum, sed hæreticus erat, an sciret viam: Respondit. Optimè noui, & libenter non solum viam ostendam, sed vos etiam ducã, ducens ergo eos per quoddam nemus, fecit eos in tantum errare per spinas & vepres ducendo quod pedes eorum & crura fuerunt sanguine cruentata. Vir igitur Dei patientissimè hoc ferens in

quandam Dei laudem prorúmpens, omnes ad laudem Dei hortatus est, dicens: Chariſſimi, ſperate in Domino quod victoria nobis proueniet: iam enim peccata nostra per ſanguinem purgantur. Ille verò hæreticus cernens bonorum exemplum & lætam patientiam, compunctus fraudis venena detexit, & hæreſin abiurauit, & vitam laudabilem poſtmodum duxit. Ideo valde bonum eſt peccatoribus, vt exempla inſpiciant ſanctorum. quia tunc in vites aſcendunt & dum cognoſcunt defectus ſuos poma vel vuas deijciunt. Et ea velut hericius ſpinis infigunt & dorſo deferendo ſuſcipiunt quando illa pro poſſe ſequi acutis affectibus diſponunt, & tunc inde filios paſcunt quando ex hericiorum imitatione ſua opera dirigunt vt dicit Anſelm. lib. 5. ſimili. cap. 3.

Fructus patientiæ.

III. *Tertio* hericij communicant nobis prudentiam circa varietatem temporum. Dicit enim Ariſtoteles libr. 8. animalium. Hericij faciunt foramina in terris, Vnum contra ventos Septentrionales, à quo fugiunt dum ſentiunt frigus, & aliud contra Auſtrales. Vnde dicitur, quod quidam fuit Conſtantinopoli, qui per hericiũ quendam prædicabat omnes ventos futuros, nec ſciebat aliquis vnde hanc ſcientiam haberet.

MORALITER. Per ventum Auſtralem intellige proſperitatem; ſed per ventum Septentrionalem, qui eſt frigidus, intellige aduerſitatem; Debet igitur homo prudens in calore proſperitatis habere memoriam aduerſitatis. Et hoc eſt refugere ad ventum Auſtralem calidum, id eſt, ad memoriam proſperitatis, ne per triſtitiam nimiam abſorbeatur. Ideo hortatur quemlibet ipſe Ieſus Syrach Eccleſiaſt. 11. *In die bonorum*, id eſt, proſperitatis, *ne ſis immemor malorum*, id eſt aduerſitatis, *& in die malorum non ſis immemor bonorum*, quod poteſt intelligi ad literam: quia homo *prudens* debet tam in proſperitate quàm in aduerſitate animum erectum habere: iuxta illud Catonis.

Rebus in aduerſis animum ſubmittere noli.
Spem retine, nam ſpes hominem non morte relinquit.

C Et dicit Boetius lib. 1. de conſol. metro. 4.

Quiſquis compoſito ſerenus æuo,
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum,
Fortunamq; tuens vtramq; rectus,
Inuictum potuit tenere vultum; quaſi diceret: Solus homo magnanimus & à virtute clarus. & ordine vitæ, ſeu ætatis, calcat aduerſum euentum rerum temporalium ſub poteſtate ſua, & reſpiciens tam bonam quàm malam fortunam, conſtantem tenet animum. Et talis fuit Anaxagoras Philoſophus de quo refert Valerius in Policrate, qui cum adeo diues eſſet non extollebatur, ſed ſingulis derelictis, ſtudendi gratia, diutinam peregrinationem aſſumpſit. Cum autem poſt multa tempora reuerſus fuiſſet, & cunctas poſſeſſiones deſertas vidiſſet, ex hoc non triſtabatur, ſed ait: Ego non eſſem ſaluus, niſi iſtæ poſſeſſiones perijſſent. *Alio modo* ſic intelligitur, quod *in die bonorum*, id eſt tempore proſperitatis in hac vita, *ne ſis immemor malorum* ſcilicet punitionis in alia vita futura: quia frequenter proſperitatem huius mundi ſequitur æternitas tormentorum. Ideo dicit Auguſtinus homilia 21. Multi res aduerſas timent, res proſperas non timent, neſciunt tamen illi quod res proſpicere citius inferunt nocumentum quàm aduerſæ. *Et ſubdit Auguſtinus*: Periculoſior eſt res

res prospera animæ, quam corpori. *Et addit:* Fratres mei aduersus prosperitates acrius vitandum est. Et Bernardus sermo. 2. de palmis: Licet, inquit, multos frangant aduersitates, tamen multo plures extollit prosperitas, sicut scriptum est Psal. 90. *Cadent à latere tuo mille* scilicet sinistro, per quod intelligitur aduersitas, *& decem millia à dextris tuis*, per quod intelligitur prosperitas, in qua multo plures cadunt à Deo. Et subiungit Sapiens Ecclesi. 11. *In die malorum*, scilicet aduersitatis, *ne sis immemor bonorum*, id est præmiationis in vita cœlesti: quia aduersitatem communiter huius mundi sequitur præmium cœli, vt dixi suprà Dominica prima in aduentu A.Z. Ideo prudens homo in vento prosperitatis, debet se aduentum vertere aduersitatis, considerando quod præsentem prosperitatem sequitur æterna diuersitas. Debet etiam se vertere ad ventum prosperitatis, animaduertendo, quod aduersitatem mundo sequitur prosperitas gaudij cœli. Et hæc memoria facit omnia aduersa patienter tolerare. Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, docet Apostolus mala à proximis nobis illata patienter H
tolerare, cum dicit: *Nulli malum pro malo*, &c. Vbi NOTANDVM secundum plures Secūda pars
& præcipuè beatum Hieronymum: Columba est pacis nuntia, pietatis æmula, so- concionis, de
cietatis amica, & iniuriæ immemor. In hac natura columbæ, docetur quilibet ho- malis patien
mo, vt sit nuntius pacis, æmulus pietatis, amicus societatis, & iniuriæ sibi illatæ ter tolerādis.
immemor. Et si hæc quatuor cordi suo insereret, secundum doctrinam Apostoli, malum pro malo non redderet. Primo quidem debet esse nuntius pacis, & tunc similatur tribus creaturis. Pacifici tribus rebus similes sunt.

Primo columbæ Noe, quam emisit de arca, quæ veniens tulit ramum oliuæ in ore suo, per quod Noe intellexit Dominum esse placatum. Genes. 8. Quid per ramum oliuæ nisi signum pacis intelligitur, quem debent homines in ore portare, vt ad ea quæ pacis sunt admoneant, sicut fecit Apostolus in verbis thematis, dicens: *Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* & similiter ad Rom. 12. *Quæ pacis sunt sectamini.* I. Columbæ.

Secundo similantur Angelis, qui nato Domino nuntiauerunt pacem Lucæ 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* II. Angelis.

Tertio similes sunt Apostolis qui ferebant pacem in ore eorum; & cum intrabant domus hominum, pacem nuntiauerunt dicentes: *Pax huic domui.* Matth. 10. quia Dominus monuit eos, Lucæ 10. *In quamcunque domum intraueritis, dicite primum: Pax huic domui.* III. Apostolis.

Et meritò quilibet homo debet esse nuntius pacis, quia sic non reddet malum pro malo suis inimicis. quia dicit Richardus de sancto Victore: Pacifici sunt, qui cum eis à malis mala inferuntur, mala minimè retribuunt. Sed cum eis qui oderunt pacem pacifici sunt, sicut Dauid qui dicit Psal. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Qui verè
Et subdit Richardus. Pacifici sunt qui in se non tantum pacem custodiunt, verum sunt pacifici.
etiam & alios discordantes ad vnitatem pacis reducunt; sicut fecit ille frater, de quo suprà dixi infra octauam Natiuitatis Christi. K.O.

Sunt econtra qui non nunciant pacem, sed discordiam, secundum quod dicit Ps. 13. *Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* ideo tales nec in futuro habebunt pacē, sicut isti duo de quibus suprà K.O. Refert Thomas in apiario. In partibus Galileæ sub Philippo rege vir religiosus fuit qui à iuuenili ætate pertinacissimæ

ſimæ vitæ fuit, vt idem quod de Eſau ſcriptum eſt, Geneſ. 16. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, in eo videatur impletum, vt nec parentes proprios quieſcere ſuſtineret, ſed ad amariſſimum finem perduceret: poſt quos & ipſe miſerabiliter infirmatus, & in agone mortis poſitus, ſpretis Eccleſiaſticis ſacramentis, ſubitò inter manus aſtantium clamans horribiliter exiliuit, dicens. Surgite omnes arma accipite & iuuate me contra proprium patrem, qui omnium inimicorum meorum ductor factus eſt, & me conatur occidere. Et hæc dicens quaſi ad ingredientem multitudinem, ad oſtium ire conabatur. Nec mora: cadens euerſis oculis clamauit exſpirans; Heu me, pater meus validiſſimo lapide frontem meum percutiendo contriuit. Hi autem qui aſtabant neminem videbant, ſed quaſi turmam comprimentem ſe ingredientium audiebant: Et dicit idem Doctor: Vide, qui nec patrem proprium propitium habere potuit, quantis diuinæ vindictæ aduerſionibus dignus fuit. Et addit; Non tamen abſolutè eum qui apparuit illius patrem dixerim, ſed forte aliquem ex ſpiritibus, ſiue bonis ſiue malis, cum dictum ſit Sap. 5. *Armabit creaturam in vltionem inimicorum.*

Ideo dicit Iſidorus 2. ſoliloquiorum: Diſce mala potius ferre quàm inferre, eſto patiens, eſto manſuetus, ſerua patientiam, modeſtiam ſerua, proba deſpectionem, diſſimulando errores calca contumelias detrahentium, patientia extingue ſagittas, id eſt iniurias. patientiæ clypeo contra verba aſpera: contra linguæ gladium patientiæ præbe ſcutum, tene inſuper ſilentij patientiam, tacendo enim vinces. Cui conſonat Ouidius in libro de ponto dicens.

Non opus eſt armis, vbi vox ſuppreſſa triumphat.

Et pauper Henricus lib. 3. ſic ait.

Diſce grauanda pati patientia temperat iram:

Diuinos animos mentis oliua domat. Vbi per oliuam intelligit patientiam vel pacem.

Refert Hieronymus de viris illuſtribus, quod Athenienſes volebant augere multitudinem hominum, qui ex bellis & peſte fuerunt diminuti, decreuerunt vt vnuſquiſque Athenienſium plures haberet vxores. Accepit ergo Socrates duas vxores ſcilicet Xantippen & Mitonepten; hæ cum crebrò inter ſe litigarent, & ille eas ob hoc derideret, cum propter fœdiſſimum hominem, vtpote ſimeis naribus, recalua fronte, diſceptarent: Sed ille tacuit. Nouiſſimè verterunt in eum impetũ, & fugere compulerunt. Quadam die cum poſt multa conuitia ſederet in quodam loco ſub feneſtra, Xantippen aquam immundam fudit ſuper caput eius. At ille caput ſuũ tergens, ait: Sciebã quod poſt tonitrua pluuia ſequeretur. Interrogatus à quodã, quare mulierem tam impetuoſam non expelleret? Reſpondit. Diſco in domo qualis ſim in foro. Cum n. talem in domo ſuſtineo, me exerceo vt foris facilius iniuriam feram.

SECVNDO debet homo adinſtar columbæ, eſſe æmulus pietatis, quod ad omnia valet. Valet enim ad ferenda omnia mala & conuitia; homo enim pius fert mala ſibi illata patienter, & non reddit vindictam, & permittit aduerſarium ſuum facere quod vult; & plus dolet de peccato ipſius, quàm de malo ſibi illato; ſicut patet de Chriſto qui eſt pijſſimus. Ideo cum ipſe *malediceretur non maledicebat* 1. Pet. 2. ſed *pro maledicentibus exorauit*, Luc. 23. Econtra autem qui ſectatur impietatẽ, pronus eſt vindictam. & quilibet talis ſimilis eſt pellicano de quo refert Gloſſ. ſuper Pſ. & Plinius in ſpec.

ſpec. naturali. Cum gignit natos, qui cum incipiunt creſcere percutiunt parentem in faciem, propter quod mater ex impietate repercutit, & occidit eos; ſed tertia die dolet, & ſe in corde vſque ad effuſionem ſanguinis vulnerat, & calidum ſanguinem ſuper filios fundit. ex cuius virtute pulli reuiuiſcunt. Tunc enim pulli pellicanum in faciem percutiunt, quando homines verba iniurioſa in faciem ſibi dicunt; ſed pellicanus repercutit & occidit, quando audiens iniuriam, vel malum hominem iniuriantem odit, & ei maledicit, ſiue detrahit, & ſic cum ſpiritualiter occidit iuxta illud 1. Ioan. 3. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.*

De detractore autem quod occidit dicit Alexander Papa 6. q. 1. c. Summa iniquitas eſt, fratres detrahere & accuſare. Vnde ſcriptum eſt Iac. 4. *Omnis qui detrahit fratri ſuo, homicida eſt.* Et de pœn. diſt. 1. c. Qui. dicit Clemens Papa, qui occidit & qui odit fratrem ſuum, & qui ei detrahit homicidæ pariter eſſe demonſtrantur. Per hos ſacros canones apertè claret, quod omnis, qui malum ſibi inferentem odit, & ei detrahit ad inſtar pellicani ipſum ſpiritualiter occidit. Debet ergo ſicut pellicanus pullos ſuos viuificat, ipſum cui detraxit viuificare, & hoc tunc fit, cum famam ſibi per detractionem ablatam, reſtituit, dicendo, ſe falſum dixiſſe, & iniuſtè eum diffamaſſe vel odiſſe. Et dicit Thomas 2. 2. q. 62. & qui ſic mortificatus fuit in ſua fama vel honore, tunc viuificabitur cum confitetur falſum de ſe dixiſſe. I Detractor homicida.

TERTIO debet eſſe amicus ſocietatis Debet enim quilibet amare proximum ſuum, & ſic non reddet ſibi malum pro malo. Sicut enim peregrini in via ſocialiter incedunt, nec mala ſibi inferunt; ſic & nos, qui ſumus in hac vita peregrini, *quia non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus* ad Hebr. 13. Ideo habere debemus amicabilem ſocietatem vnus alterum diligendo, vt ſecuri veniamus ad patriam ad quam nati ſumus. Sed hanc ſocietatem nititur diabolus impedire, & diſcordiam conatur excitare, ſicut probat Cæſarius in dialogis lib. 5. cap. 39. Duo inquit ciues Colonienſes, viri diuites & honeſti, & ſpeciales ad inuicem amici, ad ſanctum Iacobum Apoſtolum ſimul profecti ſunt. Die quadam cum ſoli equitarent, præcedentibus ceteris fratribus, diabolus amicitiæ & concordiæ illorum inuidens, in ingreſſu cuiuſdam nemoris, baculum in dorſo vnius eiorum pendentem, ſatiſque fortem, in duas partes fregit. Qui cum neminem adeſſe conſpiceret; turbatus clamauit ad ſocium; Eia frater, quare fregiſti baculum meum? Illo negante etiam cum iuramento, ita in eum exarſit, vt vix manus ab eius læſione cohiberet: Tandem gratia Dei & meritis B. Apoſtoli Iacobi ad mentem reductus, apud ſocium vnicè dilectum pœnitentiam egit, & totius diſcordiæ caput diabolus aufugit, &c. Amor mutuus. Dæmon diſcordias ſeminat inter amicos.

QVARTO, debet quilibet ad inſtar columbæ iniuriæ illatæ eſſe immemor. Iniuriarum obliuio.

Vnde NOTA, vnus iniuriatur alteri tripliciter. Vno *modo* re, vt cum manus infert, ſicut cum quis manu nuda, & inſtrumento bellico, percutit aut inuadit. De manu percutiente dicit Dominus Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei alteram.* K

Sed diceres: Nunquid percutienti maxillam, ſemper eſt ei altera præbenda? *Reſpondit* B. Auguſtinus in epiſtola de puero Centurionis: & habetur 23. q. 1. c. Paratus. Iſta, inquit, præcepta magis ſunt ad præparationem cordis, quàm ad opus quod in aperto fit, vt teneatur in ſecreto animi patientia cum beneuolentia; in manifeſto autem illud fiat quod videtur eis prodeſſe, quibus benè velle debemus. Hinc Domi- Quæſtio.

nus cum crederetur in faciem, ait Ioan. 18. *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Et Paulus percussus in faciem, dixit principi: *Percutiet te Deus paries de Albate.* Actu. 23. Si autem hoc non prodest, tunc percutienti vnam maxillam, quantum ad animi promptitudinem, exhibenda est & altera, nec resistendum est malo, quod per patientiam persecutoris lucrari possumus Deo. Ad quod probandum, quidam Philosophi voluerunt probare monachos: dixerunt; Tu. monache, mi sic senex, veni huc, ille verò cursiuè venit, & cœperunt ei alapas dari. Ille autem conuertit eis aliam maxillam. Statimque Philosophi surrexerunt, & adorauerunt eum dicentes. Quid est quod plus facitis nobis, in solitudine ista: Ieiunatis, & nos ieiunamus; Castigatis corpora vestra, & nos castigamus, & quod vos facitis, & nos facimus; Quid ergo plus facitis nobis, sedentes in Eremo? Senex respondit. In gratia Dei speramus, nos & mentem nostram custodimus; Et illi ædificati dimiserunt eum.

Obiectio. Sed posset aliquis dicere Quod si Dominus meus faceret mihi iniuriam me percutiendo, nunquid debeo me defendere eum repercutiendo? *Ad hoc dicunt aliqui.* Si Dominus faceret tibi violentiam, propriè Gewalt: vt, si te spoliaret, aut percuteret manibus, si tu eum percutis gladio vel cultello, nõ facis defensionẽ necessitatis, ideo reus habereris; Si autem Dominus tuus curreret aduersus te cum armis tibi nociuis; & si nunquam te percuteret, aut tangeret, potes eum percutere, & secundum leges potes eum occidere, quia tunc facis defensionem necessitatis, propriè ein Notwehr Quia armatam necessitatem depellere debet quis cum armis, vt ff. de vi. & vi arma. lib. 1. §. Vim vi. quia melius est vt quis corpus suum defendat, quàm læsionem patiatur. C. quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare. Et quamuis *hæc* leges permittunt, nec puniunt, lex tamen spiritualis, aut Canon aliud sentit. 23. q. 1. §. Vbi dicitur. Sicut proprias, ita & sociorum iniurias, patienter monemur tolerare, nec ad arma concurrere, sed ad exempla Sanctorum, ad similia ferenda nos præparare,

An vim in repellere liceat.

Alia obiectio. Sed si vlterius quæreret quis: Quid si clericus iniuriatur ab aliquo, qui infert sibi vim in rebus, aut persona; nunquid tenetur defendere se & sua & illum iniuriantem occidere? *De hoc dicunt aliqui,* vt Laurentius Doctor Extra de homi. c. Suscepimus. Si, inquit, aliquis clericum armis impetat & spoliet, non debet propter res transitorias armis se tueri, & spoliationem interficere, vt 23. q. 8. c. 1. & c. Minor. Et expresè habetur in c. Suscepimus: quidam iudicatur irregularis, qui captus à se & à socio, latrones ligauit, quos socius eius postea ligatos occidit.

Quatenus Clerici possint se tueri contra iniurias illatas.

Opinio Bartholomæi Brixiensis. *Sed dicunt aliqui alii*, quod opinio illa est nimis dura, cum & Fratres Prædicatores & Minores possunt defendere sua. Et tenet Bartholo. Brixien. quod & clericis sicut & laicis licet repercutere, & vi vim defendere; & sic distinguit, quia aut vis infertur personæ aut rebus: Si vis personæ, tunc est vis repellenda, antequam sit illata. Licet quidam dixerunt, quod nullus debet vim repellere, nisi illatam: immò insidiantem potest quis licitè occidere;, & eum qui vult occidere, vt ff. ad legem aquil. lib. 4. & 5. Si tamen aliquis vim factam repellat, potius præsumi debet, quod defendendi non vlciscendi causa, illud fecerit: requiritur tamen, quod defendendo percutiat non vlciscendo, vt cum moderamine se defendat. Et dicit Alanus quod moderamen seruatur, si illud tamen fiat, quo omisso, violentia repelli non posset;

Vel

Vel hoc moderamen locum habeat, quando aliquis causa tuendi se resistit aduersario, cum tanto moderamine, quod tutela illa est inculpata, id est sine culpa, quando non excedit nimium in defendendo, vel plus lædendo aduersarium ex proposito, maximè quàm exigat illa violentia.

Ex illo concluditur. Si aduersarius te percusserit, & postea fugit, & tu fugientem sequeris, & occidis irregularis iudicaris: quia hoc non fieret ad propulsationem iniuriæ, sed ad vltionem, quod sacris regulis prohibetur 23. q. 4. c. Inter querelas. Si autem vis infertur rebus, & illatam iniuriam; & inferendam licitum est repellere, sed tamen potius illatam, quàm inferendam. Hæc Barthol.

SECVNDO iniuriatur quis verbis, vt quando conuitium ei fit. Est autem conuitium quando aliquis alicui turpe dicit, quod non est peccatum, vt est rusticus, contractus, vel seruus vt dicit Gloss. super illo verbo *excepto conuitio*, Ecclesi. 22. Hæc iniuria est propter DEVM patienter toleranda, quia hanc iniuriam patienter tolerans, cœlestem meretur coronam. 11. quæ. 3. cap. Et si ad tempus damnaris ab homine, & si dixerit sententiam Proconsul in Cyprianum, scilicet martyrem, aliud est sella terrena, Glossa, sedes iudicis, aliud est tribunal cœleste, id est, ab inferiori accipis sententiam, à superiori coronam. & sunt verba Augustini super Psalm. 27. Ideò legitur in Vitas patrum: Quidam Patriarcha præcipiens dari petenti cuidam eleemosynam decem nummos æreos, tanta conuitia patiebatur à paupere, quod iste, quem iusserat, cui debebat dare, noluit; hi autem qui in obsequio eius erant, quærentes eum cædere, qui conuitiabatur, increpauit eos vehementer Patriarcha dicens. Sinite eum, fratres, sexaginta habeo annos, blasphemaui DEVM per opera, & vnum conuitium non portarem ab isto? Et præcepit datori soluere sacculum, & sineret pauperem quantum vellet, accipere. Ecce ille impleuit illud verbum Apostoli. ad Rom. 12. *Nos vosmetipsos defendentes*, & non dedit locum iræ, qui a refrænauit animum suum ne vindictã expeteret, & non solum se nõ vindicauit, sed etiam inimicum suum cibauit, in eo, quod ei dedit in quantũ voluit sumere, & impleuit illud, quod sequitur, *Si esurit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da potum illi.* L De conuitijs

Sed diceret aliquis: Nunquid teneor iniurias remittere ei à quo læsus sum? Ad hoc *respondeo*. Nullus cogitur iniurianti indulgere priusquam humilietur: tenetur enim iniurians satisfacere læso, vt dicitur 23. q. 4. cap. Si illic. Si autem iniurians læso satisfecerit, & coram eo se humiliauerit, peccat si non remiserit. Et hoc probatur dist. 90. c. Si quis. vbi dicitur. Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo, quia contristauit, acerrimis maceretur inedijs. Glossa, id est, pœnis excommunicationis, vsq; dum gratanti animo satisfactionem recipiat. Tenetur tamen quilibet rancorem dimittere, etiam iurianti, quamuis non satisfecerit, vt de pœn. dist. 5. cap. vlt. quia non est nobis licitum aliquem odio habere, vt 23. q. 4. cap. In lege. Sed actionem iniuriarum, id est satisfactionem, non tenetur dimittere, nisi quis se humiliauerit. An læsus iniurias remittere debeat.

Ideò refert Gregorius in dialogorum lib. 1. cap. 2. Quidam Abbas contra venerabilem Libertinum in grauem iracundiam exarsit, ita vt eum manibus cæderet. Et quia virgam qua ferire posset, minimè inuenit, cõprehenso scabello suppedaneo caput eius & faciem eius tutudit, totumque vultum eius tumentem & liuidum reddidit, qui vehementer cæsus, ad stratum suum tacitus recessit; die verò altera pro Libertini patientia & humilitas.

vtilitate monasterij erat exiturus, expletis hymnis matutinalibus ad lectum venit Abbatis, gratiam sibi humiliter petijt. Sciens enim ille quantum à cunctis honoraretur, quantumq; diligeretur, pro iniuria, quàm ingresserat recedere eum velle de monasterio putabat, & requisiuit: Quo vis ire? Cui ille. Monasterij causa constituta est pater, declinare nequeo, quia hesterna die me iterum promisi illuc. Tunc ille considerans asperitatem & duritiam propriam, & humilitatem ac mansuetudinem Libertini, de lecto prosilijt, pedes Libertini tenuit, se peccasse, & reum esse contestatus est. Ac contra; se libertinus in terram prosternens, eius pedibus prouolutus, suæ culpæ non illius seuitiæ fuisse referebat, quod pertulerat, sicq; actum est, vt ad magnam mansuetudinem perduceretur pater, & humilitas discipuli magistra fieret magistri. Cumq; pro vtilitate monasterij ad constitutionem causæ regressus fuisset, multi viri nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirari, sollicitè requirebant, quidnam hoc esset, quod tam tumentem ac liuidam faciem haberet. Quibus ille dicebat, hesterno die sero, peccatis meis facientibus, in scabello suppedaneo impegi, atq; pertuli: Sicq; vir sanctus seruans in pectore, & in ore veritatem, nec patris prodebat vitium, nec falsitatis incurrebat peccatum. Hæc Gregorius.

M

Infamatio per libellos famosos.

TERTIO iniuriatur quis literis, vt, cum quis librum, historiam, vel chartam, ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, vel composuerit, vel ediderit, aut malo dolo fecerit; quod eorum fieret: puta, si dimisit scripturam cadere in plateam. vt Extra. de verbo. sign. latè. nec distinguitur si nomine suo, vel alterius ediderit, expresso nomine proprio illius quem infamare intendit; vel non expresso.

Et est NOTANDVM, quod quicunq; scribit talem libellum diffamosum, si agatur contra eum criminaliter, pœna est secundum leges decapitatio; tam contra illum qui fecerit, quàm eum, qui inuenerit, nisi corruperit, vel nulli reuelauerit, vt C. De famoso libello, lib. 5. & 5. q. 1. c. Si quis famosum: & quilibet de populo potest accusare tales. Si autem agatur contra eum secundum canones, tunc excommunicatur, & flagellatur, vt probatur. 5. q. 1. c. Qui in alterius. & c. Hi. & potest poni, cum sit graue crimen, quod damnatione dignissimum est. vt probatur. 25. dist. §. Nunc autem. Et tales in foro pœnitentiali tenentur ad restitutionem famæ, dicendo vel scribendo se falsum dixisse. vel scripsisse, vt supra N. L. aliàs verò non pœnitent; quia dicitur de regulis iuris lib. 6. Peccatum non dimittitur nisi ablatum restituatur, & quia abstulerunt tales per sua falsa scripta, vel literas, famam aliorum, certè restituere tenentur eam, aliàs peccatorum veniam non merentur. Ideò sint in hoc cauti ipsi Sacerdotes & Confessores, vt cum tales ad confessionem ipsorum venerint, eos inducant, vt sicut prius scripserunt famæ illius denigrationem, ita per sua etiam scripta faciant famæ ablatæ restitutionem; & sicut prius scripserunt infamiam, ita postea scribant bonam famam: & si sic faciunt, implent dictum Apostoli, qui concludit epistolam dicens: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, qui hoc malum infamiæ vincunt in bono pœnitentiæ, cum videlicet pœnitent se malè scripsisse, & proximum turpiter infamasse. Si enim vincerentur ab hoc malo, nec famam, vt dictum est, restituerent, filij perditionis essent.

DE

DE EADEM DOMINICA,

Sermo Secundus, in Euangelium.

Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis potes me mundare, Matth. 8.

PLINIVS in spec. nat. dicit: Inter alias aues aquila est regina, & magis liberalis; nam prædam quam arripit, nisi nimia fama arceatur, sola non comedit, immò seruata sua primitus portione, aliam partem auibus sequentibus se, quasi communem exponit; ideò multitudo auium, præter aues rapaces. eam comitantur. Nam in aspectu, & auditu aquilæ, timent omnes aues prædæ. Et dicit Plinius idem, quod herodius, aut consimiles aues, in die quando audiunt aquilam, vix prædantur; & hoc forsan accidit ex timore.

N Aquilæ liberalitas.

SPIRITVALITER. Per aquilam intellige Christum, propter duo: Propter visus sui claritatem. Sicut enim aquila, vt dicit Isidorus lib. 12. est adeò limpidi visus, vt si sit in aëre adeo alto, quod vix humanis pateat oculis, in fundo tamen maris minimos pisciculos contemplatur: Sic etiam Christus est adeò clari visus, quamuis sit in summo cœlo, attamen videt minima opera nostra, quæ sunt in mundo: iuxta illud Apostoli ad Hebræos. 4. *Omnia nuda & aperta sunt in oculis eius.* Ideò multum probi deberent esse homines; sicut dicit Boëtius lib. 5. prosa. vlt. Magna est nobis indicta necessitas probitatis, cum operamur ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Christus aquila. I. Propter visus claritatẽ.

SECVNDO, propter suam liberalitatem. Sicut enim aquila præ omnibus est liberalis auibus, vt suprà: sic Christus, est præ omnibus liberalissimus in esurientiũ nutritione, peccatorum receptione, & ignorantium instructione. Ideò multi homines frequenter eum sequebantur, sicut hic Matth. 8. dicitur, *quod sequebantur eum turbæ multæ:* Aliqui vt ab eo pascerentur, alij, vt in gratiam eius reciperentur, reliqui, vt quasi ignorantes: instruerentur: ideò dicit Bernardus super Canti. Omninò propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine IESV Christe, audientes, quod non spernis pauperem: quasi diceret, si egenum pascis, peccatorem non horres, sed in gratiam tuam recipis. *Et subdit hoc apertius declarando.* Non horruisti confitentem latronem, nec peccatricem Cananæam in adulterio deprehensam; non sedentem in telonio, non publicanum supplicantem, non negantem discipulũ, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos: in odore horum vnguentorum tuorum currimus.

II. Propter suã liberalitatẽ.

Sed valde certè notabile est, quod dictum est quamuis aquilam sequuntur multæ aues, scilicet, communes, tamen aues prædæ eam non sequuntur, sed timent. Quid per aues prædæ intelligitur, nisi nobiles, qui frequenter pauperes deprædantur. Iuxta illud Ezech. 22. *Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra.* Vbi per *principes* intelligit homines indifferenter, qui super alios principantur, siue reges, siue duces, barones, milites, & cæteros nobiles: & hi raro sequuntur iam veram aquilam

Aues prædãtes quid significant.

Christum, quia in hodierno Euangelio tantum legitur de vno nobili, scilicet Centurione, qui secutus fuit CHRISTVM, magis tamen, vt recuperet pueri sui sanitatem: Sed vtinam ad instar rapacium auium timerent aquilam Christum, & à præda cessarent, ne vnguibus iræ eius laniarentur & damnarentur cum dœmonibus, iuxta illud Isa. 33. *Væ, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* quasi diceret, sic; Et licet illi mundi nobiles CHRISTVM non sequantur, sed eum frequenter in suis sacerdotibus, & ceteris pauperibus persequantur, tamen turbæ, & communes populi secuti sunt CHRISTVM, & adhuc quotidie sequuntur, vt dicit præsens Euangelium: *Cum descendisset.* In quo ad sensum moralem, & spiritualem tria scribuntur.

Christi manifestatio.	ibi	*Cum descendisset.*
Vulgi comitatio.		*Secutæ sunt eum turbæ.*
Leprosi deprecatio.		*Et ecce leprosus venit.*

Circa, quod NOTANDVM. Reges aut Principes aliiq; Domini terreni, solent habere frequenter in montibus suas mansiones, atque castra: quia vt dicit Magister lib. 14. proprietatum, montes sunt fortes, & apti castrorum ædificationi: propter quod mansiones in montibus sunt tutiores ceteris, tum propter duritiem tum propter altitudinem, tum propter ascensus difficultatem.

O Ideo refert auctor ibidem, quod in monte Ebron tanquam in loco tutiori, Deus regi Dauid instituit mansionem, & vt illuc ascenderet, post mortem Saul imperauit, vbi sex annorum spatio regnans, tandem ad totius regni Isra[e]litici fastigium assumptus est. Et licet Reges, & ceteri Domini in montibus suas habeant mansiones, tamen interdum descendunt, & se populis suis manifestant.

Mons Sinai cælo similis. SPIRITVALITER. Sic Christus ab æterno suam mansionem in monte cœli tanquam rex regum, & dominus dominantium habuit. Et iste mons cœli in quo Dominus Iesus Christus ab æterno fuit, & habitat, est similis monti Sinai propter mult[a]:

1. Propter angelorum frequentiam. PRIMO propter Angelorum frequentiam, quia in monte Sinai angelus frequenter in persona Domini apparuit, & locutus est Moysi; sicut de hoc dicitur Exod. 3. *Apparuit illi in deserto montis Sinai angelus in ignea flamma rubi.* etsi dicat auctor, aliter tamen Exodi 3. dicitur. *Deus sibi apparuisse.* Sed dicunt Doctores, quod in veritate fuit angelus in persona Dei loquentis; quia dicit Magister lib. 2. dist. 8. Illud indubitanter teneamus, quod Deus in specie essentiæ suæ nunquam mortalibus apparuit. Sic etiam in monte cæli est frequentia Angelorum: quia dicit Beda quem allegat lib. 2. dist. 2. cap. 6. hoc superius cœlum quod à volubilitate mundi secretum est, mox vt creatum est, sanctis Angelis repletum est.

Quæstio. Sed si quæreret quis. Propter quid voluit Deus esse frequentiam Angelorum in monte cœli. *Ad hoc dico,* quod consuetudo est, vt Domini terreni habeant suos seruos, propter laudem ipsorum & famulatum: sic etiam Dominus cœlorum habet suos angelos, vt ei seruiant, & ipsius laudem exprimant, & concinant. Iuxta illud dictum Magistri lib. 2. distinct. 1. cap. 6. Et si inquit, quæritur. Ad quid creata sit rationalis creatura, scilicet angelica. Respondetur ad laudandum Deum, vel ad seruiendum ei, & ad fruendum Deo, in quibus profecit ipsa, scilicet Angelica creatura, vel etiam humana, non Deus: Ideò dicit Dominus ad Iob. 36. c. *Vbi eras cum laudabant Deum astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.* Exponit Magister lib. 2. dist. 2. ca. vbi supra. Astra

Quare angeli creati.

Ast. matutina & filij Dei eosdem angelos vocat. Et dicit Glossa, quod dicti sunt filij Dei, quia sunt facti ad imaginem, & similitudinem ipsius; vel, quia sunt illustrati per gratiam & iustitiam eius. Ideò Angeli vt fideles famuli, quotidiè exsequuntur officium suum, canentes, Deumq; laudantes, sicut audiuit Isaias cap. 6. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabbaot.*

SECVNDO propter lumen, *& flammationem rubi*. Exod. 3. Ideò dicitur Exod. 19. quod totus *mons Sinai fumigabat*, eo, quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascendit fumus ex eò quasi de fornace. Ita etiam in monte cœli est lumen indeficiens, quod quidem fecit Deus, sicut testatur Ecclesi. 24. *Ego feci in cælis, vt orietur lumen indeficiens*; Et hoc lumen est ex claritate Christi & Sanctorum, & præcipuè Trinitatis. II. Sinai cœlo situm propter lumen.

De claritate Christi, quæ ineffabilis est, quasi in ænigmate ostensa est cuiusdam puellæ, de qua legitur, quod fuit habitu secularis, sed vita religiosa valde, scilicet spiritualiter, in orationibus, in ieiunijs: & obsecrationibus semper vacabat, mentem sæpissimè extendens, ita, vt cœli secreta, & cœli regem cum cœli ciuibus frequenter videret. In quadam igitur solennitate Epiphaniæ, cum interesset matutinis, Christū infantem pannis inuolutum, & in præsepio positum, vidit, & circa illum thronum aureum ad similitudinem Iridis: Erat itaq; ex vtraq; parte multitudo Angelorum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in illum continuè d figentes. Ecce qualiter Angeli officium suum exsequuntur. Nec mirum, ipse enim est ille speciosus præ filijs hominum, in quem teste Apostolo desiderant Angeli conspicere. Cumque ventum fuisset ad illum locum, prima vox audita est: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui ipsum audite.* Ex tunc fuit Dei filius, & hominis tanti decoris & claritatis, vt exprimere non sufficeret. Requisita etiam eadem puella quales essent effigies sanctorum Angelorum. Respondit, staturas habent humanas, facies virginibus similes, genas ad instar rosarum rubentes, & in reliquis membris niue candidiores. Claritas Christi ineffabilis. Psalm 44. 1. Pet. 1. Matth. 3. & 17.

De lumine autem claritatis sanctorum, qui etiam illuminant mentem cœli, dicit B. Augustinus in Epistola ad Cyrillum Episcopum Hierosolymitanum, cum vellet scribere qualis inesset omnibus sanctis & electis, qui cum Christo gaudent, gloriæ & lætitiæ quantitas, & scriberet chartam pretioso Doctori Hieronymo, qui, eo norante, iam de mundo exierat; cum tamen scribens in exordio Hieronymum prouocaret, ineffabile subitò lumen nostris inuisum temporibus, nostrisq; minimè linguis declarandum, cum ineffabili inauditaq; fragrantia in cellulam, in qua stabat, intrauit, hora Completorij: & eum instruxit, quod vna est voluntas sanctorum, & Dei, quæ volunt obtinere possunt, & quæcunq; volunt, Deus vult, & adimplet: Si enim claritas Dei tanta est, & similiter sanctorum, quanta tunc claritas, quia illuminatur mons cœli, vbi tot sanctorum animæ septies sole clariores cum Christo æternaliter lucent, & illustrant. Idcircò dicit Magister. lib. 2. distinctio. 2. cap. 6. quod hoc cœlum, quod secunda die factum est, non appellatur firmamentum, sed cœlum splendidum, quod est empyreum, id est, igneum, à splendore non à calore, quasi diceret, sed à sanctorum claritate. P

TERTIO, propter sapientiam & eruditionem: quia ibi in monte Sinai data est lex Moysi, qua quidem lege populus eruditus est. Ideò dicitur Leuit. 26. *Hæc sunt* III. Sinai cœlo

similis propter sapientiam. *precepta atq; iudicia, & leges quas dedit Dominus inter se, & filios Israël.* Ita etiam de cœlo venit oneris lex, & eruditio à gratia Dei. Iuxta illud Remigij in homilia: Nisi gratiá Dei doceat interius, frustra omnis Magister laborat. Cui consonat Hilarius super Matth. Nisi gratia Dei adsit cordi auditoris, otiosus est omnis sermo Doctoris. Ecce quod sapientia & eruditio nostra de monte cœli est, ideò dixit Ieremias Threnor. 1. *De cœlo misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me:* vbi per ignem intelligit Spiritum sanctum, & vbi ille Magister est, facilè discitur, quod docetur, vt inquit Gregorius in homilia: idcircò petiuit Sapiens: *Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, sciam quid acceptum sit apud te.* Sapient. 9.

IV. Sinai cœlo similis propter pascua. QVARTO, propter pascua & refectionem. Dicit enim Iosephus libro antiquitatum, cap. 6. quod mons Sinai est excelsus, & ad pascua egregius, optimas ferens herbas, quamuis in aliqua parte eius, pastores ante Moysen non audebant pascere oues, quia opinio erat hominum, habitare ibi DEVM; Sic etiam in monte cœli sunt pascua æternæ refectionis, sicut testatur per se ipsa veritas. Ioan. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Quod verò ibi sunt pascua refectionis, ostendit Isa. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* In pinguedine intellige plenitudinem, in medulla, quæ intra ossa absconditur, securitatem, in defecatione puritatem. Ecce ab hoc monte glorioso descendit, qui ab æterno in eo habitauit Christus IESVS Dei filius, & se suis manifestauit, qui antea visus in terra non fuit. Ideò dixit Propheta Baruch 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et dicit NOTANTER Euangelista, *cum Iesus descendisset de monte*, scilicet angelicæ frequentationis, luminis inflammationis, & pascuæ refectionis, quasi diceret: de tam glorioso monte in hanc vallem miseriæ. Sine causa non descendit Iesus rex cœli tam magnus.

Q. I. Causæ Christi de cœlo descensus. PRIMA igitur est causa sui descensus, vt per nomen suum IESVS, quod descendendo innotuit, dæmones effugaret. Quia dæmones audito hoc nomine Iesus, exeunt ab obsessis hominibus, sicut legitur de sancto Bernardo, cum semel apud Mediolanum esset, & quædam dæmonica ei oblata esset, vt eam curaret, dæmon coram multis astantibus dixit: O quam libenter exirem, sed Dominus non vult, vt exeam, cui Bernardus: Quis est, inquit, Dominus ille? Cui dæmon: Creator omnium. Cui sanctus. Vidistiné eum vnquam? Et ille: Vidi, ait, in gloria. Cui Bernardus: Velles illuc ire? At ille miro modo cachinnans, ait, tarda hora abijt. Tunc sanctus præcepit ei, vt in nomine IESV exiret. Et dæmon: O terribile nomen, iam me cogis exire. Et hoc dicto, statim exiuit. Ideò dixit Dominus, Matth. vlt. *in nomine meo dæmonia eiicient*, quod patet in LXXII. discipulis, qui dicebant Luc. 10. *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.*

II. SECVNDO. Ideò descendit, vt per nomen suum suos famulos ab inimicis liberaret, quia hoc nomen IESVS est turris fortissima, ad quam confugiunt, qui ab hostibus persequuntur. Iuxta illud Prouer. 18. *Turris fortissima nomen Domini.* Ideò legitur, quod quidam Clericus nocte transiuit ad quoddam nemus in quo erat latro crudelissimus, qui nemini pepercit quin eum occideret, vel spoliaret; hic cum audiret

eum

eum transire clamabat, qui es quis hic transis? Respondit Clericus. Ego sum seruus IESV Christi. Ecce ipse Clericus confugit ad hoc nomen, velut ad turrem fortissimam. Tunc iterum latro. Ego dico, quis es tu? Respondit Clericus: Ego sum indignus seruus IESV Christi; Latro verò tertio quæsiuit; Quis es? Respondit. Ego sum inutilis seruus IESV Christi, & sic latro intra se cogitauit: Cuius seruus es tu? propter nomen IESV vade in pace. Et sic latro inter se ruminando de hoc nomine IESV ex virtute ipsius conuersus, post modum homicidium & latrocinium non perpetrauit, sed cum diuina dispositione statim cum magna contritione ad eundē venit Clericum, quia erat plebanus vicinior illius siluæ, & petens, vt audiret confessionem eius. Plebanus audiens eum multa homicidia perpetrasse, dixit: O peccator, vnde tibi illa contritio, qui tot mala cōmisisti? Respondit latro: Hac nocte quidam transiuit siluam, quem cum vellem spoliare dixit: Seruus sum IESV. quem dimisi propter nomen IESVS. Tandem nomen IESVS replicando in me, iterum ac iterum, & sic contritus & conuersus sum, & non ero de cetero seruus diaboli, sed IESV. Et plebanus; Ego, inquit, sum qui siluam transiui. Benedictum sit hoc nomen IESVS, quod me à periculo liberauit & te iustificauit: & ego ero de cetero vtilior seruus IESV, & amodo peccatum non committam. Vtinam exemplo illius, & alij raptores, & peccatores, hoc nomen IESVS in seipsos ruminarent, & vitam mutarent, à rapinisque cessarent, sicque inuenirent, quod IESVS est iucunditas mentium, æternitas viuentium, sanitas languentium, vbertas degentium, salus patientium. De *primo* dicitur Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit vltra.* De *secundo* Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* De *tertio* dicit in Psalm. 146. Dauid. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Et Ioan. 9. dicit, *quod lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cœci.* De *quarto* Psalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* De *quinto* dicitur Isa. 47. *Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non nocebit tibi, quia ego sum Dominus Deus tuus.*

Virtute nominis IESV latro cōuertitur.

Nomen IESVS, quam salutare.

TERTIO, ideò descendit, vt per nomen suum iniurias mitigaret. Nam legitur in lib. de donis. Quod quædam mulier placari non potuit, in cuius fronte nomen IESV vir Dei scripsit; & charitatiuè æmulis suis offensionem reliquit: Fuit & alius obstinatus, cui cum diceretur semel. Remitte iniurias, & rancores. Dixit: Nec pro Deo, nec pro diabolo induci possum, si deberem in inferno esse perpetuo; Et accessit super eum cum deuotione, & in fronte eius, cum digito scripsit IESVS Nazarenus: Peccata incepit gemere, & ait: amore IESV totum dimitto.

III. Operatio nominis IESV in fronte inimici scriptū.

QVARTO, descendit, vt sibi multitudinem populi vsurparet. Sicut enim refert Amb. in exameron; quando rex apum exit de alueari, sequuntur eum omnes apes, & singulæ se obsequio eius offerunt, & ei proximæ esse volunt; sic etiam Christus cum exiuit, seu descendit de cœlis, multa turba hominum secuta eum; & præcipue turba Apostolorum, qui ad vnam horam noluerunt eum relinquere. Ideò dixerunt Ioan. 6. *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Similiter, & alij multi sequuti sunt eum, vt hic dicitur secutæ sunt eum turbæ multæ. Et hoc ad *primum* & ad *secundum*.

IV.

Quantum ad TERTIVM est NOTANDVM, cum Domini terreni descendunt de castris suis, comitantibus famulis suis, occurrunt eis subditi, qui indigent auxilijs eorum, petentes sibi iustitias fieri, vel alias gratias eorum petunt, aut implorant; sicut

patet de Rege Traiano, qui cum equitaret per forum Romæ, vidua quædam petijt sibi fieri iustitiam de filio suo interfecto, sicut habetur in legenda sancti Gregorij. Sic ad propositum, cum Dominus omnium Christus Iesus descendisset de castro cœli, in vallem lacrymabilem mundi, occurrebant ei, qui auxilio indigebant; sicut dicit Euangelium de homine leproso, qui venit ad ipsum, *Adorans eum dicens Domine, si vis potes me mundare*: quasi diceret, secundum Origenem in homilia: Voluisti, vt hæc immundissima lepra supra me veniret, siue propter peccata mea, vt correptus pœniterem: siue propter tuam prudentiam, vt mirabiliter me mundans, magnificeris; omnia dispensabiliter facis, & salutem largiter tribuis. Siue igitur hanc lepram propter peccata mea portaui, dimitte culpam meam, munda me: siue propter tuam prudentiam, mirabiliter me mundans, vt ab omnibus magnificeris: *Domine, si vis, potes me mundare*. Voluntas tua opus est, quia opera voluntati obediunt, ideoque si vis, potes me mundare non dubito; & quia potes, adiuua me. Sed scio, quia potes, ideoque non potentiam peto, non fortitudinem quæro, has enim scio indeficientes, sed tantum voluntatem tuam deprecor, & sequens virtus statim adimplebit hanc gratiam: Ideò *Domine, si vis, potes me mundare*. mihi ad beneficium, tibi ad laudem: audientibus autem ad miraculum, & proficiendi doctrinam. Hæc Origenes in persona ipsius leprosi.

Dei velle est operari.

K

Septem genera lepræ, designant septem peccata mortalia.

MORALITER, per hunc leprosum, qui venit ad Christum significatur quilibet peccator, aut morbosum genus humanum. Vnde NOTANDVM, iuxta septem modos leprosorum, sunt septem genera peccatorũ. Prima lepra est in tumore. Habens enim hanc lepram, carnis & cutis superficies redditur vnctuosa & tumorosa in tantum, vt si aqua superfundatur non madescit cutis, sed elabitur quasi à corio madefacto, vt dicit Magister lib. 10. proprietatum. Sic peccator patitur hanc lepram, cum habet in mente superbiam; Est enim quasi tumor in carne maligna, superbia in mente, & significata est per lepram Oziæ regis, de quo legitur. 2. Paralip. 26. *Cum roboratus esset in regno, eleuatum est cor eius, ingressusq; templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq; ingressus est post ipsum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi; restiterunt regi, atq; dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, qui consecrati sunt Domino ad huiusmodi ministerium: Egredere de sanctuario, nec contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusq; Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus. Cumq; respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt leprã in fronte eius, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus vsq; in diem mortis suæ.* Et sequitur in fine capituli. *Dormiuitq; Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus* & non in sepulchro regum. Per Oziam intellige quemlibet mundi superbum, qui quanto magis in mundi regno exaltatur, tanto magis in suo corde eleuatur, & quantum in altum ascendit, tantum in cute animæ ad instar leprosi intumescit, iuxta illud Bernardi super Missus est; Videas plerosq; de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristinæ obliuisci humilitatis, genusq; suum erubescere, & infirmos dedignari parentes. Sed verè quantum eleuantur per tumorem, tanto magis proijciuntur ad profundum, diuina iustitia exigente.

1. Superbia

Et

Et est NOTANDVM, sicut Ozias rex in sua lepra vsq; ad finem vitæ suæ permansit, sic etiam superbus in sua superbia, vt communiter, ad finem scilicet vitæ perdurat, sicut testatur Iob. 15. *Cunctis diebus superbit impius.* Ideò dicit Sapiens. *Synagoga superborum non est sanitas.* Eccl. 3. Et possunt assignari aliquæ rationes. Superbia peccatum insanabile eiusque caussæ.

PRIMA, quia superbia est peccatum diaboli, ex quo Lucifer cecidit de superbia, vt suprà. K. X. Et sicut diabolus in sua superbia æternaliter manebit secundum illud Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendet semper,* sic etiam superbi in sua superbia, vt frequenter, manebunt. Caussa I.

SECVNDA ratio, quia infirmitas ista non agnoscitur, ergo de facili non curatur. Ideò dicit Augustinus: Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Et Bernardus: Scio, inquit, ægrum se non sentientem, periculosius laborare. Quibus consonat B. Hieronymus, difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus. II.

TERTIA ratio, quia superbus remedio non iuuatur, imò deterior efficitur, sicut patet de Iudæis, qui ex prædicatione Christi deteriores sunt effecti. Ideò dicit Dominus Ioan. 9. *In iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident*, id est, humiles cœci *videant, & qui vident*, id est superbia, sapientes, *cœci fiant.* Venit igitur IESVS Christus in hunc mundum vt humiles cœci illuminarentur, & superbi sapientes excœcarentur. Et hoc est, quod subditur in eodem capitulo. *Si cœci essetis*, & vos cœcos esse reputaretis, *non haberetis peccatum: Nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Quod figuratum est Matth. 26. vbi Petrus, qui interpretatur agnoscens, vel cognitio, legitur amputasse auriculam seruo principis sacerdotũ: quia literatis multum affert cognitio prædicationis, vel obedientiæ. III.

QVARTA ratio, quia Dei pietas non ita recipit superbos, sicut alios peccatores, sicut testatur Gregorius: Cœlestis medicus ægros non recipit, quos & de medicamento deteriores fieri videt. IV.

QVINTA ratio, quia superbia maximè distat ab humilitate, quia est ei contraria: sola autem humilitas, est via ad curationem. Vnde super illud Iob 31. *Si lætatum est in abscondito cor meum.* dicit Gloss. Superbia quanto longius ab humilitate abest, tanto minus potest haberi spes de curatione. Hæ sunt rationes quare superbi, quasi leprosi in sua lepra spirituali interdum vsque ad finem vitæ perseuerant. Et sicut Ozias sepultus fuit in agro regalium sepulchrorum, & non in sepulchris regum, sic nec illi, qui perseuerant in superbia vsque ad finem vitæ, quæ est spiritualis lepra locantur in requie beatorum, qui cum Christo regnant in æternum. V.

SECVNDA lepra est in adustione, & fit ex cholera rubea corrupta in membris cum melancholia: & dicitur leonina, à leone. Hæc species causatur ab humore feruentissimo, & malitioso, & ideò more leonis omnia membra destruit, & corrodit, vt dicit Magister proprietatum vbi suprà. Hanc lepram patitur, tunc peccator SPIRITVALITER cum in iracundia, vel in indignatione, detrahit quis verbo proximo suo. Et figurata est per lepram Simonis, Lucæ. 7. qui videns, quod beata peccatrix tangeret Christum: *Ait inter se. Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum quia peccatrix est.* II. Ira: species lepræ.

Et sicut hæc lepra realis fit ex sanguinis adustione, sic etiam hæc spiritualis lepra, scilicet ira, causatur ex sanguinis accensione: quia secundum Philosophum, S

Ira

Ira quid?

Ira est accensio sanguinis circa cor. Ideò sicut lepra iam dicta destruit totum corpus. & corrodit; ita ad literam iracundia destruit corpus humanum, & occidit. Quod probat Isidorus de summo bono; Ira, inquit, corpus occidit, mentem stringit, proximum offendit, omnemque salutem corporis abijcit, & tetendit. Cui concordat Tullius in Tusculanis quæstionibus, lib. 4. Ira veritatem tegit, iustitiam peruertit, atque omnem virtutem abijcit, ipsamque animam sic offendit. Quibus alludit Philaretus in tractatu de nat. mor. Infirmos quidam & languidos occidit ipsa ira.

Ira comparatur igni.

Ideò ira PRIMO comparatur igni. Sicut enim ignis omnia ligna sibi apposita accendit. & consumit; Sic ira accendit corpus, & illud manifestè transmutat & consumit. Idcircò homo iracundus est verè ille, qui habet ligneam domum, qui quandoque in vespere diues est, in mane nihil habet: quia ignis abstulit sibi totum. Veræ diuitiæ sunt virtutes, iuxta illud Gregorij in hom. Fratres, si diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Illas diuitias habet homo mitis, & patiens in domo sua, scilicet conscientia. Si autem ira in mentem venerit, omnes illas virtutes consumit, & amittit, iuxta illud Prouer. 19. *Qui impatiens est sustinebit damnum.* Ideò dicit Iesus Syrach, Eccles. 2. *Væ his. qui perdiderunt sustinentiam.*

Homo iracundus apro similis.

SECVNDO iracundus homo comparatur apro. quia sicut aper currit, ad gladium ex furore, sic homo iracundus, vel vt aper in gladium iræ, vel odij se impingit. Gladius enim diaboli est ira, vel odium.

Iracundus, olla feruens.

TERTIO iracundus comparatur ollæ feruenti, aut bullienti. Sicut enim olla bulliens aquam consumit, & bulliendo euaporat, sic mens feruens ex iracundia, consumit aquam gratiarum Spiritus sancti: & sic mens, amissa gratia, ebullit stultitiam.

Iracundus, arreptio similis.

QVARTO iracundus comparatur arreptitio: Quia sicut ille seipsum lacerat, interdumque in aquam præcipitat & occidit, sic homo iracundus seipsum lacerat, & dies suos abbreuiat, iuxta illud Eccles. 30. *Zelus & iracundia minuunt dies.*

T III. Auaritia, tertia species lepræ.

TERTIA, lepra est in siti: quia leprosi frequenter sitim patiuntur; & hoc prouenit ex humorum adustione. Hanc lepram spiritualiter patiuntur auari, signati per Giezi leprosum, de quo 4. Reg. 5. Postquam sanauit Helisæus Naaman principem Syriæ, & ille obtulisset sibi munera, quæ Helisæus non recepit, cucurrit post eum Giezi seruus Helisæi, quem cum vidisset Naaman currentem ait: *Rectené sunt omnia? Et ille ait; Rectè, Dominus meus misit me ad te dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixitq; Naaman; Melius est, vt accipias duo talenta:* & dedit ei, quæ ille accepit, & propter hoc factus est leprosus; quia dixit ei, *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.*

MORALITER. Giezi gerit figuram auarorum qui diligunt munera, propter quod adhæret eis spiritualis lepra scilicet auaritiæ, Et sicut leprosus patitur sitim, sic auarus habet sitim diuitiarum, quibus non potest impleri propter certas causas.

Cur auarus nunquam dicat, satis est. I.

Prima, anima quæ est capax Dei, nullo alio impleri potest præter Deum, vt dixi suprà ex verbis Innocentij Dominica infra octauam Epiphaniæ L.D. Et sic quantumcunque auarus cumulat, tamen animam suam non satiat, iuxta illud Sapientis: Non sufficit cor repleri vnius hominis.

Secunda, quia cupiditas est quasi ignis ardens, qui nunquam dicit sufficit, Prou. 30. Ignis verò non extinguitur per appositionem siccorum lignorum, sed augetur, vt dicit Philosophus 2. de anima. Ignis per appositionem combustibilium crescit in infinitum. Et ibidem: Ignis, inquit, augmentatur in infinitum. Sic cupiditas non extinguitur ex appositione diuitiarum, sed augetur. Ideo dicit Philosophus. 1. Politi. Desiderium diuitiarum tendit ad infinitum; cui consonat Poeta: II.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Tertia causa est, quia pecunia non apponitur vbi est sitis auari; sitis enim auari est in anima, sed ipse ponit pecuniam in arca. Insanis igitur auare, qui pecuniam ponis in bursam vel in cistam: non est tibi saturitas, sed sitis; igitur saturari non poteris, quia pecunia res corporalis est, Anima autem res spiritualis; Res verò spirituales corporali non possunt impleri, nec econuerso. Verbi gratia. Sicut arca non potest impleri sapientia, sic nec anima pecunia. III.

QVARTA lepra est, in ponderositate, quia communiter leprosi sunt ponderosi & graues. Et hanc lepram patiuntur acediosi, qui sunt graues ad benè operandum. Et figuratur hæc lepra Exodi. 4. vbi legitur, quod Dominus dixit ad Moysen. *Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & iterum protulit, & erat similis carni reliquæ.* Ille mittit manum suam in sinum, qui deterior efficitur; quod pertinet ad vitium remissionis; Si enim incipit aliquod opus, primo die aliquantum strenuè operatur, secundo die minus, tertio iterum minus, ad vltimum nihil; sic incurrit spiritualem lepram acediæ. De tali dicitur Eccles. 22. *Filia fatua in deminoratione fiet.* Filia fatua est anima sale sapientiæ non condita, quæ semper decrescendo procedit: remissus enim quotidie aliquid amittit, ideo pauper efficitur. Prouerb. 10. *Egestatem operatur manus remissa, manus autem fortium diuitias parant.* Et Prouerb. 12. *Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est tributis seruiet.* Econtra verò vita iustorum procedit crescendo, iuxta illud Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectum diem.* Prou. 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia.* De hoc tale inueni exemplum. IV. Acedia, quarta species lepræ.

Milites tres sibi mutuo felicitatem promiserant, vt in quacunque necessitate essent, se non desererent; in bellis & in torneamentis erant strenui, & ad omnia mundi facta proni: Contigit cum quadam die transissent syluam, omnes in silentio transierunt, & cum essent extra syluam dixit senior: Miror quomodo sic obmutuimus in transitu syluæ, & dixit causam silentij esse hanc, quia videns amœnitatem syluæ, memor fuit amœnitatis cœlestis, quam etiam causam ceteri confessi sunt. Quibus senior dixit: Credo sine causa hoc factum non fuisse, sed nutu Dei, vt sicut hactenus mundo, ita nunc Deo seruiamus. Quapropter consulo, vt claustrum ingrediamur, & eandem fidelitatem in domino habeamus. Quod & factum est; & laudabiliter & strenue per aliquod tempus ibi vixerunt. Tandem duo minores cœperunt tepescere, & hoc inuicem confessi sunt, & consolationem inuicem quæsierunt: venerunt ad tertium de statu suo quærentes, inuenerunt eum Deo seruientem hilariter & deuotè: Videns autem vultus eorũ tristes, dixit: Ecce ex multo otio & tædio estis tristes, & segnes, & pigri, mihi autem totũ tempus breue videtur, quia semper occupor studijs. Illis autem mirantibus, quibus studijs vel occupationibus tempus expenderet; cum

sicut ipsi, illiteratus esset, dixit: Tres literas tantummodo scio, quas docuit me magister meus in ingressu meo, quas legens quotidie, nullo tedio afficior, sed prae desiderio legēdi deficit mihi tempus; *Vna* scriptura vel litera est in nigro colore, quae significat peccata mea quae denigraverant animam meam, & falsitatem & instabilitatem mundi, perpetuitatem poenae inferni; & hanc ego lego à mane vsque ad Missam; *Secunda* litera aut scriptura est in colore rubeo, quæ significat passionem Saluatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit. Hanc lego à Missa vsque ad Nonam quando spiritum emisit; *Tertia* litera aut scriptura est in aureis literis, & hæc est amœnitas & multiplicitas gaudij cœlestis; & hanc lego vsque ad Completorium. Et sic expono tempus meum, sine tædio. Quo audito, ceteri multum accensi, de cetero & ipsi profecerunt; sic etiam exemplo illius militis debent & ipsi laici, qui aliàs nesciunt scripturas, legere & relegere has tres literas.

Explicatio literæ Nigræ.

Rubeæ.

Aureæ.

Laicorum duplex exercitium.

X.

Et PRIMO literam nigram, vt videlicet consideret homo, quàm niger & turpis ante Deum factus est per peccatum. Iuxta illud Thren. 4. *Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis.* Et non solum denigrat peccatum coram Deo, sed etiam aliquando coram hominibus. Sicut factum est cuidam militi de quo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 3. part. 40. Qui de latere mulieris & coniugis intempestæ noctis silentio vice quadam exsurgens, completo cum aliena flagitio, domum luna lucente redibat. Cuius faciem per fenestram vxor eius eminus contemplata, clamauit horrifice: Ad cuius clamorem ancillæ domus & famuli concurrentes, mox ad contuitum domini pariter clamauerunt, quasi à conspectu dœmonis deturpati. Quod vt miles vidit, animaduertit, faciem suam à propria forma recessisse, & diuino iudicio, secundum ciuitatem peccati, confusionis ignominiam induisse, manè properauit versus Ecclesiam, vt confessus sacerdoti propriã formam mereretur recipere. Cui cum vaccæ & pecudes villæ procedentes ad pascua longius obuiarent, mox diros dederunt mugitus, & fugerunt, idem pastores & obuij quique fecerunt: Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ residens, dicensque horas, mox vt illum vidit, signauit se intrans Ecclesiam, & ostium post se clausit. Tunc miles prosternens se ante fores Ecclesiæ, dixit. Miserere pater sancte, miserere miserrimo peccatori. Non sum ille, qui videor, sed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, vt in me laruata quasi dœmonis facies videatur, sed pœnitenti iniunge quod vis, & sic de me quicquid voluerit Deus exspectabo. Nec mora. Vbi miles cum mira contritione, & lacrymis confessus est, larualis illa confusio detersa est, & propriam faciem cum sua integritate recepit. Et dicit Author: Vidimus plures ex his, qui militem optimè cognouerunt, qui nobis ista de illo veritate testatissima narrauerunt.

I.

De peccatis proprijs.

De adultero qui vultum dœmonis habebat.

II.

SECVNDO, debet homo laicalis legere in scriptura, aut litera rubea, videlicet recordando passionem Christi, vt suprà dixi Dominica III. in Aduentu, Serm. II. G. O. Quia talis recordatio passionis Christi, plus valet eis, quàm frequens ieiunium, vel virgarum percussio, aut psalterij decantatio. Quia quidam dicunt, & ascribunt hoc Alberto Magno, quod dixit: Simplex recordatio, seu meditatio passionis Christi, plus valet, quàm si integrum annum ieiunaret, quis in pane & aqua; vel si quotidiæ virgis, aut flagellis vsque ad effusionem sanguinis cederetur; vel si quotidiè legeret vnum psalterium. Et ratio potest esse hæc, quia ieiunium, aut talis percussio, vel oratio psalterij fit aliquando cum tædio, & sine delectatione. Recordatio autem passionis

De passione Christi.

ſionis Chriſti, quàm ex maximo amore ſuſtinuit, nunquam poteſt cordialiter memorari, aut fieri ſine ingenti caritate; Et hæc quidem caritas facit memoriam paſſionis Chriſti adeò pretioſam, quia dicit Auguſti. de laude, c. Attendite. Tanta eſt caritas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cetera, ſi autem adſit, habentur omnia, vel in his, vel in alijs.

TERTIO, debent laici legere in ſcriptura, aut litera aurea, vt videlicet memorentur III.
gaudia cœli; de quibus dixi ſufficienter ſuprà Dominica. II. in aduentu, Serm. I. D. D. De cœleſti gloria.
Et Dominica. III. in Aduentu, Serm. II. G. B. C. Et Dominica prima poſt octauam Natiuitatis Chriſti, K. D. Et in præſenti ſermone primo principali. N. O.

QVINTA lepra eſt in pinguedine, & ſignificat Gulam, quæ eſt ſpiritualis lepra animæ. & ſignificata eſt per lepram, ſcilicet quatuor virorum, qui erant extra portas ciuitatum ab alijs ſegregati, videlicet 4. Reg. 7. Et benè gula ſignificatur, per lepram. V. Lepra, Gulę.
1. Gula cur ſimilis lepræ.
PRIMO ſicut lepra hominem deturpat, ſic & gula animam, quæ eſt imago Trinitatis beatę deturpat, multum eam obſcurando. Iuxta illud Hieronymi: Nihil adeò obruit intelligentiam, vt commeſſatio & ebrietas. SECVNDO, ſicut lepra ab hominibus elongat, ſic gula à Deo elongat. ad quod pertinet; quod dicitur in Pſal. 31. *In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* dicit Gloſſa. Non approximantes ad Deum, ſunt homines cibo & potu ſe replentes, quibus optat Dauid, maxillas conſtringi, & parcius victualia dari, vt ſic ſaltem cogantur ad Deum proximare, ſicut accipiter famelicus ad Dominum ſuum. TERTIO, ſicut lepra à ciuitatibus excludit, ſic gula excludit à ſuperna Dei ciuitate. Sicut teſtatur Apoſtolus. 1. Corinth. 6. *Nolite errare fratres, neq; ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Et hoc patet, de diuite epulone, qui epulabatur quotidie ſplendidè, & ſepultus eſt in inferno, Luc. 16. Ibique pro delicatis ferculis comedunt bufones & ſerpentes, ſicut patet in exemplo. Quidam miles delicatus moriens, poſt mortem nocte quodam pulſauit ad oſtium dicens, quod dominus eſſet poſſeſſionum, & dixit nomen ſuum, rogans, vt intromitteretur, & puer vidit eum per feneſtram, & dixit, certè dominus meus mortuus eſt, nec vos intromittam. Cumq; pulſaret perſeuerando, nouiſſimè ait; Defer piſces iſtos filio meo quibus veſcor, quos ego ad portam illam ſuſpendo. Manè exeuntes inuenerunt in quodam ligamine multitudinem bufonum ignitorum & ſerpentum.

SEXTA lepra eſt in putredine Dicit enim Magiſter proprietatum vbi ſuprà, quod lepra naſcitur de quatuor humoribus putrefactis tantum incenſis, & corruptis, & in calorem magnum commutatis. Putrefactio enim humorum, quibus admiſcetur melancholia, propter frigiditatem & ſiccitatem putrefactioni repugnantem, non poteſt compleri in vaſis, ſiue venis, quoad vſque incorporetur, & moram faciat in membris, in quibus completur putrefactio, & ſequitur lepra. Si enim iuuenis putreſceret, potius febrem, quàm lepram generaret. Z VI. Lepra inuidiæ.

Hanc lepram patiuntur SPIRITVALITER inuidi; & ſignificatur per lepram Mariæ ſororis Moyſi de qua legitur, Num. 12. quæ ex inuidia detrahebat ipſi Moyſi & Aaron, ambiens dominium, dicens: *Num per Moyſen ſolum loquutus eſt Dominus? nonne, & nobis ſimiliter loquutus eſt* Et propter, hoc percuſſit eam Dominus lepra, & ſeptem diebus manſit extra caſtra. Benè autem, per hanc leprā ſignificatur inuidia, quia ſicut lepra facit putreſcere corp⁹, ſic inuidia animas cū corpore. Prou. 14. *Vita carnium ſanitas cordis: putredo oſſium, inuidia.* Vbi per *oſſa* intelliguntur animę, quæ ſunt perpetuę.

Et sicut hæc lepra de facili non curatur, sic nec inuidia. Sicut probat Cyprianus super Galat. 5. loquens de zelo inuidiæ, dicit: Zelus iste modum non habet, iugiter permanens sine fine, cum alia finiantur scelera. Quantum enim ille, cui inuidetur, successu meliori profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignei ardescit; Nec mirũ, si vix curatur vitium illud cum sit peccatum in Spiritum sanctum, & sicut ignis Græcus, qui non facilè extinguitur. Inuidia enim est quasi rubigo ferro adhærens, quæ non de facili recedit. Ideò dicit Basilius in hexameron: Sicut rubigo ferrum, sic inuidia animam in qua nascitur, corrumpit: Propter, quod consulit Sapiens Prou. 25. *Aufer rubiginem de argento,* id est, inuidiam de anima. Inuidiã etiam ideò non est curabilis de facili, quia est peccatum diaboli. Iuxta illud Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Ideò enim ipse parentes nostros seducebat, quia eis inuidebat regnum cœlorum, quod ipse perdiderat. Et propter hanc causam adhuc homines impugnat, vt secum damnet. Ideò legitur.

Inuidia penè incurabilis.

Inuidia rubigini similis.

A Dæmon quidam cum hominem à se obsessum, horribiliter torqueret, & diuersis per os eius garriendo diuersa responderet, dictum est ei à quodam circumstantium. Dic diabole si posses ad gloriam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris sustinere? Respondit ille: Si hoc esset in meo arbitrio, mallem cum vna anima à me decepta descendere ad infernum, quàm redire ad cœlum. Mirantibus cur ista diceret: Iterum respondit. Quid de hoc miramini, tanta est malitia mea, & ita obstinatus sum in illa, vt non possum aliquid boni velle.

Cur dæmon de multitudine damnandorum gaudeat.

Sed diceres; Cum diabolus ex multitudine damnandorum scit pœnas augmentari suas, quia dicit Augustinus de peccatoribus. 2. q. 1. c. Multi. Non gaudeant, quod plures inueniunt sibi similes; nam non proptèrea ardebunt, quia cum multis ardebunt: Quare ergo diabolus vult potius hominem decipere, & secum damnare, & sic pœnas suas ex hoc augmentare. *Responde*, quod hoc facit ex pura superbia & inuidia. Quia dicit Doctor Bonauentura in scripto super. 2. sentent. dist. 1. Mens diaboli est principaliter in his duobus vitijs, scilicet superbia & inuidia obsessa; Videns enim hominem in statu in quo poterat cadere sub diabolica potestate, & in quo poterat ascendere ad æternam felicitatem, à qua ipse ceciderat, ex superbia motus est, & ex inuidia ad ipsum tentandum. Ex *superbia* namque, vt eum sibi subijceret: Ex *inuidia* verò vt ipsum à superna felicitate impediret. *Et subdit.* Æstimo enim, quod si non potuisset dominari super hominem, adhuc studuisset ipsum à paradisi gaudijs impedire. Hæc ille.

Mens diaboli, superbia & inuidia obsessa.

Et sic patet, quod ex inuidia procurat hominis malum, quamuis sibi sciat magnum exinde venire damnum; Sicut adhuc quidam sunt diabolici homines, diaboli vitio obsessi, qui ad instar diaboli, potius eligunt sibi malum, quàm, vt videant proximi sui bonum. Sicut probatur in hoc exemplo; Erat quidam inuidus, & quidam auarus, in quorum optatione quidam potens posuit, vt ab eo quicquid vellent, peterent, hoc tamen pacto, vt, quod peteret primus vltimus duplum acciperet. Auarus igitur, quia plus cupiebat nolebat primò petere: quod attendens non potuit sustinere inuidus. Cumque differret vterque petere, inuidus liuore stimulatus, primò petijt: vt primò sibi vnus oculus erueretur, vt duo eruerentur auaro. Et factum est, quia duplum ex pacto recipere debuit.

SEPTIMA lepra est in anhelitus fœtore; habent enim leprosi anhelitum fœtidum, propter quod frequenti ex collatione cum leprosis contrahitur leprā, vt dicunt naturales. Hanc lepram SPIRITVALITER luxuriosi patiuntur; quia sicut lepra fœtet, sic hæc lepra spiritualis fœtet coram DEO, & Angelis suis; sicut legitur in vitas patrum de angelo, qui obturauit nares ad conspectum cuiusdam luxuriosi. nec mirum, quia luxuria comparatur stercori Iohel. 1. *Putruerūt iumenta in stercore suo.* quod exponit Gregorius: Iumenta in stercore suo putrescere, est in fœtore luxuriæ vitam finire. Ideò dixit Psalm. 31. *Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.* Endor interpretatur fons generationis, & est illa pars, quæ operi carnali & generationi deseruit. VII. Lepra luxuriæ.

Quod autem luxuriā est fœtida, patet in Exemplo, quod legitur in Vitas patrum: Quidam sanctus vir infantulum in silua nutrierat, qui cum ad annos pubertatis deuenisset, valdè à spiritu fornicationis vexabatur, & volens ad seculum redire, multum doluit vir sanctus, & per duos annos in illa tentatione blandis exhortationibus eum retinuit. ad vltimum, dixit adolescens, quod nullo modo posset tentationem sustinere. Cui vir sanctus: Vade igitur, & duc vxorem, quia, & in matrimonio potes saluari. Vnum tamen de gratia peto, quia antequam ad seculum redeas, vt prius ad fontem, qui est in silua, accedas, & ibi quadraginta dies ieiunes, rogans Dominum, vt tibi vxorem bonam dignetur elargiri. Quia hoc est magnum donum Dei, & scribitur Ecclesi. 26. *Mulieris bonæ, beatus vir.* Accipe igitur de pane quantum vis. Acquieuit igitur iuuenis, & viginti dies ibi ieiunans permansit in oratione. Cum igitur oraret sensit maximum fœtorem, qui cum per spatium duarum horarum excreuisset; tandem vix valuit tolerare. Et ecce quædam mulier Æthiopissa turpissima, oculis lippa, ac etiam scabiosa tota, ex qua fœtor ille processit, apparuit iuueni dicens. Vbi es amice? Per multum tempus te quæsiui, multum te diligo, super omnes te appeto. Quæsiuit iuuenis, quid vis tu turpissima, ac etiam fœtidissima, & intolerabili fœditate induta? Inquit illa, te volo, te cupio, pro te veni huc, multum te quæsiui, volo quod dormire debeas mecum. Tunc iuuenis in eius faciem cœpit spuere dicens; Absit à me, vt talem habeam amicam, tam sordidam atque turpem. Et rursum inquit. Quis es tu, vnde venis, aut quomodo vocaris? Respondit illa; Ego sum peccatum luxuriæ, iam sunt duo anni, quod cœpi te quærere, & hoc primo quando tentationem carnis sensisti. At ille: sciuissem, quod peccatum luxuriæ, ita fœtidum esset, ac etiam tam abominabile, nunquam ad mundum verti voluissem amodo seruabo Deo virginitatem. Et reuersus ad sanctum virum, huiusmodi sibi narrauit visionem. Respondit vir sanctus, si vsque ad quadraginta dies exspectasses, maiora tibi reuelata fuissent: Et iuuenis DEO seruiens in virginitate perdurauit. Hoc exemplum posui etiam supra sub breuitate Dominica I. in Aduentu, Sermo I. A.P. & in eodem, vide pœnam luxuriosorum A. G. & Dominica I. post Epiphaniam, Sermo III. M. R. Reliqua verò hic dimissa, vide infra Dominica IV. Serm. III. post festum benedictæ, & indiuiduæ Trinitatis, qualiter videlicet spirituales leprosi debeant pœnitere.

Lib. 4. cap. 5. §. 8.

Monachus fornicatione impugnatus liberatur à tentatione.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Sermo Primus.

Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem adimpleuit. Ad Roman. 13.

B REGES terreni & Principes alijq; domini sui, qui diligunt populũ suum, consueuerunt leges condere pro Republica, in quibus præcipiunt honesta, & inhibent inhonesta. Et has quidam leges non solum promulgant ore proprio, sed etiam, publicè dicunt per præcones suos, & omnibus faciunt manifesta, vt nec aliquis ab impletione earum excusetur. Ad quod probandum refert Iustinus & Trogus Pompeius li. 4. de Licurgo principe, qui leges Lacedemonijs condidit, præcipiens honesta, & inhibens inhonesta. *Prima*
1. lege populũ ad obsequium principũ, & principes ad iustitias impiorum, informat. *Se-*
2. *cunda* lege parsimoniam omnibus suasit, operationem quácunq; iussit exerceri, ne o-
3. tio homines torpescerent. *Tertia* lege, emi singula non pecunia, sed cõpensione mercium, præcepit. *Quarta* lege, auri & argenti vsum velut omnium scelerum mate-
4. riam, sustulit. *Quinta* lege, administrationem Reipublicæ per ordinem diuisit, regi-
5. bus potestatem, bellorum, magistratibus iudicium, senatui custodiam legum. *Sexta*
6. lege, fundos omnes inter cunctos æqualiter diuisit, vt æquo patrimonio neminẽ alijs
7. viderent potentiorẽ. *Septima* lege, conuiuari omnes publicè iussit, ne alicui diuitiæ,
8. vel luxuriæ, in occulto essent. *Octaua* lege, iuuenibus non amplius, quàm vna veste
9. vti, toto anno permisit. *Nona* lege, puberes non in forum, sed in agrum iussit deduci,
10. vt primos annos in bonorum labore, non luxuria, vel ludis exercerent. *Decima* lege,
11. statuit virgines sine dota nubere. *Vndecima* iussit, vt vxores non causa pecuniæ eli-
12. gerentur. *Duodecima* lege, maximum honorem statuit senibus exhiberi. Et certè si hæ leges adhuc in ciuitatibus tenerentur omnia bene starent.

SPIRITVALITER. Christus rex cœlorum, diligit, & ab æterno dilexit, genus humanum sicut dicit per Prophetam. *In caritate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans tui.* Ierem. 31. Idcircò ab initio condidit legem generi humano, sicut de hoc dixi suprà Dominica infra Natiuitatem Christi. K. F. In principio enim dedit legem naturæ, & hæc fuit. *Quod tibi vis fieri, alteri fac: & quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Tob. 4.

Postquam autem lex naturalis erat obfuscata, dedit Dominus legem scriptam. De qua habetur in quinq; libris Moysi, qui fuit promulgator eiusdẽ. Ideò dicit Apostolus. ad Rom. 5. *Lex subintrauit.* Glossa, post obfuscationem legis naturalis, & tandẽ idem rex Christus ore proprio condidit legem caritatis, cum dixit Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Et hanc legem non solum ore suo condidit, seu dedit, sed per præconem S. Apostolum Paulum promulgauit, qui dicit in verbo præassumpto. *Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis.* In quo quidem verbo nos ad duo breuiter exhortatur scilicet.

Ad

Ad solutionem debitorum. } ibi { *Nemini quicquam debeatis,*
Ad dilectionem proximorum. } ibi { *Nisi vt inuicem diligatis.*

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Sicut dilectus pater instruit filios suos illud, quod sentit eis proficuum & honestum. Ita B. Paulus filios suos spirituales docet, vt debitum suum proximis soluant: quia hoc videtur eis valde proficuum & honestum. Vnde debitum temporale habetur in duplici differentia. Aliud est circa res proximi. Aliud circa personam eius. Si circa res; hoc dupliciter, vel per violentiam, aut iniquitatem. Si per violentiam aut manifestam, aut occultam. Per violentiam manifestam. PRIMO sunt debitores mali domini terrestres, spoliantes, vel exactionantes, vltra stipendia statuta pauperes, & certè tales Domini sunt proditores. Et ponit exemplum in li. 3. vitior. Gulielmi. Si aliquis paterfamilias, filium suum transiturum ad aliquam viam periculosam, bonæ fidei alicuius commendaret, & certam pecuniam propter hoc assignaret, sed ille filio eius aliquid vltra summam auferet, proditor esset, & posset ei dicere paterfamilias. Ego commendaueram filium meum bonæ fidei illius, & ipse spoliauit eum. C

Debitum temporale duplex.

SPIRITVALITER. Paterfamilias est Christus Deus qui filios suos periculosam viam huius mundi vult transire, ad cœlestem patriam, in qua quidem via multi sunt latrunculi diaboli. iter ipsorum obsidentes, vt dicit Gregor. in homilia. Ideò cōmendauit eos potentibus spiritualibus, & secularibus huius mundi, dicens cuiq; potenti, vt curam vniuscuiusq; habeat sibi commiss. 3. Reg. 20. *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit erit anima tua, pro anima ipsius.* Et non solum ipsos eis custodiendos cōmendauit, sed etiam ipsis, circa hoc summam redituum iustorum eis assignauit, dicens eis per sanctum suum famulum Ioannem, Luc. 3. *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* Et hæc stipendia eis de iure constituta, aut imposita, debent subditi sine dolo & fraude integraliter soluere; & si de hoc subtraxerint, mortaliter peccant, vt dicūt Dd. Et dicit Innocentius. III Licet ignoretur causa census, si tamen certū sit ipsum ab antiquo debere solui; reddi debet; vt Extra de consue. c. Quanto. Sed hoc multotiens contingit, quod Domini tam spirituales, quàm tēporales vltra summam sibi constitutam à pauperibus suis aufferunt. *Subdit Innocent.* dicens: Si non esset subditus meus, malum ei inferrē, aut spoliarē, tunc benè scio, quod peccarem; sed ex quo subdito meo hoc facio, non credo me peccare. Audi tu Domine: Dānatio tua hoc modo diabolica est, quod sic probo. Diabolus enim talis est dominus, qui his quos sibi subdit loco retributionis, afflictionē redit & pœnam, vt dixi suprà Dominica I. post Epiphaniæ, sermo. III. M. L. Z. vbi de hoc duo exēpla in fine. Et similiter, qui melius sibi seruiunt, illis plura mala facit.

Christus paterfamilias. Diaboli latrunculi.

Præterea, quis sani capitis dubitet, minus licitum esse hostem in ciues, quàm in extraneos: & an aliquis nesciat crimen proditionis esse, cum amicis inimicitias exercere. Certè nullus. Tales etiam domini sunt ingrati ipsi Deo. Deuter. 6. Honorauit eos alijs hominibus præficiendo eos, ipsi verò ex hoc inhonorant Deum cum pauperes opprimunt, quià dicit Matt. 25. *Quod vni ex inimicis meis fecistis, mihi fecistis.* Ideò similes sunt militibus, qui Deum crucifixerunt, qui arundinē de manu Domini acceperunt, & caput eius arundine percusserunt. In arūdine significatur potestas terrena, quàm domini habent à Deo. Iuxta illud Apostoli, ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo,* scilicet cōcessa, ordinata, & habetur per Augusti, 23. q. 1. c. Quid culpatur: Sed

Potestas terrena arūdo.

Sed dominum ex eo in pauperibus percutiunt, quando eis violenter bona eorum abstrahunt. Ideò debitores, pauperum fiunt. Econtra dicit Apostol. hic. *Nemini quicquam debeatis.* quasi diceret; Si aliquid à pauperibus iniustè tulistis, restituite illis, vel alias saluari non potestis. De hoc quære suprà plura Dominica.I. in Aduentu, sermo. II.A. X.

Item legitur. Quædam obsessa die quadam cum quendam nobilem & diuitem vidisset, dæmon ab ea, multis petentibus, contra eum clamare cœpit, dicens: Vitulum illum; quem tali viduæ abstulisti flammis infernalibus liquatum guttatim mittemus in oculos tuos, & per omne corpus tuum stillabimus pinguedinem eius. Quibus verbis miles territus, vitulum restituit. Refert etiam Helinandus & Vincent. in spec. histo. lib. 3. cap. 6. Quidam Cisterciensis ordinis, cum ageret in extremis, vidit beatum Benedictum se à corpore educentem, & ostendit ei mansiones multas electorum, & supplicia damnatorum, vbi inter alia vidit quendam, quem dæmones excoriabant, & cum sale confricabant, & aspergebant, ac super cratem igneam concremabant, dixitq; ei Angelus. Potens fuit, & crudelis erga subditos; igitur maligni spiritus in talibus pœnis eum torquent.

D SECVNDO, per violentiam manifestam debitores sunt, mali iudices & Aduocati. Et NOTA, quod iudices sunt duplices. Primi dicuntur ordinarij, qui ab Imperatore, vel Apostolico potestatem accipiunt, & dicunt vulgariter Geschworne Richter. Alij dicuntur Arbitri, qui nullam potestatem habentes, de consensu litigantium eliguntur, vt dicit 2. q. 6. C. A. iudicibus. *Primi* nihil debent capere, vel recipere à partibus, nec expensas, cum propter Deum, ad tuendam iustitiam, habeant suas prouisiones, & ne dum sumptus quæritur, sumptus grossetur, vt 86. distin. c. Non satis. & 23. q. 1. c. Militare in fine.

Iudex duplex. Ordinarius Arbiter.

Secundi nihil recipere possunt, nisi forte esculentum & potulentum, mera liberalitate oblata. Ideo præcipitur, Extra de vita & honestat. clericorum c. Cum ab omni, Quod iudex Ecclesiasticus debet gratis iudicare, cum etiam in foro seculari sententiæ venales reprobantur; & 23. q. 1. c. Dominus. Dicitur iudex qui non vult iudicare, & propter hoc aliquis amittit ius suum, tenetur restituere totam litis æstimationem. Idem habetur in authentic. vt differentes iudices §. penulti. Et intellige tenetur restituere ei, qui propter hoc est læsus. Si autem aliquis dedit pecuniam iudici, vt propter hoc ipse malè iudicet, tenetur pecuniam receptam restituere, non ei qui dedit, cũ turpiter dederit, sed ei in cuius iniuriam accepit. vt probatur 1. q. 1. c. Iubemus. & 17. q. 4. c. Si quis. & ff. de calumnia lib. 4. §. Illud. & quantũ ad hoc dicit ei Apostolus Rom. 13. *Nemini quicquã debeatis*. quasi diceret si quid iniustè accepistis, pro quo & malè iudicastis, restituere tenemini his quos læsistis. De Aduocatis autẽ qui recipiunt pecuniam immoderatam, & sibi commissorum negligunt causam, grauis exigitur pœna. Sicut legitur in tragœdijs Senecæ, quod visum est cuidam quod videret Neronem apud inferos balneantem, ministrosque circa eum aurum feruens infundentes, & cum videret chorum Aduocatorum ad se venientem; Huc inquit, venale genus hominum. O Aduocati amici mei, accedite, vt in hoc vase mecum balneamini; Adhuc enim superest locus in eo quem vobis reseruaui. Et hi omnes qui per infidelitatem vel ignorantiam negligunt causas suorum, tenentur ad restitutionem omnium, vt dicit Raymundus, & habetur 14. quæ. 5. c. Non sanè. & 13. q.

Aduocati.

De Nerone historia.

13. q. 6. c. Si res. Ideo etiam sunt debitores illorum circa quos præstabant patrocinium? si propter eorum pertinaciam, vel infidelitatem, aut imprudentiam iniustè perdunt causam. Ideò dicit illis Apostolus: *Nemini quicquam debeatis*, quasi diceret; sed ei restituite. Et hoc intelligitur secundum Glossam, quando tales Aduocati se tanquam prudentes iactabat, ad exequendam causam, aliter non tenentur restituere. Aduocati quando obligantur ad restitutionē.

TERTIO per violentiam publicam debitores sunt ipsi raptores: quia *primò* ipsi raptores destruunt in homine, bonitatis vel iustitiæ fundamentum, de quo dicit quidam Sapiens: Primum fundamentum iustitiæ est, ne cui noceatur: deinde vt communi vtilitati seruiatur. Ideo Apostolus in hac Epistola prohibet rapinam, cum dicit: *Non concupisces rem proximi tui*. *Secundo* raptores sunt Deo odiosi. Iuxta illud Isa. 12. *Ego Dominus amans iudicium, & odio habens rapinam*. *Tertio* etiam exosi sunt bonis hominibus, sicut patet de Salomone Eccles. 4. *Verti me ad omnia quæ sub sole geruntur, & vidi calumnias, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & feliciorem vtroq; iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt*. Ecce quod rapina reddit bonis hominibus etiam mundum exosum. Ad hoc pertinet quod legitur Habac. 1. *Vsquequo Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis?* Et subdit: *Quare respicis contemptores & taces, conculcante impio iustiorem se?* quasi diceret propheta: Ideo hic tacet vt in futuro puniat. E Raptores. 1. Cicero primo officiorum. 2. 3.

Refert Helinandus & Vincent. vt suprà: Quod quidam ordinis Cistertiensis, de quo suprà, vidit in tormentis hominem super equum ardentem, clypeum igneum gerentem, & super collum equi capram tenentem, & ad caudam equi trahebat habitum monachi, cui Angelus ait: Iste quem vides, pauper homo fuit, sed de rapina viuens, capram vnam rapuit à quādam paupere muliere, & circa finem vitæ suæ voluit fieri monachus, non verè pœnitendo, sed vt ignominiam suam parumper tegeret. Nam si viueret, cogitauit se rediturum ad priorem vitam, & ideo trahit habitum religionis post se, sicut rem quam paruam æstimabat. Capra enim clypeus est suæ damnationis. Vide ô lector si iste capram raptam restituisset cum alijs rapinis, de numero saluandorum fortassis extitisset. Ideo sciant se omnes raptores esse spoliatorum debitores, & nisi restituant, in æternum cum diabolo pereunt. Quare etiam diabolus, qui scit pœnam suam ex multitudine raptorum de rapina viuentium augmentari, interdum non sinit hominem de rapinis vesci, sicut probat Cæsarius. Diues quidam sub tipo eleemosynæ pauperibus conuiuium fecit inter quos cum quidam obsessus esset, & ceteris manducantibus ipse quidem cum etiam cibos ori suo applicuisset, sed eisdem vesci non posset, cum quidam ex circumstantibus hoc vidissent, dixerunt dœmoni. Inique cur hominem, non sinis manducare? quibus ille respondit, vt non peccet, eo quòd illa eleemosyna de rapina sit. Dicentibus, mentiris: quia is qui fecit eam bonus homo est. Respondit nequaquam mentior. Vitulus iste qui in pauperes est diuisus, in quinta generatione fuit ab illa vacca, quæ per rapinam habebatur, quod illi audientes admirati sunt. Ideo his raptoribus dicit Apostolus Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis*. quasi diceret, si cuiquam rapuistis reddite ne cum rapina pereatis. Quibus raptores comparantur, & de pœnis eorum, dixi supra Dominica IV. in aduentu. I. E. Raptor capræ dānatur

F QVARTO per violentiam manifestam sunt debitores, iniqui, & pessimi lusores, qui committunt rapinam. Volunt enim proximos suos rebus suis spoliare, non solũ in camisia, verum etiam braccis, & in omnibus, si scirent. Quod non faceret vnus de latronibus, qui spoliant peregrinos in nemoribus, ideo tenentur restituere. Et dicit Doctor Azorius, & ferè omnes Doctores, quòd illud quod perditur in alea, potest repeti. Idem Græca constitutio. c. de alea L. alearum ludus.

Lusores.

Et NOTA. Gloss. c. Clerici de vita & hon. cle. Idem c. de vsu aleæ: qui ex cupiditate, & voluntariè lusit, si amisit, non potest repetere: si lucratus est, tenetur restituere, saltem iudicio animæ. Et ratio est secundum Henricum de Ferraria, quia ludi aleæ taxillorum sunt prohibiti per leges & iura. Ideo in talibus rebus acquisitis deficit bonus titulus, & bona fidei, & iusta causa. Ex quibus nascitur homini illicita possessio rei. Subdit Raymundus: vel inuitus lusit & attractus per nimiam alterius importunitatem, & tunc si amiserit potest repetere. Si lucratus est, non tenetur restituere ei qui perdidit, sed debet pauperibus erogare. Et secundum hoc potes concordare omnia iura: & est Extra de sim. c. Dilectus. 14. q. 5. c. Non sanè. Nec obstat, vt dicit Raymundus, si lusor dicat: Licet ego ex cupiditate luserim, non feci tamen iniuriam proximo quia ipse idem fecit, & voluntarius accessit. Respondet; inuitus tamen & dolens amisit. Et tales qui sic perdunt, multoties in desperationem cadunt, & se diabolo tradunt. sicut narrat exemplum.

Ludi aleę vt taxillorum prohibiti.

Quidam dum luderet ad taxillos & omnia amisisset, vno denario tamen excepto, diabolo se cum corpore & anima tradidit. Et in signum istius, post multas blasphemias, ei denarium proiecit. Et cum manè facto solus iret per viam, obuiauit duobus dœmonibus in specie humana, qui dixerunt quod esset domini sui, *quibus se tradiderat*. Et in signum istius, denarium, quem proiecerat, ostenderunt, & dixerunt, quod iret ante eos, quia venerant ad eum deducendum ad locum suum. Qui rogauit, vt permitterent eum ire ad domum suam, & post duos dies sequeretur quocunque vellent ire. Quod cum permitterent, prima die permansit tristis in domo sua & desperans, non tamen alicui pandens, neque comedens, neque bibens. Cum autem die sequenti quædam mulier transiret ante domum eius pauper, & infantulum inter brachia portans, petens propter DEVM de pane suo: ille dixit, quod non daret nisi peteret amore dominorum suorum dœmonum, cum quibus iturus erat, & quibus se tradiderat. Quod illa facere abhorruit, sed iuit ad amicos illius, suadens eis vt requirerent diligenter ab eo, quid esset, quod ille dixerat, & eum custodirent. Quod cum fecissent, & ille totam veritatem manifestasset, cœpit clamare: Ecce veniunt vt me secum deferant; sinite me ire, ne violenter me rapiant. Cum autem illum detinerent, & ad pœnitentiam prouocarent, dœmones inuisibiles ab eis eum inter manus eorum prostrauerunt, & occiderunt. Et occasio illius perditionis fuit ille, qui pecuniam suam lucratus est. Ideo talibus dicit Apostolus, *Nemini quicquam debeatis*.

Lusor se diabolo tradit.

G Vlterius NOTANDVM. Per violentiam occultam debitores sunt. PRIMO negotiatores seu mercatores, fraudem in emptionibus & venditionibus committentes. Ordinauit enim DEVS, vt nullius terra sibi in omnibus sufficiat, vt cum alia terra subuenerit, eam habeat chariorem. Subuentio verò ista mediante negociatione fit, id est, malitia hominum adeo impleuit negociationem, quod multi nego-

1. Mercatores.

negociatores non sunt minus mali hodie, raptoribus vel vsurarijs. Ideo hodie impletum est illud Apoc. 13. de bestia quam vidit Ioannes, de qua dicitur: *Faciet ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Bestia quæ dicitur, à vastando, est diabolus, cuius character siue imago est, falsitas, siuè fraus. Ipse enim primus *fuit mendax*, Ioan. 8. Absque charactere isto fraudis & mendacij sunt multi mercatores qui non possunt emere vel vendere: sed nesciunt ex hoc miseri, quod iram Dei incurrunt. Quia dicitur Apoc. 14. *Qui acceperit characterem bestiæ in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei.* Sed etiam tenentur ad restitutionem, in quantum quilibet decipit proximum: & tenetur illi restituere quem decipit, si scit quis sit iste, vel heredi eius: qui si nescitur, debet pauperibus dare cum Ecclesiæ auctoritate, vt dicit Raymundus. Et quo ad hoc dicit eis Apostolus, *Nemini quicquam debeatis.* & tamen dicit Gulielmus Extra de emptione & vendit. cap. 1. Cum mercatores laborent pro omnibus, & quasi commune negotium in mercibus gerant, possunt moderatum recipere lucrũ, secus de immoderato.

Character diaboli fraus & falsitas.

Quantum & cui restituendum.

SECVNDO. per violentiam occultam sunt debitores ipsis fures & furta fouentes. quia facientem & consentientem par pœna constringit 2.q.1.c. Notum sit. Qui cum fure operatur, Glossa, per consensum, etiam accipiendo vel occultando, tenetur de furto. Et idem habetur Instit. de obligat. quæ ex delitijs nascuntur §. Hi qui in parentum. II.

Fures & furta fouentes.

Et dicit NOTANTER *tenetur de furto*: quia furtum tenetur restituere ei cuius fuit, aut cui furtũ factum est. Fiet tamen restitutio per modum, scilicet per confessorem, vel aliam religiosam personam, suppresso nomine furis, vt dicit Gulielmus. Sed dicit August. in homi. & ponitur 14.q.5.c. Fortè ait aliquis, cogitat, & dicat: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi: Non habeo peccatum si suum illi abstulero, & pauperibus dedero: vnde enim illi nihil bonum faciunt, mercedem habere potero. Respondet Augustinus: Huiusmodi cogitatio calliditate diaboli suggeritur. Nam si totum tribuat quod abstulit, addet potius peccatũ quàm minuit. Quare & illis dicit, Apostolus, *Nemini quicquam debeatis.* quasi diceret: Si alicui suum furtiuè abstulistis, restituite eodem modo quo dictum est: sed tamen melius est fortum nõ facere quam cum rubore restituere. De furto plura quære supra Dominica IV. in aduẽtu. I. L.

Si autem sit debitum per iniquitatem, tunc debitores sunt omnes iniqui vsurarij. Et benè dicuntur iniqui, immò iniquiores sunt, PRIMO, Iuda proditore. Nam de Iuda legitur, quod *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* quibus Christum vendidit Matt. 27. sed vsurarius interim dum viuit, non vult restituere. Super hoc dicit Glossa; O miser auare, peior malitia Iuda, ille pro triginta argenteis semel Christum vendidit, quem tua cæcitas misero asse centies perdidit: ille pretium reddens, venia fuit indignus; tibi verò non reddenti, quid nisi æternam damnationem credis esse futuram? III

Vsurarij Iuda iniquiores.

SECVNDO peior est inferno. Infernus enim passione Domini quæ sua non erant restituit, vsurarius verò audita Domini passione non vult aliena restituere. Etiam dicit Augustinus: Infernus nihil recipit, nisi quod DEVS odio habuit. Vsurarius vero quem Deus multum diligit, immo pro quo mortem subijt, Deo aliquid abstrahit, hoc est animam propriam quàm amittit.

Vsurari⁹ peior inferno.

TERTIO peior est omni Iudęo. Iudex enim à gente sua non recipit vsurã. Vsurarius

Vſurarius Iudæo peior. autem Chriſtianus, nulli Chriſtiano parcit. Ideo dicit quædam Gloſſ. O auare, cadauer diabolicum, abiectior omni Iudæo, qui à ſuo collega vſuram non recipit, ſed tua malitia nec parcit proximo.

Similis eſt bufoni. QVARTO. Vſurarius ſimilis eſt bufoni, qui terra paſcitur, & de vinea exit cum florere incipit, non valens odorē eius ſuſtinere, vt dicit Plinius in ſpec. nat. ſic auarus terrenis paſcitur & delectatur. Sed de vinea Domini, per quam intelligitur Eccleſia, exit quando ſibi floret verbum Dei; quia odorem eius non poteſt ſuſtinere, cum tamen dicat Scriptura Eccleſ. 24. *Quaſi balſamus mixtus odor meus*, igitur ſequitur ei par pœna.

Pœnæ Vſurariorum. *Prima* eſt quod ſpoliatur à tyrannis, ſicut ipſe ſpoliauit pauperes. Iſa. 33. *Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis?*

1.

2. *Secunda* pœna, quod non habet poteſtatem reſtituendi vſuras. Vult enim Dominus, vt cum furtiua re comprehendatur, & in patibulo inferni ſuſpendatur. Et certè lamentabile eſt, quia vſurarius rarò vſuras reſtituit, vel quia prodigus eſt, tantum expendens, quod reſtituere non poteſt; vel auarus eſt, ideo reſtituere non vult. Et licet non ſit prodigus, vel auarus, tamen potius placet centum libras in eleemoſynas & peregrinationes expendere, quàm centum ſolidos ſoluere, quod tamen nec poteſt ſibi ad ſalutem proficere, ſed plus nocere. quod probatur in Exemplo.

Exemplum. Quidam diues iuit ad diuerſa loca & limina ſanctorum, & quicquid in via expendit, totum per vſuram acquiſiuit: tandem propter diuerſos labores infirmabatur vſque ad mortem, populus autem planxit eum, quia ſanctum eum eſſe credebant Et ſic iacens per tres dies, ſine querela; Quarta die omnibus circumſtantibus clamauit, dicens: Nullus oret pro me, quia iudicatus ſum, & damnatus. Et cum dixiſſent ſibi de bonis ſuis operibus. Reſpondit. Nihil mihi proſunt peregrinationes meæ, & opera bona, quia ea feci in peccato mortali, quia de vſura fuit illa pecunia, quàm ſic expendi, quàm debui alijs reſtituere ſicq; miſerabiliter expirauit.

3. *Tertia* pœna eſt æternæ damnationis. Ideò dixit dominus Exechiel 22. *Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & auarè proximos calumniaberis*. Et ſubditur: *Ecce complosi manus meas ſuper auaritiam quam feciſti*, vbi dicit Gloſſ. Comploſa manu non palma aperta percutet Dominus vſurarium, & merito, quia ipſi manus comploſas habent, & non apertas ad egenos.

Exemplum. Refert Cæſarius in dialo. Miles quidam Colonienſis defunctus vſurarius, & auarus, admodum nominatus, qui cum infirmaretur, materia tandem aſcendente in cerebrum factus eſt phreneticus; cum quotidiè dentes, & os moueret, dixerunt miniſtri ſui ei; Quid comeditis domine? Reſpondit ille. Denarios ego maſtico. Viſum enim fuerat, quod dœmones denarios ei infunderent; & ait, non poſsū ſuſtinere dœmones iſtos. Portate me ad monaſterium tale, boni homines illic ſunt, auxilio fortè ipſorum ab his dœmonibus liberabor. Qui cum delatus fuiſſet, clamauit: Reportate me, Reportate me: plures dœmones in clauſtro video, quàm in domo; ſicque miſer deportatus eſt, & à dœmonibus agitatus expirauit. Quam execrabile eſt vitium vſura, in tormentis cunctis oſtenditur. Hæc ille. Quare valdè neceſſarium eſt eos reſtituere, ſi æternam pœnam volunt euadere. Si autem vſuras reſtituerent, plura ſibi reſtituerentur, quæ incomparabiliter ſunt meliora, quàm pecunia.

Vſurarius denarios maſticat.

Reſtitutio quàm ſit neceſſaria.

PRIMO

PRIMO restitueretur sibi DEVS. O vsurarie, non crede diabolo, si dicet tibi: Si vsuras restitueris, pauper eris. Quomodo enim pauper est, qui Deum habet? Ideò dicit Augustinus: Satis dives est Christiana religio, quæ in vna possessione omnia possidet. I. Restitutiens quæ bona cõsequatur.

SECVNDO, restitueretur ei regnum cœlorum, quod nullus intrabit vsurariorum: iuxta illud. 1. Cor. 6. *Iniqui regnum Dei non possidebunt*. II.

TERTIO, restituentur ei omnes spirituales fratres, quos amiserat per vsuras; quia dicitur Ecclesiast. 13. *quæ communicatio*, scilicet, *ad canem?* Velut enim canis est vsurarius, non habens aliquam fraternitatem, cum aliquo amico DEI. Sed cum vsuras restituerit, omnes inimici fratres eius fient. Ideò dicit illis Apostolus, *nemini quicquam debeatis*, scilicet, per vsuras turpiter acquisitum. III.

Vlterius est NOTANDVM, si debitum sit circa personam, hoc fit multipliciter: aut vxorem illius concupiscendo, aut carnaliter cognoscendo, aut occidendo, aut falsum testimonium ferendo. PRIMO, sunt debitores omnes adulteri, quod quidem adulterium prohibet Apostolus in præsenti Epistola. *Non adulterabis*, quia adulterium fugiunt animalia irrationalia. Dicit Plinius in spec. nat. quod leæna præ furore libidinis, pardis se commiscet. Sed leo hoc odiens, cum turpem sentit commixturam per odorem, statim eam punit, nisi prius in flumine adulterium abluatur. Ideò ipsa statim fugit, nisi abluta fuerit, ad maritum non redibit. I Debitor quis dicẽdus.

Refert etiam Aristot. lib. animalium: masculus ciconia, veniente fœmina causa coitus cum alia se non commiscet, sed quo ad nidum & generationis officium seruat sibi fidem. in qua si masculus aliquem concubitum præsenserit, vltrà eam secum habitare non permittit. Sed rostro eam transuerberat atque necat. Ideò fœmina ciconia post coitum se in flumen lauat, sicut probat Aristot. Et Alexand. in lib. de naturis rerum ponit exemplum de quodam milite, qui dum vidisset ciconiam in quodam fonte se lauasse, iuit ad fontem, & ipsum obstruxit. Veniens igitur ciconia post adulterium, volens se, vt prius lauare, fontem reperit clausum, sicque abijt non lauata, quod cum masculus præsensisset, exijt, & magnam ciconiarum multitudinem & turbam adduxit, & sociam suam deplumauit, & occidit. Aristoteles. Exemplum de Ciconia.

Refert etiam Solinus in lib. de mira. mundi, quod Elephas nunquam inuenitur adulterium perpetrasse. Et Aristotel. 5. lib. de animalium. Nunquam inuenitur piscis, qui coitum cum grege alterius piscis miscuerit, nisi murena. Quid hæc naturalia MORALITER prætendunt, certè non aliud nisi, vt viri seruent fidem suis vxoribus. Exemplo leonis, & ciconiæ masculi, non quærentes totum alienum. Iuxta illud Ambrosij. Nolite vos viri quærere alienum torum, nolite alienæ culpæ insudare. Adulterium enim graue peccatum est, quod autem ciconia masculus si præsenserit adulterium, cum fœmina habitare dedignatur. In hoc datur intelligi, quod vir potest dimittere vxorem propter adulterium, eodem modo: vt dixi suprà Dominica. I. post Epiphaniam Sermo. II. M. H. Si autem non vult eam dimittere, potest eam exemplo leonis punire, vel corrigere, eodem modo quo dictum est suprà M. N. Dominica. IV. in Aduentu. I. F. Item Dominica. I. post Epiphaniam. Sermon. 3. M. Q. De Elephante. Murena.

SECVNDO, sunt debitores homicidæ, quod quidem homicidium inhibet Apostolus in hac Epistola, cum dicit: *Non occides*. vbi explicitè probat homicidium, sed impli- Homicidæ.

implicitè prohibet omnes motus iræ siue cordis, vt est ira, siue omnis contumelia, aut detractio. &c. siue operis, vt læsio manualis, aut percussio citra mortem. Attamen Apostolus hic non prohibet occidere malos, vt fures, vel raptores: quia tales seruato iuris ordine, occidi possunt, sicut *Dauid occidit Goliam*, 1. Regum. 17. Et Daniel *duos iniquos testes.* Dan. 14. De hoc dixi sufficienter Dominica IV. in Aduentu. I. D.

Falsi testes. TERTIO, sunt debitores falsi testes, contra quos possunt valere. PRIMO, sacræ Scripturæ prohibitiones, Exo. 20. *Non loquaris falsum testimonium contra proximum tuum.* Exod. 24. *Non vngas manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium.* Et hic dicit Apostolus. *Non falsum testimonium dicas.*

SECVNDO valent contra falsum testimonium comminationes. Prou. 19. *Testis falsus non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit.* TERTIO quia hoc peccatum est multum nociuum. Dicit enim Isidorus quod falsus testis est tribus obnoxius. Est enim obnoxius *Deo* quem contemnit, cum eius præsentiam inhonorat; *Iudici*, quem decipit: *proximo* quem lædit; Vnde falsus testis, licet septennem pœnitentiam egerit, in iure expressam, vt 22. q. 2. c. Si quis. de falso testimonio nondum liberatus est, donec ei satisfecerit pro posse suo, qui rem suam per falsum eius testimonium amisit. Et sic est debitor ipsius, quia tenetur ad restitutionem omnium, quæ proximus eius amisit per eius testimonium; vt probatur 14. q. 5. c. Non sane. & 2. q. 1. c. Notum. Ideo illis falsis testibus hic dicit Apostolus: *Nemini quicquam debeatis*, quasi diceret: Si alicui per falsum testimonium detraxistis, restituite illis secundum posse vestrum. Et hoc ad primum.

Falsus testis obnoxius Deo, iudici, proximo.

Quantum ad SECVNDVM hortatur nos Apostolus ad dilectionem proximorum, cum dicit: *Nisi vt inuicem diligatis.* Et subdit eius rationem, dicens: *Qui enim diligit proximum, legem adimpleuit.* Circa quod NOTANDVM. S. Thomas 2. 2. q. 25. allegans sanctum Augustinum lib. 1. de doctrina Christiana, ponit modum dilectionis, dicens: Quatuor sunt modi diligendi. *Vnum* quod est supra nos, scilicet Deus gloriosus. *Alterum* quod sumus, scilicet animam. *Tertium* quod iuxta nos, scilicet patrem & matrem, & proximum hominem, vel Angelum. *Quartum* quod infra nos, scilicet corpus nostrum.

Quatuor sunt diligenda.

I. PRIMO enim diligendus est Deus præ omnibus vt dixi suprà Dominica infra octau. Epiphaniæ sermo. II. L. L. Et ad hunc amorem incitat amor ipsius quem ad nos prior habuit. De quo Chrysostomus: Non est, inquit, aliquis, omnino, non pater, non mater, non amicus, non alius quispiam, qui ita aliquando nos dilexerit, quemadmodum ille qui fecit nos. Ideo contra illos, qui ipsum non reamant, inuehitur beatus Bernardus in sermone: O duri, & indurati, & obdurati, quos non emollit tanta benignitas Saluatoris, tanta flamma, tam ingens amoris ardor, tam vehemens amator, qui pro minimis sarcinulis tam pretiosas merces expendit.

Deus super omnia diligendus.

SECVNDO incitat nos gloria à Deo nobis præparata, de qua Isa. 65. & 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* & Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dominus diligentibus se.* Mirum est, quod non sumus vehementes in amore Dei, qui nobis tanta dabit, si eum dilexerimus.

TERTIO inuitant nos creaturæ, Iuxta illud verbum August. lib. 10. Confess. Cœlum

lum & terra, & omnia quæ in eis sunt, Ecce vndiq; mihi dicunt vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Et dicit Guilielmus quod dupliciter nobis dicunt creaturæ, vt Deum amemus. *Vno modo* ostendendo eum dignissimũ amore nostro. Bonitas enim vniuersitatis creaturarum, ostendit creatorem esse optimũ, & ideo amore dignissimum. *Secundo* quia creaturæ sunt dona Dei, & beneficia homini collata. Ad inuitandum verò aliquem ad amandum alium, efficacior modus non est, nisi donatio & locutio gaudium faciens: terrena autẽ & cœlestia fecit Deus propter hominem. Genes. 2. Et post creationem hominis locutus est Deus, cum subdit. *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, & vniuersæ creaturæ.* Et postquam loquutus est de luminaribus cœli, subditur: *Et in signa & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Creaturę docent, esse Deum amandum.

Sed diceret aliquis. Quæ sunt signa per quæ cognoscit se aliquis amare Deum? Quia dicit B. Gregorius in homilia. Ecce vnusquisq; vestrum si requiritur, an diligat Deum? Cum fiducia & secura mente respondet, diligo: sed quia aliud est verbum; aliud opus; multi diligunt verbis, qui non operibus. Vnde quis sciat se amare Deum.

PRIMVM est cum aliquis frequenter & libenter cogitat de Deo. Vnde super illo verbo Ioan. 20. *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum.* dicit Glossa. Animo dicit quem: quia hoc in animo agere solet vis amoris, vt quem semper cogitat, nullum alium ignorare audeat. Ideo dicitur Sapientiæ 6. *Cogitare de illo, sensus est consummatus.* M I. Libenter cogitare de Deo.

SECVNDVM signum, cum aliquis est in domo Dei, sicut Anna vidua. Lucæ. 2. *quæ non discedebat de templo Domini*, quæ & meruit interesse præsentationi Domini in templo. Et Christus erat verus amator Patris, cum esset annorum duodecim, *inuentus est in templo* Lucæ 2. Et super illud Matth. 21. *Ingressus Iesus templum*, dicit Gloss. Ingressus vrbem prius templum adijt, dans formam religionis, vt quocunque imus, domum Dei, si ibi est, primò adoremus. De hoc dicit Chrysostomus: Proprium erat hominis filio, vt veniens primò curreret ad domum Patris. Tu autem imitator Christi factus cum ingressus fueris aliquam vrbem, vel ciuitatem, primò ante omnem actum ad Ecclesiam curras. II. Templa diligenter frequentare. Templum semper primò adeundum.

TERTIO cum aliquis libenter de Deo loquitur, sicut Maria Magdalena quæ dilexit Deum, ideo cum Deo loquebatur, vt Ioan. 11. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Vel de Deo loquuta est Ioan. 20. *Tulerunt dominum meum &c.* Ideo dicit Apostolus: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* 1. Pet. 4. Et super illud ad Roman. 8. *Quis nos separabit à caritate Dei.* dicit Gloss. Chrysostomi: Hic amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessarijs & charis suis efferunt & produnt. flammas suas inter pectus cohibere non possunt, enarrant frequentius, vt ipsa assiduitate narrandi, solatium sui amoris capiant, & refrigeria immensi amoris assumant. III. De Deo libenter loqui.

QVARTO cum quis Deum libenter audit, & audita ab eo memoriter retinet & custodit, sicut Maria quæ *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Lucæ 2. Similiter Maria Magdalena quæ *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. Ideo dicit Ioan. 14. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* IV. Verbũ Dei libenter audire & retinere.

QVINTO cum quis libenter dat pro Deo sicut Maria Magdalena, quę dedit vnguenta pedibus Christi, audire meruit. *Dimissa sunt tibi peccata multa, quoniam dilexisti mul-* V. Amore Dei proximo subuenire.

multum. Ideo dicitur Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Econtra autem Deum non diligit qui pauperi non tribuit; iuxta illud Ioan. 4. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo manet caritas Dei in illo?* quasi diceret, nullo modo.

N Dilectio animæ propriæ.

SECVNDO post Deum diligenda est anima nostra; quia res nobilis, quæ pretio magno acquiritur, maximè præ omnibus diligitur. Sic anima quæ est pretioso sanguine Christi redempta, multum est diligenda. De ipsius pretio dicit Bernardus lib. medi. c. 3. Sublimius est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergò commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nónne Dei filius cum esset in sinu patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, vt eam liberaret à potestate diaboli? Quam cum vidisset peccatorum funibus iam irretitam, iamiamque dæmonibus tradendam, vt morte perpetua damnaretur, fleuit super illam quæ se flere nesciebat: nec solum fleuit, sed etiam occidi se permisit. Hæc Bernardus. Ecce homo quàm magna fuit dilectio Dei erga animam tuam; ideo, quam rex cœlorum adeo diligit, nunquid eam odio homo habebit? Certe, non.

Iste enim animam suam in Deo diligit, qui ipsam floribus virtutum ornat atq; fulcit. quia & ipse petit, Cant. 2. *Fulcite me floribus*, scilicet virtutum, *stipate me malis, quia amore langueo.* Sed ille eam odit qui carnem ei anteponit. contra quam loquitur beatus Bernardus. lib. medit. 3. c. Cur carnem tuam pretiosis vestibus & rebus adornas & impinguas, quam post paucos dies vermes deuoraturi sunt in sepulchro? Animam verò tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & angelis eius præsentanda est in cœlis? Quare animam tuam vili pendis, & carnem tuam ei præponis? Dominam enim ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est. *Et subdit*: Agnosce homo quàm nobilis est anima tua, & quàm grauia fuerint eius vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si hæc non essent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Noli igitur vilipendere animam tuam, pro qua filius diuinæ maiestatis tanta pertulit. Fundit enim ipse lacrymas pro te, vt tu per singulas noctes lectum tuum cordis compunctione, & lacrymarum effusione, vel assiduitate perfundas. Fudit ipse pro te sanguinem suum, funde & tu pro eo tuũ quotidiana corporis afflictione. Si ipse animã suam posuit pro te, pone & tu tuam: quam si semel pro Christo ponere non potes, saltẽ promptiori quodam & longiori martyrio te expone. Noli attendere quid caro velit, sed quid spiritus poscat. Tunc n. gloriosa erit cum ad dominũ suum tetenderit. Hæc Bernard.

O Parentes diligendi, & quo modo. Exemplum cornicum.

TERTIO diligere debemus quod est circa nos; & primò circa nos sunt parentes quos diligere necesse est, ad quam dilectionem instruitur quilibet puer exemplo cornicum. Dicit enim Ambrosius in examerõ: Admiranda est cornicum clementia: nam cum parentes per longæuam senectutem, plumarum tegmine, & alarum nudari contigerit, cornices minores proprijs pennis eos fouent, & collecto cibo pascunt. Quando etiam parentes senescunt, eos fulcro alarum suarum subleuant, & aduolandum exercent, vt in pristinos vsus membra dissueta reuocent, & reducant. *Interroga* igitur & tu puer hæc volatilia, vt hortatur Iob. 12. *& docebunt te* diligere & nutrire parentes. Si enim hæc irrationales faciunt volucres, multo magis hoc facere debent homines ratione vtentes: Tenentur enim parentibus suis quatuor.

Filij parentibus debent.

Primo

Primo charitatem iuxta illud Catonis *Parentes ama. Secundo* honorem, secundum illud Malach. 1. *Filius honoret patrem.* & Dominus Exod. 20. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longaeuus super terram. Tertio* obsequij impensionem, iuxta illud Ecclesi. 12. *Qui timet Dominum, honorificabit parentes, & quasi Dominis seruiet eis.* Fuit & Christus in obsequio suorum parentum. Dicit enim Magister in histor. quod circa Nazareth fuit fons, de quo saepius fertur aquam matri suae attulisse. *Quarto* tenentur eis sustentationem. Tenentur enim eos sustinere, & sustentare, & alere in vita sua, si parentes sunt egeni & filij locupletes. Et nomine parentis, intelliguntur omnes descendentes, vt in Authentic. c. vt licet matri & auiae. §. Illud quos. colla. 8. Cessat tamen haec obligatio, secundum Hostiensem, si possunt parentes sustentari de bonis proprijs, vel suo artificio. Si autem non, tunc tenentur vbi suprà. Ideo dicit Sapiens Prouerb. 28. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & à matre; & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est.* 1. 2. 3. 4.

P

SECVNDO circa nos sunt filij, qui ita sunt amandi, vt amor filiorum non vincat amorem Dei; Et tali amore diligebat haec bona mater filios suos septem. 2. Machab. 6. *quae eos sub vnius diei tempore mori conspiciens, bono animo ferebat: quia in ea vincebat amor Dei amorem filiorum.* Sed econtra multi sunt parentes, qui filiorum amorem praeponunt amori Dei, qui sciunt filios suos peccare & Deum offendere, non corrigunt, vel qui ornant eos ad seculum, & abstrahunt à Dei seruitio. Propter *primum* legitur 1. Regum 2. quod reprehendit Dominus Heli, quod filios suos non correxisset sed ei praetulisset; *Quare,* inquit, *honorasti magis filios tuos quam me?* Propter *secundum* legitur. quod quidam pater & mater habuerunt filiam, quae exemplo matris deuotè Deo seruiuit, & in virginitate permanere proposuit; pater verò iussit matri, vt filiam secundum cursum mundi ornaret, quae timens maritum, vestiuit pompose & seculariter, crines & faciem eius adornauit. Angelus autem iussu Domini apparuit matri, dicens: quia plus timuisti virum, quàm Deum ornando filiam, & abstraxisti eam Deo & adoptasti eam mundo. Ideo infra quatuor hebdomades morieris, & damnaberis nisi infra illud tempus verè poenitueris: & insuper, vltra illud tempus omnes pueri tui morientur, & in poenam manus tuae quibus filiae tuae crines adornasti, hodie incipient arescere. quod totum factum est, ipsa autem veram poenitentiam egit.

Filij diligendi & quomodo.

Vestium luxum & crinium ornatũ Deus in mulieribus odit & punit.

TERTIO prope nos sunt amici nostri carnales & cognati. Isti etiam sunt diligendi, iuxta illud praeceptum Sapientis Catonis, *Cognatos cole.* Si tamen sunt nobis contrarij in via Dei, non sunt colendi vel diligendi. quia dicit Gregorius in homilia. Non amicetur in hoc mundo, quilibet aduersarius scilicet in via Dei contrarius. Ideo legitur. Cum quidam amore propinquorum detentus, quod propter hoc in sequela Domini esset impeditus; quadam die conuocauit eos omnes ad conuiuium, & inter epulas rogauit vnum ex illis, quem sibi magis fidelem credebat, vt si eum diligeret digitum suum minimum pro eo in ignem mitteret, sed ille poenam timens hoc facere recusauit, nec fidem quam simulauerat exhibuit. Et deinde ceteris omnibus per ordinem requisitis, idem quod in primo reperit, etiam in alijs inuenit. Tunc propositum suum omnibus aperiens, quod solummodo ob amorem omnium eorum à sequela Christi esset retardatus; sed quia fidem in eis non inuenit, amplius retardari noluit. Et quia ipsi minimum membrum corporis, noluerunt pro eo ad horam expone-

Cognati & amici quomodo diligendi. Exemplum.

ponere igni transitorio, nec ipse totum corpus & animam eius, perpetuo igni voluit exponere. Et valedicens illis, omnia bona sua dedit pauperibus, quibus tenebatur restituit, & amplius Deo fideliter deseruiuit.

Q Proximus quomodo diligendus. Incitant ad charitatem proximi.

QVARTO circa nos est proximus noster, quẽ similiter diligere debemus. Ad hanc dilectionem *Primo* incitat nos Scriptura Leuit. 19. *Diliges proximũ tuum sicut teipsum.* Ibidem: *Diligite aduenas tanquam vosmetipsos.* Et Dominus in Euangelio Matth. 20. & Luc. 5. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et similiter Apostolus hic innouans mandatum istud, subdit rationem, dicens: *Dilectio proximi malum non operatur.* Et dicit Gloss. verum etiam malum non cogitat. Plenitudo enim legis tam Mosaicæ, quam Euangelicæ est dilectio.

I. Scriptura.

SECVNDO nos incitant animalia irrationalia. quia omne animal diligit sibi simile. Sicut lupus, leo, & serpens non exercent illam ferocitatem in animalia, quæ sunt suę speciei, quam exercent in alia. Quid dicendum est de homine, qui desæuit in alium hominem, nisi quod est ferocior lupo, leone, & serpente?

II. Animalia bruta.

TERTIO incitat fraternitas naturalis quæ est inter homines, quia homines boni sunt Filij Dei. ad Rom. 8. *Quicunq, spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Ideo dicit Augustinus lib. de doctrina Christiana. Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdem parentibus nascuntur, Adam & Euam attendamus, sic omnes fratres sumus. Idem in lib. de ciuit Dei. Nihil tam discordiosum est vitio, tam sociale natura, quàm genus humanum. Propterea Deus voluit creare vnum parentem, de quo multitudo propagaretur, vt admixtio in multis concors seruaretur. Cui concordat Hieronymus in Epistola: Vnum parentem Deus omnibus creare voluit, vt in multis concordia, & vnitas in omnibus seruaretur.

III. Naturalis amor.

Cur vnum parentem Deus creare voluerit.

QVARTO incitat nos fraternitas spiritualis, quia Deus pater adoptauit nos in filios ad Galat. 4. vbi dicitur; *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Ideo dicit Augustinus lib. de dis. Christi: Omnes quidem fratres, secundum quod homines sumus, quanto magis secundum quod Christiani sumus. Et dicit Gulielmus: Si amandi sunt fratres illi, diuidendo hereditatem, qui portionem vnuscuiusque minorem faciunt, quantum amandi sunt fratres illi, qui portiones augent; quia quanto plures erunt electi, tanto magis gaudebunt. Vnus enim electorum, plus de gloria gaudebit alterius animæ, quàm de gloria proprij corporis.

IV. Spiritualis fraternitas.

QVINTO sunt circa nos sancti Angeli, quamuis eos non possimus videre sicut de hoc dicit Bernardus: O homo si spiritualia posses intueri, quomodo præueniunt principes coniuncti psallentibus, videres proculdubio qua cura quóve tripudio intersunt cantantibus, assistunt orantibus, supersuntque quiescentibus. Et quia semper promouent bonum nostrum orationes nostras Deo offerendo, & à dæmonibus defendendo, ideo tenemur eos diligere & honorare sicut docet beatus Bernardus, loquens de bonis spiritibus: Honoremus, inquit, eos quantum debemus: totus enim redditur honor & amor noster, à quo tam nobis quàm ipsis est totum.

V. Quomodo diligendi angeli.

R Quomodo corpus nostrum diligendum.

QVARTVM quod circa nos est, scilicet corpus nostrum diligere debemus, non vt ipsum impinguamus, sed ad seruitium Dei redigamus. Quia dicit Cyprianus lib. de immortalitate animæ, qui corpus suum nutrit, inimicum suum nutrit. Est enim inimicus

nicus pessimus caro nostra. de qua dicit Augustinus lib. de soli. Caro cum qua habito, semper me ducere vult ad peccatum: mecum vult coronari, sed non vult mecum decertare. Nullum peiorem patior hostem, quàm corpus in quo habito. Est enim quasi leo subuersor in domo mea, vndique me pestifero morsu dilanians. Hęc Augustinus. Si enim hostis sæuus impinguaretur, sæuior & petulantior efficeretur, & iuuaret diabolum ad spiritum vincendum, sicut figuratum est 3. Regum. 21. Cum Achab vineam Naboth. desideraret, pro horto olerum, & ille diceret: *Propitius sit mihi Deus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi pro pretio, vel hæreditate alia. Quod audiens Achab proiecit se ad lectum*; Glossa, ex indignatione & impatientia: quem cum tristem conspiceret Iezabel, & causam inquisisset, dixit ad Achab: *Ego dabo tibi vineam Naboth*. statimque scripsit Epistolam ex nomine Achab, vt Naboth caperetur & mortis iudicium subiret, & postea falsis testibus superatus, à populo est lapidatus.

Caro noster inimicus.

MORALITER. Achab quoad malitiam gerit figuram dæmonis, qui toto conatu intendit mercari vineam, id est, animam hominis, vt suprà dixi in exemplo Dominicæ IV. in aduentu H. Z. Ideo dicitur Genes. 17. *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Sed tamen hoc perficere non potest, nisi homo velit consentire, sicut dicit B. Ambrosius de beata vita, de diabolo: Et ponitur 15. q. 1. c. Non est. Neminem, inquit, iugo seruitutis astrictum possidet, nisi ei se prius ære peccatorum vendiderit. Et ratio quare diabolus difficulter potest mercari spiritualem vineam, hominis scilicet animam, est: quia Naboth qui interpretatur sessio, vel conclusio, significat rationem quæ concludit, diabolo non omnia esse concedenda, & semper resistit malo: quia 1. Ethic. dicit Philosophus Ratio semper deprecatur ad optima, sed Iezabel, quæ interpretatur sterquilinium, significans carnem, adiuuat Achab, id est diabolum ad animam possidendam assumens duos falsos testes scilicet spem longioris vitæ & præsumptionem nimiæ misericordiæ sicque, animam tradit in diaboli potestatem. Quare necesse est vt sub iugo necessitatis teneatur. Ideo dicit Sapiens: *Cibaria & virga, & onus asino. panis, & disciplina, & opus seruo.* Ecclesi. 33. Vbi per asinum intellige corpus, quod est cibandum ne deficiat, & virga & onere macerandum, ne superbiat. Et dicit NOTANTER *cibaria*, volens quod corpus est cibarijs reficendum, & non semper macerandum; quia nimia abstinentia inducit malum, vt probatur in Vitis Patrum lib. 4. c. 46. Fuit quidam frater monachus, qui nimiam semper tenuit abstinentiam; hunc etiam diabolus illusit, ostendens sibi in varijs somnis & reuelationibus, Christianorum exercitum tenebrosum; & econuerso plebem Iudæorum summa lætitia repudiantem, & ingenti lumine choruscare, & eum monuit si vellet beatitudinis particeps fieri, quod circumcisionem accipere festinaret; & sic ad Iudaismum & circumcisionem miserabiliter est dilapsus.

Achab figura dæmonis.

Iezabel significatio.

Exemplum nimiæ abstinentiæ.

DE EADEM DOMINICA,

Sermo in Euangelium.

Ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matt. 8.

DIcvnt naturales, & principaliter Beda, quod mare vndique terram circumdat, & ipsa terra vndique aquis quatitur, & tamen non dissoluitur, sed potius solidatur. Et ratio est quia dum eius siccitas maris beneficio humectatur, partes terræ coadunantur; quia terra aliàs in puluerem reduceretur vel reuerteretur. Quod autem circumdat mare terram vndique, patet de Alexandro Magno, cui hoc ostensum est. Legitur enim in historia sua quod ipse excogitauit modum, quo modo posset ascendere in aëra, vt probaret si hoc esset cœlum quod videmus. Fecit ergo excogitare sedem, & apprehendens grifones duos & colligauit eos catenis, & posuit vectet ante eos, & in summitate eorum cibaria illorum. Cœperunt ergo sursum ascendere, donec terra tota videbatur sub se quasi area, & mare sicut draco girans eam, per quod patet propositum.

De Alexandro Magno factum mirum.

Similitudines ex mari desumptæ.

I. MORALITER. Per mare intellige tribulationem huius mundi. PRIMO licet mare est amarum, est tamen multarum infirmitatum curatiuum; quia sanat vlcerosos, hydropicos, & scabiosos, vt dicit Constantinus. Sic tribulatio, licet non sit delectabilis, sed amara, & pœnalis carni secundum sensualitatem, est tamen valde vtilis & proficua spiritui, quia sanat infirmitates mentis, sanat etiam vlcerosos, id est, superbos, hydropicos, id est, auaros, & scabiosos, id est, luxuriosos. Sicut probat deuotus Amandus in horol. Sapien. lib. 1. cap. 13. Tribulatio rubiginem aufert peccatorum, incrementa præstat virtutum, & vbertatem confert gratiarum. Quid hoc thesauro pretiosius? Ipsa namque tribulatio tollit peccata, repellit tentationes, extinguit carnalitatem.

Vtilitas tribulationis.

II. SECVNDO quamuis mare sit salsum, per dulcedinem tamen venarum, per quas transit, est saporis variatiuum. Sic tribulatio licet sit amara in præsenti, tamen propter patientiam ipsorum, qui eam transitoriè sustinent, mutabitur in æternam dulcedinem. Et tunc potest illud quilibet Iudith. 5. dicere. *Fontes à mari obdulcarati sunt eis ad bibendum.*

III. TERTIO, quamuis mare sit inquietum, est tamen propter continuum motum à corruptione præseruatiuum. Sic tribulatio à putrefactione præseruat peccatorem, sicut probat Amandus vbi suprà. O quanti sunt, inquit, qui grauissima commisissent peccata, qui multa crimina commisissent & incurrissent, si non pia quadam diuina dispensatione tribulationibus præseruati fuissent. Ideo dicit Iob. 14. *Recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat*: quasi diceret, aquæ concupiscentiæ & delectationis recedunt de mari tribulationis, & tunc vacuus fit fluuius à luxuriæ fluctibus. Illud inquam mare vndique circumid bonos per terram designatos, quorum vnus fuit Dauid, qui ait Psal. 98. *Tribulatio & angustia inuenerunt me.* Attamen eos nos dissoluit, sed fortiores reddit. Sicut factum fuit eidem Psal. 4. *In tribulatione dilatasti mihi.* Et ratio huius est, quia cum anima alicuius tribulationibus circumdatur, tunc humor consolationis intraneæ roboratur & solidatur, & sic inter ipsam tota coadunatur, vt per iram & impatientiam minime dispergatur. Et hæc tribulatio ad sensum mysticum tangitur in Euangelio, cum dicit: *Motus magnus* id est, tribulatio magna facta est in mari huius mundi. In verbis propositis tria nobis innuuntur, scilicet Vanitas Ecclesiæ præsignata, ibi: *Ascendit.* Communitas beatorum adunata, ibi; *Secuti sunt.* Seueritas peruersorum sociata, ibi; *Et ecce.*

Anima tribulationibus roboratur.

Circa

Circa quod NOTANDVM. Sancta militans Ecclesia rectè præsignatur in nauicula. PRIMO. sicut nauis in principio est stricta, in medio lata, & in fine similiter stricta. Sic Ecclesia militās, quæ est cōgregatio fideliū, in principio fuit stricta, quia pauci fuerūt homines in ipsa, vt dicit Augu. Et adducit Vincentius in spec. hist. li. 2. ca. 57. Ab Abel incepisse dicitur Ecclesia; quia si ab Adam incepisset, non fuisset continua. In Cain sæuire cœpit in sanctos reproborum malitia: In Abel proficere vita sanctorum & patientia; sed in medio nauicula sanctæ Ecclesiæ est lata, quia iā Ecclesia hominibus est repleta, & hoc est figuratum Lucæ 5. vbi nauicula *repletur piscibus*. Qui autem sint pisces, ostendit beatus Ambrosius lib. 4. super Lucam cap. 8. Pisces enim sunt qui hanc nauigant vitam.

T Similitudo Ecclesia ab Abel incepit.

Et NOTANDVM circa hoc: Quidam nauigant in mari temporalium cupiditatum, vt sunt mali iudices; & tales periclitantur, sicut figuratum 3. Reg. 22. *Iosaphat fecit naues nauigare in Ophir pro auro apportando quæ confractæ fuerunt*. Iosaphat interpretatur iudex, sed Ophir interpretatur mundus. Quando ergo iudex mittit in mundum desiderium, pro apportando vel congregando auro, vel munera accipiendo; tunc homines periclitantur & turbantur. quia iudicium amore pecuniæ peruertitur, iuxta illud Eccles. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correctiones eorum*. Et dicit Glossa, quod mutus est quædam species ranæ, proiecta in os canis, ipsum tacentem facit, vt non possit latrare. Sic Xenium datum & receptum, facit iudicem tacere. Sicut refert Arnoldus in narrario: Quidam habuit caussam magnam coram iudice, deditque ei pulchrum bouem, vt esset pro eo. Hoc audiens aduersarius eius, misit vxori eius pulchram vaccam, vt esset pro eo iudex. Cum autem esset in iudicio, & iudex pro illo non esset, qui dedit bouem, dixit ille: Bos loquere. Cui ille. Bos loqui non potest, quia vacca eum non permittit. Vel hoc scribitur de quodam baliuo. Ideo inhibetur iudicibus ne accipiant munera, Exod. 23. *Nec accipies munera quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum*. Et Deuter. 16. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum*. Ideo dicit B. Gregorius in Euangeliorum tractatu, & habetur. 1. q. 1. cap. Sunt nonnulli. Cum virum iustum propheta describeret, ait: *Beatus qui manus suas excutit ab omni munere*. Non enim dixit, à munere, quia aliquod est munus ab obsequio, aliud à manu, aliud à lingua. Munus ab obsequio, & seruitus indebitè impensa. Munus à manu, est pecunia. Munus à lingua, fauor est. Hæc Gregorius. Ab illis omnibus debet se iudex abstinere, vt neque propter seruitium, nec pecuniam, iudicet, aut fauorem. Sicut ille fecit de quo scribit Valerius in Polic. nomine Rutilius, qui habebat amicum; Qui, inquam, Rutilius, amico suo iudici sæpe rogationem iniustam porrigebat. Cumque aduersarius suus resisteret, & iudex petitionem suam exaudire nollet: Tandem Rutilius cum indignatione dixit. Quid mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis. At ille, imo dixit: Quid mihi tua, si propter te aliquid contra iustitiam facturus sum inhonestè. Maluit ènim vt iudex amicitia carere, quàm contra conscientiam iniustè iudicare. Et certè valdè benè fecit ne incurreret maledictionem, de qua Deut. 27. *Maledictus qui peruertit iudicium*, propter amicitiam, pecuniam, vel fauorem.

Isa. 33.

Varia munera. Vnum munera.

Exemplum incorrupti Iudicis.

SECVNDO. Quidam nauigant in mari malarum societatum, & hi etiam pericula patiuntur; sicut figuratum est 2. Machab. 12. quod Ioppitæ rogauerunt Iudæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas parauerant, cum vxoribus & filijs,

V Exemplum fraudis.

quasi nullis inimicitijs inter eos subiacentibus. Secundum commune itaque decretum ciuitatis, & ipsis acquiescentibus pacisq; causa nihil suspectum habentibus, cum in altum processissent, submerserunt, non minus ducentos, Ioppitæ interpretantur pulchritudo, & significant amatores mundi qui semper pulchra & florida quærũt huius mundi. Sed Iudæi, qui interpretantur confitentes & laudantes, significant quēlibet deuotum seruientem & laudare volentem Deum, qui si mundi amatoribus admiscetur, à socijs leuiter periculum patietur, quia mala societas nocuit, & periculũ fuit in cœlo, quia Angeli qui fuerunt creati boni, vt declarat Magister lib. 2. dist. 3. ex quo Lucifero superbo adhæserunt cũ eo pariter corruerũt, sicut Magister dicit, lib. vbi suprà dist. 6. c. 2. Tantæ superbiæ merito de cœlo, id est, de empyreo, in quo cum alijs fuerat, deiectus est in istum caliginosum aërē, cum omnibus suæ prauitatis cōsortibus. Et ideo ait Ioan. in Apoc. 12. *Draco de cœlo cadens secũ traxit tertiam partē stellarum.* Et dicit Magister. Lucifer ille alijs maior solus nō cecidit, sed cum eo multi alij qui ei in malitia cōsenserũt. Ecce quod mala societas fuit periculũ in cœlo.

Applicatio exempli.

Mala societas.

In mundo iterum per malos periclitatur interdũ bonus, sicut testatur Chrysostomus super Matth. In rerum natura sic est, vt quoties malo bonus cōiungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus cōtaminetur. Et hoc probatur in exēplo. Duo clerici transierunt in quadam ciuitate in quandam tabernam, in qua erant cantus dulces, & solatia magna, & multi sunt inuitati ab illis; & illi duo sacerdotes similiter inuitati sunt. Dixit autem vnus, non intrabo, quia dicit Philosophus. Non est trāsire per viam gentis iniquæ; illo verò recedente, alter intrauit, & cum esset apud eos. Ecce iudex quærens illos qui ibi erant, quia homicidium fecerunt in alio loco, & tā clericum quàm reos cœpit. Cum autem clericus cum alijs malis socijs suspenderetur, ait: Modo scio, sed tardè. Fatuus est qui non credit Philosopho de vitando consortio prauorum. Propter cōsortium enim tale, hoc patior. Ideo dicit Tob. 4. *Malorum fuge consortium.* Et Seneca dicit ad Lucilium in epistola, Cum illis conuersari debes, qui te meliorem sunt facturi. Cui consonat Augustinus in lib. de de catechizandis rudibus: Homines, inquit, bonos imitare, malos tolera, omnes ama.

Exemplum mali consortij.

X

Mali cur tolerandi.

Et dicit NOTANTER *malos tolera*: quia sunt tolerandi, ne ex perturbatione eorum pax generalis Ecclesiæ perturbetur, vt dicit idem Augustin. 3. q. 4. c. Tolerandi. & c. Quid ergo. & c. Quisquis. & c. Quis. De hoc quære suprà Dominica quarta in aduētu I. G. In inferno etiam periculosa est ipsa mala societas, quia ex multitudine ibidem sociorum, augmentatur pœna damnatorum, vt dixi supra Dominica II. O. A. Ideo petijt diues epulo ab Abraham, vt mitteret in domum patris, *vt testaretur quinq; fratribus suis de pœna sua,* ne & ipsi venirent in locum tormentorum Lucæ 16. Quia sciebat quod ex Aduentu eorum ad tormenta, augmentaretur sua pœna. Ideo dicit Isidorus: Melius est habere malorum odium, quàm eius consortium.

Inobediētiæ exemplum.

TERTIO nauigant quidam in naui inobedientium & à diabolo degluttiuntur. Sicut figuratum est Ionæ 1. & 2. vbi dicitur, quod Dñs præcepit Ionæ prophetæ, vt prædicaret in Niniue ciuitate hoc verbum: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Ipse verò inobediens, surrexit, ascendens nauim fugere volens in Tharsim, quæ secundum Gloss. erat ciuitas ciliciæ, de qua Paulus erat oriundus, sicut patet Acto. 21. *Misit igitur Dominus ventum, & facta est tempestas in mari, & timuerunt nautæ, & miserunt vasa in mari.* Ionas autem descendit ad interiora nauis & dormiebat, nautæ autem

tẽ mittebant sortes, *& cecidit sors super Ionam*. Dixitq; Ionas: *Tollite me & mittite me in mare: Scio enim quoniam propter me ex orta tẽpestas*, & miserũt eum in mare. Et sequitur cap. 2. quod *preparauit Dominus piscem grandem*, qui & Ionam deglutiuit.

MORALITER. Ionas interpretatur donatus Domini, & significat quemlibet Christianum, qui se Deo dedit in seruitutẽ: qui si suis superioribus obedire noluerit, periculum vitæ suæ incurrit, vt dixi supra Dominica infra octauam natiuitatis Christi K.S. Item Dominus ponit multa pericula, quæ inobediens incurrit. Deut. 24. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, mittet super te famẽ, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, donec conterat te*. Et est valde NOTABILE, quod homo qui se donauit Deo in seruitutem, sedens in naui inobedientiæ, vult nauigare in Tharsim, quæ interpretatur explorans gaudium, & significat cœlum in quod volunt venire & nauigare inobedientes, & non possunt, quia Ionas non potuit venire in Tharsim; Sic nec inobediens in cœlum, quia ipsa inobedientia diabolum fecit ex Angelo, quem trusit de cœlo. Sicut de hoc dicit Augustinus. O quam detestabile est vitium inobedientiæ, per quod Angelus de cælo cecidit, & homo de paradiso exulauit, Saul regnum amisit, & populus Israel gentem & locum. Ex quo dicto Augustini patet, quod omnes isti in naui inobedientiæ nauigauerunt; ideo periclitati sunt. Malum inobedientiæ.

QVARTO nauigant quidam in naui negligentium, & tales occiduntur spiritualiter. Quod autem quidam nauigant in naui negligentiæ, patet in præsenti Euangelio, quod Iesus *dormiuit in nauicula, & factus est motus magnus in mari*. Tunc enim IESVS dormit spiritualiter, qui tamen realiter nunquam *dormitat nec dormit*, vt in Psal. 120. Quando vnusquisq; hominum qui se virtutibus saluare deberet, salutem suam negligit; quod tamen non faciunt irrationales creaturæ. Nam in æstate nihil negligunt de necessarijs sibi procurandis, sicut patet de formicis quæ colligunt sibi grana pro hyeme futura, vt supra posui Dominica infra octauam natiuitatis CHRISTI. K.K. Similiter ericij. vt supra Dominica secunda post Epiphaniam sermo. II. N F. Nauis negligentium. Exemplum formicæ.

Contra negligentiam propriæ salutis, potest valere nobis diligentia quam habent homines circa mundana & ornatum corporis, de quo dicit Augustinus. O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis. Ideo legitur in vitis Patrum de quodam sancto patre & fratre. Qui cum vidisset ornatum cuiusdam mulieris, flens inquit. Ignosce mihi omnipotens Deus, quia vnius diei meretricis huius ornatus, superauit totius vitæ meæ industriæ ornamenta. Ideo legitur quod Abbas Pambo videns in Alexandria mulierem, ad quam cum ab eremo descenderet, fleuit: & interrogantibus causam sui fletus, ait: Duæ res me mouent. *Vna* de illius perditione. *Alia*, quia non habui tale studium placendi Deo, quale studium habet ista vt placeat hominibus & mundo. Et benè plangenda esset propriæ salutis negligentia, quia valde periculosa est & damnosa. Dicit enim Cassianus in lib. Collat. Nulla super ipsum miseratio Saluatoris, qui seipsum nunc in præsenti negligit. Sed hoc ipsum periculosius; si negligentiam quis suam, nec aspicit, nec cognoscit. Exemplum.

Idcirco talis negligentia punitur à Deo, sicut negligentia Prælatorum, quæ aliquando punitur leuiori pœna, scilicet excommunicatione duorum mensium; Pœna negligentiæ modicæ.

aliquan-

aliquando graui, scilicet depositione, vt 71. dist. cap. Deinde. & Extra de translatione Episcopi c. Inter corporalia. *Prima* pœna habet locum in modica negligentia. *Secunda* in magna, quæ culpam sapit & dolum. vt ff. de verbor. significat: L. Latæ culpæ, & L. Magna. Similiter secundum Deum aliquando est negligentia magna, quæ est peccatum scilicet mortale quæ pœnam meretur magnam, non solum amissionem gloriæ, vel gratiæ, sed adeptionem gehennæ. Et h*oc vno modo* consideratur ex parte eius quod per negligentiam omittitur, puta si negligatur illud, quod est de necessitate salutis suæ, siue actus, siue circumstantia. *Alio modo* ex parte causæ, puta si est voluntas in tantum remissa circa ea quæ sunt Dei, vt totaliter à caritate deficiat; & hoc præcipuè contingit quando negligentia sequitur contemptum, vt dicit Anselmus lib. 8 similitud. cap. 48. Et de hoc dicit Sapiens: *Qui negligit vitam suam mortificabitur*. Prouerb. 34. Aliquando enim est negligentia modica, quæ est veniale peccatum. Ideo meretur pœnam leuiorem puta temporalem. Vnde quando ex negligentia prætermittitur aliquis actus, vel circumstantia, quæ non ex necessitate salutis est; nec hoc fit ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur aliquando per aliquod veniale peccatum tunc etiam negligentia non est peccatum mortale, sed veniale, vt idem dicit, & B. Thomas 2. 2. q. 54.

Pœna negligentiæ magnæ. Quæ negligentia venialis, quæ mortalis.

Y QVINTO quidam nauigant in naui odientium. Sicut figuratum est Matth. 14. vbi legitur *quod discipuli erant soli in mari, & Iesus erat in monte orans*; propter quod nauicula iactabatur fluctibus. Quid enim SPIRITVALITER per hoc quod Iesus non erat cum eis in nauicula, nisi quod charitas Dei non est modo in cordibus nostris, quoniam iam *superabundauit iniquitas refrigescit multorum charitas*. Quid autem restat quam hoc, vbi Deus non est, nec aderit charitas. 1. Ioan. 4. Vbi igitur charitas non fuerit, ibi odium erit. Quia odium spiritualiter contrarium est charitati, quæ est maxima virtus, maximè placens Deo, & odium vitium maximè displicens quod patet ex verbis Gregorii: Non curat antiquus hostis vt terrena nobis tollat, sed vt charitatem feriat. Cum igitur charitas abest à corde, tunc faciliter fluctuat in peccatum, & anima moritur. Ideo tunc homo potest dicere illud Ioan. 11. *Domine si fuisses hic* scilicet per amorem in corde meo, *frater meus*, id est, amicus *non fuisset mortuus*.

Nauis odientium. Matth. 24. Odium aduersatur caritati & occidit.

Ex iam dictis elicere potest quilibet prudens prædicator, quia nauicula sanctæ Ecclesiæ in medio est lata, cum sint multi Christiani, licet non opere tamen nomine in numero; quia aliqui nauigant in nauicula cupiditatum, aliqui malarum societatum, & sic de alijs. Sed hæc nauicula sanctæ Ecclesiæ in fine erit arcta, & hoc erit tempore Antichristi. In quo quidem tempore erit tanta persecutio, qualis non fuit ab initio, & etiam multi recedent à fide, & in errorem ducentur, *si fieri potest etiam electi*. vt dicitur Matt. 24.

Antichristus

Secundo, militans sancta Ecclesia significatur in nauicula. Quia sicut nauis interdum habet in se bonos & malos, munda & immunda, quæ ducit ad portum, sicut patuit de nauicula aut arca Noe, Genes. . in qua erant munda & immunda. Erat & Noe mundus cum filijs suis, & cum eis Cham malus, cui maledixit Noe, eo quod derisisset ipsum Genes. 9. A quo dicti sunt Chananæi persecutores Israel. Sic etiam sancta militans Ecclesia, nunc continet mundos & immundos, hereticos & tyrannos, falsos domesticos & hypocritas cum bonis, nesciens quid pertinet ad regnum. Quod autem mali sunt admixti bonis, hoc significabat, quia tunc Iudas erat in naui, quando

Ecclesia militans. In Ecclesia militãti, boni & mali reperiuntur

do tempestate erant quassati: sicut de hoc dicit sanctus Ambrosius lib. 4. supe cam cap. 8. Nam si turbatur ista quæ Petrum habet, turbatur & illa quæ Iudam habet. Et sic multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eam nauem proditoris perfidia agitabat, miraque res, Petrus scilicet, qui suis meritis firmus est turbatur alienis. *Et subdit*: Caueamus ergo perfidum proditorem ne per vnam plurimi fluctuemus. Tunc declarat Ambrosius, quod nauis prudentium & bonorum non turbatur, exemplo nauis Petri, Lucæ 5. dicens: Ergo non turbatur hæc nauis, in qua prudentia nauigat, abest perfidia, fides spirat. Quo ergo perturbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesia fundata est. Illic ergo turbatio vbi modica fides, hic securitas vbi perfecta dilectio.

Et est NOTANDVM. Sicut nauis materialis non potest esse sine gubernatione, aut rectore, alias periclitaretur: sic nauis sanctæ militantis Ecclesiæ, habet primum & principalem Dominum Christum gubernatorem. Sicut testatur venerabilis Boëtius libro primo, de consol. met. 5. dicens:

Omnia certo fine gubernas. Et infra libro tertio, metro. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab æuo,
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.

Cui consonat Aristoteles lib. 12. metaph. Entia nolunt malè regi, nec est bona pluritas principum. Sit ergo vnus princeps. Et idem Aristot. 1. metheo. Totus iste mundus continuus est lationibus superioribus, vt inde tota virtus ei gubernetur.

Et quia sancta militans Ecclesia regitur à tam sapientissimo gubernatore, ideo non potest deuiare. Ideo dicitur 24. q. 1. c. In sede Apostolica extra maculam sem per est seruata Catholica religio. Et idem dicit Hieronymus c. Hæc est fides. Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente, & beato Petro opem ferente, in futuro permanebit, sine vlla insultatione hæreticorum, atq; firma immobilis omni tempore persistet. quasi diceret; Licet venti tentationum nauiculam Ecclesiæ impellant, & motus perturbationum quassent, tamen eam non submergunt.

Ecclesiæ militantis gubernatores, Christus. Petrus Apostolus.

Alij verò gubernatores nauiculæ militantis Ecclesiæ sunt Prelati, qui debent similes esse nautæ & rectore nauis in multis. PRIMO in populi inductione: sicut enim nauta inducit nauē ad libitum suum, quousq; voluerit, nisi tempestas magna fuerit: Sic etiam Prælati debent populum suum ducere, quia ipsi sunt duces gregis & pastores, vt dicitur 8. q. 1. c. Sciscitaris. Debent etiam vos inducere & docere ad bonum, tam verbo quàm exemplo: igitur significantur *per arietem*, Danielis 8. *quem vidit Daniel habentem cornua duo, vnum excelsius altero.* Aries est dux ouium, & significat Prælatum, qui est dux fidelium, habens cornua duo, quæ sunt scientia & bona vita; & vnum debet esse excelsius altero. quia bona vita præcellere debet scientiam, eo quod est melior & salubrior ipsi populo. Quia inferiores vitam Prælatorum inspiciunt, & sunt tanquam signum positum ad sagittam; Extra de accusatione. cap. Qualiter & quando. sed de scientia ipsorum dicit Innocentius III. de renunc. c. Nisi cum pridem. quod imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. *Et subdit*. Quamuis desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen est competens toleranda.

Z

Prælati, in populi inductione.

Aries designat Prælatum.

Insubditorũ inspectione. SECVNDO in subditorum inspectione. Sicut enim nautæ in noctis obscuritate inspiciunt diuersitatem stellarum, quantũ ad ortum, & ad occasum, & effectus ipsarum: Sic debent Prælati in nocte peccatorum, respicere vitas subditorum, quantum ad iuuentutem quæ significatur per ortum, & senectutem, quæ innuitur per occasum. Quia dicitur Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Nam alia conueniunt iuuenibus, alia senibus. Senibus enim debent proponere subtilia, & iuuenibus leuia; quia *in antiquis est sapientia & in multo tempore prudentia.* Iob. 12. Ideo beatus Paulus tanquam prælatus dixit 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et in eadem epistola, cap. 3. dicit: *Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam: non enim poteratis capere.* Gloss. intelligere altiora & maiora.

In antiquis sapientia & prudentia.

In abiectione temporalium.

TERTIO in temporalium abiectione. Sicut enim nautæ abijciunt merces, vt homines saluent. sicut patet Ionæ 1. *Cum esset tempestas orta, timentes nautæ miserunt vasa in mare.* Sic etiam Prælati, propter salutem subditorum debent esse abiectiores & contemptores munerum, & diuitiarum. Prælati enim qui diuitias & munera diligunt salutem populi vt frequenter negligunt, cum corrigere vitia eorum desistant. Quia dicitur Eccles. 3. Et ponitur superius O.T. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertunt correptionem.* Interdum enim contingit, quod Prælatus venit ad aliquem sacerdotem, vel ad alium laicum, tanto latratu & correctione, ac si vellet eum deuorare. Sed si ille proijcit aliquid in ore suo, dando sibi aliquod collibium, siuè munus, de quo potest benè comedere, statim aufert ei latratum, vt tunc verificetur de prælatis talibus illud Isa. 56. *Canes muti, non valentes latrare.* Ideo ad similitudinem nautarum, debent in tempore necessitatis & correctionis esse abiectores & contemptores pecuniarum. Istorum enim prælatorum Papa est præcipuus & supremus, qui regit nauiculam sanctæ Ecclesiæ. In cuius persona dicit Metrista.

Munera à Prælatis cõtemnenda.

Canes muti.

Ecclesiam pro naue regi mihi climata mundi.
Sunt mare, doctrina, retia, pisces, homo.

A

Et dicit NOTANTER quod climata mundi sunt mare. Mundus enim comparatur mari propter certas causas PRIMO propter instabilitatem. Sicut enim mare est valde instabile; quod enim nunc est tranquillum, cito fit tempestuosum. Iuxta illud Senecæ: Momento mare reuertitur, & vbi modo luserunt nauigia, statim absorbentur. Sic etiam mundus est valdè instabilis & mutabilis: quia multipliciter mutatur, erga seruitores sibi, sicut figuratum est Genes. 31. Iacob cum seruisset: Laban pro Rachel septem annis, post finem illorum dedit illi Liam. Quod cum vidisset manè facto, dixit illi: *Quare imposuisti mihi*, id est decepisti: vbi aliqui libri habent, quare supposuisti mihi Liam: sed falsa est litera, vt dicit Nicolaus de Lyra. Videns deniq; varias deceptiones sibi inferri, inter cetera ait: *Immutasti mercedem meam decem vicibus; & nisi Deus Abraham Patris mei, & timor Isaac adfuisset, me nudum dimisisses.*

Mũdus mari cõparatur.

1. Propter instabilitatem

Laban designat mundum.

MORALITER per Laban qui interpretatur dealbatio, significatur mundus, qui semper promittit prospera: attamen semper sequuntur aduersa, quia transit citò de prosperitate in aduersitatem: sicque mutat mercedem decem vicibus, Et cum credimus Rachel pulchram, quæ interpretatur videns, Deum accepisse, tunc dedit

dedit nobis Liam, qui interpretatur laboriosa. Quia dicit Bernardus in lib. meditat. In hac valle lacrymarum, & in vita lacrymosa, & laboriosa vita corruptibilis & amaritudine plena. Hæc ille. Et sic tandem dimittet hominem nudum Iob 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ nudus illuc,* scilicet in terram *reuertar.* Ecce quam instabilis est mundus. Ideo refert Thomas Cantipratensis lib. 1. Apum. cap. 7. part. 7. sic inquiens. Prope nostra tempora fuit mulier nobilissima dicta Maria Campaniæ comitissa, Ludouici Pij regis Francorum filia. Quatuor fratres reges in Anglia habuit, & filium Regium in transmarinis. Hæc multis annis mortuo marito cum pomposa ambitione circumiens: & moriens talem finem sortita est. Laborans igitur in extremis, Abbatem Persaniæ, sanctum ac eloquentem virum, vocari iussit. Qui cum venisset, intromissus non est, & præ foribus stabat & exspectabat. Iam enim illa decesserat, & distrahebantur à militibus, & ministris, ac suis omnibus vtensilia; vasa aurea, & argentea, vestes pretiosæ, culcitræ purpureæ, & tandem linteamina ipsa cum peplis. Extremo quidam ex garsionibus, mora inscia retardatus, lectum per cornua cõprehendit & resupinatum corpus mortuum eminus in stramenta diuoluit. Moram autem cum tœdio Abbate sustinente, quidam nobilis ex circumstantibus indignatus, ostium violenter infregit, & virum honorabilem intromisit. Qui cum introisset, & nobile illud corpus nudum in stramine reperisset, volente quodam famulo illud straminibus cooperire, Abbas, exempli prouidus, non sinebat, sed libera voce clamabat. O vos omnes, venite, cernite pompam nobilissimæ Comitissæ Mariæ. Videte istud delicatissimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum est: videte quid ei pro multiplici honore & gloria mundus exsoluit. Hæc ille. Intuere solerter. Nonne pro Rachel accepit Liam? Quæ enim confidit se videre Deum, fortè accipit tormentum æternum, vbi est labor perpetuus; iuxta vocem Ierem. 16. *Seruietis Diis alienis qui non dabunt vobis requiem.* Et Psal. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.*

Exemplum de pompa & obitu Comitissæ Campaniæ.

SECVNDA causa, quare mundus comparatur mari est propter casualitatem. Sicut enim vndæ maris, aut fluctus, eleuantur vt fortius cadant, vel deijciantur, iuxta illud Psal. 92. *Eleuauerunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.* Ita in hoc mundo multi ad instar vndarum eleuantur in altum honoris, vt fortius post cadant, aut deijciantur. Iuxta illud Psalm. 72. *Deiecisti eos dum eleuarentur.* Sicut contigit huic impio de quo dicitur in Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani.* Et sequitur casus. *Transiui, & ecce non erat, quæsiui & non est inuentus locus eius.* Ideo dicit Hilarius super Matth. Iam nunc altitudinem abhorreant filij Dei, quæ sine periculo nunquam assumitur, sine casu nequaquam ducitur, & sine timore mortis æternæ nullatenus terminatur. Cui consonat Salustius in Iugurtino: Ex hoc ipso quod quis se extulit, in periculosos casus præcipitem se efficit.

II. Propter casum repentinum.

TERTIA propter bonorum contemptibilitatem. Sicut enim mare, secundum naturales, omnia corpora mortua à se reijcit, & in se habere contemnit, per motusque violentiam expellit: Ita mundus contemnit eos, à seque reijcit, qui mortui sunt mundo, viuunt enim in CHRISTO. Dicunt enim amatores mundi Sapien. 2. *Circumueniamus,* id est, decipiamus, *iustum, quoniam inutilis est nobis,* quasi dicerent; quia non vult parere nostris operibus, non est nobis vtilis vt carnaliter simul viuamus, nec vtilis est ad opprimendum viduas & veteranos, sed contrarius est operibus

III. Propter bonorum contemptum.

ribus nostris. quasi diceret: Cum nos volumus viuere secundum concupiscentias carnales, ipse vult viuere secundum legem diuinam, & dictamen rationis. Ideo dicit Apostolus 1. Cor. 4. *Puto*, hanc vestram esse æstimationem, *quod Deus nos Apostolos nouissimos*, id est, abiectos *ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus huic mundo*. Et infrà. *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Gloss. Lyræ dicit: Iudæi & gentiles dicebant, mundum infici per vitam & doctrinam Apostolorum, & per consequens ipsum debere purgari per mortem temporum.

B Ecce audiuit dilectio vestra, quod per nauiculam Ecclesia, per mare mundus designatur: quicunq; ergo in nauicula sanctæ militantis Ecclesiæ intrant mare huius mūdi, sequens dominum suum Iesum Christum ei seruiendo, statim fit motus tribulationum, & suscitantur venti tentationum. Quia dicit Hieronymus in prolog. super Apocal. *Omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patiuntur:* & sunt originaliter verba Apostoli, 2. ad Timoth. 3. Ideo dicit Sapiens Ecclesiast. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Quærit enim doctor deuotus Amandus in horol. Sapie. lib. 1. c 3. diuinam Sapientiam: Quare, inquit, amicos potius aduersis, quàm prosperis soles exercere. *Respondet* quia proni sunt sunt sensus hominum ad malum. Ideo ab adolescentia sua sepienda est via electorum spinis tribulationum, ne noxia delectatio materiam præbeat delinquendi; sed dum electus quisquis continuis tribulationibus premitur, ad superna tendere etiam inuitus cogitur. Hæc ille. Et quia tribulatio est secundum illud à Deo, Eccles. 11. *Bona & mala vita, mors & paupertas, & honestas a Deo sunt*, ideo est amanda. Solent enim chara haberi quæ dantur ab amicissimis, licet sint parui valoris: Sic tribulatio quia est munus datum à DEO, qui est noster amicissimus, amanda est valdè. Est etiam potus aut potio data à sapientissimo & fidelissimo medico, quare non est timendum de excessu infirmo. Quomodo enim excederet qui sapientissimus & fidelissimus est? Iuxta illud 1. Corinth. 10. *Fidelis est Deus qui non patietur te tentari super illud quod poteris.* Ipse enim secundum Psalmum 32. Est *congregans sicut in vtrem aquas maris:* quia mensurat aquas tribulationum. Dicit enim Iob. 38. *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem & ostia & dixi: Hucusq; venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Cur amici Dei aduersitate exerceantur.

Cur tribulatio amanda.

SECVNDO tentatio seu tribulatio ad summum bonum ducit, iuxta illud Gregorij: Mala quæ nos hic premunt, ad DEVM ire compellunt. Cui consonat illud Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, ideo est, amanda & non proijcienda, licet sit amara, vt faciunt quidam simiæ similes, quæ ascendens in arborem nucis, inueniens amaritudinem in cortice, fructum eius proijcit, & ideo non gustat de dulcedine: Sic illi qui tribulationem proijciunt cum amaritudinem in ea inueniunt, dulcedinem fructus æterni præmij non gustabunt. Iuxta illud Apostoli. 2. Timoth. 2. *Si compatiamur & conregnabimus*, quasi diceret, si econuerso non compatiamur, non conregnabimus. Ideo dicitur Sapien. 3. *Disciplinam qui abiicit, infelix est.* Quare consulit Sapiens Prouerbior. 3. *Fili mi, tene disciplinam, & ne dimittas eam*; quasi diceret. Necesse est vt te tangat disciplina tribulationis; quia dicitur hic, quod tempestas facta est in mari, vel motus magnus. Si enim dilecti discipuli non potuerūt esse sine tribulatione, multo minus nos. Sed quod IESVS dicitur dormire, in hoc signatur quod dormit pio somno secundum Originem in

[illegible] summi bonum cōfert.

Exemplum de simia.

in homil. Noſtram tolerantiam & patientiam exſpectans, vel impiorum pœnitentiam & conuerſionem ſuſtinens; ideo nos clamare debemus ad ipſum alacriter cum orationibus, & cum Propheta dicere: *Exſurge, quare obdormis Domine; exſurge, ne repellas in finem.* Et iterum: *Exſurge Domine adiuua nos &c.* Et ipſe ſecundum Origenem: *Surgens imperauit ventis*, id eſt aëreis dœmonũ ſpiritibus. Ipſi enim maris tempeſtates commouent, hoc eſt amaros & elatos concitant fluctus huius mundi, principes ad perſecutiones ſanctis omnibus immittendas, ad contumelias fidelibus ingerendas, omnibus dominus imperauit, omnibus comminatur, omnino mitigat facitq; tranquillitatem magnam. Hæc Origenes. Pſal. 43. Matth. 8.

Ideo etiam B. Auguſtinus videns ſe & alios Chriſti fideles, in mari huius mundi periclitari, ſic orauit lib. ſoli. cap. 35. Infelices heu nos & miſeri, qui per huius maris magni fluctus procelloſas voragines nauem trahimus, ignorantes, an ad portum ſalutis peruenire valeamus. Infelices, inquam, quorum vita eſt in exilio, via in periculo, finis in dubio; neſcientes finem noſtrum: quia omnia in futurum reſeruantur incerta. Adhuc in pelagi fluctibus verſamur, ſuſpirantes ad te portum maris. O patria noſtra, patria ſecura, à longè te videmus. Ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis ſi quomodo ad te perueniamus: Spes humani generis Chriſte, Deus de Deo, refugium noſtrum & virtus, cuius lumen à longè inter caliginoſas nebulas ſuper maris procellas, quaſi ſtella maris radius oculos noſtros irradiat: vt dirigamur ad te portum. Guberna Domine nauem noſtram tua dextera, clauo virtutis tuæ crucis, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempeſtas aquæ, ne nos abſorbeat profundum, ſed vnco crucis tuæ trahe nos ab hoc pelago ad te ſolamen vnicum noſtrum, quem à longe quaſi ſtellam matutinum, & ſolem iuſtitiæ, vix lacrymantibus oculis in litore cœleſtis patriæ nos exſpectantem videmus. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe. In mari turbulento verſamur: tu in litore ſtans aſpicis pericula noſtra: Saluos nos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine inter Scyllam & Charibdin ita tendere, & tenere medium, vt vtroq; periculo euitato, ſalua naui & mercibus, ſecuri perueniamus ad portum. Quod nobis concedat. &c.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Sermo.

Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam. Ad Coloſ. 3.

CONSVETVDO eſt nunc ſecundum licentiam Eccleſiæ ſanctæ, vt in hoc tempore carnales celebrentur nuptiæ, ad quas quidam homines ſolent, ſcilicet vnus alium inuitare, & conuiuia ſecundum poſſe præparare. Amici autem vel etiam alij conciues inuitati, ſtudent ſe quantum melius C

Ornatus vestium in nuptijs.

lius decentiusque possunt vestibus induere & ornare. Matres etiam mandant filiabus suis, vt meliora induant vestimenta, & abijciant à se viliora, vt sic coram mundo pulchriores appareant. Et licet hæc ornatio filiarum in mundo est tolerabilis, est tamen interdum coram Deo vituperabilis, vt suprà patuit in exemplo Dominicæ præcedentis, sermo. I.O.P. Quod autem solent ipsi homines in nuptijs conuiuia præparare, & amicos, & vicinos vocare, habet ortum ab antiquo. Legitur enim Tob. 8. quod Raguel fecit solenne conuiuium, quando Saram filiam suam tradidit Tobiæ in vxorem. *Duas enim vaccas pingues, & quatuor arietes occidi fecit & parare epulas omnibus vicinis suis, cunctisq; amicis. De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit scripturam, vt pars dimidia, quæ supererat post obitum suum & vxoris, Tobiæ dominio deueniret.*

Consuetudo vetus inuitandi amicos ad nuptias.

SPIRITVALITER. Deus omnipotens fecit Christo nuptias filio suo, quando sibi pro corpore despecto corpus dedit gloriosum, & in æterna beatitudine glorificauit, vt dicantur merito nuptiæ glorificationis. De quibus Apocalyps. 19. *Gaudeamus, & exultemus: & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius*, per quam intelligitur æterna glorificatio, *præparauit se. Et datum est ei*, scilicet à Deo Patre, *vt cooperiat se byssino splendenti, & candido*; per quem quidem byssinum intelligitur glorificatio corporis. Ad has nuptias vocauit Deus Pater sanctos Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines, omnesque pueros suos spirituales, qui ipsum filiali dilectione diligunt. Et verè beati sunt *qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Apoc. 19. Ibi faciet eis conuiuium omni suauitate plenum, sicut figuratum est Esther 2. Quando rex Assuerus sibi pulcherrimam Esther desponsauit, conuiuium permagnificum cunctis principibus, & suis seruis præparauit, & dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. Quis per Assuerum, certè Christus Deus, qui est omnium electorum suorum beatitudo; quis per Esther glorificatio & claritas corporis intelligitur. Sicut enim Esther interpretatur abscondita, sic & claritas corporis Christi hominibus in terra fuit abscondita; nisi quando in monte Thabor tribus discipulis Petro, Iacobo, & Ioanni claritatem sui corporis ostendit, *cum facies eius sicut sol resplenduit, & facta sunt eius vestimenta alba sicut nix.* Matth. 16. Sed cum post resurrectionem corporis claritatem sibi copulauit, & ad Patrem ascendit, tunc fecit conuiuium omnibus electis suis, dans eis munera secundum suam regiam dignitatem, sicut canitur: *Dans terrigenis munera plurima*, id est, hominibus in mundo, *plurima dona*, id est, multa munera gratuita. Idcirco si ad has solemnes nuptias, & conuiuium permagnificum venire volumus, ex quo inuitati sumus, virtutum vestes induere debemus, vt sic animas ad similitudinem filiarum nostrarum ornemus, quatenus dicatur de eis illud Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* Sicut enim templum ornatur varijs ornamentis, & pulchris imaginibus: sic anima nostra varijs virtutibus. Propter quod sancta mater Ecclesia hortatur per Apostolum scilicet Paulum, animas nostras, tanquam filias suas dilectas, vt ornent se virtutum vestibus, dicit: *Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti*, In quibus verbis sanctæ Epistolæ, tria proponit: scilicet, Charitatis generationem, ibi: *Induite.* Generatæ conseruationem, ibi; *Supportantes.* Conseruatæ roborationem, ibi; *Super omnia.*

Quosnam Deus Pater ad nuptias filij vocarit.

Circa

Circa hæc omnia est NOTANDVM, quando reginæ seculares intrare volunt ad reges, & cum eis conuiuare, vestimentis cultioribus aut pulchrioribus se solent ornare: quia in vili habitu non licet ante reges apparere. Sicut figuratum est Esther 15. Cum Regina Esther vellet ingredi ad regem Assuerum, deposuit vestimenta ornatus sui, circumdata est gloria sua, quasi diceret; has vestes induit in quibus gloriosa apparebat. Et hoc patet ex illo quod sequitur: *Cumque regio fulgeret habitu, assumpsit duas famulas, & super vnam innitebatur, quasi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum vestimenta sustentans. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa erat, & nitentibus oculis.* D

Caritas vesti comparatur.

MORALITER. Animæ fidelium Christianorum sunt dictæ reginæ, vt dixi suprà Dominica III. in aduentu, sermo. II. G. B. Istæ inquam reginæ, si ad instar Esther volunt ingredi ad verum regem Assuerum Christum, necesse est, vt vestem ornatiorem induant, & hæc est charitas, quæ benè dicitur vestis ornatior: quia est super omnes virtutes, sicut dicit Apostolus in præsenti epistola. *Super omnia habentes caritatem.* Glossa, quæ est maior omnibus virtutibus. Ipsa est vestis regia, qua Saluator rex noster cœlorum Christus, ornatus fuit, quando animam suam pro nobis posuit. Iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cui dicto consonat illud Apost ad Ephes. 2. *Deus propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.* Ipsa quidem est vestis aurea, in qua fidelis anima stabit ad dexteram Dei ornata multis virtutibus alijs, sicut hoc prædixit Psalm. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestimento deaurato, circumdata varietatibus*, scilicet virtutum: quia vbi est caritas, ibi virtutum varietas: propter quod ipsa est mater omnium virtutum, vt dicit Ambrosius super illud ad Rom. 14. *Vnusquisque in suo sensu abundat.* In hac regia aurea veste lapides pretiosi debent fulgere.

PRIMVS lapis pretiosus dictus est *Iris*, & significat misericordiam, de qua dicit Apostolus hic *Induite vos &c. viscera misericordiæ.* Glossa, quantum ad pietatis effectum: Et congruè assimilatur iridi ipsa misericordia propter tria. PRIMO propter figuram: quia hic lapis secundum Isidorum est ex sex angulis, & dicitur lapis hexagonus: sic misericordia debet habere sex angulos, scilicet sex opera misericordiæ, quorum *primum* est cibare esurientes, *secundum* potare sitientes, *tertium* colligere hospites, *quartum* vestire nudos, *quintum* inuisere infirmos, *sextum* visitare carceratos. de quibus dixi suprà Dominica III. in aduentu sermone II. M. H. E

Ornatus caritatis.

I. Iris cur misericordiç comparetur, quia hexagonus.

Iste lapis iris qui MORALITER est misericordia, valde lucet in veste caritatis aurea, & vbicunq; fuerit, faciliter homo ad Christum verum regem intrare poterit; sicut patet in exemplo. Miles quidam insistendo in operibus pietatis, cum omnia quæ haberet, ex vera caritate in vsus pauperum expendisset, crucem marinam accipiens, peregrinis pauperibus manu propria ministrabat; cumque transfretauit, visitauit omnia loca sancta deuotè, sequens sui vestigia Saluatoris; dumque ad montem Oliueti à quo Dominus in cœlum ascendit, aduenisset, eleuatis oculis & manibus in cœlum, ait: Domine in quantum potui tua vestigia sum secutus, modo sicut auis volare nequeo ad te, quia alas non habeo, nec scalā ascendendi: rogo te toto corde, vt in pace suscipias spiritum meū, me post te trahendo: quo dicto statim spiritus eius ad

Exemplum de milite.

Domi-

Dominum euolauit. Nec mirum, quia vestem regiam hic induit, caritatem, in qua splendebat iris misericordiæ & pietatis: quia dignus fuit ingredi thalamum Deitatis, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres:* quasi diceret, propter dilectionem fratrum ingredi poterimus cœlum.

II. Propter resplendentiã. SECVNDO iris lapis pretiosus, assimilatur virtuti misericordiæ, propter resplendentiam: quia sicut iris sub tecto positus, & sole tactus, vel percussus, colores iridis, id est, cœlestis arcus, in proximos parietes repræsentat: sic etiam misericordia alicuius hominis, quæ si sub tecto domus ponitur aut exercetur, per virtutem veri solis Christi, causat iridem, id est, misericordiam in pariete, id est, in homine alio. vt sic interdum propter misericordiam vxoris, vir qui est quasi paries sustentans domum, ad misericordiam concitetur, vero Christo sole coadiuuante; sicut probat Petrus de amore lib. 2. Quædam mulier nobilis erat consueta recipere pauperes, & seruire eis manibus proprijs, & abluere pedes eorum inuito viro. Cum semel inuenisset pauperem ante ianuam mirabiliter vt videbatur afflictum, & vlcerosum, introduxit eum in domum suam viro absente, & cum peteret balneum parauit ei. Illo autem dicente quod non posset quiescere, nisi in molli lecto, posuit eum in lectum suum. Cum autem vir eius veniens ex improuiso, & subitò cameram intrasset, & in lecto vxoris inueniens prædictum virum, credidit eum adulterum, & impetu iræ voluit eum occidere super lecto: tunc apparuit ei Dominus in eadem forma qua pendebat in cruce, dicens: Quid me persequeris, qui pro te passus sum: & hæc vulnera, & mortem propter tuam salutem pertuli. Cum autem perterritus & prostratus, oculos ad cœlum leuaret & oraret, postmodum nihil inuenit, & conuersus ad Dominum, bonus hospes, & pius pater pauperum factus est. Sed vnde hoc? ex misericordia vxoris, quæ velut iris posita in domo fuit, in eo quod pauperem sub tecto suo recepit. Tanta vero lux à sole, id est, à Christo in virum resplenduit, vt eum misericordem fecit. Ideo multum necesse est, vt iridem misericordiæ in vestem ponamus caritatis; quia misericordia, sine caritate parum, vel nihil prodest. Iuxta illud Gregorij. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice caritatis.

Exemplum.

III. Propter efficaciam. TERTIO iris comparatur & assimilatur misericordiæ, propter efficaciam. Sicut enim iris cooperatur parienti, vt citius pariat, vel dolores faciliter sustineat; sic misericordia cooperatur pœnitenti parienti, vt citius pariat opus bonum satisfactionis, vel saltem vt angustiam, vel laborem pœnitentiæ facilius ferat, & tentationum pericula minus timeat. Propter *primum* dicitur Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates misericordiis pauperum.* Propter *secundum* dicitur in Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Propter *tertium* dicitur Ecclesi. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hic pro te orabit, & liberabit te ab omni malo, & super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

F

Eleemosynæ multa sunt genera. Et est NOTANDVM, quod misericordia non solum consistit in largiendo eleemosynam, sed etiam in remittendo iniuriam, quæ etiam ad instar iridis pretiosi lapidis, debet fulgere in veste regia caritatis. Quia dicit beatus Augustinus in Enchirid. Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum fecerimus adiuuamur, vt nobis peccata dimittantur: sed inter ea nihil est maius, quàm vt ex toto corde dimittamus, quod

quod in nobis quisque peccauit. Idem in lib. de rectitudine catholicæ conuersationis. Quære, inquit, non dimittit aliquis fratri parum, vt ei Dominus dignetur dimittere totum. Nam & hoc eleemosynæ genus est, vt dimittat aliquis ex toto corde ei, à quo læsus est. Ad hanc hortatur Apostolus in præsenti Epistola, cum dicit: *Donantes vobismetipsis.* Gloss. offensam remittendo, quod est necessitatis, *iniurias, si quis aduersum aliquem habet querelam:* quasi diceret; gratis remittentes & indulgentes omnem offensam, & ponit pro exemplo Christum, dicens: *Sicut Dominus donauit vobis ita & vos facite.* Dominus enim donauit vobis integraliter, iuxta illud Apostoli ad Coloss. 2. *Donauit vobis Dominus omnia delicta: delens quod aduersus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium vobis;* sic etiam vos facite remittendo iniurias vobis illatas & offensas, de qua dixi satis supra Dominica 2. post Epiphaniæ sermone 1. N. L. Remittere iniurias.

SECVNDVS lapis pretiosus qui debet fulgere in regia veste caritatis, est Achates, qui moraliter significat benignitatem. Et benè assimilatur benignitas lapidi huic pretioso, propter duo. Secundus lapis Achates, designat benignitatem.

G

PRIMO propter amabilitatem. Sicut enim Achates facit habentem ipsum, hominibus amabilem, gratum, & sapientem, & placentem, vt dicit Diascolus. Sic etiam benignitas relucens in veste caritatis, facit hominem amabilem hominibus, & amicum; sicut testatur Seneca in lib de clemen. ad Neronem. Qui benignus atque blandus fuerit, cunctorum hominum sibi amicitiam acquirit; & non solum benignus acquirit amicitiam hominum, sed etiam Dei, iuxta illud Richardi de sancto Victore. Qui benignitatem erga proximum seruat, benignum facit sibi ipsi Deum. Quid autem dicam de nimia asperitate Prælatorum? Audi aliud quod dico, quod ruinam facit subditorum, sicut probat Cassianus lib. colla. Vidi, inquit, quod ruinam sæpe intulerit, multorum nimia asperitas Prælatorum. Cui consonat Aristoteles in lib. de regim. principum. Benignitas regis maximè decet, asperitas enim nimia, si erga subditos habeatur, regnum dissipatur: sicut figuratum fuit, 3. Regum. 12. de Roboam filio Salomonis, qui nimis asperum & austerum se erga populum ostendebat, dicens: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego vos cedam scorpionibus.* Est autem scorpio genus flagelli durissimi, habens in fine cordularum nodulos plumbeos vel ferreos. Et ideo vocatur scorpio, quia sicut scorpio grauiter pungit, caudam super caput reflectendo, sic extremitas huius flagelli, in quo est plumbum, siue ferrum, percutiendo reflectitur ad manus percutientis, super corpus percussi. Videns autem populus eius asperitatem, & quod noluisset audire eos, Glossa de oneris releuatione, pro qua petebant, sed magis comminatus est de augmentatione; Respondit dura scilicet pro duris, dicens: *Quæ nobis pars in Dauid?* quasi diceret, non habuit regnum ex hereditate paterna, & ideo possumus alium eligere. Ideo elegerunt Hieroboam seruum Salomonis & regnum Iudæorum fuit diuisum sub eo in duo regna, & decem tribus recesserunt ab eo, & adhæserunt Hieroboam. *I.* Quia amabilis. Asperitas nimia Prælatorum nociua. Scorpio flagelli genus.

SECVNDO assimilatur benignitas Achati propter iræ mutabilitatem. Sicut enim Achates dicitur valere ad conuersionem tempestatum, & mutationem periculorũ, secundum Dias. Sic etiam benignitas conuertit tempestatem iræ, & mutat pericula inuidiæ: quia vbi benignitas fuerit, ratio non punit, sicut probat Endoxus in gestis Philosophorum, de benignitate ducis Atheniensis qui dictus fuit Phisitarchus *II.* Virtus Achatis.

*forte legẽdum. *& Philosophus. Cum enim quidam iuuenis amore filiæ suæ virginis accensus esset, & locum considerasset, in quo virgo cum matre transibat, ad templum, virginem obuiam osculabatur iuuenis. Cum mater virginis propter hoc nimium fuisset commota, & ducem instigaret vt iuuenem capitali sententia puniret, Phisitarchus victus benignitate, sic respondit: Si nos eos qui nos amant interficeremus, quid his faceremus quos odimus? Hæc vox principis processit ex radice benignitatis.

Pisistratus? Exemplum benignitatis.

Refert etiam, quod quidam Aristippus nomine, contra hunc ducem in tantum exarsit ira, vt ipsum voce & verborum procacitate ineptè obrueret. & tandem in faciem eius spueret. Sed princeps sic animum, vocem, & gestum, ab ira cohibuit, vt putaret se non suscepisse, vel audiuisse minas, sed laudes honoris. Et quare hoc? quia benignitas sua conuertit iram ne caperet vltionem. Ideo hortatur nos etiam Apostolus in hac epistola *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ benignitatem*. In quo quidem principaliter monet ad gratiarum actionem. Iste ideo lapis Achates benignitatis, rectè ponitur post iridem misericordiæ in veste caritatis: quia misericordia pertinet ad beneficium, benignitas verò ad beneficiatum. Quia qui recipit beneficium, tenetur ad gratiarum actionem, & hoc propter aliquas causas.

Coloss. 3.

Quare gratiæ agendæ.

H

I. Propter sanctorum admonitionẽ.

PRIMO, propter admonitionem sanctorum. Vnde Bernardus. Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis; disce ad singula dona Dei debita gratiarum actione vti. Cui alludit illi Apostoli ad Ephes. 5. *In omnibus gratias agite*. SECVNDO, propter admonitionem creaturarum, quæ incessanter nos incitant ad gratiarum actionem. Beneficium enim alicui datur, vt danti gratias agat. Ergo cum omnia quæ videmus homini data sint, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit volatilibus cœli, piscibus maris, & bestiis terræ, & vniuersæ creaturæ:* igitur hæc omnia ad gratiarum actiones nos incitant. TERTIO, propter tempus in quo sumus, scilicet in tempore gratiæ. Cui nulla operatio magis congrua videtur, sicut actio gratiarum. Ideo dicit sanctus Augustinus ad sanctum Aurelium. Quid melius animo geramus, & ore calamoque exprimamus, quàm Deo gratias agere, hoc nec dici breuius, nec audiri leuius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.

II. Quia creaturæ nos incitat.

III. Propter tempus gratiæ.

TERTIVS lapis qui debet ornare regiam vestem caritatis, est Magnes, qui significat magnam humilitatem, de qua dicit Apostolus: *Induite vos &c. humilitatem*. Et rectè humilitas assimilatur magneti. PRIMO propter attractionem. Sicut enim magnes secundum Isidorum ferrum attrahit, quia secundum Augustinum tanta est eius vis, vt si quis eundem magnetem sub aureo vel æneo vase tenuerit, ferrumque desuper posuerit, lapis ferrum desuper manebit. Sic etiam humilitas, mentes ferreas interdum mouet & attrahit eas ad pœnitentiam, & maximè humilitas & benignitas Dei. Cum enim videt homo durus & obstinatus ad instar ferri, quanta Christus pertulit humiliter, & labores sustinuit, qui *nullum peccatum fecit* 1. Petr. 2. incipit se pro peccatis suis, qui multa commisit, affligere & pœnitere, nec vult vlterius desperare, sicut dicit Chrysostomus super Matth. Tribularer siquidem, & prorsus desperarem, si non Christi passionibus animarer; quasi diceret, quia rex Christus multa passus est pro peccatis alienis, tunc desperare nolo, sed etiam exemplo illius pati volo pro proprijs meis peccatis.

Tertius lapis Magnes significat humilitatem.

I. Quia attrahit ferrum.

II. SECVNDO humilitas comparatur magneti propter reconciliationem. Sicut enim magnes,

magnes, secundum Diascolum habet virtutem reconciliatiuam; reconciliat enim maritos vxoribus; sic etiam humilitas reconciliat Christum cum anima, sicut probat Richardus de sancto Victore. Humilitas Deum reconciliat homines in præsenti vita erigit & exaltat. Quod autem humilitas reconciliat Deo animam, patet suprà Dominica I. in aduentu sermone I. de Achab. A. E. Habet virtutem reconcilian...

III. Tertio propter gratificationem. Sicut enim hæc gemma gratum facit, augens gratiam & pulchritudinem in sermone, sic humilitas gratificat sermonem prædicantis, & auget gratiam sermonis. Quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*. Iacob. 4. Facit hominem gratũ.

IV. Qvarto propter curationem; quia sicut magnes habens virtutem curatiuam, curat hydropisim splenem, allopiciam: sic humilitas curat superbiam, quæ assimilatur hydropisi: Et similiter dissolutam & ineptam lætitiam, quæ denotatur in splene. Quia dicunt naturales, quod splene ridemus, sicut felle irascimur. Et similiter curat fluxum spiritualium virtutum ex mente, quod significatur allopicia; quæ cadere facit, siue ex capite fluere crines. quia humilitas virtutes conseruat immediatè, iuxta illud Agustini. Humilitas est caput omnium virtutum, obtinetque primatum ceterarum, tanquam ipsarum conseruatrix. Ideo dicit Gregorius. Qui ceteras virtutes sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum portat. Habet virtutem curationis.

I Qvartvs qui decorat regiam vestem caritatis, est lapis Hyacinthus, & significat modestiam. Quia sicut hyacinthus medium tenet, quia non est nimis clarus, nec nimis obscurus, sed ex vtroq; temperamento mediocriter est refulgens, vt dicit Isidorus. Sic modestia semper tenet medium. Nam cauet indecentiam in verbo, risu, motu corporis, vt homo non sit nimis tardus, nec nimis celer. Ideo dicit Seneca in lib. de quatuor virtutibus cardinalibus: A verbis turpibus abstineto, quia licentia eorum imprudentiam nutrit; Sermones vtiles magis, quàm facetos & affabiles ama, miscens interdum serijs iocos, sed temperatos. Nam reprehensibilis est risus, si immoderatus, si puerilis, si muliebriter factus. *Et sequitur*. Risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus siue tumultu, quies tibi non desidia erit. Item in eodem dicit de motu corporis: Si continens es, & animi tui & corporis motus obserua, ne indecori sint. De insolentia in motu corporis, vel in situ membrorum, tangit Isa. cap. 3. *Pro eo*, inquit, *quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiorum Sion*. Item in habitu modestia seruanda est, & ratio vel modus, vt videtur agrestis & in humana negligentia, & habeatur munditia, non tamen nimis exquisita, sicut vult Hieronymus. Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Item dicit Apostolus 1. Tim. 2. *Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se*. Et sicut hyacinthus ille lapis pretiosus maximè aëri se conformat; Est enim nubilosus in nubilo, & serenus in sereno, vt dicit Diascolus. Sic etiam modestus homo debet se conformare hominibus, cum quibus viuit, vt cum iubilosus, cum tristibus sit tristis, & cum serenis, id est lætis, sit lætus: iuxta illud ad Rom. 12. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus*. Et similiter in vestimentis se alijs conformet &c. Ideo B. Augustinus ad Hieronymum, & ponitur 12 dist. c. Illa autem. Quod n. neq; contra fidem aut mores bonos esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuit societate seruandum &c.

Quartus lapis hyacinthus, significat modestiã

A verbis turpibus abstinendum.

Habitus modestus.

Hyacinthus se aeri conformat.

K Qvintvs lapis & vltimus qui ornat regiam vestem caritatis, est dictus Chrysoprasus. Et Moraliter significat patientiam quam etiam hic connumerat Apostolus. Recte enim sicut chrysoprasum lux celat, & obscuritas manifestat, quia in nocte est igneus, de die verò aureus, vt dicit Isidorus: Et vt idem dicit, in die euanescit & splendorem amittens, velut aurum expauescit: Sic patientia in luce cordis prosperitatis absconditur. quia dicit Gregorius. Quod prouidus est miles, qui si vicerit in pace gloriatur; nec etiam impatientiam tempore aduersitatis ostendit. Ideo patientia in tenebris aduersitatis, lucet in veste caritatis: quia, qualis in se lateat illata contumelia, probat, vt dicit Gregorius. Idem dicit vnguenta redolere latius nesciunt, nisi commota. Ideo sancti viri, quid de virtutibus habent, seu quantum redolent, in tribulationibus innotescit, vt sicut granum sinapis, nisi conteratur nequaquam vis virtutis eius agnoscitur: sic vnusquisque vir cum non pulsatur leuis aspicitur: Si verò tritura illum persecutionis opprimat, qualis sit ostentat. Item sicut Chrysopasus in nocte fit igneus, & in die pallidus: Sic patientia, si vera est, in nocte aduersitatis fit ignea in amore, sed in die prosperitatis efficitur pallida, id est, timida. Quia viri perfecti in aduersitate per patientiam seruantur, si in die aduersitatis timent, sicut Dauid, qui ait in Psal. 55. *Ab altitudine diei*, id est, prosperitatis *timebo*. Et quare timenda est prosperitas, dixi Dominica I. in aduentu Domini.

Quintus lapis Chrysoprasus significat patientiam.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Sermo in Euangelium.

Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminat semen bonum in agro suo. Cum autem dormirent, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Matth. 13.

L. Dicit Isidorus lib. 12. quod natura leonis est circa homines maximè pietatis mirifica, & misericors; & eorum misericordia propitiandi, patet assiduis exemplis. Nam prostratis ante se parcunt, captiuos, quos habent ocius repatriare permittunt, & hominem, nisi in magna fame, nec comedunt, nec interimunt.

Spiritvaliter. Per leonem intellige Christum, qui est *Leo de tribu Iuda*, Apocal. 5. Est enim natura eius magna & misericors erga homines peccatores, sicut testatur Dauid Psalm. 85. *Quoniam misericordia tua magna est super me.* Et B. Augustin. in sermone quodam: Deus, inquit, omnia potest, præter hoc, quod non potest homini non misereri peccatori, qui ad se conuertitur, ideò figuratum est per Dauid. 1. Reg. 26. vbi legitur. Cum congregasset Saul exercitum contra Dauid, vt illum caperet, & occideret in deserto, Dauid autem clam in noctis silentio tentorium inimici sui ingressus, cum Abisai suo propinquo, & dormiente Saul, dixit Abisai: Perfodiam eum vno ictu, & non viuet. Dauid respondit. Nequaquam morietur, nisi ostenderit Deus aliter, aut in prælio intereat. Christus enim Domini est, *sed accipe hastam & scyphum eius*. Cumq; cum hasta & scypho recessisset Dauid, clamauit ad Abner capitaneum suum: *Quare non custodisti Dominũ tuum regem? Ingressus est vnus de turba, vt occideret eum. Non est bona res. Et ait: Viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui*

NOTA.

nom

non custoditis regem vestrum. Audiens Saul, vocem Dauid ait: *Peccaui; nequaquam tibi vltra malefaciam, eo quòd anima mea pretiosa fuit in oculis tuis hodie: apparet enim, quod stultè egerim.*

MORALITER. Saul, qui interpretatur abutens, & significat peccatorem, qui abutitur pretioso tempore sibi à Deo pro pœnitentia concessio; iuxta illud Iob. 24. *Dedit eis locum pœnitentiæ, & illi abutuntur eo in superbia.* Ille igitur peccator congregat exercitum contra Christum Dauid, cum peccatum super peccatum multiplicat. Propterea Christus intrat ad ipsum cum Abisai, qui interpretatur rugitus eius, & significat iustitiam Christi, quæ rugiens super peccatorem, parata est, eum vno ictu mortis personare, quia *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*, Ezech. 18. & 24. qu. 3. c. Si habes. Sed Christus ex sua misericordia prohibet iustitiam, dicens: Ne interficias eum, & non moriatur. Christus enim Domini est, scilicet, redemptus meo pretioso sanguine. *Nolo enim mortem impii, sed vt conuertatur & viuat.* Ezechiel. 33. Attamen dicit iustitiæ. Accipe sibi hastam, per quam significatur sanitas corporis & scyphum per quem intelligitur mundi facultas. quia multoties Christus ex sua iustitia, ne peccator pereat, aufert sibi sanitatem, & temporalem facultatem: vt quasi peccata dimittat. Quo facto, vocat eum Christus interius ad suam conscientiam, & peccator ad se conuersus, cognoscit, quod pretiosa sit anima eius in conspectu Christi, & amplius non peccat in eum, dicens: Apparet enim, quod stultè egerim contra te. DEVM meum peccatis offendendo; Et propter illam misericordiam, quam monstrat Deus quotidie erga peccatorem, in præsenti Euangelio homo dicit cum Euangelista. *Simile factum est regnum cœlorum homini.* In quo quidem principaliter duo ostendit. PRIMO, bonam creaturam factionem, ibi; *Simile est regnum,* &c. Diabolicam ipsarum correptionem, ibi; *Cum dormierit.*

Pro quo SCIENDVM, quotidiana docet experientia, quod quando agricola bonum triticum iacit in agrum suum, attamen procedente tempore partim in zizaniam, aut lolium conuertitur. & hoc, vt communiter fit in agris humidis, aut aquosis. Ideo prudens agricola videat illud ne triticum in agro humido, sed pingui & soluto seminet. Quia dicit Petrus de Crescentia. lib. 3. de rurali commodo, quod triticum terram arctam, id est, argillosam; diligit, & solutam mediocriter: nimis autem solutam & sabulosam refugit, imbrosis locis humidis, & aquosis degenerat, & in lolium conuertitur, & commutatur. M

SPIRITVALITER. Per agricolam intellige ad præsens patrem cœlestem, de quo dicit Christus, Ioannis 15. *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.* Hic cœlestis agricola habet triplicem agrum. PRIMVS est ager cœlestis: de quo intelligitur illud Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrũ illũ.* Vbi spiritualiter ager est diuinitas. In hoc quidem agro, qui est pinguis, seminauit cœlestis agricola bonum semen, & nobile triticum, scilicet naturam Angelicam, quæ ad similitudinem tritici fuit alba per puritatem, & rubea per caritatem. Quod autem Angelica natura, à Deo in agro cœlestis agri seminata fuit, in principio bona & pura, probat Magister lib. 2. dist. 3. c. 5. Non enim potuit creator optimus, auctor mali esse: & ideò totum bonum erat, quod ex illo, ipsis scilicet Angelis erat, & totum bonum erat, Hoc modo, inquit Magister, probatur, quod boni erant omnes

Ager triplici. I. Cœlestis. Deus non est auctor mali.

Angeli, quando primum facti sunt, scilicet ea bonitate, quam natura incipiens acceperat. Cui consonat illud Platonis in Timæo: Optimi, inquit, est optima producere. Idem probat B. Augustinus super Gen. lib. 11. Omnia fecit Deus valde bona. naturam igitur Angelicam bonam fecit. Idem probat hic Euangelium quo ad sensum mysticum, cum dicit: *Simile est regnum cælorum homini*, scilicet Patri cœlesti, qui dicitur homo, propter suam mansuetudinem & pietatem, qui seminauit semen suum, scilicet Angelicam naturam, in agro suo. Quando autem Deus pater hoc Angelicum semen seminauit in agro cœli? Dico, mox vt cœlum empyreum creauit, angelis ipsum repleuit, vt dixi supra Dominica II. post Epiphaniam, Sermone. II. N. O.

Pater cœlestis cur homo dicatur.

Quod Angeli fuerunt rubri ad instar tritici, per caritatem creati, probat Magister lib. 2. dist. 3. c. vlt. dicens. Solet quæri, Vtrum aliquam Dei, vel sui habuerint dilectionem. *Ad quod* dici potest, quod naturalem habeant dilectionem, vt memoria, & intellectum, & ingenium, qua Deum & se aliquatenus diligebant, per quam tñ non merebantur. Hæc Magist. Dicens, quamuis Angeli fuerint creati boni, & albi per puritatem, & rubei per caritatem, tamen quidam erant negligentes circa propriam beatitudinem & salutem, quod innuitur per hoc, quod sequitur: *Cum autem dormirent homines*. Dormire nihil aliud est, nisi salutem negligere. Dicit enim Magister vbi suprà c 5. Tales erant, quod stare poterant, id est, non cadere per bona creationis, & cadere per liberum arbitrium. Ecce poterant stare & boni permanere, sed hoc neglexerunt. Ideò benè dicitur, quod dormierunt: Vel dic, quod dormitio est Dei permissio. Quod enim quidam de angelis perierunt, permissio Dei fuit: quia dedit eis liberum arbitrium, quo poterant flecti ad bonum, vel ad malum. Cum enim sic dormirent, nec se ad bonum flecterent, superuenit inimicus eius, & superseminauit zizaniam. Per inimicum angelicæ naturæ intellige Luciferum per superbiam malum factum, quia dicit Isidor. lib. de summo bono. & ponitur cap. 15. Postquam creatus est per eminentiam naturæ, profunditatem scientiæ perpendens, in suum creatorem superbiuit in tantum, quod etiam se ei æquare præsumpsit. dicens Isa. 14. *In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo*. Vbi per cœlum intelligit Dei æqualitatem, & per astra cœli ceteros Angelos. quasi diceret; Vltra omnes Angelos ascendam, ad potentiæ Dei æqualitatem.

Dormire est salutem negligere.

N

Sed quæreret aliquis. Quæ fuit causa & origo primi peccati, & mali, cum Deus creauerit omnia valde bona. *Respondet* Magister lib. 2. di. 24. Causa & origo primi peccati res bona extitit; quia ante peccatũ primum non erat aliquod malum, vnde oriretur. *Et subdit.* Cum enim originem & causam habuerit, sed malum ante non erat: igitur ex bono ortũ est. Prius enim in angelo ortum est peccatum, & posterius in homine. Et quid erat Angelus nisi bona natura Dei. Non ex Deo ortum est malum, quod fuit in Angelo, nec ex aliquo alio, quàm ex angelo: Ex bono igitur ortum fuit. Concludit igitur Magister his verbis, & ex sententia etiam B. Augustini, qui ibidem adducit primam causam, & originem peccati fuisse bonam naturam Angelicam.

Causa primi peccati quæ?

Si igitur quæritur. Quomodo Angelus peccare potuit cum bonus creatus fuit? *Responde,* quod liberum habuit arbitrium, quod flecti potuit ad vtrumque, scilicet ad bonum, vel ad malum. Sic nunc omnis illa creatura, quæ in libero arbitrio est constituta, & in bono confirmata atque stabilita, ad malum flecti non potest: vt determinat Magister lib. 2. distinct. 7. cap. 2 Iste igitur inimicus Lucifer cum angelis sibi adhæ-

Quomodo Angelus peccare potuerit.

adhærentibus superseminauit zizania, id est, superbiam Quia *qui communicauerit superbo, induit superbiam*, vt inquit, Sapiens. Sicque cum eo perierunt cum de cœlo in aërem tenebrosum ceciderunt, vt declarat Magister lib 2. distinct. 6. cap. 2. Ideò dicitur hic, quod inimicus eius, scilicet Angelicæ naturæ, seminauit in medio tritici, id est, in medio bonorum Angelorum, qui sibi consenserunt, & abijt sic cum eis in locum tormentorum. Et sicut zizania interdum crescit in tritico, cum triticum superexcedit: Sic quamuis superbiæ vitium creuit, inter Angelos tamen maior pars ipsorum bona permansit, cum sola tertia pars ceciderit: Iuxta illud Apocal. 12. *Draco de cœlo cadens, secum traxit tertiam partem stellarum*, id est, magnam partem Angelorum. Quia Lucifer ille, alijs maior, non solus cecidit, sed cum eo alij multi, qui ei in malitia consenserunt.

Eccl. 13.

Sola tertia pars Angelorũ cecidit.

Sed diceres, quando hoc semen malum zizaniæ superseminauit inimicus diabolus? *Responde* quod cito postquam factus est, hoc fecit secundum intentionem Augustini, qui dicit super Genes. lib. 2. Factus ergo primus statim à veritate se auertit, propria potestate delectatus, beatæque vitæ dulcedinem non gustauit, quam acceptam non fastidiuit, Glossa dicit, & non accepit nec fastidiuit, vt negatio cadat super Ly acceptam: quia nec accepit nec fastidiuit, sed volendo accipere amisit. *Et infra.* Continuo autẽ vt factus est, cecidit non ab eo quod accepit, sed quod accepisset si Deo subdi voluisset, scilicet vitam æternã, consummationis gratiam. Et super hæc verba August. dicit Magister li. 2. di. 3. cap. 7. Hic ecce apertè declarat angelos bonos esse creatos, & post creationem cecidisse: & fuit ibi aliqua morula licet breuissima.

Secvndo. Ager in quo seminauit Deus pater bonum semen est ager paradisi terrestris, de quo dicit Sapiens, Prou. 31. *Considerauit agrum, & emit illum.* vbi dicit Glossa. Ager iste est iucunditas paradisi, quando Adam de limo terræ plasmauit, & in paradisum bonum, & virtutibus præditum collocauit. Gen. 2. Quod autem bonus plasmatus est Adam, probatur testimonijs Doctorum. Dicit enim August. in quadam homil. Adam perdita caritate, malus factus est. quasi diceret; qui prius fuit bonus. Et dicit B. Ambros. super Ps. 4. Homo ante peccatum beatissimus. Glos. à priuatione omnis mali tantum carpebat æthera, id est, subtilem aërem paradisi. Idem in libro Epistolarum suarum ad Sobrinum ait; Quando Adam solus erat non est præuaricatus, quia eius mens Deo adhærebat; ita sentiendum est de Eua, quæ de latere viri bona est formata, & in sociam Adæ data. Sed licet Adam cum Eua bonus creatus fuit, & in agrum terrestris paradisi seminatus, negligens tamen fuit cum ea, quod notat Euangelium: *Cum autem dormirent homines* quid per dormitionem nisi negligentia circa salutem, & beatitudinem ipsorum designatur. Ideò venit Inimicus eius diabolus & superseminauit zizania peccati.

O II.

Ager paradisi terrestris

Dormitio negligẽtiam designat.

Sed in qua specie venit? *Respondet* Glossa, super Genes. 2. quod venit in specie horribili, in qua fallacia eius non posset citius apprehendi. Quamuis dicunt aliqui, quod venit in specie virgineæ sed tamen de Scriptura non habent authoritatem. Veniens igitur, vt declarat latius Magister lib. 2. distinct. 21. Stetit coram muliere, & non ausus fuit in verba persuasionis exire, metuens deprehendi, sed astuta sub interrogatione eam aggreditur, vt ex responsione colligeret qualiter ex malitia procedere posset. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Dominus, vt non de omni ligno paradisi comederetis?* Cui respondit mulier: *De omni fructu lignorum vescimur: de fructu* vero

verò ligni, quod est in medio paradisi, precepit nobis Dominus ne commederemus, ne fortè moriamur.

Ecce quanta negligentia Adæ, quod permisit mulierem fabulari cum serpente, & etiam mulieris, quæ neglexit sibi dicere verbum Domini, qui eis dixit Genes. 2. *In quacunq; die comederitis morte moriemini:* sed ait, dubitando, ne *forte* moriamur. Ideo statim ait diabolus: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Ecce processum & humanæ perditionis ordinem. *Primò*, Deus dixit de ligno vetito, *Quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini. Deinde* dixit mulier; *Ne fortè moriamur.* Nouissimè serpens dixit; *Nequaquam moriemini.* Deus affirmauit, mulier quasi dubitando dixit, diabolus verò in toto negauit. Ideò subdit textus Genes. 2. *Videns mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, tulit de fructu eius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit.* Sicq; semen bonum humanæ naturæ vitiatum fuit, quando diabolus zizania elationis & inobedientiæ, infidelitatisque superseminauit. Quia dicit Augustin. lib. 4. de ciuitate Dei, cap. 17. Magna infidelitas fuit, quod verbis diaboli plus credidit, quàm Dei.

Processus humanæ perditionis.

P III. Ager huius mundi.

TERTIVS ager, est ager huius mundi, de quo intelligitur illud Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ.* Quia in mundo sunt asperitates vitiorum, & affectiones prauæ, quas significant vrticæ, & spinæ auaritiæ. In isto agro seminauit Deus bonum semen hominum bonorum. Quia dicit B. Augustinus, in responsionibus contra Iulianum hæreticum; Quid est homo, nisi bonum opus Dei & nobile semen: Multoties autem fit malus, propter negligentium sui ipsius: quod ostenditur ex hoc, quod dicit Dominus. *Cum dormirent homines venit inimicus,* &c. quod exponens Nicolaus de Lyra, in Gloss. moral. dicens. Hæc dormitio superiorum negligentiam circa custodiam gregis sui, vel etiam negligentiam cuiuslibet, circa custodiam propriæ salutis significat. Vtramque enim diabolus negligentiam explorat. Et sic per suggestiones malas zizania in cordibus humanis superseminat. Idem probat Chrysostomus in homilia. 11. Patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos inuitat ad malum. Quod probat in Exemplo Thom. Cantiprat. lib. 1. Apum, c. 17. part. 4.

Superiorum negligentia per dormitionem designatur.

Vtilitas correctionis.

In partibus Angliæ in monasterio nigri ordinis, puer quidam nobilis à parentibus traditus est disciplinis regularibus educandus. Et quia erat decorus forma, naturæq; donis insignitus & supra ætatem suam morum honorificentia gratiosus, seniores maximè, & qui officijs præerant, puero vltra, quàm necesse erat, habenas libertatis relaxabant, propter, quod puer ad vitia defluebat: quia dicitur. 12. q. 1. cap. Omnis ætas ab adolescentia prona est ad malum, & nihil incertius vita adolescentium. Quod considerans Prior, qui conuentum regebat sub Abbate, discretiori vtens regimine, aggressus est puerum aliquando verbis, aliquando verbere, ab illicitis refrenabit. quia dicit Philosophus: Pueri non sunt tantum monendi, sed etiam corrigendi. Moxq; ad omnem formationem boni, quasi mollis cera, Prioris correctionem acceptauit, & in adolescentem sanctum creuit; viginti verò annis finitis, mortuus, Priori apparuit dicens. Tuæ correctioni gratias ago Pater, qui mecum tua prouidentia id egisti, ne insolentia puerili paullatim defluerem, & tandem delaberer

Apparitio mortui.

rer in damnationem. Hæc,vt dixit anima, tanto fulgore resplenduit, vt vix angulus in loco remaneret, qui ab illo lumine expers existeret. Ecce quem negligentia Abbatis ad vitia inclinabat prouida correctio Prioris promouebat.

Ideò præcipit Prælatis superioribus, Prouer. 7. *Ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ:* quasi diceret, Ne sis circa tibi commissos negligens. Quia dicit Basilius in regula: Verè salutem & ipse Prælatus negligit propriam, qui salutem negligit alienam. Et B. Apostolus instruit Timoth. 2. Timoth. 4. *Tu vero vigila.* Glossa dicit super gregis Dominici custodia: *In omnibus labora* id est, operam da, vt omnibus modis instruantur de bonis. Similiter B. Ioannes in Apocal. 3. Episcopo Sardo scribit: *Esto*, inquit, *vigilans*, Gloss. tuæ gregi *& confirma cetera*. id est, subditos tibi verbo & exemplo, quæ moritura erant. Populus enim de facili, vt dicit Glossa, in peccata labitur, nisi exemplo, & Prælati verbo sustentetur, quod monstratur in his verbis Euangelij. *Cum dormirent homines*, id est, cum Prælati essent negligentes, *superuenit inimicus eius*, scilicet diabolus, qui est inimicus generis humani, *& superseminauit zizania.*

Pro quo NOTA, per zizania intelligit malos, propter quatuor. PRIMÒ, propter deceptiuum aspectum; quia zizania inter triticum nascitur, & quamdiu est in herba, similis est tritico, & vix poterit discerni ab eo. Et ideò decipit aspicientes, vt putetur esse triticum cum sit lolium. Ideò assimilantur ei quoad hoc mali hypocrytæ, qui inter bonos conuersantur, bonitatis sanctitatisque speciem ostendunt, sicque creduntur esse boni, cum sint mali; & quamdiu sic viuunt, quasi zizania in herba similes tritico se ostendunt. Ideò dicit Gregor. 18. moral. Studium hypocrytarum esse solet, vt quod sunt supprimant, & hoc, quod non sunt, hominibus innotescant, quatenus mensuram per æstimationem transeant, & præire se ceteros actionis nomine ostendant. Q I. Quid intelligatur per zizania. Studium hypocritarũ.

SECVNDO, propter consortium infectiuum: quia sicut zizania simul tritico mixta, aliquando ipsum suffocat, & lædit, nisi ab eo cautius separetur, vt dicit Auctor lib. proprietatum 18. Sic etiam mali in collegio bonorum morantes, inficiunt eos si saltem eis consentiunt. Sin autem, non possunt: sicut testatur B. Augustinus, de verbis Euangelij; & ponitur per Gregor. 23. q. 4. c. A malis. Duobus, inquit, modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguos, hoc est, non consentire, non communicare. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis, vel approbationis adiungit. Neq; enim consentientes sitis malis, vt approbetis: neq; negligentes, vt non arguatis. II.

TERTIO, propter iudicium dilatiuum: quia propter similitudinem quam habet zizania cum tritico, videtur sæpe, dũ zizania euelli creditur, triticum pro ea euellitur. Cautius ergo est, vt quando triticum à zizania non discernitur, vsq; ad messem vtrũque crescere permittatur. Et tunc zizanijs per semen cognitis, in fasciculis colligantur, & tritico in horreis collecto, zizaniæ per fasciculas comburantur vt dicit Magister lib. vbi suprà. Ita etiam mali qui habent exteriorem similitudinem cum bonis, & ab eis de facili discerni non possunt. debent cum eis tolerari. Et hoc intellige quamdiu sunt occulti, vel quamdiu sine periculo, & scandalo bonorum, non possunt extirpari. Sed veniente messe diuini iudicij, tunc fiet vtilis separatio malorum à bonis, & ad modum zizaniorum mali alligabuntur fasciculis ad comburendum igne III. Quatenus mali tolerandi.

quia in igne gehennæ similes associabuntur similibus, vt eadem eos teneat pœna, quos similis tenuit culpa, secundum Gregorium. Sed triticum bonorum collegium, in horreo cœli recondentur. Et hoc vult Dominus in parabola præsenti, cum serui dixerunt: *Vis imus & colligimus ea? Ait illis: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem*, scilicet, quando dicetur bonis: *Venite benedicti patris mei*, & malis: *Ite maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. Et tunc dicet messoribus, per quos intellige Angelos, *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum*. Quia primum mali in infernum detrudentur, & deinde boni cum Christo in cœlum congregabuntur.

IV. Mali cur zizanijs similes. QVARTO, mali similantur zizanijs propter effectum nociuum. Nam zizania habet vim acutam quodammodo venenosam, & inflatiuam, vnde ebrietatem inducit, mentem percutit, & caput lædit, & panem cui admiscetur inficit, quem si quis comederit in magna quantitate, non solum eum lædit, sed etiam occidit.

MORALITER exponendo, dic quod zizania in quantum habet vim acutam, significat *auaritiam:* quia auari sunt acuti valdè ad decipiendum. cuilibet enim auaro dicitur illud Psalm. 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* In quantum habet vim venenosam, significat *luxuriam*, quæ est *venenum aspidum insanabile*. vt Deuter. 32. Quia sicut venenum primum dulcescit, postea verò amarescit; sic luxuria primò licet est dulcis, postea tamen amara fit; quia secundum Gregorium, *Momentaneum est, quod delectat, æternum verò, quod cruciat.* In quantum verò habet vim inflatiuam, significat *superbiam* iuxta illud Prouer. 10. *Qui nutritur mendacijs, pascit ventos.* In quantum verò ebrietatem inducit, significat vitium *gulæ*. Contra, quod dicit Dominus Lucæ 21. *Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra, in crapula & ebrietate.* Et Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Sed in quantum mentem lædit, & caput percutit, significat *iram*, quæ caput rationis perturbat, & claritatem mentis obfuscat, iuxta illud Cypriani martyris, in lib. de monastica vita. Ira, qua quis æstuat, corrumpit sanguinem totum, difformem reddit virtutem, debilitat carnem totam, molestat hominem, obnubilat rationem, perpetuumque inferens supplicium & dolorem. Hæc ille. In quantum autem zizania panem inficit, significat acediam, quæ gustum animæ lædit, & panem spiritualem verbi Dei insipidum reddit; iuxta illud Bernardi in quadam epistola; Nihil adeò dulce delectabileque poteris reperire, quod non speciem profert amaritudinis in ore accidiosi hominis & torpentis: Sed in quantum zizania grauiter lædit & occidit, significat *inuidiam*, quæ corporaliter consumit, & spiritualiter occidit. Iuxta illud Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia.*

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Sermo Primus.

Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis, 1. ad Cor. 9.

Con-

R

Consuetudo est in aliquibus ciuitatibus, aut villis, aut iuuenes pro exercitio sui cursus currant ad aliquam metam, siue etiam equitant, & qui prior ad metam peruenit, præmium eis constitutũ proinde habebit. Hęc cõsuetudo ortum habuit à paganis, quia dicitur, quod quidam fuit gigas nomine Hercules, fortissimus apud Græcos, & velocissimus, adeò, quod vno anhelitu cucurrit centum, & viginti quinq; passus, quod stadium appellabat à stando, & est octaua pars miliaris. Exinde consuetudo inoleuit apud Græcos, vt ex singulis vrbibus, castellis, & oppidis, nec nõ villis, iuuenes se præparẽt, vt veniente festiuitate Deorum possent currere ad istud stadium, quod mensurabatur centũ & viginti quinq; passibus, in cuius fine ponebatur aurum, & argentum, equus, vel pallium, quod Græco vocabulo brauium, Latinè verò palma victoriæ, vel corona potest apellari. Cunctisq; astantibus, viris & mulieribus, ad spectaculum illud currebant, sed vnus, qui prior currebat, brauium accipiebat.

Stadiũ quid & vnde dictum.

Cõsuetudo Græcorum.

Spiritvaliter per metam, aut brauium, siue stadium, quod est finis ipsius cursus intelligitur beatitudo æterna, quæ est Christus, ad quem omnes currunt. Iuxtà illud Boët. 3. de consol. prosa. 2. Omnis, inquit, mortalium cura, quam multiplicium labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum beatitudinis finem nititur peruenire. Et licet ad hanc metam omnes nitantur, tamen non omnes illuc veniunt, sicut patet de Baalam Propheta malo, qui ait Num. 23. *Moriatur autem anima mea morte iustorum*. Ecce, quod voluit ad hanc metam beatitudinis currere, sed non peruenit, quia in malo perdurauit. Et horum, qui sic currunt ad metam beatitudinis, & non veniunt, sunt (heu) multi. quia *stultorum infinitus est numerus*, Eccles. 1. Glossa valdè excedens numerum eorum, qui saluantur. De illis dicit hic Apostolus. *Nescitis*, quasi diceret scire debetis, *quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidẽ currunt sed vnus accipit brauium*. & iste vnus est fidelis popul⁹ Christianus, cuius meta est Christus, & finis, sicut testatur B. August. 2. lib. sententiarum Prosperi dicens finis fidelium Christvs est, ad quem cum peruenerint, currentis intentio non habet quo posset amplius inuenire. quasi diceret; Quia ibi inuenit aurum suæ diuinitatis & argentum purissimæ humilitatis. Sed habet id in quo debet permanere; & illis fidelibus Christianis dicit Apostolus: *Sic currite, vt comprehendatis*, scilicet metam & finem omnium Christvm Dominum. In his verbis duo tangit Apostolus, scilicet currentium multiplicitatem, ibi, *Omnes*: accipientium paucitatem, ibi; *sed vnus*.

Applicatio.

S

Circa, quod Notandvm. Plinius in spec. nat. dicit, quod inter omnia animalia Tigris est velocissimi cursus, & contingit interdum, quod venator rapit catulos suos, dum ipsa est in pascuis, & in equo velocissimo deducit. At reuersa, catulis spoliatis vacuum cubile reperit, fertur præceps odore ferentis catulos, inuestigans vestigia. Venator verò audiens fremitum insequentis, abijcit vnum catulum, quem illa diligit & colligit, & ad suum latibulum ducit. Quo reposito, concitò iterum redit, interim raptor cum residuis nauem scandit, & euadit. Sed Isidorus historiarum naturalium vult, quod venatores Tigridi ignem, vel aquã, aut specula, in via proijciunt, in quibus dum se contemplatur, venator euadit. Dicit enim sic, quod Tigris est animal velocissimum circa ignem, aut aquam, speculumq; ita tardum efficitur, quod etiam concremetur, & à venatoribus capiatur.

Exemplum de Tigridis velocitate.

MORALITER. Per hoc animal, quod est adeò velox, intellige aliquos homines, qui in primis adeò sunt veloces ad Dei seruitium, & multos catulos pariunt bonorũ operum, ita, vt de ipsis exponi poterit illud Iob. 15. *In bona expositione cucurrit aduersus Deum, erecto collo*, id est, erecta mente, aut recta intentione. Quod videns venator infernalis diabolus, qui secundum Psal. 10. *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca*, rapit catulos bonorum operum de cubili cordis ipsorum, vt verificetur de ipso illud Ezech. 29 *Factus est leo, & didicit facere prædam, & deuorare homines.* vbi per prædam intelligit prædam bonorum operum & virtutum, quæ diabolus depredatur ab his bonis eos spiritualiter deuorando, quia *semper quærit, quem deuoret.* 1. Pet. 5. Videntes autem tales homines se spoliatos bonis operibus & virtutibus, laborant currendo, vt ea recuperent & acquirant. Sed diabolus inuidens saluti hominum, facit eis ignem in via, vel ponit ante eos aquas, aut specula, vt sic in acquirendo virtutes retardentur. *Primò*, igitur dico, quod facit eis ignem in via iracundiæ, inuidiæ, & luxuriæ.

Iracundia igni cõparata

PRIMVS ignis est, iracundiæ, quẽ ponit ante impatientes. quia scit, quod talis ignis bona animæ, si qua sunt in ea, destruit & consumit. De hoc igne dicit Sapiens Prou. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non ardeant?* quasi diceret, non. Sic nec quis potest seruare virtutes, quæ sunt vestes animæ illæsas, qui portat ignem iræ in corde. Ideò consulit Sapiens. *Aufer iram a corde tuo*, Eccles. 19.

Ira cõsumit virtutes.

Quod autem ira consumit virtutes, probatur sic. Sicut ignis materialis potentior est ad destructionem, quàm alia elementa, propter quod malitiosi homines, qui volunt destruere terram inimicorum suorum, igne puniunt & pugnant. Sic ignis iræ poteas est ad destructionem bonorum operum. Ideò doluit de hoc Propheta Iohel cap. 1. *Ad te Deum clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti.* Pulchriorem enim partem mũdi exurit ignis iste infernalis, nobiles, scilicet & diuites, & pauperes: iuxta illud Eccl. 28. *Secundum enim ligna silua, sic ignis exardescit & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit: Et secundum superbiam suam, exaltabit iram suam.*

T

Inuidia igni comparata.

SECVNDVS ignis est inuidiæ, qui est quasi ignis Græcus, qui in aquis accenditur, & ardet, quia inuidia in aquis gratiarum accenditur. Et cum cor alicuius occupat, nullum scelus abhorret, non parcit nocenti, nec etiam innocenti, non timet homicidium, nec fratricidium, nec patricidium. Illum ignem inuidiæ fecit diabolus, venator infernalis, in via Cain, qui inuidia excitatus occidit Abel fratrem suum innocentem, vt habetur Gen. 4. Istum ignem fecit in via fratrum Ioseph, qui ex inuidia adeò ipsum oderant, quod *Non poterant ei quicquam pacificè loqui*, & eum in Ægyptum vendiderunt, Genes. 37. De quibus etiam suprà A. I. Iste ignis diabolicus ardebat in cordibus Pharisæorum & Scribarum, qui ex inuidia Christum Pilato ad crucifigendum tradiderunt. quia Matth. 27. *Sciebat Pilatus, quod Iudæi per inuidiam tradidissent eum.*

Luxuria igni cõparatur.

TERTIVS ignis est luxuria, de quo dicit Iob. 31. *Ignis est vsq; ad consummationem deuorans, & omnia eradicans genimina.* De isto igne dicit Hieronymus; Flammigero igne percutit fœminam, id est, conscientiam. Hunc ignẽ luxuriæ fecit diabolus, in via Sodomitarum, Gen. 19. Circa quem adeo tardi effecti sunt, quod igne sulphuris perierunt. Hunc etiam ignem fecit in via senum iudicum, Dan. 13. qui sanctam Susannam luxuriosè concupierunt, & morte perierunt. Quod autẽ pigri fiant homines ad bonum.

bonum, circa ignem luxuriæ, dicit B. Gregorius in moral. Ex quo luxuria mentem alicuius semel occupauerit, vix ei bona desideria cogitare permittit, multò minus facere sinit.

Et isti tres ignes faciunt, quod quamuis aliqui ad bonum celeriter currant, cum tamen circa hos veniunt, adeò pigri efficiuntur, quod finaliter igne gehennæ accendentur, diabolo procurante, qui potest dicere illud Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.* Effectus luxuriæ.

SECVNDO venator inferni diabolus, ponit in via aliquorum aquam cupiditatis, & speculum mundanæ felicitatis. Circa, quæ adeo tædiosi efficiuntur, quod tandem perpetuè condemnantur: quia dicit Rabanus super Genesin: Ad brauium peruenire non poterit, qui corporis quieti commodoque insistit. Istam aquam cupiditatis posuit diabolus in via filiorum Samuelis, quos constituit post se iudices super Israël, qui declinauerunt post auaritiam, *acceperuntq; munera, & peruerterunt iudiciũ.* 1. Regum. 8. Hanc aquam cupiditatis posuit in via Achor. Iosue. 7. qui cupiditate ductus, *tulit de anathemate Hiericho pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, & regulam auream.* Cupiditas, aquæ & speculo comparatur.

Sed quare diabolus ponit ante eos aquam cupiditatis? *Dic*, quod ideò, vt extinguat in eis sitim supernæ felicitatis. Iuxta illud Richardi de sancto Victore, Cupiditas terrenæ gloriæ in nobis, extinguit desiderium felicitatis supernæ. Speculum autem mundanæ affluentiæ, siue felicitatis, posuit in via Salomonis. Cuius tempore fuit reputatum argentum sicut lapides communes. 3. Regum. 2. Et sic eum impediuit cursu suæ felicitatis: quia dicitur sibi Eccles. 47. *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quamuis isti ad metam æternæ beatitudinis cucurrerunt, tamen circa ignem iræ, inuidiæ, & luxuriæ, & aquam auaritiæ, speculumque mundanæ affluentiæ, acediosi sunt, & perseuerantes minimè permanserunt.

Ideò si volumus accipere brauium beatitudinis, quæ est Christus, necesse est, vt perseueranter curramus, quia dicit Gregorius in moral. Frustra velociter currit, qui prius quam ad metam peruenerit deficit. Ad perseuerantem autem cursum multa nos exhortantur. *Primum* est vitæ incertitudo. Et hoc tangit Apostolus, cum dicit: *Nescitis*, quasi diceret, scilicet tempus, cum Dominus venerit ad vos præmiandum. Ideò hortatur, Luc. 12. *Vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Et B. Bernardus dicit: Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis. *Secundum* est vitæ breuitas, quam tangit in stadio, quod est valde breue. quia hic in terris currimus, ideò deficere in cursu non debemus, quo longitudinem æternæ beatitudinis acquirere possumus. Ideò dicit B. Augustin. retractat. Verè felix breuitas huius vitæ, in qua quis promereri poterit longitudinem beatitudinis supernæ. Contra eos autem, qui in hoc breui tempore negligunt conuerti, dicit Hilarius super Apocal. Mira peccatorum ignorantia, qui dum breuitatem vitæ præsentis aspiciunt, conuerti tamen, aut negligunt, aut resistunt. Et Richardus de sancto Victore: Iudicio Dei iusto damnatione dignus erit, qui tam breuem vitam vanè inutiliterque expenderit. *Tertium* est frequens monitio sanctorum, quam illi faciunt ad perseuerandũ, vt hic Apostolus. *Sic currite*, scilicet perseueranter, *vt comprehendatis*, brauium vitæ æternæ. Et Iudic. 18. *Nolite negligere, nolite cessare.* Et idem Apostolus ad Gal. 5.

V Ad perseuerantiam cursus nos hortantur.

I.

II.

III.

State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Et Dominus Apocal. 2. *Quod habetis tenete, donec veniam. Quartum* est, promissio, quæ fit perseuerantibus. *Vna* ponitur
IV. Apocal. 2. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Altera* ponitur ad Roman. 11. vbi dicit Apostolus. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem; in te autem bonitatem Dei. si permanseris in bonitate alioquin excideris. Tertia* promissio ponitur Matth. 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quartam ponit quidam in Epistolis: Scito diabolum solere semper perseuerantiæ insidiari, quam solam virtutem nouit coronari. Idem dicit: Studete perseuerantiæ, quæ sola coronatur. *Quintum* est comminatio, quæ fit non perseuerantibus, & hæc est ablatio coronæ Apocal. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Sextum* est exemplum, quia dicitur Gen. 2. *Compleuit Dominus diebus septem opus suum, quod fecerat.* Ideò dicitur Deut. 23. *Dei perfecta sunt opera. Septimum* est exemplum Christi hominis, qui dicit Ioan. 17. *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Octauum* est exemplum sanctorum; dicit enim Iob. 27. *Iustificationem meam quam cœpi non deseram.* Et Apostolus Paulus 2. Tim. 4. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui.* Et Act. 20. dicit. *Non facio animam meam pretiosiorem, quàm me, dummodo consummem cursum meum. Nonum* est, sedulitas in agone certaminum, de quibus dicit hic Apostolus. *Omnis qui in agone contendit*, Gloss. vt habeat victoriam, *ab omnibus se abstinet*, scilicet, qui ipsum impediunt. Dicit enim Raymundus: Illi iuuenes, qui se ad cursum præparabant, ab omnibus escis, & potibus, & ab omnibus rebus abstinebant, qui cursum illum, aut ludum agonis impedire poterant: nec solum comessatione & comestione, & superflua potatione, corpus refrenabant, sed etiam laminas plumbeas in nocte circa lumbos ponebant, ne fluxum libidinis per somnum paterentur. quia libido nimium debilitat corpus. Et propter quid hoc faciebant: dicit Apostolus, *Et illi quidem hoc fecerunt, vt coronam corruptibilem acciperent, nos autem incorruptam.* quasi diceret, Si hoc faciunt, propter temporale præmium, multo magis hoc facere debemus, propter æternum, abstinendo ab omnibus impedimentis nostræ salutis. *Decimo* hortatur nos Apostolus ad perseuerantiam exemplo antiquorum Patrum, cum dicit ca. seq. *Nolo autem vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt:* Glossa: quæ protexit eos contra æstum per diem, *& omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari,* per quod quidem mare secundum Glossam significabatur baptismus, *& omnes escam eandem manducauerunt spiritualem.* Exod. 16. Quæ quidem esca, scilicet manna, virtute potentiæ diuinæ fuit data, & non virtute naturæ, vt dicit Gloss. *& omnes eundem potum spiritualem bibebant:* Et hic potus spiritualis fuit aqua de petra educta virtute diuina. Exod. 15. & dicit Haymo, quod manna & aqua de petra, significabant corpus & sanguinem Christi, qui iam consecrantur, & percipiuntur in Ecclesia. Et quid per hæc omnia vult Apostolus? Certè non aliud, quàm quasi diceret, si illi patres antiqui sub Moyse sunt baptizati, & manna cœli manducauerunt, & potum spiritualem biberunt in terra promissionis, exceptis duobus Caleb & Iosuæ qui non intrauerunt. Ideo propter hoc vos, qui estis de Ecclesia, & baptizati estis, & corpus Christi manducastis, & sanguinem eius bibistis, non propterea confidere debetis, quod regnum cœlorum intrabitis, nisi à peccatis abstineatis, & finaliter in cursu pœnitentiæ permaneatis. Quia dicit Isidorus de summo bono. Inchoantibus præmium promittitur,

Margin notes: Sola perseuerantia coronatur. — V. — VI. — VII. — VIII. — IX. — Mannæ & aquæ de petra significatio.

tur, perseuerantibus autem datur. Tunc enim placet Deo conuersatio nostra, quando bonum, quod inchoamus perseueranter implemus.

Attamen nostra perseuerantia à Deo est, & eius felicissima matre sicut legitur, quod quidam Frater de ordine Minorum, bonus & deuotus in principio ingressus, sed postea passionatus fuit tentatione, & ad seculum voluit redire. Cumq; ordinasset de exitu suo, intrauit chorum, & prostrauit se ante altare, vbi erat pixis cum corpore Domini, fecit reuerentiam, & salutans B. Virginem, licentiauit se à Deo, & matre eius benedicta. Cumq; sic fuisset prostratus: ecce apparuit pulcherrima Virgo, quæ aperuit pixidem illam, & mox iuuenis pulcherrimus egressus est de pixide, qui stabat super altare. Tunc Virgo illa dixit ad iuuenem: Dulcis fili mi, miserere huic famulo meo. Cui iuuenis. Mater mea, quid faciam ei? ipse enim non vult manere mecum. Tunc iterum replicauit preces ad filium, & ille eleuata manu benedixit fratrem, dicens: Ego seruabo, & nunquam derelinquam. His dictis iuuenis ille reuersus in pixidem, disparuit. His visis frater consolatus & confortatus est, & cessauit ab ipso passio talis, & factus est magis perseuerans, & deuotus. Hanc visionem nemini retulit nisi in extremis. Exemplum.

Sed diceret quis. Sancte Paule Apostole tu dicis mihi, quod sic debeo currere, vt comprehendam, scilicet brauium æternæ coronæ: attamen nullus saluatur nisi sit prædestinatus. quia dicit B. Augustin. in lib. de fide ad Petrum. Firmissimè tene, prędestinatos à Deo, neq; posse perire aliquem illorum quos prædestinauit Deus ad regnum, nec quenquam illorum quos Deus non prædestinauit, vlla ratione posse saluari. Ideo si curro in bono, si non sum prædestinatus non saluabor. Homo audi S. Gregorium in lib. dial. Ipsa perennis regni prædestinatio ita disposita est ab omnipotente Deo, vt de hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod omnipotens Deus eis ante secula disposuit donare. Ideo legitur in vitis Patrum, quod frater orauit pro alio fratre & vidit eum per reuelationem de numero damnandorum: quod cum huic reuelasset, multiplicauit bona opera & emendauit vitam suam, & postea visus est de numero saluandorum: quia Deus nos prædestinauit mediante nostro arbitrio. Ideo in nobis causa est saluationis vel damnationis. Si benè fecerimus, saluamur: si malè, damnamur. Et quia Devs ab æterno præuidit nostrum liberum arbitrium, vtrum ad bonum vel ad malum tendere velit; Ideo mediante nostro libero arbitrio, nos ad præmium, vel ad pœnam prædestinauit ab æterno. Idcirco dicit Vincent. in spe. hist. lib. 2. c. 4. Non est populis ita prædicanda prædestinatio, vt dicatis, siue curratis siue dormiatis, quod vos fore præsciuit, qui falli non potest, hoc eritis: sed dicendum, sic currite vt comprehendatis.

X — Contra prædestinationé obiectio soluitur. — Exemplum.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo Secundus, ex Euangelio.

Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Matth. 20.

AMbrosius in hexamer. dicit, quod Apiaster, qui est rex apum, manet in alueari, & circumit singulas apes, excitans eas ad labores. Hic circa se habet lictores, videlicet apes aculeos habentes, qui auctoritate assidua

Y — Rex apum, Apiaster.

regis

regis sunt custodes, & inutiles & otiosas punientes. Ideo apes non sunt otiosæ. quædam enim tractant quasi in bello campestri contra alias apes; aliæ inuigilant circa victum; aliæ futuros explorant imbres; aliæ ceras de floribus sugunt; aliæ cellulas rotundas, vel quadratas, mira connexione componunt.

SPIRITVALITER. Per Apiastrum regem apum, intellige regem Christum; quia Apiaster licet habeat aculeos, tamen propter mansuetudinem eis non vtitur ad vindicandum. Sic Christus verus Apiaster, quamuis habeat aculeos punitionis propter peccatores, tamen propter suam mansuetudinem & misericordiam, de qua Psal. 98. *Misericordia Domini plena est terra,* non vtitur eis statim ad vindicandum: *quia dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 9. Iste inquam rex mansuetus Christus per Apiastrum designatus, licet nunc maneat in aluearí cœlesti, attamen corda singulorum hominum per apes designatorum circumit, excitans eos ad labores bonorum operum, sicut apparet in hodierno Euangelio, cum mittit operarios in vineam suam.

Omnis creatura sub vitio est.

Sed quia homines sunt desides, laborare in bonis operibus nolentes; quia omnis creatura sub vitio est, vt de pœn. dist. 2. §. Caritas. Ideo Christus ad instar Apiastri habet circa se lictores, inutiles & pigros punientes. Et hi dœmones sunt, qui Dei sunt ministri & vltores, vt dicitur. 23. q. 5. c. Non solum, inquit, homines ministri sunt & vltores iræ Dei, his qui malum operantur, sed etiam contrariæ fortitudines, id est dœmones, qui appellantur furor & ira Dei.

Quapropter homines designati per apes, non debent esse otiosi & segnes, sed debent in campo huius mundi pugnare contra dœmones, aut peccatorum immunditíes, & vigilare circa victus animæ spirituales, nec non cellulas sibi componere æternales. Et vt eo diligentius faciant, hortatur eos in verbo proposito dicens: ***Ite & vos in vineam meam,*** id est, sanctam Ecclesiam, operando in ea bonum, ***& quod iustum fuerit dabo vobis.*** In quibus verbis duo facit. *Primò,* in vineam mittit, ibi; ***Ite in vineam meam.*** *Secundo,* præmium promittit. ibi; *Et quod iustum fuerit.*

Z

Pro quo sciendum; Consuetudo hæc laudabilis ab antiquis inoleuit, vt reges & domini terrestres, habeant vineas suas pulchras principaliter propter duo. ***Primò,*** vt eas visitantes, & in eis iucundè conuersantes, curas graues quas habent erga regnorum dispositionem, moderentur & postponant. ***Secundò.*** vt in eis abundantiam vini habeant pro mensis suis, & pauperibus subditis parcant, ne deficiente vino, fortassis à subditis, id quod non habent rapiant; Et propter has duas causas, Salomon sapientissimus habuit vineas suas, vt videlicet animum suum in eis recrearet, nec quenquam subditorum pro necessitate vini aggrauaret. Ideo dicit Eccl. 2. ***Magnificaui opera mea, ædificaui domum, & plantaui vineas. feci hortos, & pomeria, & conseui ea cunctis generibus arborum.***

Salomon pacificus.

SPIRITVALITER. Salomon interpretatur, *Vno* modo pacificans, *Alio* modo retribuens iniquis. quod vtrumque Christo conuenit. Ipse enim dicitur pacificans, quia Deus pater in ipso omnia pacificauit, sicut testatur Apostolus ad Coloss. 1. ***Omnia in ipso pacificans.*** Ipse etiam retribuit iniquis, iuxta illud Psal. ***His qui oderunt pacem retribuam.*** PRIMA est sancta Ecclesia, quæ nihil aliud est nisi congregatio fidelium plebium. de qua dicit beatus Ambrosius in hexamer. lib. 3. c. 14. Vinea est plebs Ecclesiæ, quæ velut quadam fidei radice plantatur, & reprimitur humilitatis propagine.

Ecclesia est vinea.

gine. De qua pulchrè ait Propheta: *Vineam de Ægypto transtulisti, & plantasti radices eius, & impleuit terram.* Psal. 79.

Et dicit NOTANTER. *Vineam de Ægypto, &c.* quia natura humana in eadem totaliter erat corrupta, quæ velut vinea in terrestri paradiso fuit plantata, nec fecit virtutum germina, sicut & hoc conqueritur Propheta Abac. cap. 3. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.* Quid per ficum intelligitur nisi natura humana, quæ erat in Adam, quæ non floruit per flores virtutum, nec consequenter in vineis humanæ naturæ erant germina bonarum operationum & fructuum. Ideo filius Dei voluit eam trans plantare in terram corporis sui, & hoc figuratum est primò Gen. 9. vbi legitur *Noe agricola erat* post diluuium, *& plantauit vineam.* Dicit enim Magist. in hist. schol. quod labruscas naturales, per cultum ad vsum vineæ traxit, bibensque vinum inebrieatus est, dicit Glossa, quod ignorabat fortitudinem vini, quæ prius inexperta erat, & nudatus iacuit in tabernaculo suo; quod cum Cham vidisset, derisit eum.

Noë primus vineæ plantauit.

SPIRITVALITER. Per Noë significatur Christus, qui excoluit labruscam, id est corruptam naturam humanam, assumendo ipsam fecit econtra electam vineam, iuxta illud Hiere. 2. *Ego plantaui te vineam electam*; & bibit de vino eius, per quod significatur feruor eius amoris. quia ex maximo amore quem habuit erga nos, naturam humanam assumsit, quia secundum Fulgentium in sermone; Caritas Christum de cœlo traxit. Et sequitur, quod inebrieatus est. Quia extra brion, id est mensuram humanæ dilectionis, pro nobis voluit mori; & nudatus est in tabernaculo suo, per quod sancta Crux intelligitur, in qua pro nobis nudus pependit, & à Iudæis subsannatus fuit, Matth. 26. *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Si filius Dei es, descende nunc de cruce.*

SECVNDO, figuratum est Ezech. 17. vbi legitur, *quod aquila grandis tulit medullam cedri, & asportauit eam in terram Chanaan.* Et sequitur: *Cum germinasset, creuit in vineam latiorem. Facta est ergo vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines.* SPIRITVALITER intellige per aquilam Christum, qui tulit excellentiam humanæ naturæ, quæ significatur per medullam cedri; quia ante peccatum Adæ humana natura multum excellens fuit. Hanc quidam asportauit post peccatum Adæ, in vterum B. Virginis Mariæ, quæ significatur per terram Chanaam, quæ interpretatur fertilis: quia Maria adeo fertilis fuit, quod sine humano semine Christum concepit & peperit. Cumque Christus verum semen germinasset, in vineam latam creuit, & fructificauit infideli populo, cum emisit propagines per prædicationem suam. Ideo dicitur Prou. 13. de Christo. *De fructu manuum suarum plantauit vineam*; quasi diceret, de sanguine, qui profluxit de manibus eius, cum perforarentur clauis, plantauit vineam sanctam Ecclesiam. Et certè non solum de sanguine manuum, qui fuit fructus nostræ salutis, sed etiam de sanguine lateris, pedum, totiusque corporis vineam sanctæ Ecclesiæ fœcundauit.

Vinea passioni Christi comparata.

Et est NOTANDVM, quod postquam paterfamilias plantauit vineam, primo locauit vites in eam: sic fecit verus paterfamilias Christus Deus, postquam plantauit pretioso sanguine vineam Christianitatis, locauit in eam vites, per quas moraliter intellige Prælatos & Præsides, quorum quilibet, si verus est, & bonus, potest dicere cum Christo, Ioan. 15. *Ego sum vitis vera.*

Prælati sunt vites in Ecclesia.

Vites spirituales duplices.

Et NOTA, quod illę vites spirituales sunt duplices: *Aliqui* enim vocantur in vineam Ecclesiæ, & renuunt pręlaturas, sicut figuratum est Iudicum vbi legitur, quod ligna loquuta sunt ad vitem *Veni*, inquiunt, *& impera nobis*, quæ respondit. *Nunquid possum deserere vinum meum, & imperare vobis*? quasi diceret nullo modo.

MORALITER. Per ligna intelliguntur homines claustrales, vel etiam in seculo commorantes qui dicunt ad vitem veni impera nobis. Per vitem intelligitur verè humilis, qui non reputat se dignum promotione ad regimen aliorum, propter quod fugit meliorando quo potest dicens: Nunquid possum deserere vinum meum, per quod intelligitur fructus, quem quotidie in contemplatione fero: quasi diceret, nequaquam. Et talis fuit quidam nobilis adolescens de Romanorum partibus natus Thomas de Aquino, de quo refert Thom. Cantiprat. lib. 1. Apum, capit. 20. part. 10. qui intrauit in ordinem Fratrum Prædicatorum Bononiæ, & ibidem Deo seruidè seruiebat. Sathanas autem non distulit insidias ponere adolescenti. Instinctu enim fratrum suorum carnalium, & amicorum, quos habuit in Curia, per literas Apostolicas meditatus est eum vocare. Venienti autem mox à Papa præcipitur, vt regimen Abbatiæ montis Cassini acciperet, quæ vtique maxima erat in totius Apuliæ & Campaniæ partibus prælatura. Septem enim Episcopatus subiacent Abbati illi, quibus & Abbas pontificale officium in omnibus administrat. Renuit ille, nec ordinem, nec habitum suum deserere vlla conditione consensit. Cui cum Papa concederet, vt in ordine & habitu suo, præesset officio. Noluit ille, & clam pro lapsus à Curia fugit, & Coloniam Agrippinam venit. Et si tales bonæ vites in vineam sanctæ Ecclesiæ, id est, Prælati plantentur, de ipsis fructus optimus nascitur & fructuosæ propagines fidelium populorum procreantur, quia *non potest arbor bona fructus malos facere*, Matth. 7.

Exemplum contemptus honorum.

Alij verò temerariè in vineam sanctæ Ecclesiæ, Prælatos se plantant, propria auctoritate ad regimen populorum se intromittentes, vt iam vix aliquis à Spiritu sancto eligatur. Et quia tales mali sunt, ideò mala sua vita & doctrina, errare subditos faciunt, quia malæ vites producunt malos palmites. Ideò tales maledicentur à Deo, Deut. 27. *Maledictus, qui errare facit cœcum in itinere.* Per *cœcum* intellige genus humanum, Isa. 42. *Quis est cœcus nisi seruus meus?* Et sunt in via, sicut dicit Gregor. in homilia. 36. In præsenti vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Qui ergo facit errare suum cœcum in via, meritò est maledictus, sicut, & de hoc subditur, Deut. 27. *Maledictus, qui dormit cum vxore patris sui.* dicit Glossa: Prælatus siue prędicator, cum vxore patris sui dormit, quando verbo malo, vel facto Ecclesiam Christi, vel patris sui sponsam polluit. Idcircò tales sunt eradicandi sicut vites malæ & adulterinæ. Sicut factum est de illo de quo legitur in Speculo exemplorum.

Ambiēs gradum Prælationis, & procurata morte Episcopi, repentina morte interijt.

Archidiaconus quidam ambiens Episcopatum, insidiabatur Episcopo suo viro bono, & quomodo eum occideret inquisiuit. Consuetudo enim erat Episcopo frequenter venire ad matutinas, & præuenire alios ad B. Virginem salutandam. Collocauit igitur Archidiaconus lapidem supra portam, per quam Episcopus solitus erat intrare. Veniens ergo Episcopus per portam intraret, cecidit lapis, ipsum excerebrauit, & occidit. Quo facto, Archidiaconus multo labore Episcopatū obtinuit. Cum confirmatus esset, & gaudium, & conuiuium faceret, quidam miles seruiens ad mensam, coram se flexis genibus, subitò rapitur ante tribunal summi iudicis, & vidit ibid.

ibid. B. Virginem cum immensa multitudine sanctorum & angelorum, adducentem dictum Episcopum, portansque cerebrum in manibus suis. Et dixit B. Virgo: Fili carissime, ecce ostendo tibi recentem sanguinẽ, & cerebrum dilecti militis mei, quem crudelis proditor, vt obtineret dignitatem põtificalem, effudit. Respondit Dominus: Quem mittam, & quis ibit pro eo? Tunc B. Virgo ait: Ecce hic seruitor suus cui Dominus præcepit sub pœna mortis, vt citaret Dominum suum peremtoriè, vt cito veniret coram Deo, de tam nefando crimine responsurus. Qui statim rediens, turbatus infremuit, tremuitque, & cultellum quem tenebat ad seruiendum de manu proiecit, & amarissimè fleuit. Rogatus ab omnibus, & etiam ab ipso Episcopo; causam pandit. Quo audito, statim Episcopus subita morte percussus coram omnibus miserabiliter est defunctus. Et quare hæc mala vitis tam citò est eradicata? Ratio fuit, quia sicut fuit malus, ita mala vita sua adhuc multos destruxisset: Idcircò impletum est in ipso illud verbum Domini: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.* Matth. 15.

SECVNDO, principaliter ad propositum, postquam paterfamilias locauit vites; de vitibus crescunt palmites: & si vitis originaliter est bona, palmites etiam erunt boni. quia deriuatiuum sapit naturã sui primitiui. Sic etiam in sancta Ecclesia, postquam paterfamilias cœlestis Christus, instituit Prælatos, vt Noë, Abraham, & Moysen, in antiqua lege. & S. Petrum & ceteros suos sequaces in noua lege. De ipsis etiã produxit bonos palmites, scilicet sanctos homines, quia Petrus primus Prælatus in noua lege quasi bona vitis, vna die produxit tria millia palmitum, scilicet hominum fidelium, Act. 2. *Et appositi sunt ad numerum fidelium in die illa*, scilicet Pentecostes, *animæ circiter tria millia.* Ideò dicit B. Gregorius in homilia: Conditor nostræ salutis, tanquam bonus paterfamilias, regens quos condidit, sicut in domo sic in mundo familiam possidens, habet vineam, scilicet sanctam Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsq; ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, tot quasi palmites misit.

ET NOTA, quod palmites sunt, qui à vitibus descendunt; *Aliqui* sunt fructuosi & boni, & hi manent in vite: *Aliqui* sunt degeneres, secundum naturales, & non fructificant, sed vitem onerant, grauant, & impediunt, ac recedunt. Nam humorem attrahunt à radice, qui deberet transire ad fructum nutriendum & augmentandum. Ideò debent citius extirpari ne diutius crescentes diminuant fructum, vt dicit Petrus de crescent. lib. 4. de rurali commodo. Sic etiam à sanctis Prælatis, velut à vitibus bonis non semper boni palmites, id est, filij descenderunt, sed duplices scilicet boni & mali. Nonne Noë, nonne Abraham, & Isaac vites bonæ fuerunt: & tàm bonos, quàm malos filios habuerunt. Ideò dicit Beatus Gregorius in homilia: Duos quippe filios habuit primus homo, vnus eorum fuit electus, alter verò reprobatus. Tres filios Arca Noë conclusit, sed ex his duo electi sunt, & vnus reprobus fuit. Duos filios Abraham habuit vnus electus, alter reprobus fuit. Duodecim filios Iacob habuit, sed vnus ex his electus, qui per innocentiam venditus fuit: Alij verò per malitiam venditores fuerunt.

A Prælati non semper sunt causa malorum subditorum.

TERTIO, à palmitibus descendunt botri, qui stillant de se vinum deuotionis, quos Christus comparat botris, Can. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Et est NOTANDVM, quod botri, qui debent seruari diutius, vt docet Petrus vbi

 supra

supra c. 18. debent fieri hoc modo: Extracto pane de furno non nimis calido ponatur in eo palea, & super eum botri, aut vuæ, ibique per horam, vt tibi videbitur dimitte, donec aliquantulum fiant passæ, vel ponantur super aliquam craticulam, vel asserem in furno, & postquam fuerunt extractæ, submergantur in musto dulcissimo, & ponantur ad solem donec aliquantulum fiant siccæ, & ponantur in vase velut in lagena.

SIC MORALITER per hoc significatur, quod deuoti homines per botros significati, in vinea sanctæ Ecclesiæ existentes, si debent diutius in vita æterna conseruari, debent hic in furno tribulationis & passionis exsiccari. quia de quolibet tali dicit Sapiens. *Tanquam aurum in fornace probauit eum.* Sap. 3. Et dicit NOTANTER, quod botri non debent poni in furno nimis calido. quia Deus deuotos suos non permittit vltra modum tribulari, sicut de hoc dixi supra Dominica III. post Epiphaniam, sermone. II. P. B. Sed hic per horam tribulationis exuruntur, & post hoc extrahuntur, & in musto dulcissimo diuinæ consolationis ponuntur, & ad verum solem Christum iugiter perfruendum. Ideò monet Beatus Gregorius 6. moral. Electus quisque vt æterna supplicia euadat, & ad æternam gloriam ascendat, debet hic assiduis arctari flagellis, quatenus in iudicio valeat purgatus inueniri.

B Vlterius est NOTANDVM de ista vinea sanctæ Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium, intelligitur illud Isa. 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est:* & indiget quandoque pro sua fructificatione, plantatione, fossione, putatione, ædificatione, vindemiatione. PRIMO indiget *plantatione.* Vinea enim si debet fructum ferre, debet per patremfamilias plantari; & hic debet videre quo tempore plantæ sunt de vite abscindendæ, quæ in vinea sunt plantandæ; quia dicit Petrus de Crescen. vbi supra lib. 4. Plantæ vineæ quæ mense Octobris, vel Martij abscinduntur à vite, sunt meliores alijs, quæ alio tempore colliguntur.

Vinea quibus opus habeat.

I.

SPIRITVALITER. Paterfamilias est cœlestis pater, de quo incipit Euangelium. *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.* Dicitur enim homo propter suam excellentissimam bonitatem, de qua dicitur in Psalm. 118. *Bonus es tu. & in bonitate tua doce me, &c.* Et dicitur paterfamilias propter creationem, gubernationem & instructionem. Sicut paterfamilias generat, alit, instruit, & gubernat: ita Deus pater genus humanum creauit, & formauit, Genes. 1. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Et Isa. 1. *Filios,* inquit, *enutriui, & ipsi spreuerunt me. Tertio* ipsum instruit & gubernat. Dicit enim Auctor de causis, quod prima causa omnes res regit. Et Philosophus. 1. Meteorum, Iste, inquit, mundus inferior contiguus est lationibus superioribus, vt inde eius tota virtus gubernetur: & Boëtius lib. 3. de consol. metro. 9.

Instruit & gubernat.

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Iste inquam paterfamilias, tempore debito, & valde congruo, abscidit de vite plantam in mense Martio. Signa verba, & cum hoc nota mysteria. Tempus debitũ, & congruum fuit tempus plenitudinis gratiarum, de quo dicit Apostolus ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum;* Sed vitis est beatissima Virgo, quæ dicit Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* De hac nobili vite abscidit cœlestis paterfamilias fructuosissimam plantam, in mense Martio. Per plantam fructuosissimam intellige Christum, qui in mense Martio abscissus est à Maria,

B. Virgo Maria, vitis.

Christus planta.

Maria, quæ est vitis gloriosa. Quia in prædicto mense conceptus fuit, sicut habetur ex Euangelio Lucæ 1. Dicitur autem in mense sexto, id est in Martio, qui fuit sextus à conceptione Ioannis Baptistæ. *Missus est Gabriel Angelus*, &c. Abscissus igitur ab ea sine manibus, in vineam sanctæ Ecclesiæ, quoad humanitatem, est plantatus: & ex ipso vinea sanctæ matris Ecclesiæ multipliciter est augmentata, & fructificata. Et nisi Christus in vinea sanctæ Ecclesiæ plantatus esset & fuisset, totaliter infructuosa permansisset. Quod ex hoc patet, quia cum ipse se vitem nominasset, Ioann. 15. *Ego sum vitis vera*. post pauca subiunxit, *sine me nihil potestis facere*: quasi diceret, ex me habetis germina virtutum.

Sed MORALITER. Per patremfamilias intellige Prædicatores. quia sua doctrina generant, alunt, seu pascunt, & instruunt populum Domini. De *primò* dicit Apostolus ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* De *secundo* dixit Christus ad Prædicatorem Petrum. *Pasce oues meas*, Ioan. vlt. Isti, inquam, debent plantare vineam Ecclesiæ sua doctrina, sicut exemplum dedit eis Prædicator Paulus egregius, qui ait, 1. Corinth. 4. *Ego plantaui*, Glossa, annuntiando vobis primò, quæ sunt fidei, *Apollo rigauit* scilicet post me vos docendo & baptizando; *Deus autem incrementum dedit*. quasi diceret: Ego & ipse nihil fecimus ad salutem vestram & fidem, interius operando, sed Deus solus illuminando vos per fidem, nos egimus exterius. Paterfamilias designat prædicatores.

SECVNDO, vinea sanctæ Ecclesiæ indiget *fossione*, dicit enim Petrus de Crescen. lib. 4. quod vinea naturalis sic debet fodi. Mense enim Martij fiant paruæ foueæ circa radices & amputatis cunctis radicibus, quæ in summitate sunt terræ, litamen imponitur, & maximè, hoc est, in vite nouella seruandum. Et sicut fossio fit in vinea materiali, sic etiam debet fieri in vinea spirituali. Et hæc fossio debet fieri per prædicatores, nam ad quemlibet dicit Dominus Ezech. 8. *fode parietem*, & sequitur, *perfosso pariete vidi, & ecce similitudo reptiliũ, & animalium, abominatio, & omnia idola.* II. C Quando circa vites fodiendum.

Per parietem intellige peccantium congeriem, de quorum numerus fuit ille ad quem dixit Paulus Actor. 23. *Percutiet te Deus paries dealbate.* Et dicuntur peccatores, quorũ sunt (heu) multi in vinea sanctæ matris Ecclesiæ. Ideò parietes dealbati dicuntur, quia habent apparentiam iustitiæ tantum, non existentiam. Illi igitur parietes dum infodiuntur, inuenitur in eis similitudo reptilium, per quæ intelliguntur auari, quorum multi sunt in sancta Ecclesia, tam inter spirituales, quàm inter seculares, quod conqueritur Ierem. 6. *A minori vsq; ad maiorem omnes auaritiæ student.* Peccatores, cur parietes dealbati. Auaritia.

Inuenitur etiam in eis abominatio animalium, per quam intelliguntur luxuriosi, quorum etiam multi sunt. Dicit enim Bernardus: quod istud peccatum ferè omnes ad infernum trahit. Et Habacuc. 1. *Totum in homo subleuauit traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum*: Glossa dicit; Hamus, sagena, rete, sunt pulchræ mulieres, quæ ferè totum mundum in perditionem trahunt. Luxuria.

Inueniuntur etiam inter peccatores idola omnia, per quæ intelliguntur hypocrytæ, vel superbi; quorum iterum multi sunt. Quia superbia etiam egregios viros in moribus coinquinat, iuxta illud Poëtæ. Superbia.

Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Idcircò omnes tales fodi per confessores debent, cum videlicet exquirunt ab eis in confessione, & ex relatu eorum, inueniunt eos in prædictis peccatis excessores.

res. Quia clauis apertionis, est sermo interrogationis, distinct. 43. cap. Sit rector. Postquam autem sic ipsos perfodit, debet eis imponere litamen vel fimum, & debet dicere auaris, quod diuitiæ huius mundi sunt, velut stercora abijcienda, & reputanda, non autem amanda; sicut Paulus fecit Philip. 3. *Omnia arbitror, vt stercora.* Item luxuriosis debet dicere, quod luxuria est, velut lutum maculans hominem: quia dicit Sapiens, Eccles. 9. *Omnis mulier, quæ est fornicaria quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Item superbo debet dicere. Quid superbis cum sis terra, Vnde Metrista.

Cum fax, cum limus, cum res vilissima simus,
Cur superbimus, nescimus quando perimus.

Ecce sic debet circumponere litamen, dicendo ipsis vilitatem peccatorum.

III. Vites sunt putandæ. TERTIO indiget vinea *putatione*, aut purgatione. Debent enim purgari, siue putari vites vineæ, à plantis bastardis, siue spurijs, & infructuosis, vt dicit Petrus de Crescent. vbi suprà. *Et addit*, Quandoq; vites in hyeme gelu pereunt; quare rescandæ sunt iuxta terram, & cum appropinquat hyems, vites putentur, & omnibus similiter in quibusdam locis cum iunco ligatis, iuxta terram deflectantur, & supra capita ipsorum ne resurgant, aliquid terræ ponatur. Deinde post hyemen reducto ligamine, releuentur: *Et subdit.* Aliquando autem frigus non perimit vitem, sed solum palmites, qui propter ligni teneritudinem se defendere nequeunt: quod cum acciderit, modico de palmitibus relicto, si aliquid viriditatis habet, rescindatur, sic quasi renouabitur & firmabitur vitis, & forsan eodem anno fructum feret.

Ita MORALITER vinea sanctæ Ecclesiæ debet putari à plantis spurijs, & infructuosis, id est ab omnibus hominibus manifestè malis, secundum iussum Domini. Exodi 22. *Maleficos ne patiaris viuere in terram.* Et si contigerit quod vites, per quas intelliguntur Prælati, & præsides in hyeme peccati pereunt, debent rescindi per mortem, aut officij ablationem, quia ipsorum vita mala, est inferioribus scandalosa. Quia sunt tanquam signum positum ad sagittam, vnde inferiores vitam eorum inspiciunt. vt Extra de accu. c. Qualiter & quando. Ideò legitur Nume. 25. quod Dominus dixit ad Moysen: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel:* Vbi dicunt expositores nostri, quod punitio facta est de principibus per suspensionem. Quia aliqui erant culpabiles in transgressione idolatrando, & alios subditos reprimere negligendo. Et quia hoc exemplum est de Prælatis secularibus, audi etiam exemplum de spiritualibus.

Principes seculares.

Prælati spirituales. Prelati mala cathedra per iudicē Christum euertitur.

Quidam homo, ait Collector speculi exemplorum, fuit Turonis qui consueuerat venire ad matutinas maioris Ecclesiæ. Quodam verò die cum venisset ante horam, inuenit portam apertam, viditque lucem magnam per Ecclesiam, & iudicem sedentē in throno, & angelos eidem astantes. Venit autem B. Martinus cum multitudine sanctorum, cœpitq; accusare grauiter Archiepiscopum, qui tunc locum suum tenebat. Citatus autem Archiepiscopus, venit & sedit in chathedra Pontificalibus indutus. Iterum autem accusatus à beato Martino, cum nesciret quid responderet, ille qui cathedras superborum euertit, indignatus, pede percussit cathedram eius, & cum pede euertit, & sic visio disparuit. Tunc ille bonus homo accedens ad domum Archiepiscopi, excitauit familiam, & fecit videre quomodo esset ei: Et intrantes ad eum inuenerunt subitaneè mortuum. Ecce qualiter istæ vites spuriæ infru-

ctuo-

ctuosæ sunt de vinea Domini amputatæ. Si autem contigerit, quod subditi, qui intelliguntur per palmites, per peccata incorrigibiliter pereunt, necesse est, quod per Prælatos de vinea amputentur per mortem; quia de talibus dicit Dominus, Ioann. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit.* Ideò legitur, Exod. 32. *Cum Moyses esset in monte, congregati sunt filii Israël ad Aaron dicentes: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Aaron autem eis timore mortis, & non ex corde ait: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq́, & filiarum vestrarum auribus, & adferte ad me.* Hoc secundum Glossam ideò dixit, quia credebat, quod vxores & filiæ grauiter ferrent, si acciperentur eorum ornamenta; & hoc ex cupiditate Iudæorum, & credebat Impedire. Sed dicit textus, quod *fecit populus, quod iusserat, deferens inaures ad ipsum. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Sed Rabi Salomon dicit, quod Aaron primo despexit formã vituli, & tradidit artificibus vt facerent ad similitudinem illius. Ideo dixerunt: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti: ædificauitq́ Aaron altare.* Et dicit Rabi Salamon, quod ipse ideò ædificauit altare, vt tardius faceret & immolationem impediret, seu retardaret. Cumq́; inter cetera Moyses de monte reuerteretur, *vidit vitulum, & choros & iratus valdè arripiens vitulũ combussit & contriuit in puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex ea potũ filiis Israël.* Et dicit Rabi Salomõ, quod istæ aquæ potatæ, erant nociuę culpabilibus causando in eis inflationem & languorẽ, per quæ poterant ab alijs discerni. Alijs autem erant vtiles & dulces, quia non erant omnes culpabiles, ita, quod Barbæ eorum videbantur aureæ. Tunc dixit Moyses. *Si quis Domini est,* id est, habens zelum Domini ad vindicandum eius opprobrium, *iungatur mihi,* scilicet ad faciendum vindictam de peccatoribus. *Et congregati sunt ad eum omnes filii Leui, quibus dixit: Ite de porta ad portam, & occidat vnusquisq́ fratrem suum. Feceruntque iuxta verbum Moysi, & ceciderunt die illa triginta millia hominum.* Ecce qualiter isti mali palmites sunt de vinea hac penitus, quæ erat domus Israel amputati.

Idololatria filiorum Israel.

Diuersi aquæ effectus.

Item vinea non solum indiget putatione, sed etiam *purgatione,* scilicet à perniciosis animalibus. Dicit enim Petrus de Crescent. lib. 4. Sub foueis ipsius vineæ latitant vulpes, vuas vineæ corrodentes auidæ & deuastantes, maximè vbi custodes sunt negligentes. Ideo sapientes vinitores sua student diligentia, vt eas submoueant: vel etiam ne porci, vel canes subintrent. A muscarum autem, & vermium corrosione, non potest præseruari vinea, nisi per ipsius manum, quæ omnia in sua continet potestate, secundum Isidorum.

D Vites sunt purgandæ.

Moraliter. Per vulpes intelliguntur hæretici dolosi, habitantes & latitantes, vt communiter, in angulis, vt corrodant, aut destruant vuas vineæ, per quas intelliguntur homines simplices & deuoti, qui faciliter credunt eorum doctrinæ vbi custodes vineæ sunt negligentes. Quia ex negligentia Prælatorum, ante nostra tempora, hæretici vineam Ecclesiæ subintrauerunt, & (heu) multos sua mala doctrina corroserunt. Ideò tales dolosi vulpini hæretici, sunt de Ecclesia per captionem depellendi, sicut iubet Dominus Prælatis. Cant. 1. *Capite vobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.* Et Apostolus ad Galat. 5. *Utinam* inquit, *abscindantur, qui nos conturbant.*

Hæretici in angulis latẽt

Ex negligentia Prælatorũ hæretici subintrant.

Sed per hoc, quod dicit, quod vinea non potest à muscarum, aut corrosione vermium, illæsa seruari, præsertim significatur, quod mali non possunt totaliter de vinea sanctæ Ecclesiæ purgari. Ideo dicit beatus Gregorius in homilia 38. Quousque scilicet hîc viuimus, necesse est, vt vitam præsentis seculi, permixti pergamus. Tunc discernimur, cum peruenierimus. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlo: & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cœlum, & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtramq; partium, ciues communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, postmodum in egressione discernit. Si igitur boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerare debetis. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intollerantiam suam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Hæc ille. *Et infra.* In hac Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt.

IV. QVARTO, Ecclesia indiget *ædificatione.* De qua Isa. 5. dicitur. *Sepiuit eam, & ædificauit sibi turrim, & exstruxit ibi torcular.* Per *Sepem* MORALITER meritum iustorum hominum in Ecclesia existentium designatur. quia iustis hominibus vallatur vinea sanctæ Ecclesiæ, *ne exterminet eam aper de silua*, id est diabolus. Per *turrim* significatur meritum pœnitentiæ, quam quilibet iustus in vinea Ecclesiæ calcat, vt dicere possit illud Isa. 70. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Vel, per *turrim* intellige meritum contemplatiuorum: de quo Luc. 14. *Quis ex vobis volens ædificare turrim, non prius sedens computat sumptus, qui sunt necessarii, si habeat ad perficiendum.*

V. *Quando vindemiæ faciendæ.* QVINTO vinea debet vindemiari, & hoc *quidam* faciunt; vindemiant enim, vt dicit Petrus de Crescent. vbi suprà, antequam vuæ maturantur, ideò infirmum, & non permanens faciunt vinum. *Alii vero* tardius, & hi non solum vineas lædunt, resolutis iam viribus, sed tale vinum passibilius, & minus durabile faciunt. Cognoscitur enim tempus gustu & visu. Dicit ergo Auicenna, Democritus, & Africanus, sex solum dies, vuam debere, & non plures, permanere maturam.

SPIRITVALITER. Per hoc signatur, quod vinea sanctæ Ecclesiæ non debet vindemiari, antequam vuæ scilicet deuotorum hominum, maturentur in bonis operibus, ne præmium ipsorum minuatur; nec debent tardius vindemiari per mortem, ne beatitudo retardetur. Ideò dicunt Doctores, quod Deus hominem mortificat, quando meliorem esse conspexerit: licet aliquando ex demerito vita iniquorum citius terminetur ne malitia corrumpantur, sicut probat Gregorius lib. moral. Omnipotens DEVS si plerunque mutat sententiam, consilium tamen nunquam. Eo ergo tempore ex hac vita quisquis subtrahitur, quo diuina potentia ante tempora præsciuit.

Sed sciendum, quod creaturas ordinans omnipotens Deus, iuxta singulorum merita disponit, & terminum, vt scilicet malus breuiter viuat, ne bene agentibus noceat, vel bonus in hac vita diutius subsistat, vt multis boni operis adiutor existat. Vel rursus malus longius quidem differtur in vita, vt prima adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati iusti verius viuant. Vel bonus cito subtrahitur, ne si hîc diu vixerit, eius innocentiam malitia corrumpat. Hæc Gregorius.

E In hoc autem, quod dicit sex solum dies vuam debere maturare, ostenditur Mo-

MORALITER, quod in sex diebus spirituales maturantur in bonis sanctisque operibus, & perficiuntur. PRIMA dies fuit tempore Adam,& intelligitur hic per primum manè,& continebat duo millia ducentos & quadraginta annos, iuxta illud Metristæ.

Prima dies ab Adam ad Noë.

——————Adam

Mille duo, c c. *quater deca tot dabit ille.*

In ista die multæ viæ maturuerunt in vinea Domini, quarum vna fuit Adam, qui licet propter inobedientiam & fractionem præcepti, fuit amaricatus ad instar vuæ amaræ, tamen per verum solem IESVM CHRISTVM fuit è contra decoctus & maturatus, ratione pœnitentiæ veræ. Aliæ vuæ plenæ vino deuotionis fuerunt Abel, Seth, Enoch, & sic de alijs. Et licet possunt dici vuæ propter vini deuotionem, tamen hic in Euangelio operarij nominantur, cum dicit: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam*, in qua quidē vinea operati sunt pro vita ęterna, quæ designatur hic in denario.

SECVNDA dies fuit tempore Noë, continens annos mille centum, & quadraginta duos: iuxta illud.

Secũda dies à Noë ad Abraham.

Mille Noë centum quadraginta duo tenet inde.

In die illa, maturuerunt in vinea Domini, in fructuosis operibus effundentes de se vinum deuotionis vuæ, Noë, & filij sui Sem & Iaphet, & alij multi. Et hic dies nominatur hic tertia hora, vbi dicitur: *Et egressus circa tertiam horam, vidit alios stãtes in foro otiosos.* Licet enim prædicti, scilicet Noë, Sem, & Iaphet, essent in opere virtutis, tamen adhuc multi erant in negligentia suæ salutis, quibus dixit: *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis*: quasi diceret, Velut vuæ bonæ vinum auferte compunctionis, vt recipiatis fructum remunerationis. Quod audientes illi, in vineam abierunt, quia aliqui ex ipsis obedierunt.

TERTIVS dies fuit tempore Abraham; & continet annos quingentos, & quinque iuxta illud:

Tertius dies ab Abraham ad Moysen.

Post hæc quingentos Abraham quinq; dabit annos.

In die illo fuerunt in vinea Domini fertiles Abraham, Isaac, & Iacob, & Ioseph, vinum deuotionis effundentes. Et hic dies intelligitur hic per sextam horam, in qua paterfamilias iterum exijt, quia plus, & plus se mundo manifestauit. quia enim in secundo die exijt tempore Noë, & fœdus cum ipso pepigit, & signum è nubibus cœli dedit. Genes. 9. Ipse tempore Abrahæ magis se manifestauit, quando sibi & posteris suis sacramentum circumcisionis donauit. Genes. 17. De quo etiam dicit Magister lib 4. dist. 1. c. 1. Abraham primus sacramentum circumcisionis habuit, ad probationem obedientiæ: nec ei solũ præceptum fuit circumcisio, sed & semini eius, & omnibus Hebræis, quæ fiebant secundum legem scilicet Exod. 13. octauo die lapideo cultro in carne præputij.

QVARTA dies fuit tempore Moysi, continens mille trecentos, & quatuordecim annos, secundum illud Poëtæ.

Quarta dies à Moyse ad Dauidem.

Datq; trecentos mille lex quart quoq; denos.

Et in hoc quoq; die fuerunt Aaron, Moyses, Hur, Iosue, Caleph, tanquam vberes in vinea Domini fructificantes, significãtur hic per horam nonam, in qua magis exijt quidem se manifestando, & legem per Moysem dando, Exod. 32. vbi dicitur, quod *portauit duas tabulas digito Domini scriptas*, in quibus lex continebatur.

Quinta dies à Dauide ad Christum.

QVINTA dies fuit tempore Dauid, in quo ipse Dauid, nec non Ionathas, Ezechias, Iosias, Iosaphat, & sic de alijs regibus, ad instar vuarum fructiferarum in vinea Domini floruerunt, & maturuerunt.

Sexta dies à Christo ad iudicium.

SEXTA dies fuit à tempore Natiuitatis Christi, vsq; nunc; qui, inquam, dies significatur in Eua, per vndecimam horam, in qua Christus exijt de vtero virginali, & apparuit visui corporali; sicut de hoc longè antè prædicauit Propheta Baruch. 3. *Post hoc conuersatus est.* & in ista die benedicta continente annos mille quadringentos octuaginta sex, fuerunt multæ fructiferæ vuæ, scilicet duodecim Apostoli, & alij septuaginta duo discipuli, & alij multi, qui vineam sanctæ Ecclesiæ ornauerunt, & tamen præter illos fuerunt.

F Et adhuc sunt (heu) multi, & quasi infiniti, qui ad instar vuarum multarum stant otiosi: de quibus dicit Euangelium, quod inuenit alios, scilicet Iudæos, stantes in superbia, quia se humiliare coram ipso noluerunt: & non solum inuenit Iudæos, sed & Gentiles, & nunc Christianos, qui stant in otio, nec procedunt in opere bono. Et ille meritò dicit hic: *Quid statis tota die otiosi?* Quasi diceret, DEO non seruitis, vobis non seruitis, nec proximo subuenitis; ideò ite & vos in vineam meam.

Otiosi cur reprehēsibiles

Circa, quod NOTANDVM in hoc, quod dicit quid statis hic tota die otiosi, illos reprehendit præcipuè, qui sunt hic in tempore gratiæ, qui multo magis sunt reprehensibiles, quàm illi ante Christum, & hoc propter quatuor causas.

1. *Prima*, quia Dominus veniens in hunc mundum dedit nobis exemplum laboris, qui Ioan. 4. legitur, quod ipse *fatigatus fuit ex labore itineris, & sedit super fontem*, & in tantum laborauit, quod dicere potest illud Psalm. 68. *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ* Magna igitur superbia est homini, qui vult stare & quiescere, cum sit seruus, ex quo laborauit Dominus. *Non enim est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum.*

Matth. 10.

2. *Secunda* causa, quia nos serui emticij sumus. Adam enim cum suis posteris, qui in mortem corruerunt, ante Christum emti preciosissimo sanguine non fuerunt: ideò nec mirum si aliqui ex eis otiosi fuerunt. Nos autem redemti sumus, & emti Christi sanguine, sicut testatur Apostolus 1. Cor. 6. *Emti estis pretio magno.* Et hoc pretium magis elucidat Petrus Apostolus epistol. 1. c. 1. *Scientes, quoniam non corruptibilibus auro, vel argento redemti estis à vana vestra conuersatione, paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni incontaminati, & immaculati Iesu Christi.* Ideò multo magis tenemur ad laborem.

3. *Tertia* causa, quia melior merces nobis, quam illis promittitur. Iudæis enim tantum promittebatur terra, sicut canitur. *Audi Israël præcepta Domini, & ea in corde tuo, quasi in libro scribe; & dabo tibi terram fluentem lac & mel.* Et Isa. 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis:* sed nobis promittitur cœlum per Ioannem Baptistam, Matth. 3. & 4. per Christum, *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.*

4. *Quarta* causa, quia in spiritualibus, qui erant in veteri lege, promittebatur regnum cœlorum sub figura terræ promissionis, nec tamen quicquam ex illis nisi Iosue & Caleph subintrauerunt. Quia habetur Num. 14. quod multi Ægyptum exierunt, sed solum duo prædicti terram promissionis intrauerunt. Et postea alij in terra promissionis existentes, solum mercedem post passionem Christi acceperunt, qui se dignos

gnos fecerunt: quia in momento vno lucratur aliquis regnum cœlorum, cum post verum Baptisma decedit, vel cum quis post peccatum tantam contritionem facit, quæ sufficit ad ablationem culpæ & pœnæ. Ideò potest dicere quilibet cum Beato Bernardo. Labor nimius vix est vnius horæ, & si amplius præ amore non sentiam. Quando in vno momento quis lucretur regnum cœlorum.

Isti fuerunt sex dies, in quibus deuoti homines per vuas disignati, debuerunt & debent maturari, in septimo die vindemiari. Et hic septimus dies, est dies iudicij, post quem omnes deuoti, & sancti vindemiantur, & in domum cœli collocantur. De hac vindemiatione dicitur Apocalyp. 43. *Misit Angelus falcem suam in terram, & vindemiauit vineam.* Et de isto septimo die intelligitur Euangelium illud: *Cum serò factum esset, dicit, Dominus vineæ procuratori: Voca operarios, & redde illis mercedem.* Septim⁹ dies est iudicij.

SECVNDA vinea est fidelis anima. de qua dixi pauca suprà Dominica III. in Aduentu, Sermo I. F. Q. de qua etiam dicit Bernardus: Bona vinea anima iusti, cuius vitis intellectus, actio palmites. Cuius vinum testimonium conscientiæ, cuius torcular expressio doctrinæ. Ista inquam vinea indiget quinque. G Animæ vineæ comparatio. Vinea indiget.

Primò plantatione. Et NOTA, quod anima primò plantatur per nouam creationem, de qua vide suprà Dominica III. in Aduentu sermone II. G. P. Ideò dicit Augustinus: Anima creando infunditur, & infundendo creatur. *I.* Plantatione.

Secundò plantatur per fidei veritatem, de qua Hierem. 2. *dicit Dominus: Ego te plantaui vineam meam electam, omne semen verum.* Ecce dicit NOTANTER *vineam meam.* Est enim anima vinea Domini. *Primò*, propter creationem, quia ipse omnes creauit: propter, quod dicit Ezech. 18. *Omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris sic & anima filii mea est. Secundò*, propter redemtionem de qua Psal. 97. *Dicant nunc, qui redemti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Sed quid dicant? Certè laudem & honorem. Et communiter subiungit, *omne semen verum*; quasi diceret Dominus, propter fidei veritatem, quam tradidi tibi, plantaui te, vt fructifices operibus bonis. Nam sicut sterilis est vinea sine aqua, sic sine fide anima. Et sicut plantatio est initium omnium fructuum, sic fides est principium omnium virtutum. Et principaliter intelligitur de fide caritate formata. De qua dicit Augustinus: Fides, quæ per dilectionem operatur, est fundamentum omnium virtutum. Et habetur 1. quæst. 1. cap. Cum Paulus. Idem confirmat Doctor nominatus lib. 1. de fide ad Petrum Diaconum: Fides enim est omnium bonorum fundamentum; fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo potest ad numerum filiorum Dei peruenire, sine ipsa in hoc seculo nec quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam æternam possidebit. Hæc Augustinus. *II.* Fidei veritate. Fides charitate formata.

Et NOTA, quod sine fructu vinea, est anima sine virtute. Ideo dicitur esse mortua, Iacobi 2. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Vnde Bernardus super Cantic. Quid est fides, quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer examine? Benè honoras DEVM munere fœtido; benè placas Deum tuum, tuæ fidei infector. Sed è contra vinea cum fructu, significat animam cum fidei virtute. Ideò dicitur esse vua florens per firmum propositum seruiendo DEO. & folia habens debita, per quæ intelliguntur verba debita, quæ fiunt ad ædificationem proximi, & dant gratiam audientibus loquendo, & fructum debitum bonorum

operum proferens. Ideò dixit Apostolus 2. Cor. 13. *Si estis ex fide, vos probate per opera.* Ideò necesse est valdè, vt anima ad instar vineæ plantetur fidei virtute.

H SECVNDO, anima indiget fossione. Sicut enim vinea foditur, vt post fimus imponatur; sic debet anima fodi per humiliationem, & tunc imponere fimum propriæ fragilitatis; aut vilitatis considerationem.

1. PRIMO dico, quod anima debet fodi per humilitatem, iuxta illud Augustini de verbis Domini: Fode, inquit, in te fundamentum humilitatis & peruenies ad vestigium caritatis.

Ad humilitatē obtinēdam iuuant. Et NOTA, quod anima fodiat in se foueam humilitatis.

I. PRIMO, debet esse familiaris cum humilibus. Sicut enim, *qui communicauerit superbo, inducet superbiam,* Eccles. 13. sic qui communicauerit humili, induet humilitatem.

II. SECVNDO, debet meditari proprios defectus, ideò dicit Beatus Gregorius in homilia: Sancti viri, vt in se virtutem humilitatis custodiant, cum quidam mirabiliter sæuiunt, ante mentis oculos student reuocare quod nesciunt, vt dum ex parte infirmitatem suam considerant, ex parte, qua perfectus est eorum animus se non extollat; sic, qui veterem vestem emit, ponit digitum vbi vestis habet aliquod foramen.

III. TERTIO, debet respicere iuxta illud Gregorij. Non quibus iam superiores, sed quibus inferiores estis respicite. Idem. Sicut, inquit, incitatiuum elationis est respectus deterioris, ita cautela humilitatis est consideratio melioris.

IV. QVARTO, debet se exercere in humilibus officijs exemplo Domini, qui *lauit pedes discipulorum,* Ioan. 13. quia hic multum placet Christo, & Virgini Mariæ: sicut legitur exemplum.

Exemplum. Quidam probabilis vitæ fuit in ordine incorruptus corpore. Hic cum quadam die esset nimium afflictus, apparuit ei virgo Maria, & ait: Vidi afflictionem tuam, & veni in auxilium tuum. Ecce offero tibi de thesauris filij mei triplicē gratiam humilitatis, per quam aduersarium vincere possis, & Deo placere. Volo ergo, vt humilieris in victu, in vestitu, atq; in actu. Cibos appetas nō meliores, & pannos induas grossiores, abiectoraq; ministeria, quæ alij dedignantur, tu pro magno honore & lucro suscipias. Et his dictis disparuit B. Virgo Maria. Ille autem verborum efficaciam cordi suo impressit, & sic fecit sicut B. Virgo eum docuit. Cum autem laborauit in extremis, adfuit Prior cum fratribus, & præcepit ei, vt sibi diceret, vnde se Deo magis placuisse consideraret. Cui respondit. Rem difficilem postulas pater, & quam nullo modo dicerem, nisi obedientia me cogeret. Ego, inquit, ab ineunte ætate multa flagella Sathanę perpessus sum, veruntamen *secundum multitudinem dolorum meorum. in corde meo consolationes* Christi, & B. Virginis Mariæ *lætificauerunt animam meam,* & enarrauit ei omnia iam dicta per ordinem dicens: Quadam die cum nimium afflictus essem, apparuit mihi B. Virgo Maria, & ait: vidi afflictionem animi tui, & veni in auxilium tuum: vt supra.

Humilitas in quibus consistat.

V. QVINTO, debet videri an sit in peccato mortali, an non: vel an se sciat esse in peccato mortali, aut non: Si scit se esse in peccato mortali, tunc in inferiori statu est, quasi canis, porcus, vel bufo; quia ipse est debitor duplicis mortis, temporalis scilicet, & æternæ: illa verò vnicam mortem debet sustinere. Si autē se nesciat in mortali, nesciat

nesciat tamen se esse in statu salutis, sed scit se quandoque fuisse debitorem mortis æternæ, & nescit vtrum peccatum sibi dimissum sit, quia dicitur Ecclesi. 9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta* super quo dicit Gregorius: Adhuc nobis de meritis nostris incerta sunt, vnde vnam certam gratiam teneamus humilitatem.

Secvndo igitur postquam homo fodit foueam humilitatis, debet etiam imponere fimum vilitatis propriæ, & fragilitatis considerationem. & hoc *primo* debet facere ex parte corporis. Respicere enim debet homo eius originem, statum præsentem, & finem, de quibus dicit Bernardus: Vide vnde veneris, & erubesce; vbi es, & ingemisce; quo vadis, & contremisce. si attendas vnde corpus venit, inuenies quod ex putredine, iuxta illud Iob. 17 [sic]. *Putredini dixi, pater meus es.* De hoc etiam dicit Bernardus. In sordibus generamur, in tenebris confouemur, matres nostras multum oneramus, & in dolore parturimur. In partu matres nostras more viperæ laceramus. Attende quod homo nudus nascitur, membris impotens, & plorare incipiens. Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* I a. Miseria humana.

Quantum ad fletum, dicit Augustinus, quod puer à planctu incipit, & Sapien. 7. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Attende similiter ad quem finem deueniet corpus; puluis enim & cinis fit, iuxta illud Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* cui concordat illud Ecclesi. 7. *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Si etiam attendis præsentem statum, inuenies te saccum stercorum, & ignobilem; & hunc statum attendebat ille, qui ait: *Humiliatio tua in medio tui.* Micheæ 6 [sic]. Quare dicit Hieronymus: Quomodo superbiat, qui secum semper portat sentinam?

Refert enim Holkot super lib. Sap. cap. 7. lect. 88. de quodam rege qui considerauit vilitatem suam, & nunquam permisit sibi in alijs vasis famulari quàm de luto. Cum igitur à quodam familiariter interrogaretur, cur illud faceret. Respõdit, quod quamuis iam esset rex Ciliciæ, tamen filij cuiusdam figuli; & vt haberet memoriam generis sui, ne propter statum regium superbiret, hoc ordinauit. Exemplum.

Secundo, homo tunc imponit fimum in foueam humilitatis, quæ facta est in vinea animæ suæ, quando considerat propriam vilitatem ex parte animæ. Est enim anima dicta cinis propter tria. *Primo* quia licet cinis sit ex materia pretiosa, vt interdum ex lignis pretiosis, est tamen post combustionem lignorum valde vilis. Sic anima, licet sit à Deo pretiosè & formosè creata, tamen in statu peccati nullius est valoris, respectu valoris in quo erat ante peccatum. Ideo dicit Dauid Psal. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Et dicit Gloss. imò minus quàm nihil videtur esse, nisi sit spiritualiter resurrecturus. Melius enim esset ei quod nihil esset, quàm malum esse, si perseuerat, sicut de Iuda patet qui animam per peccatum deturpauit, de quo dixit Dominus Matth. 26. *Bonum erat ei; si natus non fuisset homo ille.* K Anima cur cinis dicta. I.

Secundo sicut cinis non potest resistere modico flatui, quin ab eo dispergatur; Sic anima peccatrix etiam resistere non potest sibilo modici verbi. Ideo Psalmista ipsam comparat pulueri cum dicit Psal. 1 [sic]. *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis.* II.

Tertio, sicut cinis non potest redire ad statum lignorum, ex quibus fit; sic nec anima potest redire ad pristinum statum bonum, nisi Dei virtute, iuxta illud Eccl. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit:* Et dicit Glossa; III.

Verus Deus illos despicit, quos in luto peccati ita diu iacere permittit. Nec mirum, quia ipsi eum despiciunt, Isa. 5. *Væ qui spernis, nonne ipse sperneris?* quasi diceret, sic.

Ex iam dictis elicitur, quod ille fimum in foueam humilitatis factam in vinea suæ animæ ponit, qui se vilem, tàm ex parte corporis, quàm ex parte animæ, perpendit. E contra autem ille non reputat ex parte corporis se vilem, aut cognoscit, qui bruneto aut scarleto corpus suum induit: nec ille reputat se ex parte animæ cinerem, qui amat superbiæ altitudinem. Non enim expedit cineri esse in alto, ne à vento dispergatur. Vnde Exod. 9. *dixit Dominus Moysi & Aaron, vt tollerent plenam manum pulueris de camino & spargerent in cœlum.* Quod cum fecissent, subsecuta sunt vlcera, & vesicæ. Sic cum aliquis superbus in alto ponitur, sequuntur vesicæ superbiæ, & vlcera vanæ gloriæ, vt vlcerosus & leprosus interius coram Deo appareat, licet exterius pulcher videatur.

TERTIO, vinea animæ indiget *putatione* aut purgatione. Dicit enim Petrus de Crescent. lib. 8. cap. 1. qui vult viridarium facere, primo debet locum ab herbis & radicibus adulterinis liberare, & vbique fortiter infundere aquam feruentissimam, vt reliquiæ radicum & seminum nullatenus valeant germinare. Idem potest intelligi de vinea, quæ etiam debet à radicibus bastardis & spurijs expurgari.

L Anima debet purgari. I. A peccato originali.

Sic MORALITER vinea animæ PRIMO debet purgari ab herbis malis, id est, à peccatis originalibus, quæ adhærent cuilibet homini à primis parentibus, non secundum animam, sed secundum carnem solam, vt declarat Magister. lib. 2. dist. 21. cap. 2. Et hæc purgatio fit per Baptismum, in quo de vinea animæ purgatur omnis herba adulterina peccati originalis, sicut declarat Magister lib. 2. sent. dist. 32. dicens: Duplici ratione peccatum originale dicitur dimitti in baptismo, quia per gratiam baptismi vitium concupiscentiæ debilitatur, atque exterminatur; ita vt iam non regnet nisi consensu reddantur ei vires.

II. A peccato mortali.

SECVNDO vinea animæ debet expurgari à radicibus adulterinis, per quas intelliguntur peccata mortalia, quæ sunt radices aliorum peccatorum. Quia à quolibet peccato mortali, tanquam à radice, multi rami aliorum descendunt peccatorum, vt dicam infra Deo auxiliante Dominica Lætare, sermone I. de epistola. Et ista putatio seu purgatio radicum adulterinarum, scilicet peccatorum, debet fieri per pœnitentiam. Ad quod hortatur Dominus Exod. 23. *Sex annis putabis vineam tuam.* Vbi per sex annos intelligitur omne tempus vitæ nostræ, in quo putare debemus per pœnitentiam vineam animæ nostræ, vt ablatis adulterinis palmitibus vitiorum, fructificet vinum compunctionis. Est enim putare, secundum Hugonem, idem quod scindere, secare, & purgare: sic in pœnitentia scinde cor tuum per contritionem, iuxta illud Ioelis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Item seca vitam per confessionem, quia dicit Hugo de sancto Victore. Nihil Deo magis acceptabile, quàm confessio in homine suæ culpæ. Item purga per satisfactionem quæ est secundum Augustinum de pœn. dist. 3. in principio peccatorum causas exscindere, nec earum suggestionibus aditum indulgere, Glossa per peccatorum causas, intelligit vitiorum radices, quæ per satisfactionem sunt expurgandæ. quia non sufficit ramos incidere, vel causas, id est occasiones peccandi, vel oportunitates, vt dicitur 81. distinct. 1. cap. Valet.

Putare, quid?

Et dixit NOTANTER Petrus de Crescent. quod debet vbique infundere aquam feruen-

feruentissimam, per quam principaliter intellige contritionem amaram, quæ si infunditur in vineam animæ, mortificat omnes radices spurias mortalium & venialiũ. vt dixi suprà Dominica infra Octauam Natiuitatis Christi. R. R. & Dominica infra octa. Epiphaniæ sermo. III. L. Q. An per solam contritionem peccata dimittantur, & ibi vide exemplum.

QVARTO, vinea animæ indiget ædificatione. Sicut enim vinea materialis, indiget pro sua ædificatione, sepe, turri, & torculari: ita vinea animæ *Primò* indiget *sepe*, per quam intellige cordis custodiam diligentem, ad quam hortatur Sapiens Prou. 4. *Omni custodia conserua cor tuum, quia ex ipso corde vita procedit.* Et dicit Glossa, cor est seruandum sicut castrum obsessum à tribus hostibus, scilicet carne, mundo, diabolo. Contra carnem pone custodiam castitatis. Hæc Nicolaus de Lyra. Sed dicit Pascasius: Cor est seruandum à mundo, à carne, & diabolo, per castitatem, humilitatem, & paupertatem. quia ex omni parte est obsessum. Inferius suffodit concupiscentia carnis, contra quam apponendus est rigor disciplinæ: Superius imminet rigor iudicis, contra quem apponendus est vigor obedientiæ: Ante impugnat oportunitas tentationum, contra hanc assumenda est oratio: A sinistris viget inquietudo malorum, contra hanc est patientia & compassio: A dextris inuidia, vel indiscreta æmulatio bonorum, contra hanc gratulatio ponitur & discretio. M

Hostes cordis, caro, mũdus, & diabolus.

ET NOTANDVM. Cor hominis est custodiendum, non solum quia vinea est electa, vel castrum vndique obsessum, sed etiam quia est vas pretiosum, quod carius emitur: & cuius fractura magnum damnum infert, difficilius reparatur. propter, quod à sanctis viris diligentius custoditur, iuxta illud 1. Thessal. 4. *Sciat vnusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.* Et meritò debet quilibet cor suum diligenter & benè custodire, quia custodia mala & negligens, est causa mortis & perditionis animæ. Sicut enim, qui habet inimicos fortes & capitales, eum perdere quærentes, si ostium domus in qua quiescit, aut apertum dimitteret, aut ibi debilem custodem poneret, faciliter occideretur, sicut dictum fuit de Isboseth 2. Reg. 4. qui ad ostium domus non ostiarium, sed ostiariam posuit, quæ cum purgaret triticum, venerunt filij Remmon Rechab & Baana frater eius, *& ingressi domum, dormientem in stratu suo occiderunt.*

Quare cor hominis custodiendũ.

MORALITER. Anima nostra habet inimicos capitales, scilicet carnem, mundum, diabolum, qui quotidiè ei insidias ponunt, vt eam occidant. Idcircò debet poni diligens custos ad ostium cordis, & hic custos est ratio, quæ semper deprecatur ad optima, vt dicit Philos. 1. Ethi. Sed historialiter potest dici synderesis, vel discretionis solicitudo, quæ purgat triticum, id est, si virtutes à vitijs diuidit, & postea dormit, insidiatores animæ admittit, qui eam in confusioné suam occidunt. Ideò dicit Gregorius. Hanc figuram exponendo: Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes à vitijs separat. Quæ si dormierit, in mortem proprij domini insidiatores admittit. Quia si discretionis solicitudo interior cessauerit, ad interficiendam animã malignis spiritibus iter pandit, qui ingressi spicam tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, in inguine feriunt. quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitã mentis carnis delectatione perforare. Nequaquã aũt. Isboseth iste hac nece succumberet, si non ad ingressum domus, mulierem, id est, ad mentis aditum, mollem custodem deputasset.

Tres animæ hostes caro, mundus & diabolus.

Ostiaria est mentis custodia.

Et subdit: Fortis namque sensus virilis, qui cordis præpositoribus debet, ne quem negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde benè Isboseth appellatus, à custodia fœminæ hostium gladijs traditur. Isboseth quippe vir confusionis dicitur: Vir autem confusionis est, qui forti & necessaria custodia munitus non est, quia dum se virtutes habere æstimat, subintrante vitio nescientem necat.

N SECVNDO, vinea animæ pro sua ædificatione indiget *turri*, per quam intelligitur *caritas*. Sicut enim de turribus inimicis resistimus, sic caritate vitijs, quæ nos impugnãt repugnamus. iuxta illud de pœn. dist. 2. c. caritas est. Si, inquit, caritatem Deo exhibemus, facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, seculi blandimenta contemnimus, quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, vel aspera etiam cum delectatione perficimus.

Misericordia vinum pietatis.

TERTIO indiget *torculari*, per quod intelligitur *misericordia*. quia ex misericordia velut ex torculari exprimitur vinum pietatis, quod quidem vinum sanat vulnera vitiorum, iuxta illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ideò beatus Augustinus, dicit in sermone de eleemosyna: Redime te homo dum viuis, dum pretium in manu tua est, ne mors amara præueniat, & vitam simul pretiumque perdas. Et similiter dicit Cassiodorus super Psalmum. Pauperes ideò Deus esse voluit, vt diuites haberent vnde peccata sua redimerent. Potuit enim Deus omnem hominem diuitem facere, sed nobis per pauperum miseriam voluit subuenire, vt & pauper per patientiã, & diues per eleemosynam possit Dei gratiam inuenire.

Cur Deus paupere permittat.

QVARTO vinea animæ indiget *vindemiatione*, & fit hæc vindemiatio per virtutum operationes, exercitium, aut laborem, ad quem hortatur Apostolus 2. ad. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi.* Quare autem debemus laborare? Rationem ponit Seneca de clementia ad Neronem. Semper nimirum caro nostra ad malum prona cernitur, cui labor virtutumque exercitium denegatur: quasi diceret. Ideò debet quilibet vindemiare vineam animæ suæ, per exercitium & laborem, ne se ad peccata faciat proniorem. quia dicit Gregorius in pastorali: Nimirum occupanda & extinguenda est caro vario certamine & labore, ne illi citò inardescat desiderium & amor illicitus. Et hæc est *vna ratio*, quare vinea animæ est vindemianda per laborem. *Alia est*, propter mercedem vitæ æternæ. Sicut enim tempore vindemiationis, conducuntur serui in vineam, quos de mane vsque in sero oportet laborare, & non cessare, si mercedem integram à Domino vineæ volunt reportare: sic etiam nunc in tempore gratiæ, oportet nos continuò bonis operibus insudare, pro vitæ æternæ mercede. Et idem tempus, quo pro vita æterna laboramus, nulli nostrum debet videri longum, iuxta illud Hieronymi in quadam Epistola: Nullus labor durus; nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur.

Cur laborandum.

I. Ne caro amore illicito inardescat.

II. Propter vitã æternam.

Et quare non debet tempus illud videri longum? *Responde*, propter gloriosum fructum, & sine fine duraturum. quia dicitur Sap. 3. *Bonorum malorum gloriosus est fructus.* Ideo refert Iulius, lib. 1. cap. 41. de Cyro rege Persarum, qui volens populum ad pugnandum animare, contra Medos, tali vsus est cautela: Nam duxit exercitum ad quandam Siluam, quem ibidem tota die in labore succidendo arbores occupauit. Cum igitur fatigati in ieiunio & labore fuissent, sequenti die iussit epulas lautissimas præparari. Conuiuantibus igitur illis cum gaudio, circumiuit singulos interrogans: Quis dierum magis complaceret? Illis autem respondentibus, quod dies secun-

Cur tempus non debeat videri longum.

Exemplum de Cyro.

fecunda. Ait. Sicut per laborem hesternum ad conuiuium hodiernum peruenistis, sic felices temporaliter esse non potestis, nisi prius Medos superetis.

Sic etiam MORALITER. Cyrus interpretatur hereditas,& significat Deum omnipotentem, de quo Psal. 25. *Hereditas mea Dominus.* Et dicitur conuenienter rex Persarum, quia interpretatur tentans. quia Deus tentat nos hic in aduersitatibus multis & laboribus, vt perseuerantes satiet æternis beatitudinibus. quia dicit B. Augustinus in lib. de victoria Christiana. Nequaquam datur nobis quies felicitatis æternæ, absque vitæ huius certamine & labore. Ad istam vineam fidelis animæ vocat cœlestis paterfamilias operarios.

Quod enim dicitur *exire primo mane*, conducere operarios ad colendam vineam animæ, intelligitur prima ætas, quæ hic dicitur pueritia, quæ incipit anno septimo & durat vsque ad annum decimum quartum, secundum Thomam de Argent. in cõpendio Theol. verit. lib. 2. cap. 10. In hac ætate debet quilibet puer animam suam colere, & quod rectum est facere, exemplo Oziæ 2. Paralip. 2. Hic quamuis esset puer, tamen *fecit quod rectum erat in conspectu Domini.* Ita puer bonæ idolis, & benedisponens regimen animæ suæ per subiectionem virium sensitiuarum, regimini rationis rectæ; quia ex hoc sequitur diffusio bonæ famæ, & inuenitur per hoc quod dicitur de Ozia, quod diuulgatum est nomen eius vsque ad introitum Ægypti. Vnde Egesippus Hieron. Ex honesta conuersatione pueri aut iuuenis, emendatur status cõuersatioq; senis. In hac hora vocauit Dominus B. Ioannem Baptistam, sanctum Vitum, Beatamq; Agnetem, ad vineam animæ excolendum. O

O Per primum mane intelligitur pueritia.

Per horas in quibus operarij conducuntur intelliguntur ætates hominis.

Per tertiam in qua paterfamilias egreditur significatur ætas secunda scilicet adolescentia, quæ à decimo quarto anno durat vsque ad vicesimum octauum, secundum Thomam vbi suprà. Et merito per tertiam horã intelligitur adolescentia. quia sicut hora tertia sol est calidior & altior quàm hora prima; sic adolescentia feruentior est & calidior, quam pueritia. In hac hora inuenit multos stantes otiosè, quia raro ipsi adolescentes laborant pro ornatu vineæ animæ suæ: Quia dicit Sydonius in Epistolari; In periculosis semper casibus ipsa adolescentia versatur: nunc enim fluctando diuersimodè periclitatur, nunc verò tumultuãdo ad vanitates nimias incitatur. Ideo dicit Damasus lib. 8. Vbi vnum adolescentium virtutibus videris effulsisse, ibi mille reperies perijsse. Et hoc est quod dicit Euangelium. *Vidit alios stantes in foro otiosos, & ait illis: Ite & vos in vineam meam.* Et subiungit mox præmium. *Et quod iustum est dabo vobis.* quia adolescentia magis præmio quàm pœna ad bonum incitatur, vbi saltem adolescens bonæ indolis creuerit, De quibus ait Salustius in Iugurtino: Cum de virtutibus agitur, nulla excellentior cernitur quam ea quę in castis adolescentibus inuenitur. Et Tullius in Philippica 10. Eo nullum æstimo digniorem, qui in adolescentia sua famam custodierit & honorem.

Hora tertia designatur adolescẽtia.

Adolescẽtia periculis exposita.

Per sextam horam significatur tertia ætas, quæ vocatur iuuentus, quæ incipit à vicesimo octauo anno, & durat vsq; ad quadragesimum octauum. Et rectè per sextam horam iuuentus intelligitur. quia sicut hora sexta sol est calidior omnibus alijs temporibus diei; ita ætas iuuentutis ad appetendum carnalia & mundana, est calidior, & feruentior, & altior, id est, audacior ad omnia vitia committenda. Sed videat iuuentus, quæ ita calida est & feruens ad vitia, & ad malum faciendum, ne postea morte veniente, de consumptione temporis inutili doleat. Quia refert Doctor deuotus

Sexta hora iuuentus significatur.

Querela adolescentis quē mors præuenit.

Amandus lib. 2. horol. Sapientiæ cap. 2. de quodam iuuene pulcherrimo, qui morte præuentus, in proximo erat migraturus, & de salute sua nihil disposuerat. qui sic lamentabiliter conquerebatur: O mi Deus quare neglexi; quare tardaui, quamobrem dissimulaui; Cur tot gratiosos dies longissimos & vanissimis loquutionibus expendi, & ipsum in tantum neglexi? O cordis mei gemitus inenarrabiles. Quare studui vanitati, & quare non tota vita mea didici mori? *Et subdit alios iuuenes exhortando:* Eia vos omnes qui adestis, qui meam miseriam videtis, qui flore iuuentutis adhuc gauderis, & qui adhuc tempus aptum habetis, me respicite measque miserias considerate, in meo periculo damnum vestrum declinate, quia secundum Horatium.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Quare Dominus circa hora sextam exit, & iuuenes ad colendam vineam animæ conducit? quia dicit Euangelista *quod circa sextam horam exijt & fecit similiter*, hoc est, quod conduxit eos in vineam suam.

Nona hora Senectus notatur.

Per nonam horam significatur quarta ætas quæ dicitur senectus, quæ incipit, à quadragesimo octauo anno, & durat vsque ad septuagesimum, secundum Thomam de Argent. Et rectè senectus intelligitur per horam nonam: quia sicut sol hora nona vlterius non ascendit, tunc enim caligatur visus, minoratur auditus, amaricatur gustus, & sic de alijs. Et hoc ex parte corporis. Ex parte verò animæ intellectus obscuratur, & memoria decurtatur, vt bene diceret cum Psal. 72. *Defecit cor meum & caro mea.* Et hos senes similiter vocat Dominus in vineam suam, vt si tempus iuuentutis neglexissent, ne saltem negligant senectutem. Sic debent ad instar solis, licet ad occasum tendant, esse calidi in Dei seruitio, & orare ipsum cum Psalm. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Hora vndecima decrepitam ætatē designat.

Per horam vndecimam intelligitur vltima ætas, scilicet decrepita, quæ à septuagesimo anno durat quousque vita finitur. Et qui in hac ætate sunt, non debent otiosi stare, sed instanter in vinea Domini laborare, iuxta illud Sapientis Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare; nec enim scientia, nec ratio, nec opus est, apud inferos, quo tu properas &c.*

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Sermo primus in Epistola.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. 2. Cor. 12.

EXperti naturales dicunt, quod omne animal irrationale, cum se infirmum vel inualidum perpenderit, statim languoris quærit medicamentum, à quo sanitatem habere poterit. Et hoc testatur Venerabilis Boetius lib. 3. de consol. prosa 11. Omne animal tueri salutem, id est vitam & sanitatem laborat; mortem verò perniciemque deuitat. Glossa, quia melius est esse quàm non esse. Ideo refert Isidorus lib. 12. quod cerui qui cum se grauatos infirmitate sentiunt, spiritu narium serpentes de cauernis extrahunt, & superata

Medicina cerui ægrotantis.

perata pernicie veneni, eorum pabulo reparantur. Aristot. lib. 6. animalium dicit, quod vrsi solent comedere cancros & formicas propter medicinam. Narrat enim Auicen. lib. 8. animalium quod à fideli sane fuit sibi relatum, quod viderat duas auiculas pugnantes inter se, quarum vna recedebat victa, & comedebat de quadam herba, & reuertebatur ad pugnam. Quod cum senex sæpius aduertisset, subtraxit illam herbam. Et cum ipsa rediens non inuenisset eam, fecit magnum strepitum & mortua est. Et dicit Auicen. Quæsiui ab eo quæ esset herba, & coniecturaui & specie ipsius, quod esset herba lactuca agrestis. Medicina vrsi. Historia de auicula. Lactuca agrestis.

MORALITER. In his naturis animalium instruimur, vbi spiritualiter infirmamur, quoad similitudinem ceruorum, quæramus Dominum nostrum Iesum Christum, qui significatur per serpentem, Num. 21. *quem Moyses erexit in deserto, quem cum Iudæi inspiciebant, à morsu serpentum sanabantur.* Super quo dicit beatus Augustinus in Ioan. homilia 12. Mordebantur homines, intuebantur & sanabantur. Qui sunt serpentes mordentes? peccata: quis est serpens exaltatus? Dominus mortuus in Cruce. *Et subdit.* Interim fratres vt à peccatis sanemur, Christum crucifixum intueamur, qui intuebantur illum serpentem, morsibus non peribant serpentum. Sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à morsibus carnis. Et sicut illi sanabantur à morte ad vitam temporalem, sic sanantur illi, vt habeant vitam æternam. Hæc ille. Nec solum sufficit nobis, vt in infirmitate spirituali animæ, ad similitudinem ceruorum, quæramus verum Serpentem Christum: sed necesse est ad salutem, vt quæramus agrestem lactucam, per quam intellige pœnitentiam amaram. Quia sine illa non possumus saluari, iuxta illud Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Sed ad pœnitentiam frequenter adducit tribulatio infirmitatis, sicut de hoc dicit Doctor deuotus Amandus in horolog. Sapientiæ lib. 1. cap. 13. O quàm innumeri somno peccatorum profundissimo obdormierunt, & morte spirituali perierunt, quos infelix absorbuerat iniquitas, qui adueniente virga diuina correctionis, velut de somno graui ac mortis imperio excitati, vitam in melius commutauerunt, & opera tenebrarum abijcientes, armis lucis induti sunt. Ideo debet quilibet in tribulatione suæ infirmitatis esse patiens, beati Apostoli exemplo in ipso gloriari, qui dicit in verbo thematis præsumpto. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis &c.* In quibus verbis duo facit. inuitat, ad tolerantiam pœnarum, ibi; *Libenter gloriabor.* Ostendit vtilitatem ipsarum, ibi; *Vt inhabitet.* Peccata sunt mordentes. Lactuca agrestis, pœnitentia. Vtilitas tribulationis.

PRIMO igitur inuitat ad tolerantiam pœnarum cum dicit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis,* Vbi NOTA quod miles qui in campo contra hostes pugnauit, & varias pœnas sustinuit, coràm alijs de hoc gloriatur, & pœnas quas tolerauit fortiter dimicando, periculaque enumerat, vt alios milites ad simile faciendum inuitet. Et hoc est figuratum in Alexandro Magno, qui pugnans contra inimicos suos, multas pœnalitates sustinuit & pericula, sicut patet in historia sua. Qui cum pugnaret in cambo cum principe militiæ Darij regis, quidam de Persis animo acer induit vestem & arma Macedonica, & iunctus est militibus ipsius, & post tergum Alexandri euaginato gladio tam fortiter caput eius percussit, vt galeã perforaret, & caput vulneraret, & multa pericula tolerauit. Ideò expugnato rege Dario, cum milites sui vellent eum deserere, & in Macedoniam redire, gloriatus est de forti pugna sua, & enarrans Labor corporeus quid prosit: exemplum Alexandri Magni.

ſua pericula, dicens, coram eis: Quando venimus pugnare in campis, nunquid ego ſolus ſteti ante omnes, & pro omnibus ſolus pugnaui, & pro ſaluatione veſtra & totius patriæ, abij quaſi miſſus ad Darium regem, & tradidi me multis periculis. Qui ergo vultis pergere ſoli in Macedoniam, pergite: quia vobiſcum non venio. Hoc eo dicente, erubeſcentes poſcebant veniam, dicentes: Ammodo vita noſtra eſt poſita in manibus tuis, quodcunque vis facere fac. *Et ſequitur ibidem.* Quod multa paſſi ſunt in ipſo itinere, & hoc ideo, quia viderunt & audierunt, quod rex ipſorum multa fuit paſſus pericula atque pœnas.

Sic ad propoſitum. Beatus Paulus miles IESV Chriſti, vt nos ad tolerantiam pœnarum, & infirmitatum incitaret, gloriatur in ſuis pœnis in præſenti Epiſtola, multaque pericula & varia quæ tolerauit recitat, quatenus nos ad ſuſtinentiam animaret.

I. Frequens labor. Exercitia S. Pauli.

PRIMA pœna eſt laborum frequentatio. Ipſe enim frequenter fuit in laboribus, quod vtique eſt pœnale corpori; & hoc tangit cum dicit; *In laboribus plurimis.* Nam dicit Haymon & alij Doctores quod ipſe à mane vſq; ad horam quintam labori manuum inſiſtebat, vnde victum acquirebat; & inde vſq; ad decimam horam publicè diſputabat, & plerumq; vſque ad noctem ſermonem protrahebat. Ecce quod non ſolum corpus in laboribus, ſed etiam fatigationibus animum fatigauit. Ideo etiam dicit 1. Cor. 6. *Abundantius omnibus laboraui.* Et quid per hoc vult niſi nos ad frequentationem laborum, & tolerantiam hortari? Ad quid autem proſit labor corporalis, dixi in Prologo vbi ſupra A. A.

II. Pœna carceris.

SECVNDA pœna eſt, carcerum mancipatio; quia multas pœnas pertulit carcerum. Acto. 16. *Cum irent ad locum orationis, obuiauit eis quadam puella, ſpiritum habens diuinationis, quæ quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis diuinando. Hæc ſubſecuta Paulum & ſocios ſuos, clamabat. Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viã ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus*, quia noluit habere teſtimonium ſanctitatis à dæmone, *& conuerſus dixit ſpiritui: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt eadem hora. Videntes autem Domini eius quia exijt ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Sylam perduxerunt in forum.* Gloſſa, vbi tractabant lites, *dicentes: Hi homines conturbant ciuitatem noſtram. Cucurrit igitur plebs aduerſus eos, & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum*, ſcilicet Pauli & Sylæ, *iuſſerunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt in carcerem, præcipientes cuſtodi vt diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale præceptum accepiſſet, miſit eos in carcerem interiorem, & pedes eorum ſtrinxit ligno.* Ideo dicit hic *In carceribus abundantius.*

III. Plagarum illatio. Liber paſſionũ S. Pauli.

TERTIA pœna fuit plagarum illatio, quam tangit ibi; *In plagis ſupra modum.* De plagis ſuis ſtatim dictum eſt ſuprà. Refert etiam Haymon & allegat Bedam, qui dicit librum delatum eſſe Roma, in quo omnes labores & paſſiones Apoſtoli benè depictæ erant; inter quæ omnia depictus erat Apoſtolus, quaſi nudatus iaceret in terra, & ſuper aſtabat ei tortor quadrifidum habens flagellum, in manu retinentem res aliquas, ad feriendum habebat extentas. Si enim quaternis fidibus percuteret, decies, quadraginta plagas faceret: ſi autem trinis terdecies feriret, triginta ictus impleret: vel ſi nonies feriret quaternis fidibus, & decima vice ternis, triginta nouem plagas daret. Et hanc pœnam etiam tangit cum dicit: *A Iudæis quinquies,* id eſt

id est quinque vicibus, *quadragenas* scilicet percussiones, *minus vna accepi*, id est, triginta nouem.

Circa quod NOTA, quod Deut. 25. præcipitur iudicibus pro minoribus culpis, pro quibus mors non est inferenda, vt imponant plagas & verbera, ita quod per quadragenarium numerum iactura non excedat. Sapientes verò Iudæorum ad prætendendam pietatem ordinauerunt, vt de illo numero aliquid diminueretur, plus vel minus, pro vt rationabiliter videretur, ratione delicti vel conditionis verberandi: & sic de alijs circumstantijs. Et quia Paulus erat eis odiosus, de illo numero minus quàm potuerant, subtraxerunt, libentius adhuc centum addidissent, si ausi fuissent.

Sed dicis. Videtur mihi quod Paulus hic contra seipsum est, cum dicit: *In plagis suprà modum*. Si enim supra modum passus est, quare tunc dicit 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* *Ad hoc responde*, quod Apostolus multa passus est supra modum humanæ fragilitatis, & hoc etiam innuit cum dicit: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus*. Quia cæsus est à gentibus Actor. 16. vt patet vbi suprà. Et Act. 22. legitur quod Tribunus iussit eum flagellis cædi, & torqueri, & hoc fuit vltra modum humanum, sed tamen non fuit suprà virtutem Dei. Namq; Dei virtute potuit plagas & flagellationes ferre & superare. Obiectio.

QVARTA pœna fuit mortis deprecatio: quia multoties turba deprecabatur eius mortem, vt Actor. 21. legitur, quod sequebatur eum multitudo populi clamans; *Tolle eum* Gloss. de vita præsenti tanquam viuere indignum. Et Actor. 22. dicitur quod dixerunt. *Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.* Ideò dicit hic quod in *mortibus fuit frequenter* quia multotiens fuit in periculo mortis & desperatione vitæ. *IV.* Deprecari mortem.

QVINTA pœna erat corporis naufragatio, quod tangit cum dicit: *Ter naufragium feci, nocte ac die in profundo mari fui.* Quia vt tradunt Doctores quod veritate prolapsus est casu in mare, vbi circumuentus fluctibus die simul ac nocte extitit, sed postea Domino gubernante, saluus ad terram redijt. *V.* Naufragia corporale.

SEXTA pœna est periculorum perpessio, quorum aliqua fuerunt in fluminibus, aliqua in ciuitatibus, aliqua in solitudinibus. *Primum* periculum dicit se passum in fluminibus, cum dicit: *Periculis fluminum*, quia propter salutem populorum, sæpe solitus erat, etiam hyemali tempore, transire de loco ad locum, vbi interfuit periculis fluuiorum. *Secundum* periculum fuit latronum. Quia sæpè Pseudoapostoli & Iudæi increduli, immittebant ei latrones, vt ab illis necaretur. & sic de alijs. Et quia tanta passus est miles Christi Paulus, ideo nobis in exemplum meritò gloriatur de illis, vt nos similiter aduersa & infirmitates patienter & glorianter toleremus. *VI.* Periculorũ perpessio. 1. 2.

Vbi vlterius NOTANDVM, quod quilibet homo debet libenter in infirmitatibus suis, propter multa bona quæ facit infirmitas, esse patiens. *Primum* est quod vitia sanat, quod probatur in leone de quo dicit Plinius in specu. natu. quod febrem quartanam cum ipse patitur, hunc morbum adeo naturaliter sustinet, vt eius feritas & iracundia temperetur, aut dometur. Similiter in hominibus diuersæ infirmitates, corrigunt diuersas iniquitates, iuxta illud Ecclesi. 20. *Liuor vulneribus absterget mala, & plagam in secretioribus ventris.* Ideo refert Gullel. in Apiario. Vir nobilis & præclarus in Burgundiæ partibus qui aliquanto tempore in iuuentute sinceriter conuer- Q Infirmitatis bona. *I.* Vitia sanat.

 satus,

ſtatus, poſtea à virtutibus tabeſcens cœpit ad vitia declinare. Nec mora, Deo volente cecidit in languorem, nec tamen Dei manum caſtigantis agnouit, ſed mala malis cumulauit: Cumque nulla medicorum cura proficeret, nec ei aliquis languentis vitæ cauſas aperiret, tandem in ſe reuerſus, ſolam cauſam languoris peccatum eſſe intellexit. Ideo confeſſus cum lacrymis cuidam ſancto ſacerdoti, ſtatim vt beneficium abſolutionis accepit, in ſimilitudinem ſeptem bufonum in facie, ſed indiuerſificata poſterius alia cute teterrima & deprauata, quaſi vitia ſeptem de ore ſimul eiecit. Mira res, vix modico temporis ſpatio interiecto, in tabem animalibus reſolutis, reflorere cœpit caro prorſus in facie pænitentis, menteq; & corpore integerrimè ſoſpitatus, multis poſtea in exemplum.

Exemplum.

II. A peccatis præſeruat. SECVNDO à peccatis futuris præſeruat, iuxta illud Eccleſ. 1. *Infirmitas grauis ſobriam facit animam.* Cum enim aliquis eſt infirmus, ſenſus ſui ſeruantur ne ad illicita declinent. Ideò legitur in vitis Patrũ de quodã ſanctoEremita qui inter cæteras virtutes habebat gratiam infirmis miniſtrare. Admonitus igitur per viſionẽ, iuit ad proximam ciuitatem, vbi in porta vidit quendam horribilem infirmum & fœtidum, quem etiam leproſi inter ſe ſuſtinere non valebant. Cui ſanctus Eremita ſeruire cœpit, & reſpondit infirmus: Sit Deus altiſſimus benedictus, qui mihi donauit hanc infirmitatem; ſed timeo, vt mihi Deus minuat præmium, propter tuum humile ſeruitium. Et ille. Non eſt ita, ſed pro mea mercede iuſſus ſum huc venire. Expletis igitur annis viginti quinque, infirmus cœpit deoſculari manus Eremitæ, gratias referens de pietate. Eremita autem probat Dominum, vt oſtenderet ei, qualiter hæc ſancta anima egrederetur: & oſtenſum eſt ei. Cumque ad horam nouiſſimam veniſſet, audiuit vocem de cœlo dicentem: Veni dilecte mi ad gaudia. Tunc illa fœlix anima ad omnes ſenſus corporis dicebat: Vobis regratior, quia mihi obediſtis; oculi, vanitatem non concupiſtis; aures, vanitatem non audiſtis; manus, in delicijs delectatæ non eſtis; pedes, ad vana non cucurriſtis; olfactus, delicias contempſiſtis; guſtus, aliquid delicatè non ediſtis. Exſpecta igitur corpus meum dilectum quieſcens in pace, vt tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem. Et hoc dicto, cum conſentu Angelico anima ſancta ad cœlum eleuata eſt. Ecce qualiter per infirmitatem præſeruatus fuit, ne ſenſus corporales ad illicita laberentur. Et felix verè eſt illa anima hominis, quæ poteſt huiuſmodi verba dicere ſenſibus ſuis.

Exemplum.

Iſto modo, quoad præſens glorioſum lumen omnium Eccleſiarum beatus Paulus, infirmitatem patiebatur, vt à ſuperbia præſeruaretur. Et dicunt quidam Doctores, Apoſtolorum infirmitatem capitis habuiſſe: alij dicunt quod grauiter fuit vexatus iliaca paſſione. Vel, hæc infirmitas fuit tentatio carnalis peccati, quæ fortius concupiſcentiam mouebat. Ideò dicit ſic. *ne magnitudo reuelationum extollat me,* in ſuperbiam, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* Gloſſa, vt per infirmitatem carnis conſeruetur virginitas mentis. Sed quia iſte ſtimulus carnis incendebatur à diabolo, ideo vocat eũ nuntium Sathanæ, *vt me colaphizet,* Diabolus enim Deo permittente illam iliacam paſſionem continuat, vt carnis concupiſcentiam ſuis tentationibus incendat. *Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me. Et dixit mihi; ſufficit tibi gratia mea;* quaſi diceret, non eſt tibi neceſſarium, quod à te diſcedat infirmitas corporalis. Quia gratia mea quam habes, eſt vita vigoroſa, vt abſque

ea impossibiliter possit infirmitas tolerari, & tentatio superari; & sic infirmitas cedit tibi ad vitæ meritum & auxilium.

Et NOTA quod dicit Glossa. Sicut medicus corporalis permittit vel procurat minorem læsionem, vt præseruet maiorem; ita Deus permittit aliquando sanctos corporaliter affligi, vel tentari, aliquando labi in peccata minora, vt à maioribus præseruentur. Quia sic humiliati recurrunt ad diuinum auxilium, de semel de suis meritis nullatenus confidentes. *Et addit Glossa*; singularis excellentia, multoties est causa superbiæ. Quia dicit Augustinus: Cetera vitia in malefactis videntur valere, sola superbia in beneficijs cauenda est. Et hæc quidem excellentia erat in Apostolo propter tria. *Primò* propter electionem spiritualem, de qua habetur Actor. 9. *Vas electionis mihi est iste* &c. *Secundò* propter Dei cognitionem, quam habuit in raptu; de quo hic in Epistola; *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue extra corpus, siue in corpore, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi usq; ad tertium cælum* scilicet empyreum; *Et audiuit arcana*, vbi ponitur auditus corũ, quæ non licet homini loqui: quia secundum Augustinum lib. de vita, vidit essentiam diuinam; vel secundum alios, vidit *arcana, quæ non licet* &c. Quia sibi reuelatum est, quod ex intuitu primo in omnibus hominibus cognouit quis esset prædestinatus, quæ non licet homini loqui: quia si diceretur alicui, tu es prædestinatus ad gloriam, & tu ad pœnam, posset aliquis audacius peccare.

Cur Deus aliquando sanctos affligi permittat.

1. 2.

Tertio propter integritatem virginalem, quam habuit 1. Cor. 7. *Volo omnes homines esse, vt meipsum*. Ideo Dominus dedit sibi remedium contra eleuationem superbiæ; & hoc fuit infirmitas, de qua dicit. *Quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*. Et secundũ Haymonem, nomine infirmitatis, comprehendit omnia incommoda, & passiones quas suscepit pro Christi nomine, pro quibus gloriabatur.

3. *Integritas virginalis.*

TERTIO infirmitas corporalis carnem domat & spiritum roborat. 2. Cor. 12. *Cum infirmior, tunc fortior sum, & potens*. Et hic dicit: *Virtus in infirmitate perficitur*, quod quadrupliciter potest intelligi. *Vno modo* materialiter, in quantum infirmitas est materia virtutis exercendæ, scilicet humilitatis, patientiæ & temperantiæ. Debilitantur enim vires per infirmitatem, & homo temperatior & perfectior efficitur. *Alio modo* occasionaliter. Nam infirmitas est occasio perueniendi ad perfectionẽ, in quantum homo propriam fragilitatem cognoscens, cautior redditur ad præcauendum, & resistendum peccatis; & per consequens exercitatior in bonis, & sic fortior efficitur, vt dicit Nicolaus de Lyra. Et hoc patet in filia sancti Petri dicta Petronilla, quæ cum nimis esset pulcra, ex volũtate patris febribus laborabat. Cum autem discipuli discumberent apud Petrum, dixerunt ei: Cum homines à te sanentur infirmi, cur Petronillam iacere permittis? Ad quod Petrus; *quia sic ei expedit*. Veruntamen ne putetis imbecillitatem infirmitatis eius, ait ad illam. Surge Petronilla velociter, & ministra nobis. Quæ statim sanata surrexit, & ministrauit. Completo ministerio dixit ei Petrus. Petronilla redi: Et vt prius laborare cœpit, quousq; in Dei amore cœpit esse perfecta, tunc eam perfectè sanauit.

III. Carnem domat. Verba S. Pauli intelligẽda. 1. Materialiter 2. Occasionaliter.

QVARTO, contemtum huius vitæ parat; sicut patet de Iob, qui in infirmitate dixit, cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ*.

IV. Vitæ huius contemtum parat

QVINTO quia euidens signum diuini amoris præstat, iuxta illud Tob. 12. *Quia acceptus eras, necesse fuit vt tentatio probaret te*.

V. Signum amoris Dei præstat.

SEXTO

VI. Ad Deũ ire compellit. Exemplum. SEXTO quia ad Deum ire accelerat, iuxta illud Psalmi 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* De his refert Cæsarius exemplum. Erat quidam miles tantæ virtutis ac probitatis; vt in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim dextrarios acquireret, qui scilicet vir eundem honorem secularem, non suis viribus sed Deo ascribens, omnia restituit, & sodalibus cũ seculo valedixit, in Lickaim monasterio quodam habitum religionis suscepit. Et quia electos suos probat Dominus, tanta infirmitate flagellauit eum, vt vermes de corpore eius indesinenter scaturirent. Quorum fœtorem simul & horrorem, cum ministri sustinere non possent, ait Abbas cuidam fratri nomine Adam; quid faciemus frater, cum homine isto? Respondit ille. Dentur mihi quatuor linteamina, & pro Christi nomine curam illius suscipiam. Quod cum factum fuisset, assidua pannorum mutatione, fœtorem temperauit tam sibi quam infirmo. Cum dies adesset tantæ remunerationis, tantæ patientiæ, ait Adæ: Sternite mihi mappam & pulsate tabulam, quia Dominus vocat me. Et fecit sic: Veniente conuentu post dictam Litaniam, cum penè omnes ad lacrymas concitasset verbis compunctionis, subiunxit. Modo ite Domini mei dilectissimi, & dicite Missas vestras, quia Saluator mundi, & gloriosa eius genitrix cum angelis: & multitudo sanctorum illuc venturi sunt: Postea reuertimini cum eis, quia animam meam suscipient. Interim dum Missas dicerent, spiritu prophetico, omnia quæ in monasterio agebantur, indicauit, dicens: Tales Missæ, à talibus Sacerdotibus, ad talia altaria celebrantur. Et miratus est Adam valde de homine laico. Reuertente itaque Conuentu, ille vultu iucundo sic ait: Ecce Christus cum Maria matre, & sanctis, præsens est, habentes manum sub mento meo, & iam suscipient animam meam, nec mihi credatis, si in instanti non fuero mortuus. Ad quod verbum mox expirauit, morte verba confirmans. De cuius corpore illico tantus odor exiuit, vt omnes illius suauitate reficerentur circumstantes. Ideo propter tale præmium quod Deus daturus est patienter infirmitates sustinentibus, debet quilibet dicere cum Apostolo verbum prælibatum: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.*

DE EADEM DOMINICA.

Sermo Secundus, ex Euangelio.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Lucæ 8.

R PRudens Agricola diligenter arat agrum, euellendo herbas inutiles: & nisi ipsum benè araret & spinas eiiceret, semen in ipsum iactum non proficeret, sed fortè deficeret & periret. De hoc etiam dicit Venerabilis Boëtius lib. 3. metro. 1.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arua prius fruticibus,
Falce rubos, filicemq; resecat,
Vt noua fruge grauis Ceres eat.

MORALITER. Per agricolam prudentem, intellige quemlibet Christianum hominem. Sed ager eius est ipsius cor vel anima, quam debet diligenter arare, cum spiri-

ſpirituali vomere virtutum, euellendo inutiles ſpinas & herbas vitiorum, ne ſemen diuini verbi in ipſam iactatum pereat, ſed potius in augmentum fructuum virtuoſorum creſcat. Et de hoc pulchrè loquitur Ambroſius ſuper Pſalm. 36. verſu 2. dicens. Rectè dicit Propheta, *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius.* Quæ eſt terra quam ſuadet inhabitandam, niſi anima tua, quam benè colere debes, frequenter ſpiritualibus arare vomeribus, ne longo inareſcat ſitu. Et hoc declarat per exemplum. Bonus enim agricola, quotidiana operatione & peruigili ſolicitudine, exercet agrum ſuum, & propria cura cuſtodit *ne deuaſtet eum aper de ſilua* & fructus maturos eripiat. Sic & tu ara terram tuam, ſcilicet cordis vel animæ vt cum venerit qui ſeminat verbum Dei, animam tuam inueniat præparatam, ne ſupra incultam cordis tui decidat ſemen, & veniant aues cœli & diripiant quod fuerit ſeminatum. Quilibet igitur noſtrum colat agrum cordis ſui, & animæ ſuæ, ne incultus & aridus ſiccitate, ſentibus repleatur, & ſpinis vitiorum, & iniquitatum, ſed vt fructus afferat bonitatis, charitatis & patientiæ: quia dicit Euangelium: *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*, quaſi diceret: Ex quo iam paratus eſt ſeminator, vt ſemen iaciat, Idcircò para & tu agrum cordis, ne ſemen ab eo iactatum in ipſum, pereat. In quo quidem Euangelio tria tanguntur per ordinem, ſcilicet, ſimilitudinis propoſitio, ibi; *Exiit qui ſeminat.* Depoſitionis inquiſitio, ibi; *Interrogauerunt*, Inquiſitionis aperitio, ibi; *Semen.*

PRIMO hoc Euangelium exponitur anagogicè, vt per illum qui exijt ſeminare ſemen intelligatur primus Deus pater, qui exijt ſeminare, ſemen manifeſtando, & duplex ſemen ſeminando. Primum ſemen fuit natura Angelica. Et quando hoc ſemen angelicum ſeminauit? Volunt quidam Doctores, & ponit Magiſter lib. 2. ſent. diſt. 2. cap. 2. quod ante omnem creaturam creati ſunt angeli, & probat per hoc quod ponit Eccleſ. 1. *Omnium primo creata eſt Sapientia*, quod ſecundum Hugonem de Sacramento lib. 1. part. 5. cap. 2. intelligitur de Angelica natura, quæ in ſcriptura dicitur ſæpe lux & ſapientia Dei. Nam ſapientia illa, quæ eſt DEVS, creata non eſt. Filius enim ſapientia Patris, genita eſt, non facta nec creata, & tota Trinitas vna ſapientia eſt, quæ nec facta, nec creata eſt, nec genita, nec procedens: igitur de Angelica vita illud accipiendum eſt. S Angeli quãdo creati.

Sed contra hoc arguit Magiſter. Rurſus alia ſcriptura ait Geneſ. 1. *In principio Deus creauit cœlum & terram*; Et Propheta in Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, &c.* vbi videtur quædam contrarietas oriri, ex aſſertionibus iſtis. Nam ſi primo omnium creata eſt ſapientia, omnia poſt ipſam facta videntur; Cœlum & terra, & ipſa ſapientia facta eſt ante cœlum & terram. Ad hoc concordandum dicit Magiſter, & eſt originaliter Hugonis lib. 2. ſent. diſt. 2. cap. 3. videtur hoc eſſe tenendum, quod ſimul creata eſt ſpiritualis creatura, id eſt Angelica & corporalis ſecundum quod poteſt dici illud Eccleſ. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, id eſt ſpiritualem & corporalem creaturam. Et ita nõ prius tempore creati ſunt angeli, quàm illa corporalis materia quatuor elementorum, & tamen primo omnium creata eſt ſapientia; quia ſi non tempore, præcedit tamen dignitate. Ex quo apertè patet quando hoc angelicum ſemen à Deo ſit ſeminatum, id eſt creatum. Sed dum ſeminauit illud, aliqua pars, quaſi tertia, cecidit ſecus viam. Via ſpiritualiter eſt Chriſtus ſicut ipſe teſtatur Ioan. 14. *Ego ſum via; veritas, & vita.*

T In hac via non manserunt, sed ab ea declinauerunt, dum superbæ cogitationis semitas fecerunt, & sic malus vultur, id est superbia, illud deuorauit: quia superbia fuit causa ruinæ eorum & conculcationis quia dicit Thomasius in scripto distinct. 1. Superbia prout dicitur appetitus inordinatus, propriæ excellentiæ & pulchritudinis, & præcipuè in dignitate & honore fuit in angelo, quia desiderabat eminentiam dignitatis, ex motiuo propriæ excellentiæ, & dignitatis, & pulchritudinis. Cui concordat Thom. part. 1. q. 63. art. 2. In angelis non potuerunt peccata esse secundum affectum nisi superbia, quamuis secundum reatum omnia peccata esse in eis possent.

Casus angelorum. Quid superbia.

Christus petra. Alia pars illius seminis cecidit supra petram. Quid est petra nisi Christus de quo Apostolus 1. Cor. 5. *Petra autem erat Christus.* Super hanc petram cecidit Lucifer, quando sibi per æqualitatem potentiæ similis esse voluit, vt dicit Magister lib. 2. dist. 6. Sed Parisiensis dicit, quod non appetijt æqualitatem Dei, quia illud fuit sibi inæstimabile. Etiam quia non potuit appetere suum non esse, ideò dicendum est, quòd indirectè æqualitatem DEI appetijt. Quia appetijt non subesse alicui, & in hoc esse æqualis DEO secundum assimilationem, sed hoc appetijt modo inordinato, scilicet ex puris naturalibus, & ideo peccauit. Hæc ille. Et secundum hoc dicere potes quod illud semen angelicum supra petram cecidit quando Domino Deo subesse noluit. Et secundum hoc dicit Thomasius vbi suprà, potest dici quod angelus appetijt non subesse Domino, quia tota bonitas angeli in hoc est, quod subest Deo. Sicut creata claritas aëris in hoc est, quod subijcitur radijs solis. Et quia alia pars illius seminis cecidit suprà petram, meritò aruit, quia non habuit humorem, scilicet gratiæ.

Gratia duplex: gratis data, & gratum faciens: Circa quod NOTA quod gratia est duplex. Vna *gratis data*, alia *gratum faciens.* Primam, habuit angelica natura, quia in multo decore spirituali & sapientia, immò in magna pinguedine Spiritus sancti. Quantum ad gratiam *gratis datam* creati sunt angeli, vt dicit Hieronymus super illo verbo Oseæ 3. cap. *Diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinaria vuarum.* Per vinaria vuarum, vt inquit Hieronymus, intelliguntur dæmones, qui in magna pinguedine Spiritus sancti sunt creati. Sed gratiam *gratum facientem,* vt dicunt Doctores, non habuerunt, & hæc potest dici gratia cooperans, de qua dicit Magister lib. 2. dist. 5. cap. 4. Non indigebat angelus gratia per quam iustificaretur, quia malus non erat, intellige ante casum, sed quo ad diligendum Deum perfectè, & ad obediendum adiuuaretur; sed hæc gratia cooperans data est angelis qui perstiterunt, per quam conuersi sunt vt Deum perfectè diligerent.

Quæstio ardua. Sed diceres. Ex quo illi qui ceciderunt, honorem gratiæ cooperantis non habuerunt. Ideo non mirum si in peccata irruerunt. Hoc etiam tangit Magister vbi suprà cap. 5. A quibusdam dici solet, non esse imputandum illis qui auersi sunt & non conuersi, quia sine gratia conuerti non poterant; sed illa non est eis data, nec culpa illorum fuit quod non est data, quia in eis nulla culpa adhuc præcesserat. *Respondet* Magister dicens. Ad quod dici potest, quoniam quibus apposita fuit ipsa gratia, non fuit ex meritis ipsorum: quasi diceret, sed ex parte Dei, alioquin iam non esset gratia, sed esset ex merito, quod esset si ante gratiam daretur. *Et subdit,* Quod verò alijs, scilicet malis, non est data, culpa illorum fuit: quia stare noluerunt quousq; gratia.

Responsio.

gratia apponeretur, sicut alij perstiterunt, donec illis cadentibus per superbiam, gratia eis est apposita.

Item alia huius seminis pars cecidit inter spinas. Quid per spinas ad præsens intelligitur? Dic PRIMO quod inuidia, quia sicut spina pungit tangentem, sic inuidia suum possessorem; quia est proprij auctoris corrosiua. Inter has spinas inuidiæ, mali angeli ceciderunt, quando post superbiam etiam inuidiam assumpserunt, quia dicit Thomasius in Scripto dist. 1. Videns angelus de dignitate suæ naturæ, qua creaturis alijs præeminebat, noluit quod in alijs deriuaretur bonitas & beatitudo ab ipso. V Spinæ significant. I. Inuidiam.

SECVNDO per spinas intelligitur auaritia, in quam etiam cecidit, quando vltra illud quod sibi datum fuit vsurpare voluit. Quia dicit Thomas in 1. parte q. 63. art. 2. Quod auaritia dicitur omnis inordinata seu immoderata cupiditas habendi quodcunque bonum creatum, sic auaritia continetur in superbia. Et quia angeli habuerunt superbiam hoc modo habuerunt & auaritiam. Ex quo habes quod semen angelicæ naturæ, inter spinas inuidiæ simul & auaritiæ cecidit, & inter ortas spinas suffocatum fuit. II. Auaritiam.

Item alia pars angelorum, & maior cecidit in terram bonam, quia alijs cadentibus secus viam, supra petram, & inter spinas, vt iam prædixit; *Alii* Deo per dilectionem adhæserunt, sicut dicit de hoc Magister lib 2. distinct. 5. cap. 1. Post creationem namque mox quidam conuersi sunt ad suum creatorem, quidam auersi. Insuper declarat hæc dicens: Conuerti ad Dominum, fuit ei in charitate adhærere, quasi diceret hæc conuersio non fuit corporalis, vel localis, sed spiritualis: Auerti autem, odio habere vel inuidere Deo. Inuidiæ namque mater est superbia, qua voluerunt se parificare Deo. In conuersis quasi in speculo relucere cœpit Dei sapientia, qua illuminati sunt. Et infrà eod. lib. distinct. 7. cap. 1. dicit, quod angeli qui perstiterunt, per gratiam confirmati sunt, ita quod peccare nequeunt. Ecce qualiter maior pars seminis angelici in bonam terram cecidit. De qua Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Ideo fructum non solum centesimum, sed quasi infinitum, in sancta Ecclesia fecit. In hoc enim quod angeli boni, homines ad bonum inducunt, sic fructum facit. Semen in terram bonam.

SECVNDO exiuit Deus pater per suam beneuolentiam, secundum semen scilicet naturam humanam, seminando. Et hoc factum fuit feria sexta post mundi creationem; & illud semen seminauit in paradisum. Quia dicit Magister lib. 2. distinct. 17. cap. 5. *Hominem autem formatum tulit Deus* (vt scriptura docet Genes. 2.) *& posuit in paradiso voluptatis, quam plantauerat à principio*. Et hoc semen cecidit supra petram superbiæ, & inter spinas auaritiæ. Quia dicit Bonauentura in scripto q. 1. Peccatum mulieris inchoatum fuit in superbia, progressum habuit in auaritia, & consummationem in gula. Nā *primò* diabolus promisit eis dignitatis excellentiam, cum dixit: *Eritis sicut Dii. Secundò* scientiæ abundantiam, cum dixit: *Scientes bonum & malum. Postremò* prætendit suauitatis experientiam, cum ostendit *lignum pulchrum visu, ad vescendum suaue*. Hæc Bonauentura. Et quia hoc semen cecidit suprà petram superbiæ, & inter spinas, ideò aruit: quia humorem gratiæ gratum facientis non habuit, nec in tali gratia creatus fuit, vt dicit Augustinus libro vndecimo de ciuitate DEI, cap. 12. Dicit tamen Magister lib. 2. distinct. 24. cap. 1. quod homini in- X Secundum semen. Petra Superbiæ.

creatione datum est per gratiam auxilium, & collata potentia, per quam poterat stare, id est non declinare ab eo quod acceperat, sed non poterat proficere in tantum, vt per gratiam creationis sine alia salutem mereri posset, aut valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed non perficere bonum: Poterat tamen per illud benè viuere quodammodo, quia poterat viuere sine peccato, sed non poterat sine alio gratiæ adiutorio spiritualiter viuere, quo vitam mereretur æternam. Hæc Magister. Vide qualiter illud semen generis humani supra petram aruit, & inter spinas auaritiæ suffocatum fuit.

Via luxuriæ. Est tamen NOTANDVM, quòd quasi totum semen humani generis cecidit iuxta viam luxuriæ, supra petram superbiæ, & inter spinas auaritiæ. Quia *omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est.* Glossa, quæ viget in voluptuosis, *& concupiscentia oculorum*, quæ secundum Glossam est in auaris, *& superbia vitæ.* Hoc semen ideò conculcatum est, & volucres cœli, id est Dæmones, comederunt illud, sicut principaliter patet in Sodomiticis peccatoribus, & luxuriosis, qui in diluuio perierunt, & ad infernum descenderunt, & esca dæmonibus facti fuerunt. Quod tamen non est intelligendum de omnibus, quia fortassis aliqui inter flagella pœnitentiam egerunt, & si breuem, vel momentaneam, non tamen respuit Deus, vt dicitur, de pœnitent. dist. 3. §. auctoritas. Similiter hoc semen humanum, quod cecidit supra petram superbiæ merito aruit; quia gratiæ humore caruit. Quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* vt habetur Prouerb. 3. & Iacob. 4.

Cogitationes temporales. Quod autem cecidit inter spinas auaritiæ, & suffocatum fuit, patet. Quia cogitationes temporales suffocant bonæ intentionis fructum. Et scias quod aliqua pars seminis humani generis cecidit in terram bonam, quia vltra hos qui perierunt, adhuc fuerunt multi homines sancti, scilicet Patriarchæ, & Prophetæ, & Reges, & boni simplices, qui fecerunt bonum fructum, sicut patet de Isaia, Hieremia, Ezechiele, & sic de alijs, qui in suis libris sanctæ Ecclesiæ magnum fructum attulerunt.

Filius Dei exiuit. 1. Per sapientiam. Deinde exiuit filius per suam sapientiam; & iste exitus fuit de sinu Patris, & est inenarrabilis, ideo quia exijt, & tamen locum in quo fuit non deseruit. Ideò dicit Bernardus. Quomodo venisse dicitur, qui semper vbique est? Non ergo venit, qui non abierat, sed apparuit qui latebat. Exiens igitur venit in agrum vteri virginalis, iuxta illud Augustini. Venit ad virginem, qui erat in virgine quam creauit, & elegit. In isto igitur agro virginali seminauit tria semina.

PRIMVM erat æternum, & fuit sua Deitas, iuxta quam erat æternus, secundum illud Athanasij in Symbolo; *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.*

SECVNDVM semen, quod seminauit, erat antiquum, & illud semen fuit caro ab Adam traducta, quæ quidem fuit antiqua, quia ante quinq; millia annorum & ducentos annos plasmata.

Y TERTIVM semen fuit nouum, & significat animam, quæ de nouo fuit creata: quia dicit Augustinus quod anima creando infunditur, & infundendo creatur. Ex his tribus seminibus panis est factus, qui dicit Ioann. 6. *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi.* De isto etiam pane dicit Ambrosius lib. de Sacramentis, & habetur de consec. dist. 2. c. Panis. Iste panis viuus de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam administrat, & quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum, quia corpus

corpus Christi est. Quare autem ex seminibus factus est Cœlicus panis, figura præcessit Genes. 18. vbi legitur. *Cum eleuasset oculos* (Abraham) *apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram, Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Glossa dicit, quamuis essent tres, tamen sic apparebant quasi vnus esset principalis, quem si induceret alij sequerentur. Ideo addit loquendo ad omnes tres. *Sed afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes vestri. Qui dixerunt: Fac vt loquutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera, tria sata simile commisce, & fac subcinericios panes.* Figuræ SS. Trinitatis.

SPIRITVALITER. Tres viri sunt tres personæ in diuinis, & dicuntur à virtute, quia omnis virtus à Deo descendit Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens.* Quare autem Abraham rogauit vnum vt ad eum declinaret, patet per hoc, quia sancti Patres petebant aduentum Christi, qui est media persona in Trinitate, quia sciebant quod aliæ personæ eum sequerentur, & incarnationem eius efficerent: rectè sicut ponunt Doctores exemplũ de tribus puellis, quæ vnam tunicam induunt, & tertia earum ipsam per se induat. Exemplum illud est aliquo modo, quomodo tota Trinitas incarnationem tertiæ personæ in diuinis fecit. Quia considerando coniunctionem diuinæ & humana naturæ effectiuè, sic Pater & Filius & Spiritus sanctus fecit eam. Si autem terminatiuè consideratur, tunc solum ad filium est incarnatio determinata. Quid incarnatio effectiua, quid terminatiua.

In hoc autem quod dixit Abraham ad Saram, *Accelera tria sata, &c.* significatur desiderum sanctorum Patrum, quatenus beata Virgo Maria ad concipiendum Christum daret consensum. Ipsa tunc sata farinæ commiscuit, quando verum Deum carnem veram & animam habentem, de suo vtero concepit decursis decem mensibus, sine omni dubio, vt probat Magister lib. 3. dist. 2. ca. 2. assumpsit DEI filius carnem & animam. Ecce reliqua duo scilicet carnem mediante anima, vnitum est carni, per medium intellectum id est animam, verbum Dei. *Et subdit.* Tantæ enim subtilitatis est diuina essentia, vt corpore de limo terræ formato, vniri non congruens nisi mediante rationali essentia, id est anima. *Et infra.* Non, inquit, sunt audiendi qui non verum hominem filium Dei suscepisse dicunt, neque natum de fæmina, id est virgine, sed falsam carnem, & imaginem corporis similata, ostendisse videntibus.

SECVNDO Christus exiuit de vtero virginis per natiuitatem, de quo exitu canitur: *Et exiuit per auream portam, lux & decus vniuersa fabricæ mundi.* Iste exitus est ineffabilis, ex eo, qui hominem creauit, hominem assumpsit, angustias præsepis subijt, in paupere tugurio deguit, & *pannis inuolui voluit* Lucæ 2. Exiens igitur de vtero virginis, venit in agrum mundi, seminans tria semina. 2 Per natiuitatem. Semina Christi.

PRIMVM fuit semen doctrinæ. Mundus enim erat erroribus multis circumdatus, Dei inimicus, & diaboli seruus. Ideo Christus de paradiso attulit semen doctrinæ, vt errores diaboli dissolueret, iuxta illud 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius vt dissoluat opera diaboli.* Sed dum seminaret, aliqua pars seminis cecidit secus viam, per quam intellige statum reproborum, & stultorum, qui doctrinam Christi despexerunt; iuxta illud Prouerb. 1. *Sapientiam & doctrinam stulti despiciunt* Et Sapient. 3. *Sapientiam & disciplinam abijcit infelix.* Ideo illud semen doctrinæ Christi fuit ab eis concul- I. Doctrinæ. Semen secus viam status reproborũ.

Semē supra petram, superbia Pharisæorum. Spinæ sunt mentes auarorum. Terra bona, corda Apostolorum.

culcatum. *Alia pars* seminis doctrinæ Christi cecidit supra petram, per quam intellige superbiam pharisæorum, in quibus doctrina Christi non germinauit; quia amore & dilectione caruit. *Alia pars* cecidit inter spinas per quas intellige mentes auarorum, quorum multi erant tempore Christi sicut prophetauit Hierem. 6. *A minori vsq; ad maiorem omnes auaritiæ student.* Ideo illæ ortæ spinæ auaritiæ, in eis doctrinam Christi suffocauerunt. *Sed alia pars* seminis illius cecidit in terram bonam, per quam intellige corda Apostolorum, qui gratanter Christi doctrinam acceperunt, vt quilibet ipsorum diceret, ad Christum cum Psal. 17. *Disciplina tua ipsa me docebit.* Ideo fecit in eis fructum centuplum.

II. Gratiæ.

SECVNDVM semen Christi quod seminauit, fuit gratiæ, vt homines sibi in mundo iustificaret, iuxta illud ad Titum 3. *Iustificati gratia ipsius, heredes sumus secundum spem vitæ æternæ.* Et scias quod absque semine gratiæ Dei opus aliquod factum, quod est de genere bonorum, videtur esse lumen, attamen non esse verè lumen iuxta illud Matth. 6. *Si lumen quod est in te tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quanta erunt?* Tale opus quod fit sine gratia simile est ligno putrido, quod his qui in tenebris sunt lucidum videtur. Tale opus videtur esse aurum cum sit aurichalcum. De quo dicit Bernardus: Melius est pallens aurum, quam fulgens aurichalcum.

Similitudo ligni putridi.

III. Misericordiæ. Luxuriosi secus viam.

TERTIVM semen fuit misericordiæ, vt mundum de seruitute dæmonis liberaret, iuxta illud ad Titum 3. *Secundum suam misericordiam, saluos nos fecit.* Ideo dixit Dauid in Psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Alia* igitur *pars* illius seminis cecidit secus viam, per quam intellige luxuriosos, qui ambulant secus viam, quia non manent in via, quæ est Christus, Ioan. 14. sectando eius castitatem, sed eundo post suam voluptatem. Ideo semen misericordiæ in eis conculcatur, & putrescit, Ioel. 2. *Computruerunt iumenta in stercore suo*, quod exponit Gregorius: Iumenta in stercore suo putrescere est, homines in fœtore luxuriæ vitam finire. *Alia pars seminis* cecidit super petram, per quam intellige desperatos, qui ad instar lapidis sunt duri. Ideo semen misericordiæ in eis non fructificauit, in eò quod desperati diffidunt misericordiæ Dei.

Desperati supra petram.

Z

Desperatio quid? Exemplum.

Dicit Magister lib. 2. sent. dist. 44. cap. 1. desperatio est, qua quis penitus diffidit de Dei bonitate, existimans suam malitiam diuinæ bonitatis magnitudinem excellere, sicut Cain qui dicit, Genesis 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Similiter ille de quo scribit Cæsarius libro quarto dialog. cap. 41. Quidam conuersus cuiusdam religionis, à iuuentute vsque ad senectutem laudabiliter conuersatus est inter fratres, vt nullus eo videretur religiosor, & omnibus feruentior. Nescio quo Dei iudicio ita tristis & pusillanimis est effectus, quod tantum de peccatis suis timeret, vt de venia desperaret; nullis scripturarum auctoritatibus poterat erigi, nullis exemplis poterat ad spem veniæ reduci, modicum tamen creditur peccasse. Cui dum fratres dicerent: Quid timetis! quid habetis, quod desperatis! Respondit; Non possum sicut consueui orationes meas dicere, & ideo timeo gehennam. Positus autem in infirmaria, quodam mane ad magistrum suum venit, dicens: Non possum diutius contra Deum pugnare. Illo verò verba illius non attendente, ad piscinam monasterij iuit, & in ea se præcipitans suffocatus est. Ecce quod diuina misericordia in illo non fructificauit, quia quasi super lapidem durum cecidit. Nos autem non sic, fratres charissimi, esse debemus tam duri, vt misericordia Dei in nobis

non

non possit fructificare, nec aliquis debet de misericordia diffidere & hæsitare, quia dicit Augustinus lib. de spiritu & anima cap. 3. Nemo diffidat de misericordia Dei, quoniam maior est misericordia Dei, quàm nostra iniustitia. Et quicunque toto corde ad Deum clamauerit, exaudiet illum, quia misericors est.

Item *alia pars* seminis scilicet misericordiæ Dei, cecidit inter spinas, per quas intellige diuites iniquos, in quibus non fructificat Dei misericordia, nisi restituant malè ablata. Quia dicit regula iuris lib. 6. Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Et Augustinus 14. quest. 6. cap. 1. vbi sententia est. Rem meam surripuisti, vel violenter abstulisti, vel aliquid à me extorsisti, per vsurariam prauitatem, non remittitur tibi peccatum, & consequenter nec pœna peccati, nisi restituas rem ablatam. Sed hoc intellige, si restitui potest: de pœn. dist. 1. Ideo si potest & non restituit, Deus peccatum non dimittit, sicq; misericordia eius in cordis agro proficere non potest, sed per iniquas diuitias quas tenet, in ipso suffocatur. Diuites iniqui, sunt spinæ.

TERTIO Christus exiuit de mundo, & venit in cœlum per suam ascensionem, ibique in agro cœlesti seminauit rosas Apostolorum, & Martyrum, violas Confessorum, & lilia Virginum. Ideo dicit deuotus Amandus lib. 1. cap. 11. Ibi sancti Apostoli & amici Dei præcipui, cum summo honore in iudiciaria resident potestate; ibi Martyres rutilant roseo colore; Confessores radiant igneo fulgore; Virgines micant niueo candore. Hic conclude sermonem si videris expedire. 3. Per Ascensionem.

SECVNDO hoc Euangelium exponitur allegoricè, vt per semen verbum Dei, per seminatorem autem prædicator designetur. *Primo* enim per semen verbum Dei intelligitur, propter sex causas sicut ponit Anshelm. libro 3. similitudinum cap. 78. PRIMO, propter virtutem attractiuam; quia sicut semen attrahit ad se humorem terræ, eo quod sine humore semen non possit in fructum crescere, Dicit enim lib. 2. Petrus de Crescen. Si terra sicca est & amara, nunquam accipit medicinam, quicquid enim iungi potest tali terra totum in adustionem & salsedinem conuertitur, propter quod etiam terra ad Iouem in fabulis clamans, se legitur conquestam, de incendio solis vri. Etiam de gelicidio Saturni. Sciensque quod malicia quæ est ex frigore potest temperari, vt videlicet terra frigiditate sterilis, argilla illi, quæ est calida misceatur, non autem adustio, quæ est ex siccitate salsuginis. Ex quo claret, quod semen necessario attrahit ad se humorem, ne exsiccetur. Ita etiam semen scilicet verbum Dei attrahit ad se humorem, id est, affectionem, quia humidos efficit in gratia DEI; Et sic verbum Dei attraxit ad se Dauid regem quando dixit Psalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.* Et similiter Petrum Apostolum Ioan. 6. quando dixit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ habes.* A Expositio allegorica. Semen cur verbo Dei comparetur. 1. Habet virtutum attractiuam. Fabula.

Sic etiam attraxit verbum Dei quendam rusticum, qui nunquam bonum fecerat. Cum enim Beatus Bernardus prædicaret in quodam cæmiterio, erant duo ribaldi valdè propè, qui multa mala perpetrarant. Quorum vnus vidit homines euntes ad sermonem, voluit & ipse ire, vt audiret. Dixit alius. Quo diabolus te ducit modo. Tu nunquam fecisti bonum, iam vis audire sermonem? & incepit ei exprobrare; ille tamen non aduertens iuit. Cumque contra illos, qui malam vitam ducebant, Beatus Bernardus cœpit prædicare, cœpit ille habere contritionem, & præ dolore pro peccatis cœpit flere. Ecce, quod habuit humorem gratiæ & lacrymarum. Exemplum.

Vidit.

Vidit igitur B. Bernardus circa collum eius catenam magnam, plus quàm centum corunc.as habentem, sed ad quamlibet lacrymam cadebat vna de catena. Ille autem cœpit feruentius prædicare & vitia detestari, & peccator cœpit fortius flere ita tandem quod catena fuit vndique dissoluta. Post sermonem vocauit eum Beatus Bernardus confortans eum, & admonitione eius confessus est omnia peccata sua, & postea sanctè vixit.

2. Habet virtutem mundandi. SECVNDO verbum DEI comparatur semini propter virtutem mundificatiuam, propter semen enim terra mundificatur. & ipsum etiam terra mundificat, trahendo ad se humorem, qui aliàs in malas herbas verteretur. Sic etiam verbum DEI, mundat & purgat animam, iuxta illud verbum Ioan. 15. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

Exemplum. Quod autem verbum DEI mundat animam, habetur exemplum in Vitis patrum lib. 4. c. 106. Quidam frater dixit seni. Quicquid audio de scripturis nihil retineo, semper totus sum in immunditia. Erant enim ibi duo vasa vacua, & dixit senex: Vade, & affer de vasis illis vnum, & immitte in illud aquam, & pone vas in locum suum. Et fecit sic. Et dixit; Fac iterum sic. Et cum fecisset hoc sæpius, dixit senex. Affer modo vtraque vasa, & vide, quod eorum mundius sit. Respondit? Illud in quo aquam immisi. Cui senex; Sic etiam est de his, homo qui audit vel interrogat, quãuis enim nihil remaneat eorum, quæ audit, tamen plus mundabitur.

3. Generat sibi simile. TERTIO, propter virtutem assimilatiuam, quia non ex quolibet semine generatur quodlibet. sed ex simili simile, vt dicitur in libro Physic. quia ex tritico triticũ, ex hordeo hordeum, & ex siligine siligo generatur. &c. Sic ad præsens, quia verbum quodammodo est semen DEI, sicut Dominus per se dicit hanc parabolam dicens: *Semen est verbum Dei.* Ideo faciet homines similes Deo iuxta illud Psalm. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Et Boëtius lib. 3. prosa. 10. Vti iustitiæ adeptione iusti sapientiæ sapientes fiunt: Ita diuinitatem adeptos, Deos fieri simili ratione necesse est. *Et subdit.* Omnis igitur beatus Deus, sed natura quidem vnus, participatione verò nihil prohibet esse quàm plurimos, scilicet Deos. Idem Dominus Ioan. 10. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.*

4. Habet virtutem adiuuãdi. QVARTO, propter virtutem adminiculatiuam. Sicut enim semen adminiculatur ad generationem frumentorum futurorum, & nisi semen in agrum iactaretur, nullus fructus nasceretur, sic verbum Dei adminiculatur ad spiritualem vtilitatem & necessitatem. Ideo dicit Beatus Petrus 1. Epist. cap. 1. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui & permanentis in æternum.* Est enim peccator mortalis mortuus in anima. & hæc est mors mala, vt dicitur de pœnit. distinct. 4. cap. Dominus. Immo ipsa est pessima, Psalm. 33. *Mors peccatorum pessima.* Si ergo vult peccator renasci necesse est, vt ad hoc adminiculetur verbum Dei. Ideo legitur in Vitis patrum lib. 2. Abbas Paulus habuit hanc gratiam, vt dum ingredientium hominum in Ecclesiam facies conspiceret, cogitationes eorum si bonæ, vel malæ essent cognosceret. Cumque ergo venissent ad Ecclesiam, vidit aliquos clara facie, & læto animo ingredi, & angelos eorum cum ipsis gaudentes; Vnum tamen nigram habentem faciem, ad modum Æthiopis, & dœmones hinc inde misso freno in naribus eius, de longe sequentem tristem. Abbas igitur Paulus cœpit amarissimè flere, & pectus suum tundere, post paululum vero cum omnis congregatio illa de

Mortaliter peccans, moritur in anima.

de Ecclesia discederet. Iterum omnium vultus attendebat, & vidit illum clara facie egredi, dæmones à longe abominantes eum, sanctumque eius angelum hilarem & gaudentem. Tunc Abbas Paulus, cum magna exultatione benedixit Deum, dicens: O quam magna est miseratio Saluatoris! & ascendit in loco eminentiori dicens. Venite fratres & audita opera Domini, qui vult omnes homines saluos fieri, & exposuit, quod viderat. Et dixit huic, vt ei exponeret cogitationes & actus suos. Ille verò coram omnibus dixit, ego sum peccator, & multo tempore fornicationi deditus, mente & corpore, & egressus nunc, Ecclesiam intraui, audiui verba, quæ loquutus est Dominus per Isaiam Prophetam dicentem; *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, &c.* Ex quibus compunctus, & ingemiscens intra me dixi: Domine IESV Christe, tu es, qui venisti saluare peccatores. Ecce amodo ex toto corde confiteor, & vlterius mala non faciam, sed tibi seruiam in conscientia munda. Quibus auditis vniuersi dixerunt. *Miserator & misericors Dominus, patiens & multæ misericordiæ.* Ecce quomodo iste peccator denuo renatus per verbum DEI. Ideo dicit Dominus ad Ieremiam. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & conuertatur vnusquisq; à via sua mala.* Psal. 85.

QVINTO, propter virtutem promotiuam. Semper enim semen promouet, & procedit ad vlteriora. Quia terra, *primò*, de semine fructificat herbam: *secundò*, spicam: *tertiò*, plenum frumentum in spica: Sic etiam verbum Dei producit, *primò*, herbam in incipientibus: *secundò*, spicam in proficientibus: *tertiò*, plenum frumentum in perfectis & perseuerantibus. Ideo dicitur Malach. 4. *Et orietur vobis Sol iustitiæ, timentibus nomen meum.* Et sequitur: *Et egrediemini, & salietis sicuti vituli de armento. &c.* Semen itaque germinat, & inde crescit. Et hoc figuratum est Ionæ. 3. de Niniuitis, de quibus prophetauit Ionas: *Et post quadraginta dies Niniue subuertetur*, scilicet propter peccata eorum. *Credidit populus verbis eius.* Ecce quod semen verbi Dei germinauit per fidem. Et sequitur, quod *pœnituerunt, & se saccis à maiori vsq; ad minorem induerunt, & ieiunium indixerunt.* Ecce fructum perfectæ pœnitentiæ.

5. Habet virtutem promouendi.

SEXTO propter virtutem multiplicatiuam. quia ex vno grano seminis multa generantur. Iuxta illud 2. Corinth. 9. *Multiplicabit semen vestrum.* Sic etiam interdum ex vno verbo Dei, vel prædicatione, multi fructus generantur; quia habetur Act. 3. *Qui audierunt verbum*, scilicet sancti Petri, *crediderunt*, scilicet in Christum, *& factus est numerus eorum quinq; millia.* Ideo dixit Dominus Matth. 13. De semine, *quod cecidit in terram bonam, & dedit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.*

6. Habet virtutem multiplicandi.

SECVNDO, per seminatorem intellige prædicatorem. Et hic secundum Anselmum lib. similitudinum c. 62. debet quatuor attendere. PRIMO loci qualitatem, quia semen est secundum qualitatem loci vel terræ, densius vel rarius seminandum, quia dicit Auctor Propriet. lib. 17. quod minus est seminandum in terra pingui. In principio enim nimis crescit, & per multiplicationem nimiam, in fine mutuo se semina destruunt, & confundunt. Ideo dicit Petrus de Crescent. lib. 2. Cauendum est ne vltra semina iaciantur in agro. quod si fiant macilenta, non proficientia erunt. *Et infrà.* Omnia inquit, legumina seri iubentur in sicca terra, faba tamen in humida iubetur terra spargi, licet agris temperatis. Sic etiam in prædicatione, secundum

B Quatuor in concionatore requiruntur.

1. Loci qualitas.

 quali-

qualitatem auditorum formari debet sermo Doctorum, iuxta illud, quod ponitur in decreto 8. q. 1. c. Oportet. Et est Canon Petri: Oportet, inquit, eum qui docet & instruit animas nudas, esse talem, vt pro ingenio discentium, semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigere.

Concio cum discretione protrahenda vel breuianda.

Ex quo habetur, quod secundum dispositionem auditoris, est rarius vel frequentius, breuius vel prolixius, prædicandum. Et NOTA. Sicut ager est duplex, scilicet pinguis & macer: sic etiam homines sunt duplices: scilicet pingues, intellige diuites huius mundi, vel potentes, qui dicuntur pingues, ratione diuitiarum, vt dicit Nicolaus de Lyra super illo verbo Amos 4. *Vaccæ pingues audite verbum Domini*; vbi per vaccas pingues intelligit potentum vxores. modo sicut in agro pingui minus est seminandum, sic etiam semen verbi Dei non est in corde diuitum, vel potentum nimium iaciendum, ne forte hoc semen per solicitudinem destruatur. Quia diuites sunt minus apti ad recipiendum verbum Dei. Nec etiam in longis prædicationibus delectantur, ne in acquirendis diuitijs retardentur. Sed per agrum macrum, intellige pauperum & egenum, qui dicitur macer propter diuitiarum carentiam; & hi pauperes semper plus desiderant, semen verbi Dei petentes Dominum cum B. Augustino lib. solil. vt aperiat eis ianuas scripturarum. Ecce, inquiunt, Domine pauperes filij tui sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis ianuas tuas, & edent pauperes de pane spirituali verbi, *& saturabuntur & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Sed econtra de diuitibus, qui non audiunt verbum Dei, potest intelligi illud Psalm. 28. *Diuites eguerunt & esurierunt.*

Pauperes agro macro similes.

Psal. 21.

II. Tempus cõueniens.

SECVNDO, considerare debet temporis congruitatem: quia alicui est tardius, alicui celerius seminandum. Nam in locis humidis seminandum est celerius, ne semen imbre putrescat, & in locis aridis tardius, vt aquam præueniat, ne diu iacens penitus euanescat. Per loca humida, intelliguntur corda fluida, & ad peccandum parata, quibus debet seminator verbi Dei citius verba exhortationis imponere, antequam in putredinem criminis prolabantur. Ideo dicit Sapiens: *Ante languorem adhibe medicinam.* Eccles. 18. Sed per loca sicca & arida intelliguntur indeuoti, in quibus tardius semen exhortationis non inconsulto differtur, vt ex ipsius dilatione postea ab eis auidius suscipiatur, vel quia minus fructuosè porrigitur huiusmodi verbum sanctæ prædicationis, dum est in accedia mentis & ariditate, & fructuosè expectatur, vt ei porrigatur, postquam perfusus est aqua compunctionis. Ideo legitur Matth. 10. quod Dominus dixit Apostolis: *In viam gentium ne abieritis. & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*, scilicet ad prædicandum. quia tunc gentes erant indeuotæ, & indispositæ ad verbi Dei susceptionem. Ideo dicit Gregorius in homilia: Subtili ergo occultoque iudicio à quorundam auribus prædicatio sancta subtrahitur, qui suscitari per gratiam non merentur. Et Matth. 7. dicit. *Nolite sanctum dare canibus. & nolite projcere margaritas ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis.* Quod exponit Hieronymus in lib. Iudi. & habetur. 11. q. 3. c. Nolite recedere. Margarita, inquit, ante porcos mittitur, quando indignis verbum Dei proponitur. Ideo debet quilibet prædicator attendere temporis congruitatem, scilicet cum viderit homines magis ad suscipiendum aptiores.

Loca humida, corda fluida.

Loca sicca, indeuoti.

Margarita ante porcos quid?

III. Seminis quãtitas obseruanda.

TERTIO considerare debet seminis quantitatem; quia vt dixi ex verbis Auctoris Proprietatum, minus debet projci de semine in terra pingui & humida, quàm in

in macra: eò quòd in pingui nimis se multiplicat, sed in macra perit. Hic per terram pinguem intellige animam deuotam, in qua exhortationis semen auidius sumitur. Sed terra macra, est peccatoris cor, carens pinguedine gratiæ, in quo quia semen verbi Dei plerumque perditur, frequentius oportet, vt seminetur. Ideo dicit Dominus prædicatoribus Eccles. 11. *Mane semina semen tuum & vespere non cesset manus tua.* Quod etiam peccatoribus frequentius est prædicandum, vt habetur Isaiæ. 55. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Terra pinguis, anima deuota.

QVARTO attendere debet seminis vtilitatem. Sunt enim quædam semina vtilia, & quædam inutilia, & sterilia ad fructum producendum. Et ideo Ægyptiorum agricolæ semina sic probant: Arenam breuem loco sub acto in mense Iunij excolunt, & in ea diuisis spatijs omnia frumenta, vel leguminum semina spargunt: Deinde in ortu Caniculæ, quæ apud Roman. XIV. Kalend. Aug. tenetur, explorant quod quędam semina sidus exurit, quædam illæsa custodit. his abstinent, illa procurant. quia iudicium noxæ, vel beneficij per annum futurum, vnicuique sidus aridum, præsenti exitio vel salute præmisit, vt dicit Palladius in lib. de agricultura. IV. Seminis vtilitas.

Ad propositum. Quid per semina inutilia, quæ ad ortum Caniculæ efficiuntur arida, intelligitur? *Responde.* Quod verba prædicatorum curiosorum indeuota, quæ arent in cordibus audientium, eò quòd ex vana gloria proferuntur. Ideo dicit Beatus Hieronymus, vt habetur in Epistola Eusebij sui discipuli, Subtilium verborum Doctor, & non operum factor, est quædam auris inflatio, & veritatis fumus, citò transiens sine fructu. Sed illa verborum semina sunt vtilia, quæ humore deuotionis sunt plena, & quæ Canicula, id est, mordacitas, vel inanis gloria, non desiccat. De illo semine dicitur Matth. 13. *Seminauit bonum semen in agro suo.*

QVINTO, adde hoc, quod prædicator debet attendere præmiorum varietatem. Omnis enim prædicator, qui semina bonæ operationis præmittit, fructus prædicationis colligit, vt dicit S. Gregorius. Ideo legitur. Quidam sacerdos bonus prædicator, dum morti appropinquaret, quidam eius amicus in Domino adiurauit, se vt post mortem suam tertio die de statu suo certificaret. Mortuus igitur apparuit ei, vt petiuit, tertio die, in cappa scarletica tota aureis monilibus decorata, inter quæ vnum incomparabiliter ab alijs distans, habebat in pectore. Qui cum de statu suo requisisset, & ille se benè habere respondisset, quæsiuit: Cur in tali veste incederet. Et ille. Hanc, inquit vestem habeo propter zelum & amorem, quem habui ad proximos. Monilia autem tot accepi, quot peccatores conuerti. Monile autem, quod vides in pectore, ideo accepi; quia vnum peccatorem accepi, de quo nulla spes erat salutis. Et ille. Quis est, inquit, status parochialium plebanorum. Respondit: Pauci saluantur, quia viam latam, quæ ducit ad infernum, suis subditis sic replent, vt eos vix capiat cœlum. Nam ipsi tanta vigent cupiditate, vt nihil curent de animabus. Et inquit. Periculosius hoc vnum est. quia illud, quod debent in vsus pauperum conuertere, cum personis vilibus consumunt, & expendunt. Et sic disparuit. Ecce audiuit vestra caritas, quod per semen verbi Dei, per seminatorem quilibet prædicator, subauditur. V. Præmiorum varietas. Exemplum. Status parochorum periculosus.

dogmatum lib. 2. Dæmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressiuè vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit scilicet mentem, qui natura subsistens incorporeus captabilis est suæ facturæ, vt dicit Magister lib. 2. dis. 8. Ecce hic videtur insinuari, quod non substantialiter illabantur dæmones, vel introeant in corda hominum. Et allegat Bedam, qui dicit super Act. 5. vbi Petrus ait Ananiæ: *Cur tentauit*, vel impleuit, *Sathanas cor & mentem tuam.*

Dicit NOTANTER, quod mentem hominis, iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas. quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctũ, anima de his, quæ sunt creata, impletur. Implet vero Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in sensum, id est, animam eius; neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callida & fraudulenta deceptione, animã in affectum malitiæ trahens, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est Implet ergo Sathanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiosè suum virus inserendo. Hæc Beda.

SECVNDO, quidem occupant corda sua peccato superbiæ, vt fiant duriora lapide, secundum illud Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*, ideo verbum Dei non potest in eis germinare, eo quod carent gratiæ humore. Ita legitur Exod. 5. de Pharaone superbo, qui ex duritia mentis non recepit verbum Domini. Cum enim Moyses diceret ei, vt populum dimitteret, vt sibi in deserto sacrificaret; ait: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius. Nescio Dominum & non dimittam Israël.*

Exemplum de superbia. Sic legitur de alio superbo nobili, qui potens erat, & quadam die cum esset in magno gaudio, & multos nobiles inuitasset, dixit eis: Quis est, qui mihi resistere possit? Respondit sibi miles quidam senex, dicens: Ille, qui exaltat humiles, & superbos humiliat, scilicet Deus, qui nos creauit, & tibi omnia hæc, quæ possides dedit. Ille ait; Et quæ ego habeo ex iure hæreditario possideo, & ea per memetipsum acquisiui, & augmentaui. Quod cum dixisset coram omnibus subitò expirauit, & diabolica turba ipsius animam in infernum deportauit. Ecce, quod verbum illud in ipso non fructificauit quia supra petram cecidit.

TERTIO quidam occupant corda sua peccato auaritiæ, & ideò semen verbi Dei non potest in ipsis germinare. Ratio illius est, quia sicut semen inter spinas seminatũ suffocatur, sic verbi Dei semina suscepta in corda auarorũ, extinguuntur: quia in corde auari sunt omnia peccata capitalia. *Primo*, est ibi superbia. Eccl. 21. *Domus, quæ est nimis locuples, annullabitur superbia. Secundo* ibi est ira, Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot. Erat enim superbia eorum multa. & nequibant habitare simul. Tertio*, ibi est inuidia, Pro. 11. *Vir qui festinat ditari, inuidet alienis, & ignorat quod egestas superueniat ei*. Ideo dicit Grego. de viro iusto. Per hoc, quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. *Quarto*, ibi est acedia, Iere. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua*, &c. *Quintò*, ibi vitium gulæ, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos*, &c. *Sextò*, ibi est luxuria, Eccl. 47. *Collegisti quasi aurichalcum aurum & complesti quasi plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quanta mala sunt in corde auari, ideo non potest ibi verbum sapientiæ verbi Dei subintrare Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis*. Ideo auari sunt indispositi ad verbum DEI suscipiendum: Et si interdum reci-

In corde auari sunt omnia peccata capitalia.

recipiunt, tamen à sollicitudinibus & diuitijs euntes suffocantur, & non ferunt fructum.

QVARTO occupant aliqui corda sua cogitationibus bonis, quorum cogitatio secundum Sapientem, *apud altissimum*, in quorum corda si cadit verbum Dei, facit fructum multum, vt dicere possit cum Psal. 84. *Terra nostra dedit fructum suum.* Et hoc tangit Dominus cum concludit. *Quod autem in terram bonam*, quasi diceret, si verbũ Dei cadit in eos, qui terræ bonæ sunt similes *hi sunt, qui in corde bono*, per industriam naturalem, *& optimo* per gratiam, *audientes verbum Dei retinent*, scilicet in memoria, quia aliàs parum prodesset. Sicut enim cibus, qui statim euomitur, vel medicina, quæ non retinetur nihil ad sanitatem operatur, sic nec verbum Dei. Ideo necesse est, vt retineatur ab auditoribus, & sic fructum afferunt in patientia, cum exspectant ad instar agricolæ remunerationem sempiternam.

TERTIO hoc Euangelium exponitur tropologicè, aut MORALITER. vt primò generaliter intelligantur per semen opera bona propter multa. PRIMO ratione *continentiæ*, quia semen aut germen multum calorem, aut humorem continet in se, vt dicit Isidorus lib. 17. quia in ipso est humor nutrimentalis, & humor seminalis, & viget etiam in eo calor naturalis. F Sensus Tropologicus. Semen cur sunt opera bona.

MORALITER. Opera bona & virtutes habent humorem nutrimentalem, & est deuotio fidei. Quia sicut *iustus ex fide viuit*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Sic planta, vel germen viuit ex humoris nutrimento. Item habent humorem seminalem, sed quia humor seminalis est motiuus spei, quia ille qui seminat in spe fructus seminat, aliàs semen non proijceret. Itẽ habent calorem naturalẽ, quia quasi calor naturalis *est caritas*. Vbi ergo sunt ista tria scilicet *vigor fidei, spes premij, & feruor amoris* sequitur germinatio fœcunda boni operis. Vel aliter, humor nutrimentalis est lacryma pœnitentis quã habuit Dauid, cum dixit Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Humor autem seminalis est gratia, de qua Ioan. 3. Semen ipsius scilicet gratiæ in eo manet. Sed calor naturalis est caritas, & vbi concurrunt ista tria scilicet, *compunctio lacrymosa, diuina gratia, & caritas fœcunda*, ibi fœcunda sequuntur pœnitentiæ germina & copiosa. I. Ratione cõtinentiæ. Lacryma pœnitentis, humor nutricus. Caritas est naturalis calor.

SECVNDO ratione *continentiæ*; sicut enim in semine prius est radix, deinde erũpit germen, ex germine stipes, ex stipite flores, ex floribus verò fructus: & sic sunt ibidem plura continentia. Sic in quolibet bono operè est radix gratiæ, germen caritatis, præcipuè stipes, & flos fructusque operis. Ideò dicit Gregorius. Ex gratia radicis procedunt germina virtutum, quasi diceret, ex germine caritatis procedit stipes, id est finis intentionis; ex rectitudine intentionis, procedit flos, id est puritas, & suauitas operis; Ex opere primo procedit mercedis plenitudo, propterea consulit Sapiens Eccl. 15. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo.* II. Ratione cõtinentiæ.

TERTIO ratione *perseuerantiæ*, quia calor cœlestis penetrans ad radicem medullę, partes vnctuosiores & liquidiores facit; Et primò res superius ad se trahit, easq; coagulat & coniungit, & coagulatas per terræ poros inducit, & in substantias germinum conuertere non desistit. Similiter gratia cœlestis penetrans ad medullas cordis cogitationes, siue affectus liquidiores, id est, magis compunctas ad fluendum; & vnctuosiores, id est, magis deuotas ad inflammandum, & primo res ad æquandum trahit. III. Ratione perseuerantiæ.

dogmatum lib. 2. Dœmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressiuè vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit scilicet mentem, qui natura subsistens incorporeus captabilis est suæ facturæ, vt dicit Magister lib. 2. dist. 8. Ecce hic videtur insinuari, quod non substantialiter illabantur dœmones, vel introeant in corda hominum. Et allegat Bedam, qui dicit super Act. 5. vbi Petrus ait Ananiæ: *Cur tentauit*, vel impleuit, *Sathanas cor & mentem tuam*.

Dicit NOTANTER, quod mentem hominis, iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas. quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctũ, anima de his, quæ sunt creata, impletur, Implet vero Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in sensum, id est, animam eius; neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callida & fraudulenta deceptione, animã in affectum malitiæ trahens, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est Implet ergo Sathanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiosè suum virus inferendo. Hæc Beda.

SECVNDO, quidem occupant corda sua peccato superbiæ, vt fiant duriora lapide, secundum illud Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*, ideo verbum Dei non potest in eis germinare, eo quod carent gratiæ humore. Ita legitur Exod. 5. de Pharaone superbo, qui ex duritia mentis non recepit verbum Domini. Cum enim Moyses diceret ei, vt populum dimitteret, vt sibi in deserto sacrificaret; ait: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius. Nescio Dominum & non dimittam Israël.*

Exemplum de superbia.

Sic legitur de alio superbo nobili, qui potens erat, & quadam die cum esset in magno gaudio, & multos nobiles inuitasset, dixit eis: Quis est, qui mihi resistere possit? Respondit sibi miles quidam senex, dicens: Ille, qui exaltat humiles, & superbos humiliat, scilicet Deus, qui nos creauit, & tibi omnia hæc, quæ possides dedit. Ille ait: Et quæ ego habeo ex iure hæreditario possideo, & ea per memetipsum acquisiui, & augmentaui. Quod cum dixisset coram omnibus subitò expirauit, & diabolica turba ipsius animam in infernum deportauit. Ecce, quod verbum illud in ipso non fructificauit quia supra petram cecidit.

TERTIO quidam occupant corda sua peccato auaritiæ, & ideò semen verbi Dei non potest in ipsis germinare. Ratio illius est, quia sicut semen inter spinas seminatũ suffocatur, sic verbi Dei semina suscepta in corda auarorũ, extinguuntur: quia in corde auari sunt omnia peccata capitalia. *Primò*, est ibi superbia. Eccl. 21. *Domus, quæ est nimis locuples, annullabitur superbia. Secundo* ibi est ira, Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot. Erat enim superbia eorum multa, & nequibant habitare simul. Tertio*, ibi est inuidia, Pro. 11. *Vir qui festinat ditari, inuidet alienis, & ignorat quod egestas superueniat ei.* Ideo dicit Grego. de viro iusto. Per hoc, quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. *Quarto*, ibi est acedia, Iere. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua*, &c. *Quintò*, ibi vitium gulæ, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos*, &c. *Sextò*, ibi est luxuria, Eccl. 47. *Collegisti quasi auricalcum aurum, & complesti quasi plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quanta mala sunt in corde auari, ideo non potest ibi verbum sapientiæ verbi Dei subintrare Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis.* Ideo auari sunt indispositi ad verbum DEI suscipiendum: Et si interdum reci-

In corde auari sunt omnia peccata capitalia.

recipiunt, tamen à sollicitudinibus & diuitijs euntes suffocantur, & non ferunt fructum.

QVARTO occupant aliqui corda sua cogitationibus bonis, quorum cogitatio secundum Sapientem, *apud altissimum*, in quorum corda si cadit verbum Dei, facit fructum multum, vt dicere possit cum Psal. 84. *Terra nostra dedit fructum suum.* Et hoc tangit Dominus cum concludit. *Quod autem in terram bonam,* quasi diceret, si verbũ Dei cadit in eos, qui terræ bonæ sunt similes. *hi sunt, qui in corde bono*, per industriam naturalem, *& optimo* per gratiam, *audientes verbum Dei retinent*, scilicet in memoria, quia aliàs parum prodesset. Sicut enim cibus, qui statim euomitur, vel medicina, quæ non retinetur nihil ad sanitatem operatur, sic nec verbum Dei. Ideo necesse est, vt retineatur ab auditoribus, & sic fructum afferunt in patientia, cum exspectant ad instar agricolæ remunerationem sempiternam.

F

TERTIO hoc Euangelium exponitur tropologicè, aut MORALITER. vt primò generaliter intelligantur per semen opera bona propter multa. PRIMO ratione *continentia*, quia semen aut germen multum calorem, aut humorem continet in se, vt dicit Isidorus lib. 17. quia in ipso est humor nutrimentalis, & humor seminalis, & viget etiam in eo calor naturalis.

Sensus Tropologicus.
Semen cur sunt opera bona.

MORALITER. Opera bona & virtutes habent humorem nutrimentalem, & est deuotio fidei. Quia sicut *iustus ex fide viuit*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Sic planta, vel germen viuit ex humoris nutrimento. Item habent humorem seminalem, sed quia humor seminalis est motiuus spei, quia ille qui seminat in spe fructus seminat, alias semen non proijceret. Itẽ habent calorem naturalẽ, quia quasi calor naturalis *est caritas*. Vbi ergo sunt ista tria scilicet *vigor fidei, spes præmij, & feruor amoris*, sequitur germinatio fœcunda boni operis. Vel aliter, humor nutrimentalis est lacryma pœnitentis quã habuit Dauid, cum dixit Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Humor autem seminalis est gratia, de qua 1. Ioan. 3. Semen ipsius scilicet gratiæ in eo manet. Sed calor naturalis est caritas, & vbi concurrunt ista tria scilicet, *compunctio lacrymosa, diuina gratia, & caritas fœcunda*, ibi fœcunda sequuntur pœnitentiæ germina & copiosa.

I.
Ratione continentiæ.
Lacrymæ pœnitentis, humor nutricius.
Caritas est naturalis calor.

SECVNDO ratione *continentia*; sicut enim in semine prius est radix, deinde erũpit germen, ex germine stipes, ex stipite flores, ex floribus verò fructus: & sic sunt ibidem plura continentia. Sic in quolibet bono operè est radix gratiæ, germen caritatis, præcipuè stipes, & flos fructusque operis. Ideò dicit Gregorius. Ex gratia radicis procedunt germina virtutum, quasi diceret, ex germine caritatis procedit stipes, id est finis intentionis; ex rectitudine intentionis, procedit flos, id est puritas, & suauitas operis; Ex opere primo procedit mercedis plenitudo, propterea consulit Sapiens Eccl. 15. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo.*

II.
Ratione continentiæ.

TERTIO ratione *perseuerantiæ*, quia calor cœlestis penetrans ad radicem medullę, partes vnctuosiores & liquidiores facit; Et primò res superius ad se trahit, easq; coagulat & coniungit, & coagulatas per terræ poros inducit, & in substantias germinum conuertere non desistit. Similiter gratia cœlestis penetrans ad medullas cordis cogitationes, siue affectus liquidiores, id est, magis compunctas ad fluendum; & vnctuosiores, id est, magis deuotas ad inflammandum, & primo res ad æquandum trahit.

III.
Ratione perseuerantiæ.

dogmatum lib. 2. Dæmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressiuè vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit scilicet mentem, qui natura subsistens incorporeus captabilis est suæ facturæ, vt dicit Magister lib. 2. dis. 8. Ecce hic videtur insinuari, quod non substantialiter illabantur dæmones, vel introeant in corda hominum. Et allegat Bedam, qui dicit super Act. 5. vbi Petrus ait Ananiæ: *Cur tentauit*, vel impleuit, *Sathanas cor & mentem tuam*.

Dicit NOTANTER, quod mentem hominis, iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas. quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctũ, anima de his, quæ sunt creata, impletur, Implet vero Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in sensum, id est, animam eius; neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callida & fraudulenta deceptione, animã in affectum malitiæ trahens, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est Implet ergo Sathanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiosè suum virus inferendo. Hæc Beda.

SECVNDO, quidem occupant corda sua peccato superbiæ, vt fiant duriora lapide, secundum illud Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*, ideo verbum Dei non potest in eis germinare, eo quod carent gratiæ humore. Ita legitur Exod. 5. de Pharaone superbo, qui ex duritia mentis non recepit verbum Domini. Cum enim Moyses diceret ei, vt populum dimitteret, vt sibi in deserto sacrificaret; ait: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius. Nescio Dominum & non dimittam Israël.*

Sic legitur de alio superbo nobili, qui potens erat, & quadam die cum esset in magno gaudio, & multos nobiles inuitasset, dixit eis: Quis est, qui mihi resistere possit? Respondit sibi miles quidam senex, dicens: Ille, qui exaltat humiles, & superbos humiliat, scilicet Deus, qui nos creauit, & tibi omnia hæc, quæ possides dedit. Ille ait; Et quæ ego habeo ex iure hæreditario possideo, & ea per memetipsum acquisiui, & augmentaui. Quod cum dixisset coram omnibus subitò expirauit, & diabolica turba ipsius animam in infernum deportauit. Ecce, quod verbum illud in ipso non fructificauit quia supra petram cecidit.

Exemplum de superbia.

TERTIO quidam occupant corda sua peccato auaritiæ, & ideò semen verbi Dei non potest in ipsis germinare. Ratio illius est, quia sicut semen inter spinas seminatũ suffocatur, sic verbi Dei semina suscepta in corda auarorũ, extinguuntur: quia in corde auari sunt omnia peccata capitalia. *Primò*, est ibi superbia. Eccl. 21. *Domus, quæ est nimis locuples, annullabitur superbia. Secundo* ibi est ira, Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot. Erat enim superbia eorum multa, & nequibant habitare simul. Tertio*, ibi est inuidia, Pro. 11. *Vir qui festinat ditari, inuidet alienis, & ignorat quod egestas superueniat ei*. Ideo dicit Grego. de viro iusto. Per hoc, quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. *Quarto*, ibi est acedia, Iere. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua*, &c. *Quintò*, ibi vitium gulæ, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos*, &c. *Sextò*, ibi est luxuria, Eccl. 47. *Collegisti quasi auricalcum aurum, & complesti quasi plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quanta mala sunt in corde auari, ideo non potest ibi verbum sapientiæ verbi Dei subintrare Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis*. Ideo auari sunt indispositi ad verbum DEI suscipiendum: Et si interdum reci-

In corde auari sunt omnia peccata capitalia.

recipiunt, tamen à sollicitudinibus & diuitijs euntes suffocantur, & non ferunt fructum.

QVARTO occupant aliqui corda sua cogitationibus bonis, quorum cogitatio secundum Sapientem, *apud altissimum*, in quorum corda si cadit verbum Dei, facit fructum multum, vt dicere possit cum Psal. 84. *Terra nostra dedit fructum suum.* Et hoc tangit Dominus cum concludit. *Quod autem in terram bonam*, quasi diceret, si verbũ Dei cadit in eos, qui terræ bonæ sunt similes *hi sunt, qui in corde bono*, per industriam naturalem, *& optimo* per gratiam, *audientes verbum Dei retinent*, scilicet in memoria, quia aliàs parum prodesset. Sicut enim cibus, qui statim euomitur, vel medicina, quæ non retinetur nihil ad sanitatem operatur, sic nec verbum Dei. Ideo necesse est, vt retineatur ab auditoribus, & sic fructum afferunt in patientia, cum exspectant ad instar agricolæ remunerationem sempiternam.

TERTIO hoc Euangelium exponitur tropologicè, aut MORALITER. vt primò generaliter intelligantur per semen opera bona propter multa. PRIMO ratione *continentia*, quia semen aut germen multum calorem, aut humorem continet in se, vt dicit Isidorus lib. 17. quia in ipso est humor nutrimentalis, & humor seminalis, & viget etiam in eo calor naturalis. F Sensus Tropologicus. Semen cur sunt opera bona.

MORALITER. Opera bona & virtutes habent humorem nutrimentalem, & est deuotio fidei. Quia sicut *iustus ex fide viuit*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Sic planta, vel germen viuit ex humoris nutrimento. Item habent humorem seminalem, sed quia humor seminalis est motiuus spei, quia ille qui seminat in spe fructus seminat, alias semen non proijceret. Itẽ habent calorem naturalẽ, quia quasi calor naturalis *est caritas*. Vbi ergo sunt ista tria scilicet *vigor fidei spes præmij, & feruor amoris* sequitur germinatio fœcunda boni operis. Vel aliter, humor nutrimentalis est lacryma pœnitentis quã habuit Dauid, cum dixit Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Humor autem seminalis est gratia, de qua .Ioan. 3. Semen ipsius scilicet gratiæ in eo manet. Sed calor naturalis est caritas, & vbi concurrunt ista tria scilicet, *compunctio lacrymosa, diuina gratia, & caritas fœcunda*, ibi fœcunda sequuntur pœnitentiæ germina & copiosa. I. Ratione continentiæ. Lacrymæ pœnitentis, humor nutricius. Caritas est naturalis calor.

SECVNDO ratione *continentia*; sicut enim in semine prius est radix deinde erũpit germen, ex germine stipes, ex stipite flores, ex floribus verò fructus: & sic sunt ibidem plura continentia. Sic in quolibet bono operè est radix gratiæ, germen caritatis, præcipuè stipes, & flos fructusque operis. Ideò dicit Gregorius. Ex gratia radicis procedunt germina virtutum, quasi diceret, ex germine caritatis procedit stipes, id est finis intentionis; ex rectitudine intentionis, procedit flos, id est puritas, & suauitas operis; Ex opere primo procedit mercedis plenitudo, propterea consulit Sapiens Eccl. 15. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo.* II. Ratione continentiæ.

TERTIO ratione *perseuerantia*, quia calor cœlestis penetrans ad radicem medullę, partes vnctuosiores & liquidiores facit; Et primò res superius ad se trahit, easq; coagulat & coniungit, & coagulatas per terræ poros inducit, & in substantias germinum conuertere non desistit. Similiter gratia cœlestis penetrans ad medullas cordis cogitationes, siue affectus liquidiores, id est, magis compunctas ad fluendum; & vnctuosiores, id est, magis deuotas ad inflammandum, & primo res ad æquandum trahit. III. Ratione perseuerantiæ.

dogmatum lib. 2. Dæmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressiuè vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit scilicet mentem, qui natura subsistens incorporeus captabilis est suæ facturæ, vt dicit Magister lib. 2. dis. 8. Ecce hic videtur insinuari, quod non substantialiter illabantur dæmones, vel introeant in corda hominum. Et allegat Bedam, qui dicit super Act. 5. vbi Petrus ait Ananiæ: *Cur tentauit*, vel impleuit, *Sathanas cor & mentem tuam*.

Dicit NOTANTER, quod mentem hominis, iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas. quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctũ, anima de his, quæ sunt creata, impletur, Implet vero Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in sensum, id est, animam eius; neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callida & fraudulenta deceptione, animã in affectum malitiæ trahens, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est Implet ergo Sathanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiosè suum virus inferendo. Hæc Beda.

SECVNDO, quidem occupant corda sua peccato superbiæ, vt fiant duriora lapide, secundum illud Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*, ideo verbum Dei non potest in eis germinare, eo quod carent gratiæ humore. Ita legitur Exod. 5. de Pharaone superbo, qui ex duritia mentis non recepit verbum Domini. Cum enim Moyses diceret ei, vt populum dimitteret, vt sibi in deserto sacrificaret; ait: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius. Nescio Dominum & non dimittam Israël.*

Exemplum de superbia.

Sic legitur de alio superbo nobili, qui potens erat, & quadam die cum esset in magno gaudio, & multos nobiles inuitasset, dixit eis: Quis est, qui mihi resistere possit? Respondit sibi miles quidam senex, dicens: Ille, qui exaltat humiles, & superbos humiliat, scilicet Deus, qui nos creauit, & tibi omnia hæc, quæ possides dedit. Ille ait; Et quæ ego habeo ex iure hæreditario possideo, & ea per memetipsum acquisiui, & augmentaui. Quod cum dixisset coram omnibus subitò expirauit, & diabolica turba ipsius animam in infernum deportauit. Ecce, quod verbum illud in ipso non fructificauit quia supra petram cecidit.

In corde auari sunt omnia peccata capitalia.

TERTIO quidam occupant corda sua peccato auaritiæ, & ideò semen verbi Dei non potest in ipsis germinare. Ratio illius est, quia sicut semen inter spinas seminatũ suffocatur, sic verbi Dei semina suscepta in corda auarorũ, extinguuntur: quia in corde auari sunt omnia peccata capitalia. *Primò*, est ibi superbia. Eccl. 21. *Domus, quæ est nimis locuples, annullabitur superbia. Secundo* ibi est ira, Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot. Erat enim superbia eorum multa, & nequibant habitare simul. Tertio*, ibi est inuidia, Pro. 11. *Vir qui festinat ditari, inuidet alienis, & ignorat quod egestas superueniat ei.* Ideo dicit Grego. de viro iusto. Per hoc, quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. *Quarto*, ibi est acedia, Iere. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua*, &c. *Quintò*, ibi vitium gulæ, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos*, &c. *Sextò*, ibi est luxuria, Eccl. 47. *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & complesti quasi plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quanta mala sunt in corde auari, ideo non potest ibi verbum sapientiæ verbi Dei subintrare Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis.* Ideo auari sunt indispositi ad verbum DEI suscipiendum: Et si interdum reci-

recipiunt, tamen à sollicitudinibus & diuitijs euntes suffocantur, & non ferunt fructum.

QVARTO occupant aliqui corda sua cogitationibus bonis, quorum cogitatio secundum Sapientem, *apud altissimum*, in quorum corda si cadit verbum Dei, facit fructum multum, vt dicere possit cum Psal. 84. *Terra nostra dedit fructum suum.* Et hoc tangit Dominus cum concludit. *Quod autem in terram bonam*, quasi diceret, si verbũ Dei cadit in eos, qui terræ bonæ sunt similes *hi sunt, qui in corde bono*, per industriam naturalem, *& optimo* per gratiam, *audientes verbum Dei retinent*, scilicet in memoria, quia aliàs parum prodesset. Sicut enim cibus, qui statim euomitur, vel medicina, quæ non retinetur nihil ad sanitatem operatur, sic nec verbum Dei. Ideo necesse est, vt retineatur ab auditoribus, & sic fructum afferunt in patientia, cum exspectant ad instar agricolæ remunerationem sempiternam.

TERTIO hoc Euangelium exponitur tropologicè, aut MORALITER. vt primò generaliter intelligantur per semen opera bona propter multa. PRIMO ratione *continentia*, quia semen aut germen multum calorem, aut humorem continet in se, vt dicit Isidorus lib. 17. quia in ipso est humor nutrimentalis, & humor seminalis, & viget etiam in eo calor naturalis.

F
Sensus Tropologicus.
Semen cur sunt opera bona.

MORALITER. Opera bona & virtutes habent humorem nutrimentalem, & est deuotio fidei. Quia sicut *iustus ex fide viuit*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Sic planta, vel germen viuit ex humoris nutrimento. Item habent humorem seminalem, sed quia humor seminalis est motiuus spei, quia ille qui seminat in spe fructus seminat, alias semen non proijceret. Itẽ habent calorem naturalẽ, quia quasi calor naturalis *est caritas*. Vbi ergo sunt ista tria scilicet *vigor fidei spes præmij, & feruor amoris* sequitur germinatio fœcunda boni operis. Vel aliter, humor nutrimentalis est lacryma pœnitentis quã habuit Dauid, cum dixit Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* Humor autem seminalis est gratia, de qua Ioan. 3. Semen ipsius scilicet gratiæ in eo manet. Sed calor naturalis est caritas, & vbi concurrunt ista tria scilicet, *compunctio lacrymosa, diuina gratia, & caritas fœcunda*, ibi fœcunda sequuntur pœnitentiæ germina & copiosa.

I.
Ratione cõtinentiæ.
Lacrymæ pœnitentis, humor nutricus.
Caritas est naturalis calor.

SECVNDO ratione *continentiæ*; sicut enim in semine prius est radix deinde erũpit germen, ex germine stipes, ex stipite flores, ex floribus verò fructus: & sic sunt ibidem plura continentia. Sic in quolibet bono operè est radix gratiæ, germen caritatis, præcipuè stipes, & flos fructusque operis. Ideò dicit Gregorius. Ex gratia radicis procedunt germina virtutum, quasi diceret, ex germine caritatis procedit stipes, id est finis intentionis; ex rectitudine intentionis, procedit flos, id est puritas, & suauitas operis; Ex opere primo procedit mercedis plenitudo, propterea consulit Sapiens Eccl. 15. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo.*

II.
Ratione cõtinentiæ.

TERTIO ratione *perseuerantiæ*, quia calor cœlestis penetrans ad radicem medullę, partes vnctuosiores & liquidiores facit; Et primò res superius ad se trahit, easq; coagulat & coniungit, & coagulatas per terræ poros inducit, & in substantias germinum conuertere non desistit. Similiter gratia cœlestis penetrans ad medullas cordis cogitationes, siue affectus liquidiores, id est, magis compunctas ad fluendum; & vnctuosiores, id est, magis deuotas ad inflammandum, & primo res ad æquandum trahit.

III.
Ratione perseuerantiæ.

qualitatem auditorum formari debet sermo Doctorum, iuxta illud, quod ponitur in decreto 8. q. 1. c. Oportet. Et est Canon Petri: Oportet, inquit, eum qui docet & instruit animas nudas, esse talem, vt pro ingenio discentium, semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigere.

Concio cum discretione protrahenda vel breuianda.

Ex quo habetur, quod secundum dispositionem auditoris, est rarius vel frequentius, breuius vel prolixius, prædicandum. Et NOTA. Sicut ager est duplex, scilicet pinguis & macer: sic etiam homines sunt duplices: scilicet pingues, intellige diuites huius mundi, vel potentes, qui dicuntur pingues, ratione diuitiarum, vt dicit Nicolaus de Lyra super illo verbo Amos 4. *Vaccæ pingues audite verbum Domini*; vbi per vaccas pingues intelligit potentum vxores. modo sicut in agro pingui minus est seminandum, sic etiam semen verbi Dei non est in corde diuitum, vel potentum nimium iaciendum, ne forte hoc semen per solicitudinem destruatur. Quia diuites sunt minus apti ad recipiendum verbum Dei. Nec etiam in longis prædicationibus delectantur, ne in acquirendis diuitijs retardentur. Sed per agrum macrum, intellige pauperum & egenum, qui dicitur macer propter diuitiarum carentiam; & hi pauperes semper plus desiderant, semen verbi Dei petentes Dominum cum B. Augustino lib. solil. vt aperiat eis ianuas scripturarum. Ecce, inquiunt, Domine pauperes filij tui sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis ianuas tuas, & edent pauperes de pane spirituali verbi, *& saturabuntur & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Sed econtra de diuitibus, qui non audiunt verbum Dei, potest intelligi illud Psalm. 28. *Diuites eguerunt & esurierunt.*

Pauperes agro macro similes.

Psal. 21.

II. SECVNDO, considerare debet temporis congruitatem: quia alicui est tardius, alicui celerius seminandum. Nam in locis humidis seminandum est celerius, ne semen imbre putrescat, & in locis aridis tardius, vt aquam præueniat, ne diu iacens penitus euanescat. Per loca humida, intelliguntur corda fluida, & ad peccandum parata, quibus debet seminator verbi Dei citius verba exhortationis imponere, antequam in putredinem criminis prolabantur. Ideo dicit Sapiens: *Ante languorem adhibe medicinam.* Eccles. 18. Sed per loca sicca & arida intelliguntur indeuoti, in quibus tardius semen exhortationis non inconsulto differtur, vt ex ipsius dilatione postea ab eis auidius suscipiatur, vel quia minus fructuosè porrigitur huiusmodi verbum sanctæ prædicationis, dum est in accedia mentis & ariditate, & fructuosè exspectatur, vt ei porrigatur, postquam perfusus est aqua compunctionis. Ideo legitur Matth. 10. quod Dominus dixit Apostolis: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*, scilicet ad prædicandum. quia tunc gentes erant indeuotæ, & indispositæ ad verbi Dei susceptionem. Ideo dicit Gregorius in homilia: Subtili ergo occultoque iudicio à quorundam auribus prædicatio sancta subtrahitur, qui suscitari per gratiam non merentur. Et Matth. 7. dicit. *Nolite sanctum dare canibus & nolite proijcere margaritas ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis.* Quod exponit Hieronymus in lib. Iudi. & habetur. 11. q. 3. c. Nolite recedere. Margarita, inquit, ante porcos mittitur, quando indignis verbum Dei proponitur. Ideo debet quilibet prædicator attendere temporis congruitatem, scilicet cum viderit homines magis ad suscipiendum aptiores.

Tempus cõueniens.

Loca humida, corda fluida.

Loca sicca, indeuoti.

Margarita ante porcos quid?

III. TERTIO considerare debet seminis quantitatem; quia vt dixi ex verbis Auctoris Proprietatum, minus debet proijci de semine in terra pingui & humida, quàm in

Seminis quãtitas obseruanda.

in macra: eò quòd in pingui nimis se multiplicat, sed in macra perit. Hic per terram pinguem intellige animam deuotam, in qua exhortationis semen auidius sumitur. Sed terra macra, est peccatoris cor, carens pinguedine gratiæ, in quo quia semen verbi Dei plerumque perditur, frequentius oportet, vt seminetur. Ideo dicit Dominus prædicatoribus Eccles. 11. *Mane semina semen tuum & vespere non cesset manus tua.* Quod etiam peccatoribus frequentius est prædicandum, vt habetur Isaiæ. 55. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Terra pinguis, anima deuota.

QVARTO attendere debet seminis vtilitatem. Sunt enim quædam semina vtilia, & quædam inutilia, & sterilia ad fructum producendum. Et ideo Ægyptiorum agricolæ semina sic probant: Arenam breuem loco sub acto in mense Iunij excolunt, & in ea diuisis spatijs omnia frumenta, vel leguminum semina spargunt: Deinde in ortu Caniculæ, quæ apud Roman. XIV. Kalend. Aug. tenetur, explorant quod quędam semina sidus exurit, quædam illæsa custodit. his abstinent, illa procurant. quia iudicium noxæ, vel beneficij per annum futurum, vnicuique sidus aridum, præsenti exitio vel salute præmisit, vt dicit Palladius in lib. de agricultura. IV. Seminis vtilitas.

Ad propositum. Quid per semina inutilia, quæ ad ortum Caniculæ efficiuntur arida, intelligitur? *Responde.* Quod verba prædicatorum curiosorum indeuota, quæ arent in cordibus audientium, eò quòd ex vana gloria proferuntur. Ideo dicit Beatus Hieronymus, vt habetur in Epistola Eusebij sui discipuli, Subtilium verborum Doctor, & non operum factor, est quædam auris inflatio, & veritatis fumus, citò transiens sine fructu. Sed illa verborum semina sunt vtilia, quæ humore deuotionis sunt plena, & quæ Canicula, id est, mordacitas, vel inanis gloria, non desiccat. De illo semine dicitur Matth. 13. *Seminauit bonum semen in agro suo.*

QVINTO, adde hoc, quod prædicator debet attendere præmiorum varietatem. Omnis enim prædicator, qui semina bonæ operationis præmittit, fructus prædicationis colligit, vt dicit S. Gregorius. Ideo legitur. Quidam sacerdos bonus prædicator, dum morti appropinquaret, quidam eius amicus in Domino adiurauit, se vt post mortem suam tertio die de statu suo certificaret. Mortuus igitur apparuit ei, vt petiuit, tertio die, in cappa scarletica tota aureis monilibus decorata, inter quæ vnum incomparabiliter ab alijs distans, habebat in pectore. Qui cum de statu suo requisisset, & ille se benè habere respondisset, quæsiuit: Cur in tali veste incederet. Et ille. Hanc, inquit vestem habeo propter zelum & amorem, quem habui ad proximos. Monilia autem tot accepi, quot peccatores conuerti. Monile autem, quod vides in pectore, ideo accepi; quia vnum peccatorem accepi, de quo nulla spes erat salutis. Et ille. Quis est, inquit, status parochialium plebanorum. Respondit: Pauci saluantur, quia viam latam, quæ ducit ad infernum, suis subditis sic replent, vt eos vix capiat cœlum. Nam ipsi tanta vigent cupiditate, vt nihil curent de animabus. Et inquit. Periculosius hoc vnum est. quia illud, quod debent in vsus pauperum conuertere, cum personis vilibus consumunt, & expendunt. Et sic disparuit. Ecce audiuit vestra caritas, quod per semen verbi Dei, per seminatorem quilibet prædicator, subauditur. V. Præmiorum varietas. Exemplum. Status parochorum periculosus.

C Iste inquam prædicator si vult seminare semen verbum Dei, debet exire. PRIMO à mala conuersatione. Debet enim prædicator habere bonam conuersationem, circa populum cui prædicat, iuxta illud 1. Petr. 2. *Conuersationem*, inquit, *vestram inter gentes bonam habentes*. Si enim mala fuerit conuersatio eorum, sequitur & contemptio. Quia dicit Chrysostomus, 40. dist. c. Multi. Si bene docueris, & malè vixeris tui solius damnator eris. Nam benè viuendo, & benè docendo populum instruis, quomodo viuere debeat: benè autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis qualiter te debeat condemnare.

Aliæ qualitates Concionatoris.

I.

II. SECVNDO, debet exire prædicator ab alta contemplatione. quia dicit Bernardus super Cantic. Noli nimis insistere oculis contemplationis; meliora enim sunt vbera prædicationis. Ideo legitur. 3. Regum. 19. quod Elias veniens in Dei montem Oreb, mansit ibi in spelunca, ideo dictum est ei: *Quid agis hic Elia?* quasi diceret, non est adhuc tempus perfectæ quietis & contemplationis, sed laboris & prædicationis pro salute proximorum. Et in hoc arguit illos, qui pro sua quiete magis volunt contemplari, dimissa necessitate proximorum, de quibus dicit Gregor. Qui solitudinis loca quærunt, hoc scire debent, quod tot animarum sunt rei, quod in publico prodeuntes prodesse poterant.

Concionator castori similis esse debet.

Est tamen NOTANDVM, quod prædicatores debent esse similes castori, de quo dicit Isidorus lib. 12. Quod cum quadrupedibus viuit in terra, cum natantibus stat in aquis. Est enim in magnitudine ad modum parui canis, pedes posteriores quasi caninos habens quibus in terra ambulat. Pedibus autem anterioribus natat in aquis. Sic prædicatores non solum debent per terram discurrere, per actiuam vitam, prædicando ad instar quadrupedum illorum, qui sunt perfecti in quatuor virtutibus cardinalibus, sed etiam versari debent in aquis Scripturarũ cum natantibus, id est, cum contemplatiuis, & debet esse sicut canis per latratum prædicationis, sed paruus in humilitate mentis; posteriores autem pedes sunt occupationes corporales, pertinentes ad pietatem, & ideo sunt, vt animalia terrestria, sed anteriores pedes sunt meditationes spirituales, & sunt sicut volatilia, quibus natat in aqua sapientiæ & contemplationis. Et sic patet, quod non debent semper insistere prædicationi, sed etiam interdum contemplationi.

III. TERTIO, debet exire ab iniqua cupiditate. Qui enim vult prædicare, debet abrenunciare proprijs propter certas causas. PRIMA ne ipsi qui contemptum temporalium prædicant, hoc facere videantur, vt ea soli habeant, quia dicit Cato.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse.
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

SECVNDA causa, quia qui habent officium prædicationis, oculi sunt Ecclesiæ: oculis autem longe competit esse à terra. quia modicum terræ oculis iniectum, multum impedit visum; sic amor terrenorum multum impedit visum spiritualem. Iuxta illud Eccles. 20. *Xenia & dona multum excæcant oculos iudicum.*

TERTIO. quia secundum Dei ordinationem, officium prædicationis debita est ministratio necessariorum à subditis, ipsis plebanis, vt probat Paulus 1. Corinth. 9. *Quis militat suis stipendijs!* quasi diceret, nullus. Quia milites accipiunt stipendia à populo terræ quem defendunt, ita prædicatores à populo, quibus prædi-

prædicant. ideò ſubdit. *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* quaſi diceret, nullus. Et infrà. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non eſt magnum ſi nos carnalia veſtra metamus.* quaſi diceret, non eſt magnum immò paruum reſpectu boni, quod vobis miniſtramus. Et infrà. *Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.* Si autem dicit. Vbi hoc ordinauit Dominus? *Dico*, quod Matth. 10. cum dixit. *Dignus eſt operarius cibo ſuo:* ſuper quo dicit Hieronymus: Conſiderandum eſt, quod vno noſtro operi, duplex merces debetur. Vna in via, alia in patria: Vna, quæ nos in labore ſuſtentat, alia quæ nos in reſurrectione remunerat.

Ideò dicit Beda de prædicatorum præmio. Hic, inquit, merces inchoatur, & in futuro perficitur. Ecce ab his tribus debet exire omnis prædicator, qui vult eſſe verbi Dei ſeminator. D *Concionatorũ pręmium duplex.*

Deinde ponit differentias auditorum & ſunt quatuor. Eſt enim cor hominis velut ager, in quo debet ſpargi verbi Dei ſemen. Sed primo quidam occupant corda ſua peccato luxuriæ, vt ſic fiant tanquam viæ peruiæ, & de quolibet tali poteſt dici, illud Iſa. 21. *Poſuiſti cor tuum vt terram, & quaſi viam tranſeuntibus.* Si enim in illud cor luxurioſum ſemen verbi Dei proijcitur, quaſi iuxta viam conculcatur. quia malæ cogitationes ſedulè atterunt verbum Dei & conculcant. Quamuis enim luxurioſus verbum prædicatoris audit, tamen ſecundum hoc non facit. quia dicit Sapiens: *Audiuit luxurioſus, & diſplicebit ei, & proiiciet illud poſt dorſum ſuum.* Eccleſ. 21. De hoc vide ſuprà exemplum Dominic. III. in Aduentu Sermo 2. de Friderico Imperatore, H. H. De hoc etiam habetur figura, Geneſ. 19. De vitioſis Sodomitis, quos correxit Lot ſatis diſcretè, qui tamen peiores facti fuerunt, & in luxurijs ſuis perierunt. Item etiam legitur Matth. 6. de adultera Herodiana, cui verbum Dei, quod prædicauit Ioannes Baptiſta, dicens ad Herodem. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui* multum diſplicebat, propter quod ei inſidiabatur, & procurabat vt occideretur. Ita legitur Dan. 13. de ſenibus, qui exarſerunt in Suſannam: *Declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, nec recordarentur iudiciorum ſuorum iuſtorum.* Ideò dicit Dominus, quod ſemen quod cecidit iuxta viam, hi ſunt; quaſi diceret, hi ſignificantur per viam, qui audiunt ſcilicet verbum Dei, *deinde venit diabolus*, ſcilicet in corda ipſorum, *& tollit verbum Dei de cordibus ipſorum.* Gloſſa, cum luxurioſis cogitationibus corda eorum occupat, ne credentes ſalui fiant. *Quatuor differentiæ auditorum.*

Quod autem diabolus impedit, ne homines per verbum Dei ſalui fiant, refert Iacobus de Vitriaco: Quidam religioſus in ſermone quodam vidit quendam dæmonem, & adiurauit eum, vt diceret ei, quid ibi faceret, & quomodo vocaretur. Reſpondit. Ego ſum dæmon, & claudens aures vocor, & habeo mecum tres ſocios, vnus vocatur claudens cor, ſecundus claudens os, tertius claudens burſam: primus, claudens cor ne conuertatur: ſecundus, os, ne confiteatur: tertius, burſam ne per ſatisfactionem peccatum dimittatur. Igitur de luxurioſis dicitur Oſeæ 10. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt conuertantur, quia ſpiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.* *Exemplum.*

Sed incidit hic vna dubitatio, cum dictum eſt ſuprà, quod diabolus venit, ſcilicet in corda ipſorum. An dæmones intrent corda hominum. *Ad hoc dicitur*, quod non per eſſentiam intrant corda, ſed per ſuggeſtionis effectum attendunt. De hoc dicit Gemmaſius, alij eum vocant Fulgentium, in definitionibus Eccleſiaſticorum E *Quomodo diabolus in corda hominum intret.*

dogmatum lib. 2. Dæmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressiuè vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit scilicet mentem, qui natura subsistens incorporeus captabilis est suæ facturæ, vt dicit Magister lib. 2. dis. 8. Ecce hic videtur insinuari, quod non substantialiter illabantur dæmones, vel introeant in corda hominum. Et allegat Bedam, qui dicit super Act. 5. vbi Petrus ait Ananiæ: *Cur tentauit*, vel impleuit, *Sathanas cor & mentem tuam*.

Dicit NOTANTER, quod mentem hominis, iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas, quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctũ, anima de his, quæ sunt creata, impletur. Implet vero Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in sensum, id est, animam eius; neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callida & fraudulenta deceptione, animã in affectum malitiæ trahens, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est Implet ergo Sathanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiosè suum virus inferendo. Hæc Beda.

SECVNDO, quidem occupant corda sua peccato superbiæ, vt fiant duriora lapide, secundum illud Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*, ideo verbum Dei non potest in eis germinare, eo quod carent gratiæ humore. Ita legitur Exod. 5. de Pharaone superbo, qui ex duritia mentis non recepit verbum Domini. Cum enim Moyses diceret ei, vt populum dimitteret, vt sibi in deserto sacrificaret; ait: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius. Nescio Dominum & non dimittam Israël.*

Exemplum de superbia.

Sic legitur de alio superbo nobili, qui potens erat, & quadam die cum esset in magno gaudio, & multos nobiles inuitasset, dixit eis: Quis est, qui mihi resistere posset? Respondit sibi miles quidam senex, dicens: Ille, qui exaltat humiles, & superbos humiliat, scilicet Deus, qui nos creauit, & tibi omnia hæc, quæ possides dedit. Ille ait: Et quæ ego habeo ex iure hæreditario possideo, & ea per memetipsum acquisiui, & augmentaui. Quod cum dixisset coram omnibus subitò expirauit, & diabolica turba ipsius animam in infernum deportauit. Ecce, quod verbum illud in ipso non fructificauit quia supra petram cecidit.

In corde auari sunt omnia peccata capitalia.

TERTIO quidam occupant corda sua peccato auaritiæ, & ideò semen verbi Dei non potest in ipsis germinare. Ratio illius est, quia sicut semen inter spinas seminatũ suffocatur, sic verbi Dei semina suscepta in corda auarorũ, extinguuntur: quia in corde auari sunt omnia peccata capitalia. *Primò*, est ibi superbia. Eccl. 21. *Domus quæ est nimis locuples, annullabitur superbia. Secundo* ibi est ira, Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot. Erat enim superbia eorum multa, & nequibant habitare simul. Tertio*, ibi est inuidia, Pro. 11. *Vir qui festinat ditari, inuidet alienis, & ignorat quod egestas superueniat ei.* Ideo dicit Grego. de viro iusto. Per hoc, quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. *Quarto*, ibi est acedia, Iere. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua*, &c. *Quintò*, ibi vitium gulæ, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos*, &c. *Sextò*, ibi est luxuria, Eccl. 47. *Collegisti quasi auricalcum aurum, & complesti quasi plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Ecce quanta mala sunt in corde auari, ideo non potest ibi verbum sapientiæ verbi Dei subintrare Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis.* Ideo auari sunt indispositi ad verbum DEI suscipiendum: Et si interdum reci-

recipiunt, tamen à sollicitudinibus & diuitijs euntes suffocantur, & non ferunt fructum.

QVARTO occupant aliqui corda sua cogitationibus bonis, quorum cogitatio secundum Sapientem, *apud altissimum*, in quorum corda si cadit verbum Dei, facit fructum multum, vt dicere possit cum Psal. 84. *Terra nostra dedit fructum suum.* Et hoc tangit Dominus cum concludit. *Quod autem in terram bonam*, quasi diceret, si verbũ Dei cadit in eos, qui terræ bonæ sunt similes *hi sunt, qui in corde bono*, per industriam naturalem, *& optimo* per gratiam, *audientes verbum Dei retinent*, scilicet in memoria, quia aliàs parum prodesset. Sicut enim cibus, qui statim euomitur, vel medicina, quæ non retinetur nihil ad sanitatem operatur, sic nec verbum Dei. Ideo necesse est, vt retineatur ab auditoribus, & sic fructum afferunt in patientia, cum exspectant ad instar agricolæ remunerationem sempiternam.

F

TERTIO hoc Euangelium exponitur tropologicè, aut MORALITER. vt primò generaliter intelligantur per semen opera bona propter multa. PRIMO ratione *continentia*, quia semen aut germen multum calorem, aut humorem continet in se, vt dicit Isidorus lib. 17. quia in ipso est humor nutrimentalis, & humor seminalis, & viget etiam in eo calor naturalis.

Sensus Tropologicus. Semen cur sunt opera bona.

MORALITER. Opera bona & virtutes habent humorem nutrimentalem, & est deuotio fidei. Quia sicut *iustus ex fide viuit*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Sic planta, vel germen viuit ex humoris nutrimento. Item habent humorem seminalem, sed quia humor seminalis est motiuus spei, quia ille qui seminat in spe fructus seminat, alias semen non proijceret. Itẽ habent calorem naturalẽ, quia quasi calor naturalis est *caritas*. Vbi ergo sunt ista tria scilicet *vigor fidei spes premij, & feruor amoris* sequitur germinatio fœcunda boni operis. Vel aliter, humor nutrimentalis est lacryma pœnitentis quã habuit Dauid, cum dixit Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Humor autem seminalis est gratia, de qua Ioan. 3. Semen ipsius scilicet gratiæ in eo manet. Sed calor naturalis est caritas, & vbi concurrunt ista tria scilicet, *compunctio lacrymosa, diuina gratia, & caritas fœcunda*, ibi fœcunda sequuntur pœnitentiæ germina & copiosa.

I. Ratione continentiæ.

Lacrymæ pœnitentis, humor nutricus.

Caritas est naturalis calor.

SECVNDO ratione *continentia*; sicut enim in semine prius est radix deinde erũpit germen, ex germine stipes, ex stipite flores, ex floribus verò fructus: & sic sunt ibidem plura continentia. Sic in quolibet bono opere est radix gratiæ, germen caritatis, præcipuè stipes, & flos fructusque operis. Ideò dicit Gregorius. Ex gratia radicis procedunt germina virtutum, quasi diceret, ex germine caritatis procedit stipes, id est finis intentionis; ex rectitudine intentionis, procedit flos, id est puritas, & suauitas operis; Ex opere primo procedit mercedis plenitudo, propterea consulit Sapiens Eccl. 15. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo.*

II. Ratione continentiæ.

TERTIO ratione *perseuerantia*, quia calor cœlestis penetrans ad radicem medullę, partes vnctuosiores & liquidiores facit; Et primò res superius ad se trahit, easq; coagulat & coniungit, & coagulatas per terræ poros inducit, & in substantias germinum conuertere non desistit. Similiter gratia cœlestis penetrans ad medullas cordis cogitationes, siue affectus liquidiores, id est, magis compunctas ad fluendum; & vnctuosiores, id est, magis deuotas ad inflammandum, & primo res ad æquandum trahit.

III. Ratione perseuerantiæ.

trahit superius ad Deum, & coagulat & coniungit eas, coagulo & vinculo caritatis. Sed dum disponit homo bonas cogitationes, siue affectus suos implere, propter amorem Dei. & vtilitatem proximi, quasi per sensus, vel per membra corporis induuit, & in substantias germinum conuertere non desistit, dum eas opere perficere perseueranter non desinit. Nam sicut non cessat humoris attractio continuè in radice, & sicut non cessat augmentum in germine, quousque ad debitum proueniat complementum. Sic similiter, quia non cessat in corde attractio diuinæ gratiæ, etiam non cessat germinatio, siue continuatio boni operis, quousq; perueniat ad perfectam ætatem, & quietem beatitudinis æternæ.

IV. Ratione redundantiæ. QVARTO ratione *redundantiæ*, quia sicut confortato calore in medulla, inclusio radicis humorem attrahit necessarium sibi. Quod autem necessarium non existit, à se exterius expellit, qui dum à calore incluso sursum leuatur, in materiam germinis transmulatur. Sic similiter ex calore caritatis incluso in corde hominis, qui habuit humorem scilicet nutrimentum ipsius corporis, attrahitur humor gratiæ. Quod verò necessarium non est superfluum ad nutritionem, mittit pauperibus, quod pertinet ad redundantiam caritatis: de quo dicitur Lucæ 11. *Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

V. Ratione custodiæ. QVINTO ratione *custodiæ* quia semen emittit frondes mutuo se connectentes, & hoc natura facit pro custodia, aut conseruatione fructuum. Nam cum rara sit eius substantia in aëre, vento, frigore, vel grandine, &c. facilè læderetur, nisi cauto gyro frondium muniretur. Sic etiam opus bonum, faciliter à vento vanæ gloriæ, à frigore inuidiæ, à grandine superbiæ, vel à noxio rore fraudis & deceptionis diabolicæ, destrueretur, nisi debitis circumstantijs vndiq; muniretur.

VI. Ratione efficaciæ. SEXTO ratione *efficaciæ*. licet enim semen sit modicæ quantitatis, est tamen maximæ virtutis. Nam virtus radicis transit in substantiam seminis; & ideò herbæ quamdiu sunt in semine, viget in eis humor transfusus à radice, & maximè conueniunt medicinæ. Similiter opera bona, quæ faciunt sancti viri, videntur eis modica, propter humilitatem : tamen maximæ virtutis sunt apud alios per exemplum, & apud Deum per meritum. Nam virtus radicis, quæ est caritas, de qua Apostolus ad Ephes. 3. *In caritate radicati, & fundati* transit in substantiam seminis, id est, soliditate & bonitate operis. Et propter hæc opera quamdiu manet in eis humor deuotionis & affectionis, transfusus à radice caritatis, medicinalia fiunt non tantum ipsi operanti, quem purgant, sed etiam ipsi peccatori intuenti, quem ad iustitiam prouocant. Hucvsque Anselmus lib. 3. cap. 4.

Humor deuotionis, medicinalis peccatori.

Ecce propter sex ista iam dicta, congruè opera bona sunt per semen designata. Sed seminator horum seminum, quilibet est hominum, qui debet exire à torpore acediæ, & seminare semina operationis piæ. Et est NOTANDVM, quod in seminando debet attendere quatuor seminis bonitates. Sicut enim quilibet agricola, optimũ semen, quod habet, seminare consueuit si fertilem messem habere voluerit. Quia ager non profert bonum fructum, nisi in eo bonum semen fuerit seminatum : Sic etiam quilibet homo, debet seminare in agrum cordis sui semen bonum operum bonorum. Iuxta illud ad Galat. 6. *Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Quod autem seminare debemus, ostendit Propheta, Oseæ cap. 10. *Seminate vobis in iustitia, & metite more misericordiæ.*

Seminis bonitas attendenda. I.

Econ-

Econtra autem agricola, qui ſeminat malum ſemen, habebit malam meſſem. Sic & ſi homo ſeminat mala opera, certè & ipſe metit ea. Ideo conſulit Eccleſ. 7. *Fili ne ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* vbi Gloſſa interlinearis: Septem pœnæ in inferno ſunt, quæ quidem metet, qui hic mala ſeminat. Et hæ patent in his metris. Malũ ſemen ſequitur mala meſſis.

Vermes & tenebræ, flagellum, frigus, & ignis,
Dæmonis aſpectus, ſceleris confuſio, luctus.

De vermibus & igne, habes Iſaiæ vlt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur.* De tenebris, Iob. 10. *Dimitte me Domine,* Gloſſa, in præſenti vita, *vt plangam dolorem meum, antequam reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum.* De flagellis, Prou. 19. *Deriſoribus parata ſunt iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corpora.* De hoc refertur in Annulo parte 2. cap. 23. Pariſiis erant duo ſocij turpiter viuẽtes, cum vnus moreretur, ſocius eius poſt mortem ipſius quadam die ſolus in campo ibat ſpatiando, & clamorem audiuit miſerabilem. Acceſſit propius, vidit caminum ignis, & duos nigerrimos Æthiopes, malleis quendam quem non videbat, ſed horribiliter clamantem indeſinenter cruciantes. Hic autem, qui folles calcabat, ſic perſonabat: Semper & ſemper. Væ mihi vndiq;, væ mihi. Cum autem quæreret, quis ibi cruciaretur? Reſpondit malleator. Anima ſocij tui. Perterritus ille, quæſiuit, quanto tempore illa pœna durare deberet. Calcator ait, ſemper & ſemper. Turbatur ille: Petit tamẽ, vt ad modicam horam permittant quieſcere, ſed non profecit. Tandem quærit, quare ſemper puniri debeat! Reſpondit calcator. Iuſto Dei iudicio punietur ſemper, qui ſemper peccare elegit. Quo dicto, viſio diſparuit. Ecce quàm dura ſunt hæc flagella. G Exemplum. Semper peccans, ſemper punitur.

De frigore habes Iob. 24. *Ab aquis nimium, tranſeunt ad calorem nimium.* Et Matthæi 25. habetur de fletu & frigore. *Vbi erit fletus, & ſtridor dentium,* ſcilicet propter nimium frigus. De aſpectu dæmonum, habetur Iob. 20. *Vadent & venient ſuper eos horribiles.* Ecce hos fructus colligit, qui hic mala opera ſerit. Ideo præ omnibus conſulendum eſt, vt ad bonitatem ſeminis videamus; quia dicit Apoſtolus ad Galat. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet,* ſcilicet mercedem accipiendo ſecundum opera. Et ſubdit hoc declarando: *Qui ſeminat in carne ſua,* ſcilicet ſequendo impetum carnis, *de carne metet corruptionem,* ſcilicet culpæ & gehennæ: *Qui autem ſeminat in ſpiritu,* ſcilicet ſequendo inſtinctum eius, *de ſpiritu metet vitam æternam,* quaſi diceret, virtute ſpiritus ipſum mouentis conſequitur vitam æternam.

SECVNDO, qui vult ſeminare opera bona, debet attendere ſeminantis liberalitatem. Debet enim homo reſpicere illum, qui libenter bona facit, & hunc ſequi debet: quia dicit Apoſtolus 2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: qui autem ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Idcircò ſi vis fructum multum colligere in futuro, multa ſeminare debes in hoc ſeculo, quia dicit Gregorius; Modica ſeminis detractio, non modicum eſt meſſis detrimentum. II. Seminando opera bona quid obſeruandum.

TERTIO, qui vult ſeminare, debet conſiderare agri fœcunditatem. Si enim ſeminat in agro arido, plantæ creſcunt paruæ quantitatis, propter humoris paucitatem: Si autem in agro humido, maioris erunt quantitatis, per abundantiam humoris. MORALITER. Ager ſignificat animam pœnitentem propter tria. III. Agri fœcunditas conſideranda.

PRIMO. Sicut ager cum labore excolitur, quia vomere aperitur, ligone foditur, Ager cur anima pœnitens.

H & euertitur, semine seritur, rastro retegitur, imbre perfunditur, & sepibus cingitur:
I. Sic anima pœnitentis aperitur vomere contritionis, foditur & euertitur ligone confessionis, scilicet lingua confitente, seritur semine bonæ operationis, retegitur rastro asperæ castigationis, scilicet abstinentia & ieiunijs, imbre lacrymationis spargitur, & cingitur sepibus diligentis conuersationis. Iuxta illud Eccles. 28. *Sepi aures tuas spinis*. Hæc agricultura persuadetur Prou. 23. *Diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam*.

II. SECVNDO. Sicut ager gelu hyemali constringitur, vernali tempore viriditate vestitur, & calore aduritur: Sic anima pœnitentis quandoque tangitur frigore acediæ, quandoque angustiatur feruore concupiscentiæ, interdum decoratur feruore diuinæ gratiæ, quia est sicut fœnum agri, quod est hodiè scilicet viride, *& cras in clibanum mittitur*, Matth. 6. Quia non viret humore deuotionis, ideo cras exoritur feruore tentationis,

III. TERTIO. Sicut ager in autumno collectis fructibus iterato percingitur, & iterum seminatur: Sic anima pœnitens, quæ debet esse in laboribus bonis, oportet, vt semper post vnum opus fructuosum perfectum, aliud inchoëtur. Iuxta illud Eccl. 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare*. Iste igitur ager animæ, interdum fit aridus per indeuotionem, & tunc fructus bonorum operum erunt paruæ quantitatis. Si autem est humidus per deuotionem, tunc quicquid in eo seritur, in fructibus virtutum abundanter apparebit. Sicut figuratum est Genes. 37. vbi legitur, quod seuit Isaac agrum, & in ipso anno percepit fructum centuplum, & benedixit ei Deus, & locupletatus est. Isaac interpretatur gaudium, & significat animam deuotá, quæ est sine peccato, de qua dicitur Prouerbior. 15. *Cor gaudens*, id est, bona conscientia secundum Glossam interlinearem, *exhilarat faciem*. Hæc igitur si seminat semen boni operis, in futuro recipiet centuplum fructum mercedis.

Sed NOTANDVM, quòd semen, quod seminatur in agrum animæ, adhuc habet se in triplici differentia. *Aliqua enim pars* seminis bonorum operum cadit secus viam, & hoc tunc contingit, quando bona opera, vt ieiunia, & orationes, & sic de alijs fiunt, vt videantur ab hominibus, qualia sunt opera Pharisæorum, de quibus dixit Dominus, Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*.
Hypocrytæ finis. Vel, adhuc hypocrytæ faciunt opera sua ad apparentiam, vt laudentur: quia dicit Gregorius: Hypocritæ, quod iusti agunt ad vtilitatem proximi, hoc ipsi faciunt ad
Spes Hypocrytæ. ostentationem nominis sui. Idem 8. moral. Quid in cunctis operibus suis Hypocrita sperat, nisi reuerentiam honoris, & gloriam laudis? Ideo illud semen bonorum etiam operum, quod sic seminant, ab hominibus conculcatur, & perit, eò quòd Hypocrytæ præmium à Deo non capiunt. quia dicit Matth. 7. *Amen dico vobis, acceperunt mercedem suam*.

Alia pars seminis bonorum operum, cadit supra petram, per quam intelligitur
Cor durum quid? cor durum de quo dicit Bernardus ad Eugenium: Cor durum est, quod nec compũctione scinditur nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, induratur flagellatione, ingratũ ad beneficia, nec Deum timet, nec hominem veretur. Ex hoc dicto B. Bernardi principaliter apparet, quod ille est cordis duri, qui non vult indulgere in se peccantibus, quod tamen est contra Sapientem, qui dicit; *Relinque proximo tuo nocenti te*, scilicet offensam, *& tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, Eccl. 28.

Ideo

Ideo omne semen bonorum operum, quod cadit in hoc cor durum, aret & perit, quia non habet humorem gratiæ, aut remissionis, & sic non fructificat fructū bonum in vitam æternam. Quia dicit Beda super Matth. Qui tam impertitè differt emendam scelerum aliorum, timeo quod sibi differatur venia in æternum. Et Cassianus libro collat. Nequaquam sunt cœlestia præmia illi, qui seipsum vindicat de molestia iniuriaq; illata. Propria vindicta prohibetur.

Item *alia pars* seminis bonorum operum cadit inter spinas, quod tunc fit, cum quis iniustè acquisita possidet, nec vult ea restituere, sed vult ex eis bona facere, vt Ecclesias ædificare, altaria ædificare & erigere, & sic de alijs, quæ tamē nihil sibi prosunt, sed obsunt, secundum quod dicit Augustinus. Si res propter quam peccatum est, cum reddi potest non redditur, pœnitentia non agitur sed simulatur. De talibus qui sic faciunt bona de malè acquisitis, dicit propheta Aggeus cap. 1. *Seminasti multum, & intulisti parum*. Ideo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, capite 54. part. 18. Mulier sancta dicta MAIRA de Oegnies multum sollicita in orationibus & lacrymis petiuit Dominum, vt eam de morte matris suæ certam reddere dignaretur. Cum in hoc multas lacrymas funderet, accidit die quadam, vt ad Missam iuxta altare in Ecclesia, quasi ad pedes Domini Mariæ sederet, & ipsa, horrore concussa, vidit prope se spiritum tenebrosum astare. Quæ mox signo sanctæ crucis signata, audacter quis esset interrogauit. Et Spiritus. Ego sum mater tua. Cui illa. Quomodo, inquit, tibi est mater? Tunc illa. Malè. Maria ait. Nihil me iuuare tuæ preces potuerunt, cum me quidem damnatam perpetuò inferni claustra detineant. Mox filia elato gemitu, dixit. Heu mater mea quæ est causa damnationis tuæ? Cui illa. Enutrita, inquit, fui, & vixi in his quæ per iniusta mercimonia & vsuras acquisita fuerunt, & conscia mihi mali, ablata restitui non curaui, nec aduertere volui, quid contra Deum in meo hospitio, & à mihi subditis ageretur, sed tortuosos mundi vias ingressa, indignum misera iudicaui, progenitorum meorum vestigia declinare. Spreui insuper arguentem te in his & in alijs malis meis, nec in vllo pœnitui, & ideo infructuosam mortem commutans, à futura seculi vita deperij. Hæc dicens mater, repentè disparuit. Ecce quod semen bonorum operum cadens inter spinas, rerum videlicet malè acquisitarum, suffocatur.

I Aedificare Ecclesias ex alienis plus obest quàm prodest. Exemplum. Causæ damnationis eius.

QVARTO qui vult seminare, debet attendere temporis congruitatem. Ideo dicit Petrus de crescentia, libro secundo. Omnis seminatio fieri debet cum seminis adiutorium maius est è cœlo, hoc est, in prima ætate lunæ. Quia tunc iuuatur calido, humido, viuifico lumine solis, & luminæ lunæ simul. *Et subdit*. Omnis satio, quæ fit cum sol ab *Ariete* in Cancrum graditur, est perfecta; tunc radices mouebuntur in debitam suæ substantiæ quantitatem. Ita seminatio bonorum operum fieri debet, cum habet maius adiutorium à Deo, & hoc est in tempore præsenti, in quo Deus astat cuilibet, vt possit bonum perficere. Iuxta illud Psal 120. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram*. Et præsertim debet seminare in prima ætate pueritiæ, semen operationis bonæ, cum adhuc calidum & humidum in ipso dominantur. Quia tum est magis aptus ad benè operandum. Ideo consulit Sapiens Ecclesiastici 11. *Mane semina semen tuum*. Valde debet enim attendere quilibet homo temporis præsentis congruitatem, ad benè operandum. Quia si rex vel alius Dominus terrenus, concederet tibi bonam terram, ad seminandum

IV. Suo tēpore seminandū.

quicquid velles, quantum velles, vt ſeminares infra ſex annos, æſtimo quod non eam libenter vacare permitteres, Zizaniam pro grano ſeminares, vel raro, vel pauca ſeminares. Sic rex & Dominus cælorum, conceſſit nobis terram cordis noſtri, vt ſeminemus bona ſemina in ipſo, & hoc conceſſit tantum per ſex annos. Iuxta illud Exod. 23. *Sex annis ſeminabis terram tuam, & anno ſeptimo dimittes eam.* Et Luc. 14. dixit Dominus. *Sex dies ſunt in quibus oportet operari*, Vbi per ſex dies intelligit ſex ætates hnminis, ſcilicet pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, virilitatem, ſenectam, & decrepitam ætatē. In quibus à Deo conceſſis, debes ſeminare bonum quicquid potes, & quantum potes, & vbi vales, & quando. Vel, per ſex annos aut dies ſignificatur præſens vita, quæ currit per ſex tempora laboris, Septimus eſt Sabbathum æternum, in quo non erit neceſſe laborare ſed quieſcere. Iuxta illud Iſa. 23. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*

Sex dies, ſex ætates hominis.

Sex anni, præſens vita.

Eleemoſyna ſemen bonū

SECVNDO, exponitur SPIRITVALITER in ſenſu morali, vt per ſemen intelligatur eleemoſyna, quia ipſa eſt bonum ſemen. Vnde dicit Plinius in ſpec. naturali. Bonitas ſeminis conſideratur ex tribus: *Primò* ex tempore quia illud eſt ſemen bonum, quod eſt anniculum, binum, vel trinum. Præcepit tamen Palladius lib. de agricultura ne ſemina iactanda vetuſtiora ſint, quia anni vnius. Si enim vetuſtatem habēt vltra annum, nimis exſiccata ſunt vt virtus formatiua & propria, ſubſtantia humoris radicalis deſtituta, euanuit, ideò talia rarò proueniunt. Nihilominus tamen vt dicit Plinius, poteſt ſemen duorum, aut trium annorum valere ad ſeminandum, adhuc non eſt viribus deſtitutum.

Triplex eleemoſyna.

Sed quid per hoc MORALITER deſignatur. Dico, quod Eleemoſyna eſt triplex. *Prima* eſt quæ diſponit hominem ad bonum ſcilicet ad hoc vt à culpa liberetur, ſicut eſt eleemoſyna peccatorum, ſicut Nabuchodonoſor. Qui ſuperbè contra Deum loquutus eſt, & in beſtiam mentaliter mutatus, cui conſulit Daniel propheta cap. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis.* Et iſta eleemoſyna per ſemen anniculum denotatur.

1. Diſponit hominem ad bonum.

Secunda eleemoſyna valet ad duo, vt puta ad ſatisfactionem culpæ, & redēptionem pœnæ, vt eleemoſyna pœnitentis, de qua dicit Tobias capite quarto. *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*, quoad primum, & *non patietur animas ire in tenebras*, quoad ſecundum. Et iſta eſt vt ſemen bonum.

2. Valet ad ſatisfactionē.

Tertia autem eleemoſyna valet ad tria, ſcilicet ad præſeruandum à culpa, ad euadendum ſupplicia, & ad promerendum præmia. De iſta dicit Tob. 12. *Eleemoſyna eſt, quæ à morte liberat, & ipſa etiam purgat, & facit inuenire vitam æternam.* Et eſt eleemoſyna iuſtorum ſignificata per ſemen trinum.

3. Præſeruat à culpa.

Secundò bonitas ſeminis conſideratur ex pondere; quia illud eſt optimū quod eſt grauiſſimum,, cum eſt in caritate ſparſum, & tanto plus valet danti, quanto procedit ex caritate maiori. Ideo dicit Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ſcilicet ad conſecutionem vitæ æternæ.

Albedo ſeminis quid denotat.

Tertiò conſideratur ex colore, quia illud ſemen eſt melius, quod magis album interius. Quid per albedinem, niſi bonam intentionem intelliges: quia medulla alba, eſt intentio pura. Qui ergo vult vt eleemoſyna ſua ſit bona, videat quod intentio ſit pura. Ideo dixit Dominus Matthæi 6. *Cum facis eleemoſynam, noli tuba*

tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in sinagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

QVARTO eleemosyna comparatur semini. Quia sicut semen in terram proiectum perditur, tamen postmodum multipliciter recipitur, quia *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ioannis 12. Ita etiam eleemosyna est quæ in præsenti perditur, cum pauperi datur. In futura autem vita multiplicitermetetur & recuperabitur quia dicit Augustinus in Sermon. 25. de verbis Domini: Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum. Eleemosyna semini comparatur.

Refert Arnoldus super hoc verbo Matthæi 19. *Quicunque reliquerit &c. centuplum accipiet &c.* de quodam pagano, qui cum audisset prædicari à quodam Episcopo, quæsiuit ab eo cuius hæc verba essent. Qui ait: Promissum Dei nostri est, & verum est. Cui paganus. Si fideiusseris super hoc, baptizor. Quod fecit Episcopus. Quo facto ille cuncta bona pauperibus distribuit, & baptizari se fecit, & post hoc citò decessit. Quo defuncto, filij adhuc pagani, Episcopum in iudicio conuenerunt, & bona paterna postulauerunt, dicentes. Quia pater ipsorum secundum promissum suum, nihil accepisset, vel si accepisset, quod saltem hoc probaret. Quibus Episcopus dixit. Deus reddidit ei centuplum in vita æterna, & hoc probare quidem possum. Adduxit igitur eos ad tumulum, adiurauit mortuum in nomine IESV Christi, vt diceret sibi. Vtrum benè fuerit solutus de promisso. Illico respondit omnibus audientibus, centuplum accepi, & vitam æternam possideo. Insuper & chartam in manu eius repererunt, in qua scriptum sic inuenerunt. Sicut promissum est mihi, sic inueni, & iam centuplum recepi, & vitam æternam possedi. Ideo dicit Sapiens Ecclesiastici 29. *Perde pecuniam tuam propter fratrem tuum & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem, & proderit tibi magis quàm aurum.* Super quo dicit Glossa: Perde perditura, & inuenies permanentia: Perde fragitia, vt consequaris æterna. Da quod conseruare non potes, vt recipias quod securum amittere non vales. Exemplum.

Et est vlterius NOTANDVM. Hugo de sancto Victore dicit, quod eleemosyna cōparatur semini octo de causis. Propter octo eleemosyna semini comparatur.

Vna, quia ad modum seminis debet occultari non ad iactantiam ostendit aut videri. I.

Secunda, quia sicut semen comittitur bonæ terræ sic eleemosyna debet dari bonis pauperibus, scilicet propter necessitatem naturæ, & aliquando malis; sicut etiam aliquando propter necessitatem in terra mala seminatur. II.

Tertia, quia semen non crescit nisi irrigetur pluries, sic nec eleemosyna nisi detur ex compassione cordis. III.

Quarta est, quia si pretiosa seminantur, pretiosa colliguntur; si vilia, simul vilia. Similiter eleemosynæ quæ fiunt in charitate, quasi pretiosa semina, quarum remuneratio erit in patria. Quæ autem fiunt in mortali, sic sunt quasi vilia semina, & remunerantur in præsenti. Vnde versus: IV.

Quæ cum mortali fiunt, tria dant: bona terræ,
Cor faciunt habile, minuunt tormenta gehennæ.

Quinta est, quia semen non in vno loco spargitur, sed in pluribus: sic eleemosyna diuiditur. V.

 Sexta,

VI. *Sexta*, quia semen gelu pressum, & retardatum magnam copiam repromittit, sic eleemosyna quæ non habet temporalem remunerationem, sed pressuram tribulationis, & aduersitatis, habebit fructum æternæ beatitudinis.

VII. *Septima* est, quia sicut seminans, de parte seminis viuit in præsenti anno, & de parte insequenti anno, sic ex eleemosyna quandoque non solum habet præmium in futuro, sed etiam quandoque in præsenti augmentum temporalium.

VIII. *Octaua* quia sicut tria sunt impedimenta ne semen materiale fructificet, scilicet: si supra petram, secus viam, inter spinas seminetur. Sic impedimentum fructificationis eleemosynæ, est cordis duritia, quando datur non ex cordis compassione, sed cum murmure. Sicque semen eleemosynæ cadit super lapidem, & nullum fructũ, aut paruum facit. Sicut testatur beatus Gregorius: Sunt nonnulli qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, prius in eos contumeliosa verba iaciunt, quæ etsi rebus ministeria pietatis perficiant, verbis tamen contumeliosis humanitatis gratiam perdunt, ita vt plerumque videantur iniuriæ illatæ satisfactionem exoluisse, cum post contumelias dona largiuntur.

Eleemosyna hilariter tribuenda. Ad idem dicit Beda in homilia super Matth. Tutius est eleemosynam non fecisse, quàm inuito ac furibundo animo tribuisse. Cui concordat illud dictum Augustini: Qui dat vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, rem & meritum perdit. Et meritò illud semen eleemosynæ quod datur cum murmure, aret & perditur, quia non habet humorem pietatis quia eleemosyna debet dari cum vultus hilaritate iuxta illud Eccles. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Quia 2. Corinth. 9. dicit Apostolus. *Hilarem datorem diligit Dominus*. Ideo consulit Sapiens Ecclesiast. 4. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & responde ei in pacifica mansuetudine.*

SECVNDVM impedimentum fructificationis est inanis gloria, vt cum propter ipsam datur, secus viam conculcatur. Quia dicit Hieronymus. Quicquid agimus causa vanæ gloriæ, hoc est nostra merces; si humanam laudem quærimus, diuinam amittimus. Cui consonat Gregorius 8. moral. Si per hoc nostram laudem conspicimus. &c. Etiam si à multis ignoretur. &c. Ideo beatus Augustinus dicit; Studendum est vt benè viuamus, sed à laude cauendum est. Si hic laus quæritur, illic remuneratio amittitur.

L Eleemosyna in peccato facta ad tria prodest. TERTIVM impedimentum secundum Hugonem sunt propria peccata, quæ velut spinæ pungunt & lacerant mentem. Qui enim in peccatis exiens facit eleemosynas, seminat inter spinas, & talis eleemosyna suffocatur à peccatis, & non prodest ad vitam æternam consequendam: prodest tamen ad tria. PRIMO ad mentis illustrationem, de pœn. distinct. 5. c. Falsas. dicit beatus Gregorius ipsis peccatoribus existentibus in peccatis, quod non desperent, sed interim quicquid boni poterint faciant, vt Deus optimus cor ipsorum illustret ad pœnitentiam. SECVNDO, ad temporalem remunerationem, quia dicit Hieronymus de pœn. distinct. 4 c. Si Quando videris inter multa opera peccatorũ facere quenquam aliqua quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus vt propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorum: quasi diceret, si non remunerat æternaliter, remunerat tamen temporaliter. TERTIO, ad faciliorem gehennæ tolerantiam, de pœn. distinct. 3. c. Quid ergo §. Potest etiam vbi dicit Augustinus. Licet bona quæ inter multa mala sunt, non proficiant ad præ-

ion-

ſentis vitæ vel futuræ præmium obtinendum, tamen ad tolerabilius extremi iudicij ſupplicium ſubeundum. De hoc ſunt ſuperius metra: *Quæ cum mortali. &c.*

Ad probandum etiam, quod eleemoſyna in peccato data prodeſt, refert Ioannes eleemoſynarius Patriarcha. Petrus nomine diues valde & præpotens, ſed erga pauperes nimis immiſericors, quia ad domum eius accedentes cum indignatione nimia repellebat. Cum ergo nullus fuiſſet inuentus pauperum, qui de domo ſua eleemoſynam accepiſſet, congregata pauperum multitudine, dixit vnus eorum. Quid vultis mihi dare, ſi ego hodie ab eo eleemoſynam accipio? Et facientibus cum eo pactum, ad domum eius venit & eleemoſynam poſtulauit. Eo tempore famuli eius ad domum ipſius panes ſiligineos attulerunt, quorum vnum arripuit, & cum furore illum repellendo proiecit, quem pauper protinus accipiens, ad ſuos ſocios rediit, & quod eleemoſynam de manu ſua accepiſſet, indicauit. Poſt duos igitur dies Petrus infirmatus ad mortem, vidit ſe ante iudicium ſtare, & Mauros quoſdam ſuper ſtateram mala eius appendere; Ex altera autem parte quidam albati triſtes ſtabant, & nihil quod apponerent inuenire poterant. Tunc vnus illorum dixit. Verè nihil habemus, niſi vnum panem ſiliginis, quem ante duos dies Chriſto cum indignatione dedit, quem ſuper ſtateram ponens, ferè æqualitas facta eſt. Et ei dixerunt. Adauge hanc ſiliginem, alioquin Mauri te apprehendent. Euigilans igitur, & liberatus, dicebat: ſi vna ſiligo quam tunc per furorem iactaui, tantum profuit, quanto magis debet quis omnia ſua indigentibus elargiri, & factus eſt miſericors, & amator egenorum. Quadam enim die cum optimis veſtibus indutus per viam pergeret; quidam naufragus ab eo veſtimentum aliquod poſtulabat. Continuò ille veſtimento pretioſo ſe exſpoliauit, & illi dedit. Quod ille accipiens, ſtatim vendidit. Quod cum percepiſſet Petrus, doluit adeo, vt nec cibum ſumere vellet, dicens: quoniam non fui dignus, vt mei memoriam haberet egenus. Ecce cum dormiret, vidit quendam ſuper ſolem fulgentem, & ſuper caput crucem ferentem, & habentem indutum veſtimentum, quod dederat egeno, & dicentem ſibi. Quid ploras Petre? Qui cum cauſam ſuæ triſtitiæ dixiſſet. Ait ille. Cognoſcis hanc veſtem. Et ille. Etiam Domine. Et Dominus ad eum. Illo igitur veſtior ex quo mihi dediſti & gratias ago bonæ voluntati tuæ; quoniam frigore affligebar, & cooperuiſti me. In ſe igitur reuerſus, cœpit egenos beatificare, & dicere. Viuit Dominus quod non moriar, donec fiam vnus ex eis. Exemplum.

Vel aliter ſic expone; quod ille ſeminat ſemen eleemoſynæ ſecus viam, qui hiſtrionibus qui ſemper iuxta viam currunt præſtat, & tale ſemen conculcatur, & à dæmonibus, qui dicuntur volucres cœli, deuoratur. Quia dicit Hieronymus: Hiſtrionibus dare, nihil aliud eſt niſi dæmonibus immolare. De hoc quærere plura ſupra Dominica III. in aduentu. I. N. Hiſtrionibus dare, quid?

Iſte autem ſupra petram ſeminat, qui in peccatis obduratus, eleemoſynam donat meretricibus, & conſimilibus: quia talibus non eſt dandum, intuitu peccati vel impietatis: quia dicit Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam, & ponitur. 5. q. 5. c. Non omnis vtilis. Eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſaturatus iuſtitiam negligebat. Et ſecundum hoc etiam loquitur Sapiens, Eccleſ. 17. *Da bono, & ne recipias peccatorem. Benefac humili, & ne dederis impio.* Et ad hunc ſenſum etiam loquitur M

Elecmosyna cui dari debeat.

quitur Hieronymus dicens: Pecuniam tuam vt singulis necessarium tribuas, non ad luxuriam sed ad necessitatem.

Et dixi NOTANTER, quod intuitu impietatis, non est donandum meretricibus & consimilibus: quia intuitu pietatis secus est. Quia legitur, quidam nomine Vitalius senex, sanctitate vitæ præclarus, venit Alexandriam & pio studio conscripsit meretrices, magis famosi nominis. Qui diebus singulis laborans nummos acquirebat, ex quorum parte victum parcissimum sibi comparans, reliquos pietatis affectu meretricibus impendit. Nam ad vesperam intrans ad aliquam earum, deditque ei nummos, dicens: Da mihi, hanc noctem, & noli cum aliquo fornicari. Sicque tota nocte manens in angulo domus, orationi vacabat, obseruans attentius ne mulier cum aliquo peccaret. Eodem modo alijs noctibus cum alijs faciebat. sic quod omnes per ordinem visitabat, frequenter eundem ordinem repetens, ab omnibus autem constanter exegit, quod nulla eum proderet. Vna igitur illarum vt factum pij patris reuelare præsumeret, à dæmone est vexata. Cum autem hoc diutius Vitalius ageret, plures ex his mulierculis compunctæ, inhonestam vitam reliquerunt. Quædam continentes castè vixerunt, quædam regularem vitam aggressæ, quædam etiam legitimum matrimonium elegerunt. Illo modo posset & quilibet homo eis eleemosynam dare, & ad bonum inuitare.

Exemplum.

Sed illi seminant inter spinas qui diuitibus dant eleemosynas, quia ab illis suffocantur: contra quos dicitur Tob. 4. *Panem tuum cum esurientibus comede.* Et beatus Hieronymus in Epistola: Illis retribue diuitias tuas, qui non phasides aues, sed siliginis panem comedunt, qui famem expellant, qui non augeant luxuriam. Ideo dicit Cassiodorus; diuitibus dare, nihil aliud est quàm prædari. Quare dixit Dominus Ierem. 4. *Noli seminare super spinas.*

VLTIMO autem quidam seminant in terram bonam. Per bonam terram intellige bonos pauperes, in quibus iaciendum est semen eleemosynarum, quia afferunt fructum centuplum, intellige huic qui eleemosynam dedit. Ideo dicit Sapiens Eccles. 12. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam*; etsi non ab ipso, certè à Domino. Ideo legitur de beato Ludouico rege Franciæ, quod infirmatus ad mortem conuocauit omnes suos nobiles medicos, & clericos, & Theologos, & religiosos, consulendo an posset curari. Et audito quod non, respondit. Nunc patet quod diuitiæ in morte non prosunt, quibus potentissimus & ditissimus rex sanari non potest. Vnde nisi proximis & pauperibus in eleemosynis subuenissem, ad æternam vitam modo non venissem. Ad quam nos perducat. &c.

Exemplum de Ludouico rege.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Sermo primus.

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cimbalum tinniens. 1, Cor. 13.

Aristo-

ARistoteles in libro problematum dicit. Aurum in lecto naturaliter fugat somnum. Quia dicit Auicenna: Aurum amicum est vigiliæ, & inimicum somni. Ideo errant isti, & male faciunt qui in digitis infirmorum, quia aliàs dormire non possunt, annulos aureos dimittere consueuerunt. Quia Galenus deportari suadet aurum à languidis, vt quiescant. Sed econtra benè faciunt, qui pestilentiæ tempore aurum in digitis portant, cum incipiunt infirmari, quia tum periculosus est somnus, quem aurum fugat pro parte ab infirmo. N Aurum somno inimicũ.

MORALITER. Per aurum intellige charitatem, quia sicut inter omnia alia metalla, aurum est excellentius metallum siue principale, sic charitas excellit omnes alias virtutes. Et est virtus principalis, quia Apostolus ad Galat. 5. enumerat eam primam inter fructus Spiritus sancti, dicens: *Fructus*, inquit, *spiritus charitas.* Super quo dicit Glossa Augustini caput virtutum præmisit, vocans charitatem caput virtutum. Ibi etiam dicit Glossa Hieronymi. Quæ autem inter fructus spiritus tenet primatum, charitas est, sine qua ceteræ virtutes, non reputabuntur esse virtutes veræ. Ideo etiam Apostolus in præsenti Epistola, enumerat eam maiorem inter virtutes Theologicales, cum dicit: *Nunc* scilicet tempore vitæ, *fides, spes & charitas: tria hæc, maior autem horum caritas.* Quia secundum Glossam, fide & spe cessantibus, charitas in æternum manebit.

Sed quia quoad præsens hoc carnispriuio, quod nominatur ab hac Dominica, omnes quasi homines sunt in somno peccatorum: quia iam plura peccata (heu) quàm alio tempore anni committuntur, in crapula, luxuria, & superbia. Quia dicit beatus Gregorius distinct. 4. de ipsa Dominica die hæsitamus, & intelligit Glossa Dominicam carnis priuij. Quid iam dicendum sit, cum omnes laici & seculares, illo die plus solito ceteris diebus, curatioresque cibos & carnium appetant, & vbi quasi noua auiditate se ad medias noctes ingurgitant, quod se non aliter huius sancti temporis obseruationem suscipere putant. Quod vtique non rationi, sed voluptati, immò euidam cæcitati mentis adscribendum est: quasi diceret Gregorius. Ex hac ingurgitatione multa alia procedunt peccata. *Primum* est *superbia*, sicut patet per illud Oseæ. 13. *Saturati sunt, & eleuauerunt cor suum.* *Secundum* est *Dei obliuio*, ideo sequitur. *Et obliti sunt mei.* In nullo enim tempore anni, Dei plus obliuiscitur quàm in his diebus. *Tertia* est *luxuria*, quia dicit Hieronymus: Venter mero æstuans, de facili spumat in libidinem. *Quartum* est *loquacitas*, sicut probat Gregorius in homilia de diuite epulone. Peccata ex ingurgitatione prouenientia. 1. 2. 3. 4.

PRIMO in malè conuiuantibus famulatur culpa loquacitatis. DEINDE post loquacitatem ludus & leuitas. Quia nullo tempore anni plures ludi inordinati, quàm in his tribus diebus exercentur, nec non multæ leuitates. Vnde benè exponitur de ipsis illud Exod. 32. *Sedit populus meus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Insuper quasi omnia ibi peccata committuntur, quia dicit Galenus: Ebriosus seruus est omnium peccatorum. Nullum enim peccatum potest vincere qui captus est vitio isto. Idcirco in ista Epistola quæ legitur in hac die, Apostolus multum commendat caritatem, quia ipsa somnum vitiorum fugat, cum dicit: *Charitas non æmulatur*, id est inuidet, *non agit perperam*, id est peruersè, *non inflatur*, quasi diceret; ipsa excludit tumorem superbiæ; & sic de alijs. Conuiuantiũ peccata. Ebriosus, seruus peccati.

Et quid aliud vult, nisi vt contra vitia, quæ modo opprimunt hominem propter crapulam aurum caritatis in mente portemus, vt sic à somno peccati nobis caueamus. Et tangit in hoc Apostolus excellentiam caritatis quoad tria. Quoad eius necessitatem, ibi: *Si linguis hominum loquar.* Quantum ad eius vtilitatem, ibi; *Caritatem patiens.* Quantum ad eius stabilitatem, ibi; *Caritas nunquam excidit.*

O Consuetudo in isto tempore est, licet mala, quod domini, nobiles & diuites huius mundi in publica theatra solent conuenire cum puellis, aut virginibus suis, cum quibus adolescentuli consueuerunt chorizare. Et licet interdum quilibet adolescẽtum sibi electam specialẽ elegit, tamen etiam cum ceteris ibidem congregatis, choreas ducit, eo quòd secundum Philosophum, alternatis vti est delectabile. Et ab illa mala consuetudine, nullo modo, nec per Prælatos, nec rectores Ecclesiarum, possunt declinari. Ideo beatus Gregorius distinctione 4. c. Denique §. de ipsa loquens. De Dominica ista carnis priuij in qua: & in duobus diebus sequentibus, hæc mala consuetudo, quasi ab omnibus secularibus obseruatur, & sic ait. Vnde nec à tali consuetudine auerti possunt, ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant si à tali consuetudine prohibeantur. Vbi secundũ Glossam arguunt aliqui, quod consuetudo excusat in delictis, & sic volunt arguere. Quicquid fecerint in his tribus diebus mali in chorizando, vel se ad mediam noctem ingurgitando, quod eos excusat hæc mala consuetudo. Contra quos dicit Canon. 34. quæst. 1. c. Schisma. Consuetudo non minuit peccatũ sed auget, imò consuetudo veniale peccatum facit mortale dist. 25. §. Criminis.

Obiectio.

Responsio.

Sed vt Glossa cum canone concordetur, sic solue: Consuetudo excusat in delictis à pœna temporali, quæ propter scandalum non potest imponi, vt statim infra patebit, sed non excusat à pœna gehennali, vel purgatorij, imò amplius incusat. Ad quòd probandum legitur in lib. de donis, quod iuuenis quidam purgatorium sancti Patricij ingressus, reperit ibi varias pœnas animarum, & vidit ibi circulum ferreum constipatum acutissimis clauis, in quibus chorizabant plures, compluti continuè igne sulphureo, quorum etiam viscera corrodebant dracones. A duobus verò lupis deuorabantur brachia chorizantium, vsque ad ossa. Requisitus super his angelus. Respondit: Tales sunt chorizantes peruersa libidine, alios concitantes clamationibus, impudicis saltibus, amplexibus, osculis, tactibus, & verbis impudicis: vnde meritò plectuntur tali supplicio. Tandem monachus ille reuersus, videndo choream solebat clamare. Fugite charissimi, quia magna pœna sequitur chorizantes. Ecce quod consuetudo hæc mala non excusat à pœna purgatorij, vel ęterna.

Cõsuetudo aggrauat peccatum.

Exemplum.

Chorizantes puniuntur in inferno.

Obiectio.

SECVNDO dicit B. Gregorius quod cum venia suo ingenio sunt relinquendi, vbi videtur quod Gregorius indulget. *Sed contra hoc* habetur 24. q. 2. c. Degatur; & habetur de regula Iuris lib. 6. Peccati venia non datur, nisi correcto. Et de pœn. & remis. Quod autem remissiones non dantur, nisi correctis; quia non remittitur peccatum vel pœna peccati, nisi interueniat mentalis correctio, id est pœnitentia, & cordis contritio. Sed quia illi hanc malam consuetudinem non corrigunt, sed de anno in annum in ipsa subsistunt, tunc ideo venia eis non est danda.

Responsio.

Ad hoc sic responde, quod beatus Gregorius intelligit dictum suum de venia pœnæ & non de venia culpæ. Toleratur enim crimen tale propter schismatis periculum, vel scandali. Vnde non est dicendum, quod Deus ignoscat eis, licet non puniat propter.

pter multitudinem vel scandalum; quia multitudo dispensationem inducit, vt 4. dist. c. Vt constitueretur. & 1. quæst. 7. cap. Quicunq;, iuxta illud metristæ.

Ob populum multum transibit crimen inultum.

Sustinentur etiam crimina, ratione scandali vitandi, vt 33. quæstione 4. c. Non potest. Ideo relinquit hoc Gregorius diuino iudicio puniendum. Sed canones, qui dicunt veniam aut remissionem non dandam nisi correctis, intelliguntur de venia culpæ, quæ non datur nisi peccator corrigatur.

MORALITER autem exponendo hanc similitudinem de chorea, vt alludat epistolæ, dico, quod per nobilem Dominam intelligere possumus charitatem, quia ipsa est regina & nobilis Domina, imò ipsa est inter alias virtutes imperatrix præstantissima, & quæ imperantur ab ipsa, Deo valde sunt grata, & velut à se reputat imperata. Ipsa igitur meritò nobilis existit, quia à summo rege originem traxit. Sicut enim Domina mundi nobilis dicitur, quæ à stirpe Imperiali, aut regali oritur: sic charitas nobilis proclamatur, eo quod ab Imperatore cœlorum generatur. Ipsa enim est hæc egregia Domina, quæ *dum medium silentium tenerent omnia, à regalibus sedibus è cœlo venit in hunc mundum.* Sapient. 81. Ipsa est regina Austri, *quæ venit audire Sapientiam veri Salomonis* 3. Regum 10. Ipsa, vt inquit Beatus Bernardus, est mater hominum & Angelorum, non solum quæ in terris, sed quæ in cœlis sunt pacificauit. Ipsa est quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit. Quasi diceret; Hæc certè non est mater & Domina ignobilis, quæ tantum regem placare, & reconciliare fuit habilis, quia ad placandum Imperatores & Reges, non mittuntur Dominæ ignobiles, imò nobilissimæ, & multum placabiles: sicut patet de Abigail nobili, quæ venit placare regem Dauid 1. Regum 15. & de nobili Esther cui commissum fuit placare reconciliareq; regem Assuerum. Esther 5.

Caritatis encomium.

Charitas mater Angelorum & hominum.

Ecce mihi dilecti fratres & sorores, hæc nobilis imò nobilissima Domina & Imperatrix, scilicet charitas, venit hodie cum puellis suis, in publicum theatrum Ecclesiæ, sicut nobiles Domine in theatrum procedunt in publicum cum virginibus suis, vt laudentur: Sic charitas ideo venit, vt de ipsa gloriosa prædicentur, & homines ad amplexus & oscula ipsius, dimittentes vana mundi, inuitentur. Qui enim ad charitatem DEI inuitantur, in his tribus diebus nihil malè sed omnia rectè operantur. Nam dicit Augustinus de laude charitatis: Charitas est actio rectitudinis, oculos semper habens ad Dominum, glutinum animarum, societas fidelium, actio non frigida, nec sagax. Quasi diceret; Vbi in theatro, vel in circulo spiritualis choreæ, Domina charitas cum puellis suis fuerit, ibi nulla curuitas erit, sed semper oculos mentales ad cœlestia erectos habebit, & non ad mundi vanitates, quæ iam multimodè exercentur. De quibus Psal. 122. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

Et est NOTANDVM quod cum aliqua Domina nobilis huius mundi, cum gloria venerit cum virginibus suis in theatrum, cuius quidem Dominæ quælibet virgo benè decoratur, talis Domina non duntaxat propter se sed etiam propter puellas à circumstantijs collaudatur: sic ad præsens, quia egregia Domina charitas venit cum puellis suis de quibus infra patebit in theatrum Ecclesiæ ostentans gloriam suam in Epistola hodierna.

Simile.

P Linquæ LXXII.

Idcirco Apostolus collaudat ipsam supra multa quæ sunt laude digna. Primum est eloquentia linguarum, & hanc tangit ibi, cum dicit: *Si linquis hominum loquar & Angelorum*, quasi diceret: si omnibus hominibus per donum linquarum, quarum sunt septuaginta duæ, placeam, *Charitatem autem non habeam, factus sim eis velut as sonans.* Glossa, quod alijs prodest & se consumit, sic in eo qui charitatem non habet, dimittuntur omnia naturalia, & minus idoneus fit ad benè operandum, & vitam suam inutiliter expendit. Vbi verò nobilis caritas fuerit, omnia prosunt; iuxta illud Apostoli ad Roma. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Et dicit Nicolaus de Lyra in Glossa, quod istis peccata eorum in bonum proueniunt, qui fortiores & cautiores resurgunt, & etiam in gloria ad bonum eorum fiet memoria peccatorum, sicut cicatrices vulnerum ad gloriam militis, qui finaliter in bello propter charitatem Domini sui triumphauit.

Sed dicit Haymon. Æs ex eo quòd est planum, tunc ex vna percussione reddit simplicem sonum, & significat eos qui simpliciter veritatem annuntiant. Cymbalum autem eo quòd est concauum, ex vna percussione multiplicat sonum, & significat eos qui veritatem multipliciter annuntiant, adducendo plures similitudines & eliciendo plures conclusiones. Sed quia faciunt hoc sine charitate, se inutiliter consumunt, & fructum perdunt.

Quæ ad loquelam requiruntur. Obiectio. Solutio. An angeli loquantur.

Sed dices. Ex quo ad loquelam requiruntur multa, vt puta lingua, duo labia, palatum, dentes quatuor anteriores, &c. Sed quia Angeli sunt spiritus & his carent, videtur quod non loquuntur. Circa quod NOTANDVM. Guarro. super 2. sentent. quæst. 36. dicit Angelus potest loqui homini, alteri angelo, sibi, & Deo. *Primum*, scilicet quod potest loqui homini, ostenditur ex hoc, quod potest facere aliquid extra hominem & in homine: igitur potest facere vocem sicut patet Lucæ 1. quando dixit: *Aue gratia plena.* Etiam potest inter diuersa phantasmata diuersis proponere, sicut diabolus loquutus est vxori Pilati. Matth. 27. Ideo dixit: *Multa passa sum &c.* Et ex his duobus modis potest loqui alteri per voces: ad diuersam enim transmutationem phantasmatum, & ordinationem quam facit Angelus in homine, alius intelligit. Et hoc ad *secundum*. Sed quoad *tertium* quod potest loqui Angelo, addit: eo modo quo potest homini loqui. Quia duplex est contactus, corporalis & spiritualis. Corporalis est duplex, metaphoricus & naturalis. Metaphoricus est contactus, quando applicat se alicui loco, nihil operando in eo. Sed naturalis, quando aliquid operatur. Vnde Angelus quamuis secundum suam essentiam nullam habeat figuram, potest tamen diuersos characteres & figuras facere in medio seu in cœlo Empireo, scilicet figuram trianguli & quadranguli &c. Et per tales figuras & characteres diuersos, tanquam per literas & nuntios, potest loqui angelus in vtroque contactu, ita quod alius intelligit eum; sicut vnus homo intelligit alium per aures sensibiles. Sic autem non potest loqui homini, quia si aliquæ literæ scriberentur in pergameno, & non posset videri attramentum, quamuis scriberentur literæ, homo non posset legere literas. Sic etiam in proposito; characteres diuersi describuntur in medio per essentiam, id est, gratiam Angeli quæ videri non potest, & ideo nec ipsi characteres: ideo non possunt talem loquutionem intelligere sed Haymo dicit quod ipsorum Angelorum locutio ad inuicem, est bonæ voluntatis concordatio.

Duplex contactus. Corporalis duplex.

Quoad

Quoad *Quartum*; quomodo Angelus loquatur sibi, subdit Guarro. Potest etiam loqui sibi quomodo non alteri, scilicet quod mens Angeli conuertit se ad speciem in mente sua, & scit quid vult facere, & quid est apud ipsum sine aliquo signo expressiuo. Alteri autem loqui non potest sine signo directo & expressiuo. Quomodo angelus sibi loquatur.

Quoad *Quintum* dicit, quod potest etiam loqui Deo, quomodo non sibi. Nam Deus non solum videt cogitationem Angeli præsentem, sed omnem possibilem pro quocunque tempore futuro, & hoc videt nunc. Et sic loquitur Angelus Deo, non tamen videt Angelus, quia nescit quam cogitationem habebit cras vel ad annum. Et sic aliquam locutionem habet Angelus per respectum ad Deum, quam non habet per respectum ad se ipsum. Hæc ille. Quomodo angelus Deo loquatur.

Sed alij dicunt, vt Haymo, quod loqui Angelorum Deo, nihil aliud est quàm in præsentia eius. Et DEVM loqui ad illos, nihil aliud est quam præsentia vultus sui qua fruuntur. Ideo dicit Apostolus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, vbi per Angelos intelliguntur disertissimè loquentes, qui liberalibus artibus instructi, ornatis loquuntur verbis ea quæ non norunt. Per homines verò intelliguntur simpliciter loquentes, vt dicit Haymo. Et licet vtrumque bonum est, si tamen non est à Deo, charitas nullam confert vtilitatem, secundum suprà quod Apostolus commendat charitatem, est intelligentia scripturarum cum dicit. *Si habuero prophetiam & nouerim mysteria*, id est, diuinitatis occulta omnia, *& omnem scientiam*, Glossa; siue diuinitus datam, siue humanitus acquisitam, *& habuero omnem fidem*, id est, perfectam, *ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Glossa, quantum ad esse gratiæ quia dicit Bernardus: Quantitas cuiusque animæ, æstimatur de mensura charitatis, vt quæ multum habet magna sit; quæ parum, parua sit; quæ nihil, nihil sit. Angeli dicuntur disertissimè loquentes.

Circa quod NOTANDVM, quo prophetia est reuelatio mysteriorum Spiritus sancti: & fit principaliter & potissimè habentibus charitatem, quia perfecta charitas est potissima causa diuinæ allocutionis, & approximare facit amantem amatori propè, vt si fieri posset, esset hoc ipsum quod amatum. Quia dicit Hugo super 7. libro Angelicæ hierarchiæ, quod amor transigit amantem in amatum. Quanto ergò vicinius est amans amato, tanto verius, subtilius & perfectius, sibi amatum reuelatur. Ideo dicit Richardus in libro de minori contemplatione. Ex magnitudine diuinæ dilectionis, pendet modus diuinæ reuelationis. Cui consonat Augustinus in libro octauo de Trinitate. Quanto flagrantius Deum diligimus, tanto citius sereniusque videmus. Et huius multiplex est ratio. Q Quid prophetia.

Prima, quia charitatis ardor tranquillat insolentem carnalium desideriorum tumultum. *I.*

Secunda quia amor facit amantem diligentius inquirere statum amati. *II.*

Tertia quia amor est quidam custos experimentalis amati, ideo plenius cognoscitur, aut gustatur amatum per amorem fortiorem, quia res perfectior cognoscitur simul videndo & gustando, quàm solum videndo. *III.*

Quarta, quia crescente calore, tandem erumpit lux flammea: ita amore inardescente, surgit splendor sapientiæ & intelligentiæ, quo candescit anima sicut ferrum ignitum. *IV.*

V. *Quinta*, quia amor Dei sincerius meretur, vt amans spiritualiter ab amato Deo dirigatur, in sui cognitione & omni ordine ad ipsum.

Obiectio. Sed diceres: Ex quo charitas perfecta, est potissima diuinæ reuelationis causa, quomodo cognoscitur quis habere charitatem tantam ex quo dicitur Eccl. 9. *Nemo scit an amore an odio dignus sit.*

Responsio. *Ad hoc responde*, quod nullus certitudinaliter potest scire humanitus, se esse in charitate, nisi per reuelationem. Attamen coniecturatiuè potest quis scire, se esse in charitate, per aliqua signa quæ in libro de itineritatibus æternitatis sunt collecta, itinere quarto.

Ex his patet, quod nec prophetia, nec reuelatio secretorum valet sine charitate, quia Balaam habuit prophetiam, cum dixit. Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, &c.* Et similiter Saul prophetabat cum prophetis 1. Reg. 10. Et Ioan. 12. Caiphas prophetabat dicens: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Sed hæ prophetiæ eis non profuerunt, quia charitatem non habuerunt.

TERTIVM, supra quod Apostolus laudat charitatem, est distributio eleemosynarum, cum dicit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest.* Glossa, ad consecutionem vitæ æternæ. Prodest tamē ad alia tria, de quibus dixi suprà Dominica in Sexagesima sermone 2. K L. Vbi NOTA quod hic Apostolus tangit formam dandi, finem, & materiam.

Forma dādi eleemosynas. PRIMO forma dandi est, vt detur hilariter, & hanc tangit ibi; *Si distribuero* id est, in pluribus diuisero, quia dicit Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Et Dominus Matth. 19. dixit cuidam adolescenti diuiti: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quasi diceret, non vno pauperi.

SECVNDO tangit finem, cum dixit: *In cibos pauperum*, quia sic dat vtiliter. Ideo dicit Sapiens, *Conclude eleemosynam in sinu pauperū, & hic exorabit pro te.* Ecclesiast. 29. Et 72. distinctione capite secundo. Episcopus, inquit, pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente suis manibus laborare non possunt victum & amictum in quantum sibi possibile fuerit largiatur.

TERTIO, tangit materiam, vt de suo tribuat sibi omnes facultates *meas*; quasi diceret; non *alienas*. Ideo consulit Sapiens Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & te primitiis frugum tuarum da pauperibus, vt impleantur horrea tua saturitate.* Et beatus Gregorius decimaquarta caussa, quæst. 5. c. Eleemosyna. Illa redemptoris nostri oculis placet, quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur.

QVINTVM quod commendat charitatem est acerbitas pœnarū, cum dicit: *Et si tradidero corpus meum ita vt ardeam* (quia secundū Glossam est martyrij genus acerbissimum) *charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Quia dicitur de pœn. dist. 2. c. Si enim. §. Euidenter. Martyrium quantumcumq; vehemens non valet sine caritate, quamuis pro Christo pateretur. Postquam Apostolus comendauit hanc nobilem charitatē super eloquentiam linguarum, intelligentiam scripturarum, distributionem eleemosynarum, & acerbitatem pœnarum:

Pedissequæ charitatis. Et quia Dña nobilis non est sine puellis, idcirco cōmendat ipsam etiam ratione suarum puellarum, quarum PRIMA

I. Patientia. est patientia hæc Dominam charitatem præ alijs custodit, quia dicit Gregor. in hom. Patientia est custos & radix virtutum! & hanc tangit ibi; *Charitas patiens est*, quasi diceret,

ceret, vbicunq; Domina charitas fuerit, ibi consequenter ancilla patientia erit; quia secundum Sapientem. *Qui patiens est multa gubernatur sapientia*. Prou. 14.

Istam puellam debet quilibet amare propter tria. *Primò* propter *locupletationem*. Quilibet enim vir hanc puellam præ alijs diligeret, quæ eum diuitem faceret; & hoc facit patientia, quia ditat hominem in virtutibus, quæ sunt veræ diuitiæ. Ideo dicit Iob. 37. *Ab aquilone aurum veniet*. Et quid per Aquilonem nisi aduersitas, quam si quis patienter sustinet, aurum virtutum adueniet ei. R Patientia curamāda. 1.

Secundo propter *status conditionem*. Patientia enim statui huius exilij congruit multum. Ideo dicit Apostolos ad Hebr. decimo. *Patientia vobis necessaria est, vt volūtatem Dei facientes, reportetis repromissionem*. Ministri Dei qui sunt de Ecclesia militāte, multum indigent patientia sicut, illi qui sunt in bello multum indigēt scuto propter quod dicit 2. Cor. 6. Apostolus. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia*. 2.

Tertio propter *regni acquisitionem*, iuxta illud Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Ideo dicit Hugo: Cælestis illos exspectabit gloria, in quibus vera iuuenta fuerit patientia. 3.

SECVNDA puella quæ seruit Dominæ charitati dicitur benignitas. Hæc puella data est ei à summo Domino, iuxta illud Ps. 87. *Dominus dabit benignitatem*. Hanc puellam diligere debent principaliter Prælati, quia dicit Hieron. ad Nepotianum de uita Clericali: Crede mihi veraciter, quod benignitas Prælatorum, salutem efficit subditorū. De hoc quære plura suprà Dominica IV. post Epiphaniam sermon. 1. P. G. *II.* Benignitas.

TERTIA puella est nominata hilaritas siue gaudium, & hanc tangit ibi: *Charitas non æmulatur*, id est, non inuidet, quasi diceret; Talis nobilis domina non habet secum inuidiam, qua dolet de bono proximi, sed habet secum hilaritatem, qua dolet de malis proximi, & gaudet de bonis ipsius, sicut docet Augustinus lib. 2. homiliarum homilia 15. in fine: Congaude illi cui Dominus aliquam gratiam dedit, & habebis. Habet ille fortè virginitatem, ama illum, & tua est. Iterum si tu fortè habes maiorem patientiam, diligit te, & sua est. Ille potest satis vigilare, si non inuides, tuum est studium eius. Tu fortè potes amplius ieiunare, si amat te suum est ieiunium tuum. Quia per caritatem tu in illo es, & ipse in te. Hæc Augustinus. Debet enim quilibet homo de bono proximi sui gaudere, quia hoc est signum suæ saluationis, sicut testatur Anselmus lib. 9. Magis, inquit, puto saluationem eius sperandam qui parum boni facit, & factis aliorum fauet, quàm istius qui multa, & inuidet. *III.* Hilaritas.

QVARTA puella est dicta beneficentia, quæ semper benefacit, quæ tangitur ibi. *Non agit perperam*. Et est *perperam* aduerbium qualitatis, & significat peruersè. Quia hæc speciosa puella, non tangit peruersè impediendo bona. Et continuè bona facit, & alios facere procurat, quia scit hoc dictum Sapientis. *Noli prohibere benefacere eum qui potest*. Glos. quia talis omissio tibi imputaretur: *Si potes, & ipse benefac*. Prouer. 3. Hanc virginem, licet omnes generaliter debent diligere, & in hoc tempore gratioso benefacere, tamen principaliter diuites, qui habent mūdi huius opes. Ideo ad quēlibet talem dicit Sapiens: *Benefac iusto, & inuenies retributionē magnam, & si non ab ipso, certè a Domino*. Eccl 12. Et ibidem iterum: *Benefac homini, & ne dederis impie*. *IV.* Beneficētia.

QVINTA puella est humilitas, quam tangit ibi: *Non inflatur*, quia excludit *V.* tumorem Humilitas.

tumorem superbiæ. Hanc puellam debemus omnes vnanimiter amare, quia absq; ea non possumus ostium regni cœlestis intrare. Si autem hanc nobiscum habuerimus, ingredi faciliter poterimus. Quod figuratum est Apocal. 3. Vbi Angelus dixit Ioanni; *Dedi coram te ostium apertum, quod nemo claudere potest*, eo quod modicam habet virtutem.

SPIRITVALITER. Ostium est æternæ vitæ ingressus. Modica virtus est humilitas, quæ modicos facit fideles Dei in hac vita. Sed eis inde egredientibus ostium cœli patebit, nec aliquo impediri poterit. Ideo Beatus Augustinus in sermone quodam de assumptione laudat humilitatem, dicens: O verè humilitas est beata, quæ scala cœli constituitur, per quam Deus descendit, quæ Deum hominibus peperit, vitam hominibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. Vnde si cogitas magnam fabricam celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis.

S VI. Largitas.

SEXTA puella est largitas, & hanc tangit ibi; *Non quærit, quæ sua sunt*. quia vbi est vera largitas, non habet locum cupiditas: quia *non quærit quæ sua sunt* tantum, sed etiam qui sunt aliorum bona procurat. Quia scit illud dictum Canonis Pelagij Papæ, quod ponitur 7. q. 1. c. Scias. Vtilitas plurimorum, vnius vtilitati præferenda est. Idcirco impartitur alijs, & non solum sibi vult illud, quod habet retinere. Sed tunc est pulchra liberalitas, quæ indigentibus suo tempore, & non superfluè impenditur, vt 86. dist cap. Non satis. Hanc quilibet debet diligere, quia potest vnũquemque famosum facere, iuxta illud Boëtij lib. 2. prosap. 5. Siquidem, inquit auaritia semper odiosos, claros largitas facit. Ideo docuit Apostolus ad Philip. 2. *Non, quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum*. Et eadem epistola cap. 4. dicit: *Non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Sic autem non fecerunt illi, de quibus dicit ad Philip. 2. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.*

VII. Mititas.

SEPTIMA puella est mititas, de qua dicit: *Non irritatur*, id est, ad iracundiam prouocatur. quia dicit quædam Glossa super Matth. 5. Mitis non irritat, nec irritatur. nec nocet, nec nocere cogitat. Mitis est quem nihil afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. Hæc puella ad terram perducit viuentium, Matth 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

VIII. Puritas.

OCTAVA est puritas, quam tangit ibi; *Non cogitat malum*, quasi diceret, non permittet hominem malum cogitare, qualiter perficere posset ibi opere. Remouet enim omnem malitiam, & præcipuè elationes, à mente in qua scit diuinitatem inhabitare, iuxta illud Platonis in Phedrone: Vbi puritas, ibi & ipsa diuinitas fore comprobatur. Ideo subdit Apostolus: *Non gaudet super iniquitate*, id est, non permittit peccare ex elatione, vel circa malitias, quæ faciunt de malo gaudere; sed gaudet veritati, cum proximi infirmitates caritatiuè supportat, vt dicit Glossa Lyræ.

IX. Perseuerantia.

NONA puella est perseuerantia, quam tangit ibi; *Omnia suffert*, scilicet perseueranter. Hæc puella est summi regis filia, sicut testatur Bernardus in quadam epistola: Perseuerantia est vnica regis filia, finis virtutum, earumque consummatio, & virtus sine qua nemo videbit Deum. Ex quo dicto Bernardi patet, quàm magna Domina est caritas, cui in obsequium summus rex suam tradidit filiam. Non enim solent multum nobiles reges tradere filias suas minus nobilibus, nisi sint eis in dignitate nobilitatis coæquales. Hæc puella multũ est amanda, quia ipsa sola saluat, Matth. 24. *Qui.*

Sine perseuerantia nemo Deum videbit.

24. *Qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit.* Et Isidorus lib. de summo bono: Inchoantibus præmium promittitur, perseuerantibus autem datur. Tunc placet Deo conuersatio nostra, quando bonum, quod inchoamus, perseueranter implemus.

Decima puella est fides, quam tangit cum dicit: *Omnia credit*, scilicet per fidem, quæ sunt diuinitus tradita, tam in veteri testamento, quàm in nouo. Hæc facit placabilem Deo ad Hebr. 11. De hoc quære plura supra Dominica in Septuagesima, serm. 2. Q. G. X. Fides.

Vndecima est spes, & innuitur ibi; *Omnia sperat*, Glossa, quæ sunt diuinitus promissa. Hæc est multum necessaria, quia in possessionem regni cœlestis, hominem ante tempus quodammodo introducit. Ideo dicit Apostolus ad Hebr. 6. *Spe incedentes, vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor introiuit pro nobis*; vbi per interiora velaminis intelligit omnia cœlestia secreta, quæ modo nobis sunt reuelata. Et super illud Psal. 35. *Spera in Domino*, dicit Glossa: Spes introitus fidei est, per spem enim intratur ad videndum illud, quod creditur. Spei enim fit illa promissio, Isa. 58. *Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te super hæreditate patris tui Iacob.* XI. Spes.

Duodecima puella & vltima est sustinentia, & hanc tangit ibi; *Omnia sustinet*, Hæc valde est à Christi fidelibus diligenda. *Primò*, propter æternæ maledictionis euasionem. quia his qui perdunt sustinentiam, dicitur Eccles. 12. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* *Secundo* propter præmij æterni promissionem. Quia dicit Apostolus 2. Timoth. 2. *Si sustinemus & corregnabimus.* Vbi dicit Glossa: Sustinere est onus super se tenere Homo enim onus tribulationis tenens, non debet deponere, sed patienter Dominum sustinere, vt ipse veniens in iudicio, possit ab eo laborem tollere, & præmium tribuere. Nam omnes sustinentiæ capient præmium, sicut petiuit Isa. 36. *Da Domine mercedem sustinentibus te.* Ideo dixit Dauid Psal. 119. *Sustinuit anima mea in verbo eius.* Glossa, quo vitam æternam promisit post veniam. Et non solum ipse pro præmio vitæ sustinuit, sed etiam quemlibet hominem sustinere monuit. Psal. 25. *Sustine Dominum*, quasi diceret quod pro Domino patris, non te terreat tribulationum acerbitas, quia te sequitur præmiorum multiplicitas, Ad quæ nos perducat, &c. XII. Sustinentia, & cur diligenda. 1.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo Secundus, ex Euangelio.

Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. ita scribitur. Lucæ 18.

DIcunt certi naturales, quoad melodia expellit ab homine dæmones. Et propter hoc dicit Guido in Musica, quod sunt quidam Dæmones, qui melodiam sustinere non valent, & hoc trahitur ex primo libro Reg. 16. Vbi legitur, quod Saul affligebatur à spiritu maligno: Et dixerunt ei serui sui; *Ecce spiritus malus exagitat te*, id est commouet aut conturbat, queratur autem regi T Musica pellit dæmonē

regi homo sciens psallere in cithara vt psallat manu sua vt leuius ferat. Adductus est igitur Dauid, & quandocunque spiritus malus arripiebat Saul, tum Dauid & percutiebat citharam, & leuius ferebat, vel reuocillabatur spiritus Saul, recedebatque spiritus malus. Et dicit Nicolaus de Lyra in Glossa, quod melodia attrahit ad se mentis attentionem; & sic sensibiliter videmus homines audientes melodiam, alia circa se facta vix percipere, & per consequens ab alio retrahit: & sic potest alleuiare afflictionem à dœmone causatam in homine, in quantum attrahit ad se afflictionis perceptionem. Sed dæmonem affligentem non potest expellere, quia sacra Scriptura asserit dæmones esse de natura Angelica. Et quia naturalia manserunt in eis integra, oportet dicere quod nulla res sensibilis aut virtus corporalis potest in eis aliquid operari, directè vel indirectè, cum sint omnino spirituales substantiæ.

Sed ad textum dicit, quod per melodiam virtute corporali naturaliter Saul leuius poterat ferre, vt iam dictum est, sed per eam sic non recedebat, sed magis virtute diuina, immediatè vel mediatè Angelis sanctis, ex merito Dauid, qui laudes diuinas in cithara cantabat pro salute Saulis. Et ad dictum Guidonis dicit, quod non si curandum cum nullius sit auctoritatis. Vel potest dici, quod ad melodiam expelluntur dæmones, propter sanctitatem melodiam facientis, vt dictum est de Dauid. Quid tamen de hoc plenius sit sentiendum, Doctoribus est committendum.

Sed illud dictum mathematicorum dicentium, quod quidam dœmones non possunt ferre melodiam, sed recedant audientes eam, hic ponitur pro similitudine tanquam exemplo. Et dicit Aristoteles. 1. Priorum: Exempla ponimus, non quod ita sint, sed vt addiscentes sentiant quod addiscant.

Melodia denotat passionem Christi. Quid ergo per hoc MORALITER designatur exemplum? Per melodiam intellige CHRISTI passionem, quæ est melos in auribus hominum deuotorum, & in corde iubilus bonorum. Spernunt enim omnia mundi gaudia, vt dulcior sit eis passionis memoria, sicut beatus Augustinus qui ait lib. soliloq. Domine, dilexisti me plus quam te, quia mori voluisti propter me: tam caro pretio redemisti me; de supplicio vocasti me, de seruitio retraxisti me, vt memoriale tuum semper esset mecum, & nunquam recedere de corde meo, quia propter me noluisti recedere de cruce.

Cithara designat Christi carnem. Sed per citharam intellige CHRISTI carnem, in qua facta seu tacta est melodia passionis. Igitur Dauid tunc citharam percussit, cum passionem suam Christus in carne fiendam, discipulis suis prædixit, dicens in Euangelio hodierno de seipso: *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum.* Ista quidem melodia recordationis passionis Christi, mox omnia fugat dæmoniaca. Sed quia in his lasciuis diebus carnispriuij, dæmones magis circa homines versantur, ad multas vanitates, & peccata eos incitando. Quare ad fugam ipsorum, sancta Ecclesia legit de passione Euangelium, cum dicit; *Assumpsit Iesus.* In quo duo principaliter describuntur, scilicet Christi passionis prænuntiatio, ibi; *Assumpsit Iesus duodecim.* Cæci clamantis illuminatio, ibi; *Cum appropinquaret Hierosolymam.*

V. Circa PRIMVM est NOTANDVM, quod Christus & diabolus in hoc tempore inæ-

inæqualiter homines assumit. PRIMO igitur assumit Christus homines ad sobriè viuendum, cum dicit Lucæ 21. *Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corpora vestra crapula & ebrietate.* Facit enim Christus ad instar venatoris qui sobriè pascit accipitres, quia ipsorum dieta debet esse ordinata, vt dicit Magister lib. proprietatum 12. de auibus, vt videlicet non sit nimis tenuis, nec nimis lauta. Ex abundanti enim cibo impinguantur, & tunc insolescunt & pinguescunt, & ad reclamatores redire dedignantur. Si verò cibus fuerit nimis paucus deficiunt accipitres, & impotentes efficiuntur ad prædandum.

MORALITER per accipitrem intellige, quemlibet sacerdotem. Quia sicut accipiter secundum Isidorum dicitur ab accipiendo, eò quod capit alias aues sic debent sacerdotes accipere alios homines errantes de fauce dæmonis, & restituere Deo per partes satisfactionis. Istos, inquit, assumit CHRISTVS ad sobriè viuendum, ex quo hominum sunt exemplar aliorum, non se possunt absque scandalo populi nimium istis tribus diebus cibis impinguare. Ideò dicitur dist. 4. c. Denique. Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui quos Ecclesiastici gradus dignitas exornat, à Quinquagesima propositum ieiunandi incipiant: & sunt verba Gregorij. Sed quia præsens Dominica dicitur Quinquagesima pœnitentiæ & tristitiæ, in qua quilibet de peccatis pœnitere volentes, congruum esset, vt ieiunium suum in ipsa inchoarent, vt sic sobrij perdurarent. *Sacerdos quilibet per accipitrem designatur.* *NOTA.*

Sed diceres: Tamen dicitur de consecra. dist. 4. c. Sacerdotibus, id est, Episcopis in concilio congregatis, omnibus decretum est, vt ante paschalem solennitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur. *Ad hoc dicit* Bartholomæus Brixien. quod hic loquitur de ieiunio generali, quod omnibus iniungitur. ibi autem loquitur Gregor. de ieiunio speciali, quod clericis suadetur. Ideo persuasio aut consilium, quod impletur, est perfectorum. Et addit Bartholomæus in Glossa: Imo, inquit, non est seruanda Quinquagesima, quia seruatur post Pascha. Vbi NOTA. dicunt Doctores, quod triplex est Quinquagesima. *Obiectio.* *Responsio.*

Prima est hodie & finitur in die Paschæ, & dicitur Quinquagesima tristitiæ, seu pœnitentiæ. *Secunda* Quinquagesima incipitur in die Paschæ & durat in diem Pentecostes, & est Quinquagesima lætitiæ. *Tertia* Quinquagesima durat à Sabbatho post Pascha vsq; ad Sabbathum post Pentecosten, in qua duplex canitur Alleluia, significans duplicem stolam, corporis videlicet & animæ, quam Deus dabit sanctis in fine mundi. Ideo dicit Glossa, quod Quinquagesima seruatur post Pascha. *Triplex Quinquagesima.*

ALIO modo per accipitres intelliguntur generaliter omnes homines, quos Christus assumit ad sobriè viuendum, in his tribus diebus principaliter. Quod patet ex his quia legitur hodie Euangelium de passione sua. In qua quidem passione adeo sobrie vixit, quod præ siti dixit; *Sitio* Ioann. 19 Et quid per hoc vult? Certè nihil aliud, nisi vt omnes fideles ad sobrietatem inducat. Valdè enim sunt culpabiles ipsi homines, qui nolunt se à nimijs repletionibus abstinere, pro quibus Christus in sua passione benedicta, voluit famem & sitim sustinere, quasi diceret Christus; Habete me pro exemplo. Sicut ego sobriè vixi, sic & vos viuite. Nihil enim est, quod fideles Christianos ad sobrietatem inducit, quàm Christi veneranda passio. Cum enim pius homo cogitat Christum felle & aceto potatum, tristatur se pretiosis potibus sanatum. Quod enim passio Christi ducat ad sobrietatem, trahitur ex verbis *Accipitres designant omnes homines.* *Memoria passionis Christi ad sobrietatē inducit.*

Insidiæ diaboli sunt crapula & delitiæ.

beati Bernardi libro meditationum. Cum diabolus parat mihi insidias, fugio ad vulnera Dei mei, & recedit. Sed quid sunt insidiæ nisi crapulæ & delitiæ, quibus diabolus ponit insidias, vt capiat eorum animas. Quia dicit B. Augustinus lib. 15. confessionum. Dum ad quietam societatem ab infantia transitur, in ipso transitu laqueus concupiscentiæ insidiatur. Si igitur vis euadere has insidias, fuge ad vulnera Christi, passionem eius memorando, & fugiet à te diabolus. Idcirco Christus, vt remedium relinqueret contra gulam, ait Treno. 3. *Recordare paupertatis meæ, & transgressionis absinthii, & fellis*, & sic patet, quod Christus assumpsit suos ad sobriè viuendum, sed è contra diabolus suos seruitores ad plene se replendum.

X Diabolus lanios in carnis priuio imitatur.

Sicut enim carnifex, replet & impinguat boues, quos vult occidere ad coquinam, sic diabolus nunc per gulam replet, quos vult mactare ad gehennam. Et hoc facit tā in sacerdotibus, religiosis, quàm in secularibus, aut laicis personis. Sunt enim multi de sacerdotibus, qui in hoc tempore se vsq; ad medium noctis inebriant, & fœcundos calices exhauriunt, vt sic intelligentiam perdant. Quia dicit B. Hieronymus: Nihil adeo obruit intelligentiam, vt commessatio, & ebrietas. Cui concordat Seneca: Ciborum copia, subtilitas animi impeditur. Et sapiens loquens de vino & ebritate dicit: *Quicunq; his delectatur, non erit sapiens*. Prou. 20. Idcirco potest dici de ipsis hoc verbum Euangelij. *Ipsi nihil horum intellexerunt*. Licet enim Euangelium præsens ad Missam, quod tractat de passione, legerunt, in quo de sobritate instructi fuerunt, tamen propter abundantiam ceruisiæ fortassis & vini, intelligentiam ita obnubilauerunt, vt de passione Christi nihil intelligant Quia dicit Iob. 28. *Sapientia non inuenitur in terra suauiter* seu in crapula, *viuentium*.

Sed de religiosis tacebo quia se non solum his diebus, sed in alijs temporibus ad bibendum incitant, & plenos interdum cyathos hauriunt; quod tamen prohibet Innocentius III. de vita & honestate Clericorum, c. A crapula & ebrietate Clerici omnes diligenter abstineant, nec ad bibendum vinum quisquam incitetur, cum ebrietas mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo ad potus æquales se obligant potatores, & ille iudicio illorum plus laudetur, qui calices fœcundiores & pleniores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio & beneficio suspendatur. Hæc Innocentius.

Potatores Clerici.

Idcirco de talibus religiosis potest exponi verbum Euangelij, quod sequitur; *Et erat verbum illud* scilicet de Christi passione dictum, *absconditum ab eis*. Vnde refert Helinandus & Vincentius in spe. Histor. lib. 30. cap. 6. quia anno Domini M C.LIV. tempore Friderici I. fuit in Anglia vir quidam magnarum virium corporis. Hic post peccata multa reprehensus à sua conscientia, proposuit Hierusalem ire, vt ibi vires suas expenderet in seruitio DEI, & de hoc consuluit quendam Abbatem ordinis Cisterciensis, qui persuasit ei vt crucem religionis acciperet, quod & fecit. Hic igitur cum quodam die de necessitate ad lectum rediret, vidit supra quandam trabem dormitorij sedentem dæmonem in specie simiæ, & cœpit cogitare, quod diabolus esset, quia in illo ordine tales nutriuntur. Diabolus autem sentiens se cognitum, desiliit de trabe supra illum, & verberauit eum tam fortiter, quod sanguis de naribus & ore exibat, & hoc facto euanuit. Illo autem clamante fratres excitati sunt, & videntes illum tam grauiter læsum, portauerunt in infirmitorium, qui iacuit tribus diebus

Exemplum.

diebus sine sensibus in lecto suo, magis mortuus quam viuus videbatur, apertis oculis nihil videbat. Qui cum iaceret, apparuit ei sanctus Benedictus dicens: Benedicite. Et ille Dominus. Quæsiuit: Quis es, inquit, Domine? Ego sum, inquit, frater Benedictus, sequere me, & secutus est eum, in spiritu, commisitque eum Raphaeli Archangelo, qui duxit eum ad locum pœnarum, vbi inter ceteras vidit personas religiosas diuersas, monachorum, monialium, Episcoporum, Presbyterorum, Clericorum, quorum aliqui ridebant, & clamabant; alij conuiciabantur; alij studebant gulæ satiandæ; alij libidini explendæ: non quod istæ voluptates post mortem sint, sed ad maiorem confusionem, & cruciationem, similitudines peccatorum præteritorum in ipsis suis cruciatibus repræsentant. De hoc cogentibus eos dæmonibus, qui eos etiam postea percutiebant cum fustibus per capita, vsq; ad excussionem cerebrorum, & eiectionem oculorum, & hoc incessabiliter. Iam dicta posui, vt scilicet Clerici magis ad sobrietatem sint proni.

Sed quid de laicis dicam nescio, qui plus solito his tribus diebus cibos carnium appetunt, & quasi noua auiditate, & ad medias noctes ingurgitant, seque non aliter huius sancti temporis obseruationem suscipere putant, vt dicit Gregor. de consec. dist. 4. c. Deniq; §. de ipsa, quod vtriq; fit diabolo procurante. quia scit, quod multas contumelias Deo per hoc faciunt. Y Laicorum in carnis priuio excessus. Contumeliæ variæ.

PRIMA, quia gula vilissimam creaturam scilicet ventrem Deificat, iuxta illud Apostoli ad Phil. 3. *Multi enim ambulant*, Glossa in via peruersa, *quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est.* Et dicit eos NOTANTER *inimicos crucis Christi:* quia in hoc, quod ventrem pro Deo colunt, inimicantur passioni Christi, quæ facta est in cruce; vel contrariantur caritati, quam Dominus in cruce ostendit. Ideo de ipsis potest exponi sequens verbum Euangelij hodierni: *Non intelligebant, quæ dicebantur.* quia quamuis per prædicatorem dicitur de ipsis hodie per passionem Christi, in qua magnam sitim famemq; sustinuit, attamen hoc non intelligunt, sed ventrem replendo, ipsum pro Deo colunt. quia dicit August. Hoc ab homine pro Deo colitur, quod præ cæteris plus ab eo diligitur. I.

SECVNDA contumelia, quod de templo Spiritus sancti coquinam faciunt. Dicit enim Apostolus 2. Cor. 6. *Vos estis templum DEI viui.* De hoc templo faciunt coquinam, qui adeo replent se cibis & potibus, quod ignis naturalis non sufficit illud decoquere: sed tamen ex lignis viridibus & humidis facit fumum, qui hominem reddit pigrum, & somnolentum. II.

TERTIA, quod multum se à Deo elongant. Contingit enim ingurgitatis, sicut accipi tribus impinguatis, qui ad reclamatorium redire dedignantur. III.

Quid est reclamatorium nisi Dei templum, in quo Dominus clamabit in die Cinerum: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Sed qui se nunc impinguant cibis & potibus, tunc dedignantur venire, nec volunt redire & pœnitere, sed adhuc plura mala exercere. Ideo de illis dicit Dauid: *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Vbi dicit Glossa non approximantes ad Deum, sunt homines cibo & potu se replentes, quibus Dauid optat maxillas constringi, & parcius victualia dari, vt sic saltem ad Deum cogantur approximare, sicut accipiter famelicus ad dominum suum. Reclamatorium, quid? Ioel. 2. Psal. 31.

Z SECVNDO. Christus sibi suos famulos assumit ad compatiendum. Vult enim vt compatiamur suæ passioni, in hoc, quod dicit Euangelista: *Assumpsit Iesus discipulos suos, & ait illis*, Matt. 20. *secreto: Ecce ascendimus Hierosolymam & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus ad illudendum, & conspuendum, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget.* Quid enim per hoc vult Christus, quod in hac Dominica, in qua homines, vt frequenter sunt ad malum proniores & lasciuiores, permittit legere Euangelium de sua felicissima passione, nisi vt postposita mundi vanitate, studeamus eo passo condolere, quia dicit Bernar. lib. de conside. ad Eugenium Papam. Indignus est Christi passione felicissima, qui non Christo patienti totis viribus studuerit condolere.

Cur in hac Dominica de Christi passione agitur.

Ideo deuotus Doctor Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap. 15. compatitur Christi passioni, insuper exclamans contra Iudæos, qui Christum crucifixerunt; dicit: Qualiter, ô cruentæ bestiæ, leonibus ferociores, lupis rapacibus sæuiores, agnum illum mansuetissimum, *speciosumque præ filiis hominum*, nobilem & delicatum, pium ac mansuetum, sic crudeliter torquere potuistis? O Deus meus, vtinam tunc fuisset famulus præsens, dum hæc agabantur, vt pietas & compassio, quæ eis defuit, per me suppleta fuisset salua humani generis redemptione, ego animam meam pro vita tua exposuissem. Ecce quanta deuotio simul & compassio in mente huius deuoti famuli Christi fuit, cum hæc verba dixit.

Humiliter meditans passionem Christi, non superatur.

Sic & nos hodie deuotè pertractare debemus Christi passionem, sicq; incitamur ad virtutes, postponendo mundi vanitates. Qui enim humiliter meditatur Christi passionem, vix aut nunquam poterit superari. Vnde legitur, quod quidam deuotus homo se in loco secreto abscondit, & ibi recolebat, vt sciebat, & poterat, quomodo Christus natus fuit, in mundo conuersatus, multa turpia & opprobria pro nobis passus, scilicet illusionem, flagellationem, & conspuitionem, & tandem mortem. Et cum hoc dixisset, semper dicebat, quod sibi profecerat ad bonum, plus quam totũ quod alias faciebat. Propter, quod dicit Bonauentura Cardinalis: Si vis, ô homo, vt de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, in melius proficias, quotidie nullo strato impedimento, quanta potes deuotione, percurras & mediteris Domini passionem. Hæc ille.

Sed quia in his tribus diebus, & fortassis non excepto die Cinerum; homines currunt de vitio in vitium, de malo in pessimum: bonum eis esset, vt cum matre sancta Ecclesia in corde ipsorum haberetur felix passionis Christi memoria, sed econtra diabolus assumit famulas & famulos ad Christum deridendum, & hoc facit principaliter in chorizantibus, qui per omnem modum irrident Christi pasionem.

Chorizantes irrident passionẽ Christi.

PRIMO, vt Christus extendit manus suas in cruce, sicut de hoc prædixit Isa. 5. *Expandi manus meas ad populum non credentem qui graditur vias non bonas*: Sic etiam chorizantes in derisionem Christi crucifixi, expandunt manus suas ad suos amatores vel amatrices, & nesciunt, quod tales tactus manuum sunt valde nociui. Nam sapiens scribens de tactu mulieris dicit: Eccli. 26. *Qui tenet eam quasi qui apprehendit scorpionem*, vt planè habetur, Eccles. 7. *Vincula sunt manus eius*. Item. Prou 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? aut ambulare super prunas ardentes, vt non comburentur plantæ eius? Sic qui ingreditur (chorizando) ad vxorem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.*

SECVN-

SECVNDO Christus habuit pedes confixos cruci, quos mouere non potuit: Chorizantes autem in blasphemiam Christi mouent pedes, & totum corpus, & de quolibet exponi potest illud Iob. 15. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus.* Similiter illud Psal. 11: *In circuitu impij ambulant.* Sed ille saltus æternam tribulationem præfigurat, quod sic probo. Dicit Isidorus in hist. natur. Cum æstiuo tempore pisces saliunt ex aquis maris, ventus maris & pluuia atq; auræ tempestates consequuntur. Cuius ratio est. Sentiunt enim ex natura aduenire pluuiam, quodammodo præmunire se volentes, radijs solaribus se exponunt. Simile.

MORALITER. Per pisces significantur homines; per tempus æstiuum vita gratiæ in præsenti, vbi ipsi homines, postposita omni lasciuia, quærere debent DEI gratiam. Si autem tanquam aquosi & effæminati, saliunt cum mulieribus chorizando, ventum tribulationis, pluuiam miseriæ, & intemperiem calamitatis æternæ in eis præfigurant euenire, quia dicit Iob. 21. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Idem refert Isidorus de Delphinis, qui adeo sunt veloces, quod in mari nihil est eis velocius, sed plerumque salientes naues transuolant, saltus eorum inducit futuram tempestatem. Quid sunt Delphini nisi homines, qui si transiliunt naues humanæ vitæ chorizando, æterna tempestas comitatur, sicut probat Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 49. part. 13. Signa tempestatum.

Mulier procax & vana erat, in Brabantiæ partibus in quadam villa, quæ omni ferè festo choreas coniungere consueuit. Et factum est vt iuuenibus viris ad saltum iuxta choream ludentibus, vni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu sambucalis, euaderet, & dictam mulierem ducentem choream percussam in capite, mox necaret. Hoc cum omnes viderent, confusi sunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro posuerunt. Presbytero autem cum Clericis dicturo vigilias veniente; Ecce taurus nigerrimus, imò dæmon pessimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore deiecit, & cornibus illud dissipans membratim confodit; ita vt visceribus hinc inde dispersis, fœtor intolerabilis dispergeretur. Fugientibus ergo cunctis, cadauer laceratum vsque in crastinum solum relinquitur, quousque euaparato fœtore cognati eius intrare possent ad corpus, & sublatum extra cœmiterium sepelierunt. Ideo dicit Chrysostomus super illud Matth. 13. *Die natalis Herodis:* Vbi saltus, ibi diabolus. Neq; enim Deus dedit nobis pedes ad hoc, vt cum camelis saltemus, sed vt cum Angelis chorum faciamus. In saltibus enim lætantur dæmones, & exultant ministri dæmonum. Exemplū de muliere choreis addicta, infeliciter mortua. Vbi saltus, ibi Diabolus

TERTIO in cruce Christus nudus pependit, sicut conquerebatur Iob. 1: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc:* sed chorizantes in derisionem crucifixi, se melioribus induunt vestimentis, vt benè de ipsis dicatur illud Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* Solent enim ipsæ matres ornare filias suas, ad choreas ire volentes, & ad vanitates mundanas; sed à Deo puniuntur, vt patet in exemplo, quod posui supra Dominica. III. post Epiphaniam serm. I. O. P.

QVARTO, Christus in cruce coronam spineam habuit, chorizantes autem habent serta de floribus. Quare dicit Bernardus in persona Christi: Tu homo es, & habes sertum de floribus, & ego Deus & homo, habens coronam de spinis: Tu habes A

bes chirothecas in manibus, & ego clauos defixos: Tu in albis vestibus tripudias, & ego pro te derisus fui ab Herode in alba veste: Tu tripudias cum pedibus, & ego cum pedibus laboraui: Tu in chorea brachia extendis in modum crucis, in gaudio, & ego extendi in opprobrium. Ego in cruce dolui, & tu in ea exultas, & tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Hæc Bernardus in persona Christi.

Vide Notas in secundū librum Apū Georgij Colueneri. De sertis refert Guiliel. secundū alios Thomas Cantipratensis in li. Apum. Quidā frater nomine Ioannes in Bononia populo prædicauit, viditque quod sertis totus populus sedebat coronatus. Finito sermone dixit. Pudeat membra fidelis populi, rosis aut floribus sub spinato capite Christi coronari. Et addidit. Excommunico serta rosarum, non populum, quibus ille vtitur in peccatum. Destitit ergo populus, à maiore vsque ad minimum, portare serta. Post nonnullos dies, solennes nuptiæ celebrabantur in vrbe, aderat, & puer iunior, qui sertum ex rosis tantum portabat in manu. Quod vt vidit adolescens quidam superbus & accuratus, rapuit sertum ex manibus pueri, & contumax posuit super caput. Nec mora, flamma edax sertum inuasit: & antequam illud adolescens deponere posset, omnes crines capitis eius exussit. Conuersus igitur populus in stuporem, sancti viri verba timere didicit, & Deo benedixit.

Effectus excommunicationis sertorum rosarum.

QVINTO, Christus habuit caput inclinatum sub spinea corona, quia dicitur Ioan. 19. *Inclinato capite emisit spiritum.* Chorizantes erigunt capita sua, sub corona, aut serto florido, quia *currunt aduersus Deum erecto collo*, vt Iob 15.

SEXTO, sicut Christus in omnibus suis membris patiebatur, sic chorizans in omnibus membris delectatur. Sed de hac delectatione seu lætitia dicit Beatus Augustinus: Seculi lætitia est impunita nequitia. Ideo legitur, quod in Saxonia, quidā presbyter Ecclesiæ sancti Magni martyris, cum celebraret, audiens puellas choreas ducentes prope Ecclesiam, & ipsum impedientes, eis precatus est, vt cantantes manerent per annum integrum, non manducantes, nec bibentes, sed cantantes. Primum vsque ad femora mersæ sunt, donec eas scilicet Herebertus Episcopus Coloniensis absoluit. Quædam ex eis citò obierunt, quædam verò diu viuentes, pœnam suam tremore membrorum soluerunt. Ecce, quod hæc inanis & inepta lætitia, tam durè est punita, haud dubium quin adhuc lasciuas choreas ducentes, à Deo grauiter punientur.

Vide Albert. Krantz lib. 4. hist. Saxoniæ, c. 33. & Trithemiū in Chronico monast. Hirsaugien.

SEPTIMO, in cruce Christus dulciter cantauit, cum pro peccantibus exorauit, Lucæ 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Chorizantes autem dulci cantu peccatoribus non prosunt, sed per hunc à diabolo capiuntur, & decipiuntur, quod probatur in natura. Dicunt naturales, quod Arabus est quidam piscis, qui sic capitur. Piscator in aquam mittit perticam, in qua sunt aliquæ campanulæ, & iuxta eam ponit rete, & pulsat campanulas, quas piscis libenter audit, & appropinquat reteque sic intrat, & capitur. Per hunc piscem intellige secularem adolescentem, per piscatorem ipsum Dominum: sed per perticam subaudi choream, per campanulas verò cantantes puellas. Cum ergo diabolus vult decipere, & capere mundi adolescentes, facit choreas in qua sunt puellæ, quasi campanulæ sonantes, in qua voce ipsi delectantes capiuntur. Per campanulas intellige instrumenta musicalia, quorū sonitu multi decipiuntur.

Simile.

Refert

Refert Thomas Cantiprat. in lib. Apum, quod in Episcopatu Cameracensi puella quædam cantilenis & choreis assueta, cum quadam die duceret choream, eam confestim cantatricem turba rapuit, & in altum deferens, illam malignus spiritus crudeliter verberauit, & flagellauit. Ictus quidem plurimi audiebant, sed videre non poterant ferientem, sed & mulierem audiebant in aëre clamantem. Et post modicū interuallum cecidit, & mortua est, nimis terribilis ad videndum. Exemplum.

OCTAVO, Christus præ dolore clamans moriebatur: chorizantes autem prægaudio nihil cogitant de Christi, aut ipsorum morte. Si enim præcipue de morte sua cogitarent, satis fatuum choreas ducere æstimarent. Quotidie enim ducimur ad mortem, in quo nemo vel paululum stare, vel tardius ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu.

Idcirco ad probandum hæc omnia, sic legitur in libro de donis septem Spiritus B
sancti. Quidam nobilis filium suum dilectum, Deo dedicauit in religione. Hic cum semel coram cruce oraret, venit sibi in mentem, quid esset quod hominem plus alliceret ad peccandum, & in quo Deus vituperaretur. Dum igitur sic cum lacrymis oraret, vidit iuuenem pulcherrimum, & cum eo chorizationem magnam. Qui transiens circa crucem; in primo circuitu, quilibet dabat vnum ictum super clauum crucifixi. Cumque facerent secundum circuitum, coronam de capite Christi leuantes, ante crucis imaginem pedibus conculcabant. In tertio circuitu, planctus eius deridebant. In quarto, in faciem eius conspuebant. In quinto, latus eius perforabant. In sexto circuitu, eum blasphemabant. Quo facto, iuuenis ducens choream, dicit ad eum, & ait. Tu rogasti Deum, vt ostenderet tibi quid plus hominem alliceret ad peccatum, & in quo magis Deus vituperaretur. Ideo ex præcepto, ego, qui sum princeps inferni, & procurator chorizationis, veni huc cum ministris meis, vt tibi exponam quod rogasti. Exemplum. Chorizātes irrisores passionis Domini.

Primo igitur colligatio & extensio manuum, extensionem brachiorum Christi in cruce pro nobis repræsentat, quam ipsi totaliter derident. Solent etiam se chorizantes coronare sertis, & rosis, & floribus, hoc modo coronā Christi spineam irridendo. Cantant etiam alacriter, & rident cachinnis, in vituperium planctus & clamoris Christi in cruce. Ornant se deniq; vestibus, irridendo Iesum humilem, nudum, pendentem in cruce. Osculantur etiam se mutuo, Christum à Iuda osculatum irridendo. Depingunt faciem suam, irridendo consputam & velatam faciem Christi. Per transitum fit derisio Christi *qui baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum.* Ioan. 19. Sed per lætitiam cordis, aperitur latus, sed per ornatum conspuitur. Et addidit diabolus. In chorea vtor omnibus armis meis.

Et licet diabolus in chorea multa habeat arma, ad decipiendum tamen potentiora arma, quæ habet diabolus, sunt mulieres ornatæ, quod patet ex hoc quod diabolus elegit mulierem ad decipiendum primum hominem Genes. 2. Has etiam elegit Balaam ad decipiendum filios Israël, Num. 31. Per hanc decepit Dauid 2. Reg. 11. Similiter Samsonem, Iud. 16. Per has decepit & eiecit Salomonem 3. Reg. 11.

NONO & vltimo, Christus de cruce per magnas tribulationes, fletus & dolores peruenit in gloriam suam, sicut dixerat Lucæ vlt. post resurrectionem. *Nonne Christum oportuit pati & sic intrare in gloriam suam?* quasi diceret, sic. Chorizantes autem volunt per gaudia, & risus & iocos huic venire, quod vtique est impossi-

possibile. quia secundum Hieronymum. Nemo potest de delicijs ad delicias peruenire.

Musa puella in cœlū itura, à B. Virgine præmonetur vt mores leues deponat.

Ideo refert Gregorius in dialogis lib. 4. c. 17. de quadam puella nomine Musa, cui de nocte in visu beata Virgo apparuit, atque coronatas in albis vestibus puellas ei ostendit, quibus cum illa se admiscere appeteret, sed se eis adiungere non auderet: Beatæ Mariæ voce requisita est, an vellet cum eis esse, & in obsequio eius viuere. Cui cum puella diceret, Volo: mandatum protinus accepit, vt vltrà leue nihil ageret, ac à risu & iocis abstineret, sciens quod ad virginum quas viderat obsequium, die tricesimo veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, & à se omnem leuitatem puellarem amouit. Cumque parentes eius illam mutatam mirarentur, quid sibi beata Virgo iusserit, & quo die itura esset ad eius obsequium, indicauit. Tunc post viginti quinque dies febre correpta est, & tricesimo die cum hora exitus sui appropinquaret, eandem Dei genitricem cum puellis, quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se vocanti respondit, & aperta voce clamare cœpit. Ecce Domina venio, Ecce Domina venio. In qua voce reddidit spiritum, & ex corpore virgineo, habitatura cum suis virginibus, exijt. Hæc visio Virginis gloriosæ Mariæ, non dumtaxat facta est propter hanc puellam, sed etiam propter alias puellas, vt quæcunque vanitates, leuitatesque iocorum & choreatum voluerit postergare, poterit cum sanctis virginibus in cœlesti gloria habitare. Ad quam &c.

FERIA QVARTA CINERVM.

Sermo primus.

De Epistola.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Ioelis. 2.

C

CONSVETVDO hæc est hactenus Dominis temporalibus obseruata; Cum Vasallus alicuius Domini profugus sit in seruitio eiusdem Domini, vt si dimittat ipsum ab eo in prelio fugiendo, ipse bona sua feudalia perdat, & Dominus ea iustè resumit, vti in libro feudorum quibus modis feudum amittitur, c. 1. & 2. & de feudo sine culpa non amittendis cap. 1. & 2. & ff. de re militari, L. omne §. qui in acie. Si autem Dominus hunc profugum vasallum in bona sua reuocat, & in suam gratiam admittit, hoc non facit ex debito, sed ex pietate magna, & animo benigno. Et hoc verum est si vasallus gratiam petit. Et sic legitur in 2. lib. Regum de rege Dauid, quem persequebatur filius suus Absalon, qua persecutione durante, multi Vasalli ab eo declinauerunt, & post Absalon iuerunt. Interfuit tunc Semel principalis inter illos, qui non solum profugus tempore persecutionis à Domino suo fuit, sed etiam ipsum maledixit, dicens eum *virum sanguinum*, id est effusorem, multi sanguinis innoxij, *& virum Belial*, id est absque iugo disciplinæ & legis diuinæ, vt patet 1. Regum 16. Propter iam dicta, non solum bona sua, sed & vitam meritò perdidisset. Sed occiso Absalone cui adhæserat, dimisso Dauid; cum idem Rex Dauid transiret Iordanem occurrit, & iacens in terra pro-

prostratus, dixit. *Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem meam, neque memineris iniuriarum serui tui. Agnosco enim peccatum meum, & ideo primus veni in occursum regis.* 2. Reg. 19.
Quod audientes serui Dauid, dixerunt. *Alunquid pro his verbis non occidetur Semei?* Quasi diceret, Magnum malum esset si viuus euaderet, quia crimen læsæ maiestatis incurrebat. Quibus Dauid. *Cur efficimini mihi hodie in Sathan?* & dimisit sibi iniuriam dicens, *Non morieris:* & super hoc fecit sibi iuramentum, & hoc fuit ex benigno animo, vt patet in historia 2. Reg. 19.

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur aspectu desiderabilis, quod in eum desiderant Angeli respicere, vt patet. 1. Petr. 1. Sed Absalon interpretatur patris amaricatio, & significat mundum, in quo sunt multæ amaritudines. Iuxta illud Boëtij lib. 2. prosa. 4. Quàm multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est? Sicut igitur Absalon persequebatur Dauid, sic mundani homines persequuntur quotidie Christum, sicut conqueritur illud Psal. 68. *Persecuti sunt me inimici mei iniustè.* Sicut etiã tempore persecutionis Absalonis multi Vasalli ab eo recesserunt: sic multi à Christo, principaliter in hoc tempore carnispriuij, turpiter fugerunt, sicut conspueritur hoc Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aqua viua*, & mundi vanitatibus se immiscuerunt. Et timendum est, quod (heu) multi cum Semei verum Dauid Christum per multa mala opera maledixerunt, propter hoc meritò bona sua, scilicet, vt est naturæ sanitas & gratiæ, vt sunt virtutes, simul & gloriam perdiderunt, insuper & mortem meruerunt, iuxta illud Ezech. 18. Exponitur per Aug. 24. q. 3. c. sic habes: *Anima qua peccauerit, ipsa morietur.* Sed benignus Dominus, *qui non vult mortem peccatorũ, sed vt magis conuertatur & viuat*, Ezech. 33. Reuocat nos fugitiuos ad se dicens: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, quæ sunt verba præsentis epistolæ proposita vestræ charitati. In qua duo principaliter tanguntur. *Primò* allicit peccatores ad pœnitentiam, ibi; *Conuertimini. Secundò*, promittit pœnitentibus indulgentiam, ibi; *Zelatus est, &c.*

Mundani homines persequuntur Christum.

NOTANDVM tempore veris, vt est circa festum cathedræ Petri, reuocant mares fœminas, sicut hoc patet de auib. quæ etiam magis vociferando cantant, seu vocant fœminas, quæ ab eis tempore hyemis recesserunt. Sic etiam nunc in tempore gratioso pœnitentiæ, reuocat Christus ad se homines, qui tempore præterito in quo *refriguit charitas multorum*, ex quo abundauit iniquitas ab eo declinauerunt, cum dicit in verbis prælibatis, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.*

Vbi NOTA in sacra scriptura inueniuntur principaliter quinque conuersiones, quæ summè necessariæ sunt, conuerti volentibus. D

Quinque cõuersiones in sacra scriptura.

PRIMA conuersio est, lunæ in sanguinem, de qua dicit Propheta Ioel. c. 3. *Conuertetur luna in sanguinem.* Et hæc conuersio fit duntaxat secundum apparentiam, rectè sicut cum patitur eclipsim luna, fit rubea. sed MORALITER per lunam intellige peccatorem, propter quatuor. I.

Primo sicut luna est sola eclipsatiua seu obscuratiua, inter nos & solem posita, quando concurrunt simul in eadem linea ecliptica: Sic etiam peccator obscurat in anima lumen rationis; quod patet de Adam, qui adeò claram habuit rationem, & tanta sapientia claruit, quod omnibus rebus nomina imposuit, vt Genes. 2. Sed cum peccauit, rationem in tantum obscurauit, quod *iumentis insipientib. comparatus fuit*, secundum Ps. 48. quia peccatũ posuit inter Deum & ipsum, & sustulit lumen gratiæ.

Cur Luna denotat peccatorem. 1.

Sic etiam fit de alijs peccatoribus de quibus dicit Apostolus ad Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor ipsorum.* Propter quod etiam dicitur Prou. 4. *Via impiorum tenebrosa.* Glossa, tenebris errorum, *& nesciunt vbi corruant.* Gloss. in infernum, quem casum nolunt attendere mundam.

2. *Secundo* quia luna est oculorum vitiatiua, quia secundum Ptolomæum luna efficit hominem in oculis male dispositum, & inordinatum. Efficit enim in homine vnum oculum maiorem altero, aut strabonem, siue orbum in vno oculorum. *Et subdit ibidem.* Homo autem si in eius conceptione lunæ constellatio habuerit dominium, vitio in oculo non carebit. Sic etiam peccatores in oculis mentis praue sunt dispositi, quia habent vnum oculum magnum ad temporalia, sed alium paruum ad spiritualia. Quia *omnes quærunt quæ sua sunt,* scilicet temporalia, *& non quæ sunt Iesu Christi*, scilicet spiritualia ad Phil. 2.

Hypocritarũ visus indispositus. Similiter hypocritæ indispositum habent visum: quia *vident festucam in oculo fratris sui, trabem autem in oculo suo non considerant.* Matth. 7. Ideo vnicuique tali dicit Dominus ibidem: *Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Inuidi indispositio. Sic etiam inuidus est in oculis suis indispositus, quia de Saule inuido dicitur 1. Reg. 18. *Quia iam non rectis oculis aspiciebat Saul Dauid.* Sed talem aspectum inuidiæ auferunt, iustitia & pax. Nam pax remouet odium, iustitia rectificat aspectum, & facit rectum. Ideo dicitur Psal. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.*

3. *Tertio* luna est temporalium euentuum indicatiua. Sicut dicitur Eccl. 43. *Luna in omnibus in tempore suo est ostensio temporis.* Luna enim vt dicit Beda, si in principio rubet vt aurum, ventos ostendit. Si in summo eius corniculo, & circulo, maculis quibusdam nigrescit, pluuiosum mensem portendit. Cum verò indirectè scintillat, ad imos nauigationis, tempestas erit. Sic etiam quidam sunt peccatores, qui rubent per turpia opera quos sequitur ventus æternæ tribulationis. Quidam etiam sunt ventosi per superbiam, quidam pluuiosi, siue aquosi per luxuriam, quidam verò semper videri volunt per vanam gloriam, quidam vero tempestuosi & inquieti fiunt per auaritiam, vt dicit Anselm. lib. 1. c. 63.

4. *Quarto* quia luna est sui mutatiua, nec vnquam in eodem statu permanet, & non est solum permutabilis in se, sed etiam in effectu. Nam vt dicit Ptolomæus in libro de iudicijs astrorum, Luna efficit hominem instabilem, & mutabilem de loco ad locum discurrendo. Sic etiam peccator est mutabilis. Iuxta illud Eccles. 27. *Stultus vt luna mutatur.* Apparet enim luna interdum parua & corniculata, quandoq; per medium secta, quandoque tota. Sic peccatum paruum est, cum concipitur in cogitatione, medium cum in statu sensus statuitur; integrum cum opere perficitur, sed totaliter plenum cum in consuetudinem dicitur. Hæc Anselmus vbi suprà. Sed hæc luna, videlicet peccator, tunc in satisfactionem mutatur, quando Zelo odij & indignationis conuertitur per displicentiam contra peccata, sicut Dauid qui dicit Psalm. 118. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* O si homo perpenderet, quanta mala sibi peccatum induceret, magnam displicentiam contra illud conciperet, iuxta illud verbum *conuertimini ad me* scilicet per peccati displicentiam *in toto corde vestro,* quia peccatum vilificat hominem, & deponit eum à sua dignitate.

Peccator lunæ comparatur.

Sic

Sic enim in iure fit, quod superior dignitate punitur ab inferiore, ratione delicti, scilicet quando facit contra sententiam Canonis ab eo editi, & scienter incidit in factum damnatum. Et sic Ambrosius ratione criminis, in sua parochia commissi, damnauit Imperatorem quod aliàs non fecisset. Fecit enim ad hoc, quod talis delinquendo, & ex certa causa sententiam contra Canonem faciendo, vel viuendo se inferiorem fecit. vt 40. dist. Multi, circa finem. Et sic inferioris imperio se submittit, & iam non est superior sed inferior. Sed ista secundum Hostiensem intelligenda sunt de maioribus extraneis, etiam exceptis quibus illi, contra cuius quæstionem, vel Canonem non est, faciunt. Sic etiam homo, qui secundum Philosophum est dignissima creaturarum, committendo peccatum quod est vile, deponit eum à sua dignitate. quod iam non potest dici homo, sed bestia, sicut probat Boetius lib. 4. prosa. 3. Ita fit, vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam conditionem, id est naturam, transire non possit, vertatur in belluam. Ideo dicit Beatus Augustinus in persona Domini: O homo si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places & mihi displices. Sed veniunt dies in quibus mihi, & tibi displicebis; mihi quia damnaberis; tibi, quia ardebis. Hæc ille. Ideo debet nunc potius peccator conuerti ad Dominum per displicentiam peccatorum. Et hæc est prima conuersio per quam venit homo ad secundam.

Homo creaturarum dignissima.

II. Est enim SECVNDA conuersio lapidis in eis: quia videmus de lapide fieri ferrum, mediante igne, Iuxta illud Iob. 27. *Lapis calore solutus, in æs conuertitur.* Et hæc conuersio MORALITER, tunc fit, quando homo ex displicentia peccati totus diuino calore repletus, vt sonet vox confessionis. Et de hac conuersione dicit similiter Dominus. *Conuertimini ad me* per confessionem *in toto corde vestro:* quasi diceret, conuertimini à malo culpæ ad me, in quo est plena securitas, & perfecta quies *in toto corde vestro,* quia hoc est summè necessarium, quod perfecta sit confessio. Quia debet semel ex toto corde quis peccata confiteri, vt habetur de pœn. distinct. 5. cap. 1. versus finem, & distinct. 3. c. Sunt plures. Et Thomas in 4. distinct. 17. Sicut in medicina corporali oportet quod medicus non solum vnum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod vnus morbus ex adiunctione alterius generatur, & medicina quæ vni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret. Cumque quandoque aliquis contrarijs peccatis infectus sit, ideo de necessitate conforme est, vt omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habuit, alioquin non est confessio, sed confessionis simulatio. Sed si aliquis non habuerit in memoria, & postea recordatur, sufficit quod hoc peccatũ confitens postea dicit explicite, & alia in generali, dicendo quod cum alia multa cõfiteretur, huiusmodi oblitus sit. Et in hoc concordat Petrus.

Perfecta cõfessio summè necessaria.

Quare omnia peccata confitenda.

III. TERTIA conuersio est solis in tenebras. De qua dicit Proph. Ioel. 3. *Sol conuertetur in tenebras,* Glossa secundum apparentiam. Sed hæc conuersio fit MORALITER per verecundiam, quando homo in confessione erubescit de peccatis, & confunditur. Ideo iuxta Psalmum 24. *Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.* De verecundia quæ debet esse in confessione, quære suprà Dominica III. in Aduentu sermone. 2. D. E. Item Dominica I. post octauam Epiphaniæ, serm. 3. L. R. Vbi habes exemplum quod quædam mulier peccatum enorme tacuit, & damnata fuit. Ideo

Confeſſio non diuidenda. dicit Dominus, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, vt videlicet per verecundiam non diuidatis vel dimittatis peccata.

IV. QVARTA conuerſio eſt petræ in ſtagna aquarum Et hæc fit in homine per dolorem, & peccati compunctionem. De qua intelligitur illud Pſalm. 113. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum.* Per petram intellige cor durum quod tunc conuertitur in ſtagna aquarum, quando reſoluitur in abundantiam lacrymarum, quæ prouenit ex dolore peccati, ſicut de ſe dicit Dauid Pſalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* De lacrymis habes ſuprà infrà octauam Epiphaniæ ſermo. 2. L. S. Et in eadem habes exemplum, de quodam iuuene, qui præ lacrymis non potuit confiteri. L. Q. Ideo conſulit Dominus, *Conuertimini ad me* in dolore peccati *in toto corde veſtro.* Vbi NOTA. Cor humanum habet quator paſſiones, ſeu affectiones, quæ ſunt dolor & gaudium, timor & ſpes. Ille igitur toto corde ad Deum conuertitur, qui de nullo dolet principaliter, niſi quod Deum offendit: de nullo gaudet, niſi quod Deum ad ſe conuertit, nihil timet, niſi Dei iuſtitiam; nihil ſperat, niſi Dei gratiam & gloriam: & dicat cum Pſalm. 118. *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me.*

Cor habet quatuor paſſiones.

Sed quia compunctionem cordis iuuat ieiunium, & fletus, ſubdit: *In ieiunio, & fletu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra:* quaſi diceret, conuertimini in ieiunio, ad carnis mortificationem; In fletu, ad mentis purificationem, & ſcindite corda veſtra, ad ipſius animæ acceptam Deo oblationem. Scinditur enim cor doloris gladio, & virus peccati exeat. Quia dicit Gregorius. Duriora ſunt corda hominum ſaxis, quæ ſcindi per pœnitentiam nolunt. Per hanc igitur conuerſionem peruenitur ad quintam.

V. Eſt autem QVINTA conuerſio maris in aridam. Iuxta illud Pſalm. 65. *Qui conuertit mare* in aridam, quod fit per ſatisfactionem, in qua amaritudo peccato pœnalitatis conuertitur, ſicut legitur de ſe dixiſſe Iob. 7. *Cutis mea aruit & contracta eſt:* & hoc fit per ieiunium & planctum, quia *ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*, Prou. 17. Vt autem ſecurè ad Dominum conuertamur promittit nobis propheta miſericordiam Dei dicens: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum quia benignus eſt*, ſcilicet miſericordiam inſpirando, & miſericors offenſam remittendo, & in gratiam recipiendo: patiens, ſupple ſententiam differendo, emendam exſpectando, & multi mali veniam donando, *& præſtabilis ſuper malitia* ſcilicet pœnam debitam relaxando, & vitam æternam largiendo.

DE EADEM FERIA.

Sermo Secundus, in Euangelium.

Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Ita ſcribitur. Matth. 6.

F DIcunt experti arborum plantatores. Si poma alicuius arboris putreſcāt, & efficiantur rugoſa, tunc neceſſe eſt quod cortex eius, vbi ſanus eſt, cum cultello acuto aperiatur & cum inde modicus humor effluxerit, tunc eſt ſtercore ſanandum & vulnus diligenter cum argilla obſtruendum & ita ſana producentur poma.

MORA-

MORALITER. Per arborem intellige hominem: quia dicit Innoc. de vilit hum. condi. parte 1. cap. 8. Quid est homo nisi quædam arbor euersa cuius radices sunt crines, truncus est caput cum collo, sed stipes, pectus cum aluo. Rami sunt brachia cum tibijs, frondes sunt digiti cum articulis. Sed per poma illius arboris intellige fructum arboris, id est operis. Hæc poma tunc efficiuntur putrida, quando homo mala intentione facit opera sua bona, quia dicit Anselmus lib. 9. cap. 34. Quæ sunt poma putrida vel rugosa, nisi hypocritarum corrupta & maculosa opera, quæ figurantur Ezech. 8. vbi Dominus dixit Prophetæ. *Fili hominis, fode parietem: Et cum fodissem parietem, apparuit vnum ostium: Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuagintà viri de senioribus domus Israel.*

MORALITER. Per parietem quo intus fuit, hypocrita occultãs prauam intentionẽ in corde designatur. hic paries tũc foditur, quando alicui contumelia imponitur, siue ei iniuria irrogatur, & tunc statim ostium nequitiæ aperitur, & malignitas in corde statim ore panditur per iram & impatientiam. Ideo dicit Gregorius in moral. Hypocrisis est virtutum simulatio, clausum vitium abscondere, & arte palliare. Non enim potest cognosci qualis intus lateat, quia *homo solum videt quæ apparent, Deus autem intuetur cor.* Sed si martello alicuius contumeliæ feriatur, planè statim apparebit, quid intrinsecus lateat. Hæc Gregorius. Tunc videbitur similitudo reptilium, per quam intelligitur superbia, & inuidia; & brutorum animalium abominatio, per quæ intellige libidinem, siue crapulam. Videbunt enim etiam ibidum vniuersa idola Israel, per quæ intelligitur cupiditas & auaritia, quæ sunt idola diuitum malorum. Et inter ista apparent septuaginta viri ex Israel, quia decem præcepta & sex opera misericordiæ, solum ibi secundum quandam similitudinem, & non verè sunt depicta. Et sic patet quod poma scilicet operum etiam bonorum, quæ faciunt hypocritæ, sunt putrida. Vt autem sanentur, & in melius mutentur; necesse est, vt in gladio aut cultello diuinæ sententiæ, exteriorem corticem, qui sanus videbatur, id est fictam apparentiam, qua bonus credebatur, percutiat & apperiat; quia tunc modicus humor videlicet apparentis deuotionis abscedit, tuncq; stercoribus circundatur, cum ab omnibus circũquaq; vilipenditur. Sed tamen si argilla, id est humili pœnitentia, vulnus cordis obstruatur, protinus sanatur, itaq; faciet opera sana, qui prius faciebat putrida & corrupta. Idcirco Dominus attendens putrida opera hypocritarum, cultello diuinæ suæ sententiæ percutit, cum dicit in præsenti Euangelio: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* quasi diceret, hic & non in cœlis, quod verbum est velut asper cultellus quo præscindit hypocritas à regno cœlorum. Et non solum per cultellum sententiæ iam dictæ eos aperit & præscindit, sed etiam stercus vilipensionis circumponit, cum dicit: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas vt hominibus appareant ieiunantes.* Deinde argilla pœnitentiæ obstruit, cum dicit; *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.* &c. de quibus dicit præsens Euangelium. In quibus tria facit, inhibet hypocrisim ieiunantibus, ibi; *Cum ieiunatis.* Iubet subuenire egentibus, ibi; *Vnge caput tuum.* Aufert actionem gloriantibus, ibi; *Nolite.*

Quid hypocrisis.

Auaritia idolum diuitũ.

Hypocritæ opera, poma putrida.

PRIMO igitur inhibet hypocrisim ieiunantibus cum dicit: *Cum ieiunantis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Circa quod NOTANDVM. Sancta mater Ecclesia

Causæ Quadragesimæ.

hodie

Z SECVNDO. Christus sibi suos famulos assumit ad compatiendum. Vult enim vt compatiamur suæ passioni, in hoc, quod dicit Euangelista: *Assumpsit Iesus discipulos suos, & ait illis*, Matt. 20. *secreto: Ecce ascendimus Hierosolymam & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus ad illudendum, & conspuendum, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget.* Quid enim per hoc vult Christus, quod in hac Dominica, in qua homines, vt frequenter sunt ad malum proniores & lasciuiores, permittit legere Euangelium de sua felicissima passione, nisi vt postposita mundi vanitate, studeamus eo passo condolere, quia dicit Bernar. lib. de conside. ad Eugenium Papam. Indignus est Christi passione felicissima, qui non Christo patienti totis viribus studuerit condolere.

Cur in hac Dominica de Christi passione agatur

Ideo deuotus Doctor Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap. 15. compatitur Christi passioni, insuper exclamans contra Iudæos, qui Christum crucifixerunt; dicit: Qualiter, ô cruentæ bestiæ, leonibus ferociores, lupis rapacibus sæuiores, agnum illum mansuetissimum, *speciosumq; præ filiis hominum*, nobilem & delicatum, pium ac mansuetum, sic crudeliter torquere potuistis? O Deus meus, vtinam tunc fuisset famulus præsens, dum hæc agabantur, vt pietas & compassio, quæ eis defuit, per me suppleta fuisset salua humani generis redemptione, ego animam meam pro vita tua exposuissem. Ecce quanta deuotio simul & compassio in mente huius deuoti famuli Christi fuit, cum hæc verba dixit.

Humiliter meditans passionem Christi, non superatur.

Sic & nos hodie deuotè pertractare debemus Christi passionem, sicq; incitamur ad virtutes, postponendo mundi vanitates. Qui enim humiliter meditatur Christi passionem, vix aut nunquam poterit superari. Vnde legitur, quod quidam deuotus homo se in loco secreto abscondit, & ibi recolebat, vt sciebat, & poterat, quomodo Christus natus fuit, in mundo conuersatus, multa turpia & opprobria pro nobis passus, scilicet illusionem, flagellationem, & conspuitionem, & tandem mortem. Et cum hoc dixisset, semper dicebat, quod sibi profecerat ad bonum, plus quam totũ quod aliàs faciebat. Propter, quod dicit Bonauentura Cardinalis: Si vis, ô homo, vt de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, in melius proficias, quotidie nullo strato impedimento, quanta potes deuotione, percurras & mediteris Domini passionem. Hæc ille.

Sed quia in his tribus diebus, & fortassis non excepto die Cinerum; homines currunt de vitio in vitium, de malo in pessimum: bonum eis esset, vt cum matre sancta Ecclesia in corde ipsorum haberetur felix passionis Christi memoria, sed econtra diabolus assumit famulas & famulos ad Christum deridendum, & hoc facit principaliter in chorizantibus, qui per omnem modum irrident Christi passionem.

Chorizantes irrident passionẽ Christi.

PRIMO, vt Christus extendit manus suas in cruce, sicut de hoc prædixit Isa. 5. *Expandi manus meas ad populum non credentem qui graditur vias non bonas*: Sic etiam chorizantes in derisionem Christi crucifixi, expandunt manus suas ad suos amatores vel amatrices, & nesciunt, quod tales tactus manuum sunt valde nociui. Nam sapiens scribens de tactu mulieris dicit: Eccli. 26. *Qui tenet eam quasi qui apprehendit scorpionem*, vt planè habetur, Eccles. 7. *Vincula sunt manus eius*. Item. Prou 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? aut ambulare super prunas ardentes, vt non comburentur plantæ eius? Sic qui ingreditur (chorizando) ad vxorem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.*

SECVN-

SECVNDO Christus habuit pedes confixos cruci, quos mouere non potuit: Chorizantes autem in blasphemiam Christi mouent pedes, & totum corpus, & de quolibet exponi potest illud Iob. 15. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus.* Similiter illud Psal. 11. *In circuitu impij ambulant.* Sed ille saltus æternam tribulationem præfigurat, quod sic probo. Dicit Isidorus in hist. natur. Cum æstiuo tempore pisces saliunt ex aquis maris, ventus maris & pluuia atq; auræ tempestates consequuntur. Cuius ratio est. Sentiunt enim ex natura aduenire pluuiam, quodammodo præmunire se volentes, radijs solaribus se exponunt. Simile.

MORALITER. Per pisces significantur homines; per tempus æstiuum vita gratiæ in præsenti, vbi ipsi homines, postposita omni lasciuia, quærere debent DEI gratiam. Si autem tanquam aquosi & effæminati, saliunt cum mulieribus chorizando, ventum tribulationis, pluuiam miseriæ, & intemperiem calamitatis æternæ in eis præfigurant euenire, quia dicit Iob. 21. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Idem refert Isidorus de Delphinis, qui adeo sunt veloces, quod in mari nihil est eis velocius, sed plerumque salientes naues transuolant, saltus eorum inducit futuram tempestatem. Quid sunt Delphini nisi homines, qui si transiliunt naues humanæ vitæ chorizando, æterna tempestas comitatur, sicut probat Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 49. part. 13. Signa tempestatum.

Mulier procax & vana erat, in Brabantiæ partibus in quadam villa, quæ omni ferè festo choreas coniungere consueuit. Et factum est vt iuuenibus viris ad saltum iuxta choream ludentibus, vni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu sambucalis, euaderet, & dictam mulierem ducentem choream percussam in capite, mox necaret. Hoc cum omnes viderent, confusi sunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro posuerunt. Presbytero autem cum Clericis dicturo vigilias veniente; Ecce taurus nigerrimus, imò dæmon pessimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore deiecit, & cornibus illud dissipans membratim confodit; ita vt visceribus hinc inde dispersis, fœtor intolerabilis dispergeretur. Fugientibus ergo cunctis, cadauer laceratum vsque in crastinum solum relinquitur, quousque euaparato fœtore cognati eius intrare possent ad corpus, & sublatum extra cœmiterium sepelierunt. Ideo dicit Chrysostomus super illud Matth. 13. *Die natalis Herodis:* Vbi saltus, ibi diabolus. Neq; enim Deus dedit nobis pedes ad hoc, vt cum camelis saltemus, sed vt cum Angelis chorum faciamus. In saltibus enim lætantur dœmones, & exultant ministri dœmonum. Exemplũ de muliere choreis addicta, infeliciter mortua. Vbi saltus, ibi Diabolus.

TERTIO in cruce Christus nudus pependit, sicut conquerebatur Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc:* sed chorizantes in derisionem crucifixi, se melioribus induunt vestimentis, vt benè de ipsis dicatur illud Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* Solent enim ipsæ matres ornare filias suas, ad choreas ire volentes, & ad vanitates mundanas; sed à Deo puniuntur, vt patet in exemplo, quod posui supra Dominica. III. post Epiphaniam serm. I. O. P.

QVARTO, Christus in cruce coronam spineam habuit, chorizantes autem habent serta de floribus. Quare dicit Bernardus in persona Christi: Tu homo es, & habes sertum de floribus, & ego Deus & homo, habens coronam de spinis: Tu habes A

bes chirothecas in manibus, & ego clauos defixos: Tu in albis vestibus tripudias, & ego pro te derisus fui ab Herode in alba veste: Tu tripudias cum pedibus, & ego cum pedibus laboraui: Tu in chorea brachia extendis in modum crucis, in gaudio, & ego extendi in opprobrium. Ego in cruce dolui, & tu in ea exultas, & tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Hæc Bernardus in persona Christi.

Vide Notas in secundũ librum Apũ Georgij Colueneríj.

De sertis refert Guiliel. secundũ alios Thomas Cantipratensis in li. Apum. Quidã frater nomine Ioannes in Bononia populo prædicauit, viditque quod sertis totus populus sedebat coronatus. Finito sermone dixit. Pudeat membra fidelis populi, rosis aut floribus sub spinato capite Christi coronari. Et addidit. Excommunico serta rosarum, non populum, quibus ille vtitur in peccatum. Destitit ergo populus, à maiore vsque ad minimum, portare serta. Post nonnullos dies, solennes nuptiæ celebrabantur in vrbe, aderat, & puer iunior, qui sertum ex rosis tantum portabat in manu. Quod vt vidit adolescens quidam superbus & accuratus, rapuit sertum ex manibus pueri, & contumax posuit super caput. Nec mora, flamma edax sertum inuasit: & antequam illud adolescens deponere posset, omnes crines capitis eius exussit. Conuersus igitur populus in stuporem, sancti viri verba timere didicit, & Deo benedixit.

Effectus excommunicationis sertorum rosarcorum.

QVINTO, Christus habuit caput inclinatum sub spinea corona, quia dicitur Ioan. 19. *Inclinato capite emisit spiritum.* Chorizantes erigunt capita sua, sub corona, aut serto florido, quia *currunt aduersus Deum erecto collo,* vt Iob 15.

SEXTO, sicut Christus in omnibus suis membris patiebatur, sic chorizans in omnibus membris delectatur. Sed de hac delectatione seu lætitia dicit Beatus Augustinus: Seculi lætitia est impunita nequitia. Ideo legitur, quod in Saxonia, quidã presbyter Ecclesiæ sancti Magni martyris, cum celebraret, audiens puellas choreas ducentes prope Ecclesiam, & ipsum impedientes, eis precatus est, vt cantantes manerent per annum integrum, non manducantes, nec bibentes, sed cantantes. Primum vsque ad femora mersæ sunt, donec eas scilicet Herebertus Episcopus Coloniensis absoluit. Quædam ex eis citò obierunt, quædam verò diu viuentes, pœnam suam tremore membrorum soluerunt. Ecce, quod hæc inanis & inepta lætitia, tam durè est punita, haud dubium quin adhuc lasciuas choreas ducentes, à Deo grauiter punientur.

Vide Albert. Krantz lib. 4. hist. Saxoniæ, c. 33. & Trithemiũ in Chronico monast. Hirsaugien.

SEPTIMO, in cruce Christus dulciter cantauit, cum pro peccantibus exorauit, Lucæ 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Chorizantes autem dulci cantu peccatoribus non prosunt, sed per hunc à diabolo capiuntur, & decipiuntur, quod probatur in natura. Dicunt naturales, quod Arabus est quidam piscis, qui sic capitur. Piscator in aquam mittit perticam, in qua sunt aliquæ campanulæ, & iuxta eam ponit rete, & pulsat campanulas, quas piscis libenter audit, & appropinquat reteque sic intrat, & capitur. Per hunc piscem intellige secularem adolescentem, per piscatorem ipsum Dominum: sed per perticam subaudi choream, per campanulas verò cantantes puellas. Cum ergo diabolus vult decipere, & capere mundi adolescentes, facit choreas in qua sunt puellæ, quasi campanulæ sonantes, in qua voce ipsi delectantes capiuntur. Per campanulas intellige instrumenta musicalia, quorũ sonitu multi decipiuntur.

Simile.

Refert

Refert Thomas Cantiprat. in lib. Apum, quod in Episcopatu Cameracensi puella quædam cantilenis & choreis assueta, cum quadam die duceret choream, eam confestim cantatricem turba rapuit, & in altum deferens, illam malignus spiritus crudeliter verberauit, & flagellauit. Ictus quidem plurimi audiebant, sed videre non poterant ferientem, sed & mulierem audiebant in aëre clamantem. Et post modicũ interuallum cecidit, & mortua est, nimis terribilis ad videndum. Exemplum.

Octavo, Christus præ dolore clamans moriebatur: chorizantes autem prægaudio nihil cogitant de Christi, aut ipsorum morte. Si enim præcipue de morte sua cogitarent, satis fatuum choreas ducere æstimarent. Quotidie enim ducimur ad mortem, in quo nemo vel paululum stare, vel tardius ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu.

B

Idcirco ad probandum hæc omnia, sic legitur in libro de donis septem Spiritus sancti. Quidam nobilis filium suum dilectum, Deo dedicauit in religione. Hic cum semel coram cruce oraret, venit sibi in mentem, quid esset quod hominem plus alliceret ad peccandum, & in quo Deus vituperaretur. Dum igitur sic cum lacrymis oraret, vidit iuuenem pulcherrimum, & cum eo chorizationem magnam. Qui transiens circa crucem; in primo circuitu, quilibet dabat vnum ictum super clauum crucifixi. Cumque facerent secundum circuitum, coronam de capite Christi leuantes, ante crucis imaginem pedibus conculcabant. In tertio circuitu, planctus eius deridebant. In quarto, in faciem eius conspuebant. In quinto, latus eius perforabant. In sexto circuitu, eum blasphemabant. Quo facto, iuuenis ducens choream, dicit ad eum, & ait. Tu rogasti Deum, vt ostenderet tibi quid plus hominem alliceret ad peccatum, & in quo magis Deus vituperaretur. Ideo ex præcepto, ego, qui sum princeps inferni, & procurator chorizationis, veni huc cum ministris meis, vt tibi exponam quod rogasti. Exemplum. Chorizãtes irrisores passionis Domini.

Primo igitur colligatio & extensio manuum, extensionem brachiorum Christi in cruce pro nobis repræsentat, quam ipsi totaliter derident. Solent etiam se chorizantes coronare sertis, & rosis, & floribus, hoc modo coronã Christi spineam irridendo. Cantant etiam alacriter, & rident cachinnis, in vituperium planctus & clamoris Christi in cruce. Ornant se deniq; vestibus, irridendo Iesum humilem, nudum, pendentem in cruce. Osculantur etiam se mutuo, Christum à Iuda osculatum irridendo. Depingunt faciem suam, irridendo consputam & velatam faciem Christi. Per transitum fit derisio Christi *qui baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum*. Ioan. 19. Sed per lætitiam cordis, aperitur latus, sed per ornatum conspuitur. Et addidit diabolus. In chorea vtor omnibus armis meis.

Et licet diabolus in chorea multa habeat arma, ad decipiendum tamen potentiora arma, quæ habet diabolus, sunt mulieres ornatæ, quod patet ex hoc quod diabolus elegit mulierem ad decipiendum primum hominem Genes. 2. Has etiam elegit Balaam ad decipiendum filios Israël, Num. 31. Per hanc decepit Dauid 2. Reg. 11. Similiter Samsonem, Iud. 16. Per has decepit & eiecit Salomonem 3. Reg. 11.

Nono & vltimo, Christus de cruce per magnas tribulationes, fletus & dolores peruenit in gloriam suam, sicut dixerat Lucæ vlt. post resurrectionem. *Nonne Christum oportuit pati & sic intrare in gloriam suam?* quasi diceret, sic. Chorizantes autem volunt per gaudia, & risus & iocos huic venire, quod vtique est impossi-

possibile. quia secundum Hieronymum. Nemo potest de delicijs ad delicias peruenire.

Musa puella in cœlū itura, à B. Virgine præmonetur vt mores leues deponat.

Ideo refert Gregorius in dialogis lib. 4. c. 17. de quadam puella nomine Musa, cui de nocte in visu beata Virgo apparuit, atque coronatas in albis vestibus puellas ei ostendit, quibus cum illa se admiscere appeteret, sed se eis adiungere non auderet: Beatæ Mariæ voce requisita est, an vellet cum eis esse, & in obsequio eius viuere. Cui cum puella diceret, Volo: mandatum protinus accepit, vt vltrà leue nihil ageret, ac à risu & iocis abstineret, sciens quod ad virginum quas viderat obsequium, die tricesimo veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, & à se omnem leuitatem puellarem amouit. Cumque parentes eius illam mutatam mirarentur, quid sibi beata Virgo iusserit, & quo die itura esset ad eius obsequium, indicauit. Tunc post viginti quinque dies febre correpta est, & tricesimo die cum hora exitus sui appropinquaret, eandem Dei genitricem cum puellis, quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se vocanti respondit, & aperta voce clamare cœpit. Ecce Domina venio, Ecce Domina venio. In qua voce reddidit spiritum, & ex corpore virgineo, habitatura cum suis virginibus, exijt. Hæc visio Virginis gloriosæ Mariæ, non dumtaxat facta est propter hanc puellam, sed etiam propter alias puellas, vt quæcunque vanitates, leuitatesque iocorum & choreatum voluerit postergare, poterit cum sanctis virginibus in cœlesti gloria habitare. Ad quam &c.

FERIA QVARTA CINERVM.

Sermo primus.

De Epistola.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Ioelis. 2.

C

CONSVETVDO hæc est hactenus Dominis temporalibus obseruata; Cum Vasallus alicuius Domini profugus sit in seruitio eiusdem Domini, vt si dimittat ipsum ab eo in prelio fugiendo, ipse bona sua feudalia perdit, & Dominus ea iustè resumit, vti in libro feudorum quibus modis feudum amittitur, c. 1. & 2. & de feudo sine culpa non amittendis cap. 1. & 2. & ff. de re militari, L. omne §. qui in acie. Si autem Dominus hunc profugum vasallum in bona sua reuocat, & in suam gratiam admittit, hoc non facit ex debito, sed ex pietate magna, & animo benigno. Et hoc verum est si vasallus gratiam petit. Et sic legitur in 2. lib. Regum de rege Dauid, quem persequebatur filius suus Absalon, qua persecutione durante, multi Vasalli ab eo declinauerunt, & post Absalon iuerunt. Interfuit tunc Semel principalis inter illos, qui non solum profugus tempore persecutionis à Domino suo fuit, sed etiam ipsum maledixit, dicens eum *virum sanguinum*, id est effusorem, multi sanguinis innoxij, *& virum Belial*, id est absque iugo disciplinæ & legis diuinæ, vt patet 1. Regum 16. Propter iam dicta, non solum bona sua, sed & vitam meritò perdidisset. Sed occiso Absalone cui adhæserat, dimisso Dauid; cum idem Rex Dauid transiret Iordanem occurrit, & iacens in terra pro-

prostratus, dixit. *Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem meam, neque memineris iniuriarum serui tui. Agnosco enim peccatum meum, & ideo primus veni in occursum regis.* Quod audientes serui Dauid, dixerunt. *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei?* Quasi diceret, Magnum malum esset si viuus euaderet, quia crimen læsæ maiestatis incurrebat. Quibus Dauid. *Cur efficimini mihi hodie in Sathan?* & dimisit sibi iniuriam dicens, *Non morieris:* & super hoc fecit sibi iuramentum, & hoc fuit ex benigno animo, vt patet in historia 2. Reg. 19. 2. Reg. 19.

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur aspectu desiderabilis, quod in eum desiderant Angeli respicere, vt patet. 1. Petr. 1. Sed Absalon interpretatur patris amaricatio, & significat mundum, in quo sunt multæ amaritudines. Iuxta illud Boëtij lib. 2. prosa. 4. Quàm multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est? Sicut igitur Absalon persequebatur Dauid, sic mundani homines persequuntur quotidie Christum, sicut conqueritur illud Psal. 68. *Persecuti sunt me inimici mei iniustè.* Sicut etiā tempore persecutionis Absalonis multi Vasalli ab eo recesserunt: sic multi à Christo, principaliter in hoc tempore carnispriuij, turpiter fugerunt, sicut conspueritur hoc Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, & mundi vanitatibus se immiscuerunt. Et timendum est, quod (heu) multi cum Semei verum Dauid Christum per multa mala opera maledixerunt, propter hoc meritò bona sua, scilicet, vt est naturæ sanitas & gratiæ, vt sunt virtutes, simul & gloriam perdiderunt, insuper & mortem meruerunt, iuxta illud Ezech. 18. Exponitur per Aug. 24. q. 3. c. sic habes: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Sed benignus Dominus, *qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat*, Ezech. 33. Reuocat nos fugitiuos ad se dicens: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, quæ sunt verba præsentis epistolæ proposita vestræ charitati. In qua duo principaliter tanguntur. *Primò* allicit peccatores ad pœnitentiam, ibi; *Conuertimini. Secundò*, promittit pœnitentibus indulgentiam, ibi; *Zelatus est, &c.*

Mundani homines persequuntur Christum.

NOTANDVM tempore veris, vt est circa festum cathedræ Petri, reuocant mares fœminas, sicut hoc patet de auib. quæ etiam magis vociferando cantant, seu vocant fœminas, quæ ab eis tempore hyemis recesserunt. Sic etiam nunc in tempore gratioso pœnitentiæ, reuocat Christus ad se homines, qui tempore præterito in quo *refriguit charitas multorum*, ex quo abundauit iniquitas ab eo declinauerunt, cum dicit in verbis prælibatis, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.*

D

Vbi NOTA in sacra scriptura inueniuntur principaliter quinque conuersiones, quæ summè necessariæ sunt, conuerti volentibus.

Quinque cōuersiones in sacra scriptura.

PRIMA conuersio est, lunæ in sanguinem, de qua dicit Propheta Ioel. c. 3. *Conuertetur luna in sanguinem.* Et hæc conuersio fit duntaxat secundum apparentiam, rectè sicut cum patitur eclipsim luna, fit rubea. sed MORALITER per lunam intellige peccatorem, propter quatuor.

I.

Primo sicut luna est sola eclipsatiua seu obscuratiua, inter nos & solem posita, quando concurrunt simul in eadem linea ecliptica: Sic etiam peccator obscurat in anima lumen rationis; quod patet de Adam, qui adeò claram habuit rationem, & tanta sapientia claruit, quod omnibus rebus nomina imposuit, vt Genes. 2. Sed cum peccauit, rationem in tantum obscurauit, quod *iumentis insipientib. comparatus fuit*, secundum Ps. 48. quia peccatū posuit inter Deum & ipsum, & sustulit lumen gratię.

Cur Luna denotat peccatorem.

1.

Sic etiam fit de alijs peccatoribus de quibus dicit Apostolus ad Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor ipsorum.* Propter quod etiam dicitur Prou. 4. *Via impiorum tenebrosa.* Glossa, tenebris errorum, *& nesciunt vbi corruant.* Gloss. in infernum, quem casum nolunt attendere mundam.

2. *Secundo* quia luna est oculorum vitiatiua, quia secundum Ptolomæum luna efficit hominem in oculis male dispositum, & inordinatum. Efficit enim in homine vnum oculum maiorem altero, aut strabonem, siue orbum in vno oculorum. *Et subdit ibidem.* Homo autem si in eius conceptione lunæ constellatio habuerit dominium, vitio in oculo non carebit. Sic etiam peccatores in oculis mentis prauè sunt dispositi, quia habent vnum oculum magnum ad temporalia, sed alium paruum ad spiritualia. Quia *omnes quærunt quæ sua sunt,* scilicet temporalia, *& non quæ sunt Iesu Christi*, scilicet spiritualia ad Phil. 2.

Hypocritarũ visus indispositus.

Similiter hypocritæ indispositum habent visum: quia *vident festucam in oculo fratris sui, trabem autem in oculo suo non considerant.* Matth. 7. Ideo vnicuique tali dicit Dominus ibidem: *Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tum videbis vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Inuidi indispositio.

Sic etiam inuidus est in oculis suis indispositus, quia de Saule inuido dicitur 1. Reg. 18. *Quia iam non rectis oculis aspiciebat Saul Dauid.* Sed talem aspectum inuidiæ auferunt, iustitia & pax. Nam pax remouet odium, iustitia rectificat aspectum, & facit rectum. Ideo dicitur Psal. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.*

3. *Tertio* luna est temporalium euentuum indicatiua. Sicut dicitur Eccl. 43. *Luna in omnibus in tempore suo est ostensio temporis.* Luna enim vt dicit Beda, si in principio rubet vt aurum, ventos ostendit. Si in summo eius corniculo, & circulo, maculis quibusdam nigrescit, pluuiosum mensem portendit. Cum verò indirectè scintillat, ad imos nauigationis, tempestas erit. Sic etiam quidam sunt peccatores, qui rubent per turpia opera quos sequitur ventus æternę tribulationis. Quidam etiam sunt ventosi per superbiam, quidam pluuiosi, siue aquosi per luxuriam, quidam verò semper videri volunt per vanam gloriam, quidam vero tempestuosi & inquieti fiunt per auaritiam, vt dicit Anselm. lib. 1. c. 63.

4. *Quarto* quia luna est sui mutatiua, nec vnquam in eodem statu permanet, & non est solum permutabilis in se, sed etiam in effectu. Nam vt dicit Ptolomæus in libro de iudicijs astrorum, Luna efficit hominem instabilem, & mutabilem de loco ad locum discurrendo. Sic etiam peccator est mutabilis. Iuxta illud Eccles. 27. *Stultus vt luna mutatur.* Apparet enim luna interdum parua & corniculata, quandoq; per medium secta, quandoque tota. Sic peccatum paruum est, cum concipitur in cogitatione, medium cum in statu sensus statuitur; integrum cum opere perficitur, sed totaliter plenum cum in consuetudinem dicitur. Hæc Anselmus vbi suprà. Sed hæc luna, videlicet peccator, tunc in satisfactionem mutatur, quando Zelo odij & indignationis conuertitur per displicentiam contra peccata, sicut Dauid qui dicit Psalm. 118. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* O si homo perpenderet, quanta mala sibi peccatum induceret, magnam displicentiam contra illud conciperet, iuxta illud verbum *conuertimini ad me* scilicet per peccati displicentiam *in toto corde vestro,* quia peccatum vilificat hominem, & deponit eum à sua dignitate.

Peccator lunæ comparatur.

Sic

Sic enim in iure fit, quod superior dignitate punitur ab inferiore, ratione delicti, scilicet quando facit contra sententiam Canonis ab eo editi, & scienter incidit in factum damnatum. Et sic Ambrosius ratione criminis, in sua parochia commissi, damnauit Imperatorem quod aliàs non fecisset. Fecit enim ad hoc, quod talis delinquendo, & ex certa causa sententiam contra Canonem faciendo, vel viuendo se inferiorem fecit. vt 40. dist. Multi, circa finem. Et sic inferioris imperio se submittit, & iam non est superior sed inferior. Sed ista secundum Hostiensem intelligenda sunt de maioribus extraneis, etiam exceptis quibus illi, contra cuius quæstionem, vel Canonem non est, faciunt. Sic etiam homo, qui secundum Philosophum est dignissima creaturarum, committendo peccatum quod est vile, deponit eum à sua dignitate. quod iam non potest dici homo, sed bestia, sicut probat Boetius lib. 4. prosa. 3. Ita fit, vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam conditionem, id est naturam, transire non possit, vertatur in belluam. Ideo dicit Beatus Augustinus in persona Domini: O homo si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places & mihi displices. Sed veniunt dies in quibus mihi, & tibi displicebis; mihi quia damnaberis; tibi, quia ardebis. Hæc ille. Ideo debet nunc potius peccator conuerti ad Dominum per displicentiam peccatorum. Et hæc est prima conuersio per quam venit homo ad secundam. I

Homo creaturarum dignissima.

Est enim SECVNDA conuersio lapidis in eis: quia videmus de lapide fieri ferrum, mediante igne, Iuxta illud Iob. 27. *Lapis calore solutus, in æs conuertitur.* Et hæc conuersio MORALITER, tunc fit, quando homo ex displicentia peccati totus diuino calore repletus, vt sonet vox confessionis. Et de hac conuersione dicit similiter Dominus. *Conuertimini ad me* per confessionem *in toto corde vestro:* quasi diceret, conuertimini à malo culpæ ad me, in quo est plena securitas, & perfecta quies *in toto corde vestro,* quia hoc est summè necessarium, quod perfecta sit confessio. Quia debet semel ex toto corde quis peccata confiteri, vt habetur de pœn. distinct. 5. cap. 1. versus finem, & distinct. 3. c. Sunt plures. Et Thomas in 4. distinct. 17. Sicut in medicina corporali oportet quod medicus non solum vnum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod vnus morbus ex adiunctione alterius generatur, & medicina quæ vni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret. Cumque quandoque aliquis contrarijs peccatis infectus sit, ideo de necessitate conforme est, vt omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habuit, alioquin non est confessio, sed confessionis simulatio. Sed si aliquis non habuerit in memoria, & postea recordatur, sufficit quod hoc peccatũ confitens postea dicit explicite, & alia in generali, dicendo quod cum alia multa cõfiteretur, huiusmodi oblitus sit. Et in hoc concordat Petrus. II.

Perfecta cõfessio summè necessaria.

Quare omnia peccata confitenda.

TERTIA conuersio est solis in tenebras. De qua dicit Proph. Ioel. 3. *Sol conuertetur in tenebras,* Glossa secundum apparentiam. Sed hæc conuersio fit MORALITER per verecundiam, quando homo in confessione erubescit de peccatis, & confunditur. Ideo iuxta Psalmum 24. *Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.* De verecundia quæ debet esse in confessione, quære suprà Dominica III. in Aduentu sermone. 2. D. E. Item Dominica I. post octauam Epiphaniæ, serm. 3. L. R. Vbi habes exemplum quod quædam mulier peccatum enorme tacuit, & damnata fuit. Ideo III.

Confessio non diuidenda. dicit Dominus, *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, vt videlicet per verecundiam non diuidatis vel dimittatis peccata.

IV. QVARTA conuersio est petræ in stagna aquarum Et hæc fit in homine per dolorem, & peccati compunctionem. De qua intelligitur illud Psalm. 113. *Qui conuertit petram in stagna aquarum*. Per petram intellige cor durum quod tunc conuertitur in stagna aquarum, quando resoluitur in abundantiam lacrymarum, quæ prouenit ex dolore peccati, sicut de se dicit Dauid Psalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*. De lacrymis habes suprà infrà octauam Epiphaniæ sermo. 2. L. S. Et in eadem habes exemplum, de quodam iuuene, qui præ lacrymis non potuit confiteri. L. Q. Ideo consulit Dominus, *Conuertimini ad me* in dolore peccati *in toto corde vestro*. Vbi NOTA. Cor humanum habet quator passiones, seu affectiones, quæ sunt dolor & gaudium, timor & spes. Ille igitur toto corde ad Deum conuertitur, qui de nullo dolet principaliter, nisi quod Deum offendit: de nullo gaudet, nisi quod Deum ad se conuertit, nihil timet, nisi Dei iustitiam; nihil sperat, nisi Dei gratiam & gloriam: & dicat cum Psalm. 118. *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me.* Cor habet quatuor passiones.

Sed quia compunctionem cordis iuuat ieiunium, & fletus, subdit: *In ieiunio, & fletu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* quasi diceret, conuertimini in ieiunio, ad carnis mortificationem; In fletu, ad mentis purificationem, & scindite corda vestra, ad ipsius animæ acceptam Deo oblationem. Scinditur enim cor doloris gladio, & virus peccati exeat. Quia dicit Gregorius. Duriora sunt corda hominum saxis, quæ scindi per pœnitentiam nolunt. Per hanc igitur conuersionem peruenitur ad quintam.

V. Est autem QVINTA conuersio maris in aridam. Iuxta illud Psalm. 65. *Qui conuertit mare* in aridam, quod fit per satisfactionem, in qua amaritudo peccato pœnalitatis conuertitur, sicut legitur de se dixisse Iob. 7. *Cutis mea aruit & contracta est*: & hoc fit per ieiunium & planctum, quia *spiritus tristis exsiccat ossa*, Prou. 17. Vt autem securè ad Dominum conuertamur promittit nobis propheta misericordiam Dei dicens: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum quia benignus est*, scilicet misericordiam inspirando, & misericors offensam remittendo, & in gratiam recipiendo: patiens, supple sententiam differendo, emendam exspectando, & multi mali veniam donando, *& prestabilis super malitia* scilicet pœnam debitam relaxando, & vitam æternam largiendo.

DE EADEM FERIA.

Sermo Secundus, in Euangelium.

Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Ita scribitur. Matth. 6.

F DIcunt experti arborum plantatores. Si poma alicuius arboris putrescat, & efficiantur rugosa, tunc necesse est quod cortex eius, vbi sanus est, cum cultello acuto aperiatur & cum inde modicus humor effluxerit, tunc est stercore sanandum & vulnus diligenter cum argilla obstruendum & ita sana producentur poma.

MORA-

MORALITER. Per arborem intellige hominem: quia dicit Innoc. de vilit hum. condi. parte 1. cap. 8. Quid est homo nisi quædam arbor euersa cuius radices sunt crines, truncus est caput cum collo, sed stipes, pectus cum aluo. Rami sunt brachia cum tibijs, frondes sunt digiti cum articulis. Sed per poma illius arboris intellige fructum arboris, id est operis. Hæc poma tunc efficiuntur putrida, quando homo mala intentione facit opera sua bona, quia dicit Anselmus lib. 9. cap. 34. Quæ sunt poma putrida vel rugosa, nisi hypocritarum corrupta & maculosa opera, quæ figurantur Ezech. 8. vbi Dominus dixit Prophetæ. *Fili hominis, fode parietem: Et cum fodissem parietem, apparuit vnum ostium: Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuagintã viri de senioribus domus Israel.*

MORALITER. Per parietem quo intus fuit, hypocrita occultãs prauam intentionẽ in corde designatur. hic paries tũc foditur, quando alicui contumelia imponitur, siue ei iniuria irrogatur, & tunc statim ostium nequitiæ aperitur, & malignitas in corde statim ore panditur per iram & impatientiam. Ideo dicit Gregorius in moral. Hypocrisis est virtutum simulatio, clausum vitium abscondere, & arte palliare. Non enim potest cognosci qualis intus lateat, quia *homo solum videt quæ apparent, Deus autem intuetur cor.* Sed si martello alicuius contumeliæ feriatur, planè statim apparebit, quid intrinsecus lateat. Hæc Gregorius. Tunc videbitur similitudo reptilium, per quam intelligitur superbia, & inuidia; & brutorum animalium abominatio, per quæ intellige libidinem, siue crapulam. Videbunt enim etiam ibidum vniuersa idola Israel, per quæ intelligitur cupiditas & auaritia, quæ sunt idola diuitum malorum. Et inter ista apparent septuaginta viri ex Israel, quia decem præcepta & sex opera misericordiæ, solum ibi secundum quandam similitudinem, & non verè sunt depicta. Et sic patet quod poma scilicet operum etiam bonorum, quæ faciunt hypocritæ, sunt putrida. Vt autem sanentur, & in melius mutentur; necesse est, vt in gladio aut cultello diuinæ sententiæ, exteriorem corticem, qui sanus videbatur, id est fictam apparentiam, qua bonus credebatur, percutiat & apperiat; quia tunc modicus humor videlicet apparentis deuotionis abscedit, tuncq; stercoribus circundatur, cum ab omnibus circũquaq; vilipenditur. Sed tamen si argilla, id est humili pœnitentia, vulnus cordis obstruatur, protinus sanatur, itaq; faciet opera sana, qui prius faciebat putrida & corrupta. Idcirco Dominus attendens putrida opera hypocritarum, cultello diuinæ suæ sententiæ percutit, cum dicit in præsenti Euangelio: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam:* quasi diceret, hic & non in cœlis, quod verbum est velut asper cultellus quo præscindit hypocritas à regno cœlorum. Et non solum per cultellum sententiæ iam dictæ eos aperit & præscindit, sed etiam stercus vilipensionis circumponit, cum dicit: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas vt hominibus appareant ieiunantes:* Deinde argilla pœnitentiæ obstruit, cum dicit; *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.* &c. de quibus dicit præsens Euangelium. In quibus tria facit, inhibet hypocrisim ieiunantibus, ibi; *Cum ieiunatis.* Iubet subuenire egentibus, ibi; *Vnge caput tuum.* Aufert actionem gloriantibus, ibi; *Nolite.*

Quid hypocrisis.

Auaritia idolum diuitũ.

Hypocritæ opera, poma putrida.

PRIMO igitur inhibet hypocrisim ieiunantibus cum dicit: *Cum ieiunantis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Circa quod NOTANDVM. Sancta mater Ecclesia hodie

Causæ Quadragesimæ.

I. Expellit antiquum hostem.
hodie meritò incipit ieiunium, propter multa: PRIMO ad senem hostem expellendum: sicut enim fames expellit lupum de nemore, ita ieiunium deuotum expellit diabolum ab homine. Sed ex quo tempore iam elapso, scilicet tempore carnisprivij, diabolus dominatus est, quasi in omnibus hominibus hos stimulans ad luxuriã, illos ducens ad vanitates & choream, alios impellens ad gulam, reliquosque instigans ad quærendum mundi gloriam, scilicet in hastiludijs. Ideo congruè hodie Ecclesia ieiunium incipit, vt hostem hunc sæuum à filijs suis expellere possit. Idcirco legitur Iudith. 13. quod sancta hæc mulier ieiunauit, & per ieiunium caput Holofernis amputauit. Iudith quæ interpretatur glorificans, significat Ecclesiam, quæ glorificat nomen Domini in æternum. Sed Holofernes interpretatur infirmans vitulum saginatum, & significat diabolum qui benè dicitur infirmans vitulum saginatum, quia multos homines, qui tanquam petulantes vituli sunt, per varia cibaria in carnispriuio saginati, infirmos in anima fecit, vt quilibet taliter infirmatus possit dicere cum Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.* Quia etiam ad literam multi adeò hastiluserunt, aliqui tam ardenter chorizauerunt, ceterique in plateis non solum de die concurrerũt, sed etiam in nocte, vt benè dicere possunt. *Conturbata sunt omnia ossa mea.* Quia ex tali frequenti cursu, pedes lassantur, & ossa conturbantur, sicut refert Guiliel. in apiario cap. 76.

Iudith ieiunio Holofernum obtruncas.

G Pœna immodicè choreæ
Quædam puella in Daganis annorum quatuordecim, præ amore chorizandi non valens comedere; quadam die post prandium vsque ad vesperam Chorizauit, & lassa in domum veniens, obdormiuit super scamno. Ecce quod cursus chorearum inducunt lassitudinem, & ossium conturbationem. Cum igitur dormiret, somniauit sibi quod equites magni veniebant, & raptam portabant in vallem obscuram, & assabant eam in igne, & titionem ardentem fodiebant per os eos eius & cor eius. Quæ euigilans inuenit se totam exustam, & cum magno dolore cadebant frusta de carne eius. Homines enim non valentes ferre fœtorem eius, iuxta locum priuatum, eam detulerunt. O quot heri non solum ad vesperam, sed ad noctẽ fortassis mediam chorizauerunt, ne igitur raperentur ab equitibus infernalibus, & portarentur in vallem obscuram gehennæ, ibique igne æterno assarentur, sancta Ecclesia ad instar Iudith deuotè ieiunium statuit, & in filijs suis ieiunauit & potestatem Holofernis scilicet diaboli amputauit, & occidit, quia dicit Ambrosius in hexameron, quod homo ieiunus sputo suo serpentem corporalem interficit, quanto ergo magis ieiunium deuotum spiritualem! Ideo dicit Dominus Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Et B. Hieronymus: Sagittas diaboli ardentes ieiuniorum & vigiliarum, frigore restingere debemus.

II. Prauam viuendi licentiam restringit.
SECVNDO, ad prauum morem deponendum; Mos enim prauus, siue consuetudo mala, in tantum apud Christianos inoleuit, quod nec à tali consuetudine auerti possunt, vt dicit Greg. dist. 4. c. Denique §. de ipsa die: Et de tali mala consuetudine etiam mirantur Iudæi, & gentiles, qui dicunt tres dies in anno esse, in quibus Christiani vt fatui efficiuntur. Vt igitur talis mos deponatur, vel saltem minuantur, statim post hos tres dies Ecclesia ieiuniũ inchoauit. Quia legitur quando serpens senio se grauatum sentit, vt pellem veterem deponat, à cibo abstinet pluribus diebus, vt possit eius pellis facilius relaxari, de quo latius suprà Dominica in Aduentu fer. 2. A,

Z. Quid

Z. Quid autem vetustæ serpentis pellis est, nisi praua consuetudo carnalis corruptionis, quæ nunc est in concedendo & comedendo & bibendo superfluum, quam si quis deponere voluerit, oportet quod prius abstineat à cibis & delicijs. Quia dicit Leo Papa sermone decimi mensis, quod per voluntarias afflictiones abstinentiæ, caro concupiscentijs moritur, & spiritus virtutibus renouatur. Pellis serpẽtis, quid?

TERTIO ideo nunc ieiunamus ad delectationes gulæ vincendas, multi enim in carnispriuio gulosè vixerunt, & nimium se repleuerunt: vt hoc autem in seipsis vindicent ieiunium hodie inchoant. Quia dicit Aristoteles libro animalium, Leo cũ nimis se ingurgitasse sentit, per plures dies non manducat & abstinet à cibis: Sic etiam voluptas, & superfluitas expianda est, iam in cibi abstractione & afflictione ieiunij. Nam pleriq; per gulam ad peccatũ venerunt, qui iam per ieiunium ad veniam reduci debent. Iuxta illud Gregorij. Caro læta ducit ad culpam, afflicta ducit ad veniam. III. Crapulam inhibet.

Est NOTANDVM quod afflictio carnis, si est discreta & rationalis, ducit ad veniam; Si autem est indiscreta, ducit ad culpã. Quod probatur. Refert Philosophus, est quædam species taxi, hæc solicite cibos contra hyemen vna cum fœmina colligit, & reponit, & veniente algore hyemis timens masculus, ne cibi collecti nimis cito deficiant, fœminam ab esu reprimit, & ipsam comedere ad saturitatem non permittit; quæ pacem simulans, & quasi taxo masculo cedens, cauernam latenter exit, & per partem oppositam latibulum intrans ignorante masculo fauces apperit, & die aggregatos cibos deuorat & consumit. H Simile à taxo & eius fœmina.

Hoc sic exponit MORALITER Anselmus lib. 3. similit. c. 4. Sunt quasi taxus & fœmina, spiritus & caro humana, & si spiritus plus quam necesse est carni subtrahit, quamuis caro ad tempus sustineat, tamen per partem alteram scilicet infirmitatem, vel debilitatem virtutis, quam timet, plus improuidè spiritui detrahit, & sibi assumit quàm sibi spiritus ante subtraxerat, id est indiscretè abstinuerat. Vnde igitur credit lucrari, perdit. Ideo dicit Gregorius in homilia, & 30. moralium. Plerumque dum iusto plus caro restringitur, exterminatione boni operis eneruatur, & ad orationem vel prædicationem non sufficit, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinant.

QVARTO ad luxum corporis restringendum, quia ieiunium discretum liberat hominem à putredine luxuriæ & libidinis. Est enim homo ieiunus similis pauoni, cuius caro secundum Isidorum lib. 12. tam dura est, vt vix putredinem sentiat, neque facilè coqui valeat. Hanc MORALITER duriciem carnis, discreta abstinentia facit, vt nec luxuriæ putrescat fœtore, nec libidinis vratur ardore; quia dicit Chrys. super Matth. Diabolus victus in gula, non tentat in libidine. Sed quia hoc tempus vernale correspondens complexioni sanguineæ, est calidum & humidum, & libidinis administratiuum, ideo ad luxum fugiendum nunc ieiunamus, & esum carnium cum suis adhærentijs postergamus, vt scribit beatus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo, qualiter hoc sacro tempore debemus ieiunare, abstinendo à carnibus, & omnibus eis prouenientibus, scilicet ouis & cunctis lacticinijs, vt habetur dist. 4. Denique. *Et subdit*. Ceterum piscium esus ita Christiano populo relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solacium non luxuriæ pariat incendium. IV. Lasciuiam eneruat. Simile, à pauone.

Sed dices. Quare pisces ita non sunt prohibiti, sicut caro? *Respondetur*, carnes calidæ sunt, & ideo incitatiuæ libidinis. Pisces vero frigidi pro maiori parte & ideo Quare pisces in quaminus

dragesima nō prohibiti minus prouocant ad libidinem. Alij dicunt quod animalia nutriuntur, & ex terra debent viuere, & nutriri: pisces verò ex aqua viuunt, sed terra & non aqua fuit maledicta, eò quod produxit fructum, quem homo gustando peccauit, & sic carnes prohibentur certis temporibus, quæ sunt ex terra maledicta, & non pisces.

Cur oua & lacticinia prohibita. Sed quare oua prohibentur? *Respondeo*, quod ouum non est aliud, nisi caro liquida; sed lac ideo prohibetur quia est sanguis colore mutatus; caseus autem ideo, quia est lac coagulatum.

Ad ieiuniū tria necessaria. Circa quod vlterius NOTANDVM. Tria sunt necessaria ieiunanti. *Primum*, est eleemosyna, quam tangit Euangelium: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.* Vno

1. modo intelligit Christum, qui tunc vngitur cum pauperibus eleemosyna tribuitur.

Eleemosyna Et dicit NOTANTER. *Cum ieiunas, vnge* &c. Quia multum valet ieiunantibus eleemosyna, iuxta illud Originis in homilia: Bonum est ieiunare fratres, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis vtrumq; potest, duo bona sunt, si vero non potest, melius est eleemosynam dare. Et si possibilitas non fuerit ieiunandi, sufficit sibi sola eleemosyna. Ieiunium verò sine eleemosyna non sufficit, dum vtrumq; potest. Ergo si aliquis non potest ieiunare, eleemosyna sine ieiunio bona est, si verò prævalet ieiunium, cum eleemosyna duplex bonum est, nisi ita fortè sit vt aliquis pauper non habeat quod tribuat, quia illi sufficit bona voluntas, sicut scriptum est Lucæ 4. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* *Secundum* est deuotio,

2. Deuotio. quod tangit iterum, cum dicitur. *Vnge caput tuum.* id est Christum, scilicet oleo deuotionis; Oleum enim significat deuotionem, vt habes suprà Dominica I. in Aduentu sermo 4. C. D. *Tertium* est mundicia, quæ tangitur ibi; *Et faciem tuam laua:* vbi per

3. Mundiria. faciem intelligit conscientiam quæ lauanda est confessione. Quid prodest quod caro ieiunat à cibis, cum mens non ieiunat à peccatis? Certè, nihil. Ideo dicit Augustinus contra Faustum. Non sufficit te ieiunasse à cibo, scilicet, nisi ieiunes à delicto, ideo purga conscientiam tuam per confessionem à peccatis.

Tria ieiunij fructū tollūt Vlterius NOTANDVM. Sicut tria sunt, quæ necessaria homini sunt, sic etiam tria sunt quæ nocent eidem. PRIMVM est hypocrisis, vt cum quis ieiunat propter lau-

1. dem, lucrum vel fauorem, de quibus dicit Euangelium: *Cum ieiunatis, nolite fieri.*

Hypocrisis. &c. *Exterminant enim facies suas.* &c. de illis etiam dicit Gregorius 18. moralium. Hypocritæ in abstinentia se affligunt, corpus atterunt, scilicet solum, vt hominibus placeant, hoc faciunt tales quod corpus afficiunt per abstinentiam, sed tamen per amorem vanæ gloriæ mundo viuunt, & ideo mercedem amittunt. Quod etiam sonant verba Domini. *Amen dico vobis quod receperunt mercedem suam.* Et ista hypocrisis significatur hic per eruginem siue erucam, cum dicit. *Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra, vbi erugo demolitur,* & hoc propter quatuor.

Erugo damna infert. PRIMO. Quia erugo est vermis noxius, quia crescit in folijs olerum, papa-

K uerinorum fructus & flores corrodit, ideò secundum Isidorum ab erodendo est

I. dictus. Sic hypocrisis omnem fructum spiritualem & bonum hominis de-

Est nociuus vermis. struit, scilicet florem bonæ affectionis, frondes locutionis, & fructus operationis; quia in omnibus intendit hypocrita solum humanum fauorem & gloriam, sicut probat Gregorius 8. moralium, super illo verbo Matth. 28. *Et angariauerunt quemdam Simonem.* &c. dicit: Simon crucem portans nequaquam in cruce moritur

tur, quia talis hypocrita corpus quidam per abstinentiam affligit, sed tamen per amorem gloriæ mundo viuit.

SECVNDO quia est valde ingeniosus viuere, ad se conseruandum contra temporis asperitatem: Sicut enim dicit Vincentius in speculo naturali, quod quidam vermiculus arborum extremitatibus corrosis, ventreq; consumpto, texit de suis visceribus quasdam telas, in quibus se inuoluit, & per totam hyemen custodit pestiferum semẽ suum, erigitq; quædam oua, ex quibus in vere erumpentibus gemmis, vulgariter die augen oder knöpff/ nascuntur multæ proles, ex cuius ingluuie læduntur, & pereunt à suis fructibus arbores atque herbæ. Ita etiam hypocrita facit telas, per quas intelligitur temporis breuitas, quia dicit Gregorius 8. moralium. Permanere spes hypocritæ non valet, quia ex æternitate non quærens, fugit quod tenet. In hac quidem breuitate quasi in tela custodit pestiferum semen, id est malignum effectum, & erigit quædam oua, id est facit quædam secreta opera, ex quibus aliquando multa oriuntur mala, vt dicit Anselmus libro quinto cap. 72. II. Est ingeniosus. Telæ Hypocritæ, temporis breuitas.

TERTIO, quia est vermis miraculosus; est enim mollis & saniosus, diuersis coloribus distinctus, de nocte velut stella lucens, in die deformis apparens, sic hypocrita est mollis, quantum ad delicias huius mundi, quia vult delitiosè viuere; Vel, est mollis quando consentit tentationibus, & etiam saniosus quoad putredinem peccatorum. Et est diuersis coloribus, scilicet vitiorum distinctus; Vel etiam per diuersos colores, intellige diuersas ostentationes, quia multis ostentationibus seu modis vult apparere bonus; quia dicit Gregorius 18. moral. Studium hypocritarum esse solet, vt quod sint, supprimant, & hoc quod non sint, hominibus innotescant; quatenus per æstimationem mensuram transeant, & præire se ceteros actionis nomine ostendant. Ideo dicitur quod erugo lucet de nocte, per quam intellige obscuritatem præsentis vitæ. Lucet inquam vt stella per charitatem famæ, vel exterioris apparentiæ, sed adueniente die mortis, tunc deformitas eius apparebit, III. Miraculosus. Hypocritarũ studium.

QVARTO, quia eruca est quasi monstruosus vermis, nam ad modum bombicis sericum facientis, formam suam mutat, & se in formam volatilis transfigurat. Nam alas latas & tenues suscipit, quibus volitando in aëre liberè se extollit, & quot colores in corpore habuit, tot in alis ostendit, & tale volatile papilio vocatur Tunc enim secundũ Anselmũ erugo accipit formam volatilis vel papilionis, quãdo hypocrita ascendit ad gradũ Prælationis, sed tunc ad modum bombicis sericum facientis, aliam formam assumit, quando ad instar boni viri multa bona facturus prætendit. Tunc alas latas & tenues assumit seu suscipit quibus in aëra se extollit, quia quædam operatur quæ apparenter videntur mira, sed existenter valdè sunt debilia; intrat aquas, id est diuitias diuitum, & assumit quibus latenter se lauat, & in regione magnificat, & sic ex erucis papiliones fiunt. De hoc etiam dicit Gregorius 18. moral. Hypocritarum opera sæpè ante tempus deficiunt, quia plerumque tales speciem virtutis assumunt. Et propter hoc quæsiti ad honorum culmen promouentur, sed cum sibi à cũctis reuerentiam exhiberi conspexerint statim se in lasciuiam voluptatis effundunt, & bona quæ prius in corde non veraciter tenerunt, cito ad huiusmodi oblectamenta dimittunt. IV. Monstruosus. Ex erugine fit papilio.

SECVNDVM quod nocet ieiunio, est vana gloria, quæ signatur per tineam, propter tria. *Primò* quia tinea primo de bono panno nascitur, dum scilicet L. II.

Vana gloria nocet ieiunio. vestis in aëre grosso inexcussa tenetur, vel vento non perfunditur. Ideo dixit Sapiens. *De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas.* &c. Eccl. 42. Sic de bono opere nascitur tinea vanæ gloriæ, & hoc fit, dum mens in ore grosso manet, & dum se non subtiliter discutit, vel corrigit. Nam etiam vento perfunditur æternæ aspirationis.

2. *Secundò* quia tinea insensibiliter progreditur. Nam quasi insensibiliter ipsam superficiem consumit, cum animal sensibile sit in ipsa substantia, se abscondit vt videri non possit. Sic etiam inanis gloria est vitium tam subtile & occultum, vt prius mentem teneat hominis, & meritò destruat, antequam homo inconsideratus aduertat. Et ideo vix ab eo aliquis est immunis, iuxta illud quod ponit Valerius Maximus in Policrate: Nulla est prorsus tanta humilitas, quæ aliqua dulcedine vanæ gloriæ non tangatur. Ideo ait Iob. 18. *Ædificauit sicut tinea domum suam.* Et Persius satyra 2. inquit.

——An erit qui velle Cecuset.
Os populi meruisse, & Cedro digna loquutus.

Tertiò, quia tinea ab amaris & odoriferis fugatur. Vnde si folia lauri, vel cedri,
3. vel cypressi, aut huiusmodi ponantur cum vestibus, & etiam cum libris, non possunt à tinea lædi, vt dicit Constant. Sic similiter inanem gloriam excludit, vel amaritudo tribulationis, vel odor gratiæ cœlestis. Ideo dicit hic Apostolus: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Quasi diceret, facite opera vestra bona propter cœlestem gloriã, vbi nec erugo hypocrysis, nec tinea inanis gloriæ demolitur; quia odor, id est, intentio cœlestis gloriæ excludit gloriam vanæ gloriæ, vt dicit Anselmus lib. 5. c. 118.

III. Nocent ieiunio, dæmones, fures. TERTIVM quod nocet nostro ieiunio aut etiam alijs bonis operibus, sunt dæmones, qui hic designantur per fures, cum dicit. *Vbi fures effodiunt & furantur.* Sicut enim fures occultè spoliant hominem bonis temporalibus, sic dœmones semper sunt intenti, vt spolient nos bonis spiritualibus. Sicut testatur Petrus Rauennas super Matth. Diabolus semper primordia bona sibi pulsat, captat rudimenta virtutum, scientiam in ipso ortu festinat exstinguere, sed opera in ea fundata exstinguere non potest. Ideo consulit Chrysostomus super Ioannem. Occultanda sunt opera nostra, ne diabolus illa cognoscat, si volumus illa obseruare; Sic & Dominus consulit in præsenti Euangelio, vt bona opera faciamus, ob spem cœlestis gloriæ, vbi tales fures non effodiunt ea, nec furantur. Ad quam gloriam nos perducat, &c.

FERIA SEXTA POST CINERVM.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Isa. 58.

M
Altè clamãdum.
I.
Longe remotis.

TRiplicibus hominibus est necesse vt fortiter clamemus, si debeant nos audire vel reuocare, scilicet elõgatis, incarceratis, atq; surdis. Qui enim sunt à nobis nimium remoti, vel in carcere profundo positi, aut etiam corporaliter surdi, nõ de facili percipiunt voces ad se clamãtium, ideo oportet quod vox sit sonorosa aut clamorosa. Ideo legitur. 1. Reg. 26. Cũ Abisai iussu Dei tulisset hastã, quæ erat ad caput Saul inimici sui, in tẽtorio dormientis, *abiit Dauid adhuc Saul dormiente. Cumq; transisset ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset*

esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad Abner. vt habes suprà Dominica IV. post Epiphaniam sermon. 2. P. L. Ecce quod elongatis necesse est vt clamemus.

MORALITER peccatores sunt in triplici differentia, aliqui sunt à Deo multum elongati, & sic significantur per filium prodigum, Lucæ 15. *Qui sumens à patre bona sua, abijt in regionem longinquam, & dissipauit ibidem substantiam suam, viuendo luxuriose.* Quid est substantia quam accipiunt peccatores à patre cœlesti, certe sunt virtutes & naturæ integritas quæ consumunt & dissipant, cum terrenis cupiditatibus quæ comparantur meretricibus, eo quod ad nefandas prouocant voluptates. Ideo dicit Dauid Psal. 118. *Longè a peccatoribus salus.* & Prou. 15. *Longè est Dominus ab impiis.* Et non intellige quod Dominus se elonget, qui secundum Psalmum *propè est* sed quia peccatores se ab eo elongauerunt. Peccatorum triplex differentia.

Quidam autem sunt incarcerati, quia peccatum hominem ligat & in carcere claudit. Sicut figuratum est Genes. 40. de pistorum principe, quem Pharao cepit, & misit in carcerem, vbi vidit somnium quod narrauit Ioseph dicens: *Vidi, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum; & in vno canistro quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesq; comedere ex eo. Cui Ioseph. Hæc est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhuc dies sunt. post quos auferet Pharao caput tuum ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Pharao gerit figuram diaboli, qui mittit peccatores in carcerem, qui significatur per pistorem. Tria canistra secundum Anselmum lib. 7. cap. 23. sunt tria peccata, scilicet cordis, oris, & operis, quæ tunc supra caput ponuntur quando menti dominantur. Vel, tria canistra sunt tria vitia, auaritia, luxuria, & superbia in quo omnia cibaria sunt, id est omnia peccata, in quibus mala pascuntur: quia dicit Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia qui tenuerit eam, replebitur maledictis.* Aues autem quæ pascuntur de hoc canistro, dæmones sunt, quorum proprium vitium est superbia. Tres autem dies sunt tempus Natiuitatis, tempus vitæ, & tempus mortis peccatoris. Post quos educitur è carcere mundi vel corporis. Vnde tunc aufertur caput, id est rationalis mens, secundum quam anima à corpore separatur, quæ in homine principare debuit, & suspenditur misera anima in tormento gehennæ, vbi volucres lacerant eius carnes, id est, dæmones delectantur in pœnis, quas sustinet pro peccatis, quæ gessit in carne. Hæc Anselmus. *II.* In carcerem compactis. Tria canistra quid significent.

Quidam verò peccatores sunt surdi, in quorum figura dicit Dauid in Psalm. 36. *Ego autem tamquam surdus non audiebam.* Idcirco talibus à Deo elongatis auribus animæ surdis, necesse est vt prædicator altè clamet, si eos reuocare debeat: propter quod Dominus dicit cuilibet prędicatori in verbis præmissis vestræ charitati: *Clama, ne cesses.* Quæ sunt verba epistolæ hodiernæ, in qua tria describuntur, scilicet salutare ieiunium, ibi; *Clama*; Finale stipendium, ibi; *Tunc erumpent.* Fontale stipendij principium, ibi; *Quia misericors.* *III.* Surdis

Circa quod NOTANDVM. Nobiles dominæ quando volunt aliquem visitare Dominum, non solent incedere solitariè sed aliquas pedissequas secum habere. solent, sicut nobilis Esther, secum habuit duas ancillas quando ad regem Assuerum accedere voluit, super vnam innitebatur, alia autem ferebat in terra defluentia vestimenta. Esther, 15. Sic ad præsens, hæc nobilis virtus ieiunij, habet secum duas

Eleemosyna & oratio ieiunio iungenda.

alias virtutes velut ancillas, sine quibus ieiunium non securè incedit. *Prima* est eleemosyna: *secunda* oratio. Quia dicit Tobias 12. cap. *Bona est oratio, cum ieiunio, & eleemosyna.*

Sed quia sancta mater Ecclesia in die Cinerum hortata est ad ieiunium, cum dixit *Cum*, id est quia, *ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ &c.* Et heri monuit ad orationem exemplo regis Ezechiæ, qui sic orauit: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*, per quam orationem obtinuit additionem quindecim annorũ, videlicet Isa. 38. hodie autem monet ad eleemosynarum largitionem.

N

Eleemosyna duplex spiritualis duplex.

Vbi NOTA. Eleemosyna est duplex, vt dicitur distinct. 45. cap. tria. *Vna* est *spiritualis*, & est duplex. PRIMA est, delinquentes corrigere, & errantes inducere in viam veritatis. De illa dicit Augustinus in Enchirid. & habetur distinctione vbi suprà c. Et non solum. Qui dimittit vel orat vt dimittatur, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria plectit pœna, eleemosynam facit quia misericordiam præstat.

I. Corrigere errantes.

Ad hanc eleemosynam faciendam, hortatur Dominus hic per prophetam quemlibet Prælatum & prædicatorem: *Clama* inquit Glossa ignorantes docendo, & castigando delinquentes: *Ne cesses*, hoc intellige temporibus congrui, & horis opportunis. Ecce de hoc dicit Sapiens Cato.

Correctio est eleemosyna spiritualis & quando facienda.

Cumq́; mones aliquem nec se velit ille moneri.
Cum tibi sit charus, noli desistere cœptis. Et idem dicit sanctus Thomas 2. 2. quæstione 33. Correctio pertinens ad Prælatos, non est dimittenda propter turbationem eius qui corrigitur. Tum quia etsi non spontè propria emendare se velit, corrigendus est per pænas, vt desistat; tum etiam, etsi incorrigibilis sit, per hoc etiam prouidetur bono communi, dum seruatur ordo iustitiæ & vnius exemplo alij deterrentur. Hæc ille.

Et dicit NOTANTER Glossa, quod temporibus congruis & opportunis est correctio delinquentium facienda, quia prudens Prælatus aut prædicator, debet videre de congruo modo arguendi: sicut. 1. Regum 25. prudens Abigail noluit corrigere Nabal virum cum esset ebrius, sed exspectauit mane quousque vinum digessisset, tunc ei verba Regis indicauit, eumque increpauit.

Correctio duplex.

Vlterius NOTA correctio est duplex, vt dicit S. Thomas 2. 2. q. 36. *Vna* est actus caritatis, & est per simplicem admonitionem: & hæc pertinet ad quemlibet caritatem habentem, siue sit subditus, siue non. Est *alia correctio*, quæ est actus iustitiæ, quæ non solum fit per admonitionem, sed etiam interdum fit per punitionem, vt alij timentes à peccato desistant, & hæc pertinet ad solos Prælatos. Modo ad præsens ex dictis sancti Thomæ potest elici, quod correctio quæ fit per simplicem admonitionem, potest fieri manifestè, vel occultè, quia peccata publica secundum Apostolum 1. ad Tim. 5. arguenda sunt publicè. Ideo dicit hic Dominus: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, scilicet manifestè *& annuntia populo meo scelera eorum.*

Modus corripiendi.

Ex quo patet quod prædicatores possunt manifestè corrigere populum Christianum de amore, quia dicit Prosper. Illi, cui verbi Dei dispensatio commissa est, etiam si sanctè viuit, & tamen pertinaciter viuentes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit non perire, qui puniendus est alieno peccato, sed peccata occulta debent occultè corrigi, quia in his locum habet

habet quod dicit Dominus Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corrige eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuũ.* Sicut patuit suprà Dominica IV. post Epiphaniam serm. 2. P. P. de quodam puero nobili, quem Prior correxit, & lucratus est ipsum.

Legitur de alio iuuene qui religionem ingressus, ceteros peccatis suis scandalizauit, qui charitatiuè correptus ab Abbate, tantũ profecit quod charitatiuis obsequijs quotidie famulabatur fratribus, ita vt etiam puluerem pedum eorum deuotè tergeret, & lauaret. Quod autem Prælati debent corrigere subditos, & qualiter debeat esse correctio, dixi suprà Dominica II. in Aduentu serm I. D. P. Q. R. Et subdit rationem quare Prælatus vel prædicator nuntiare debet populo scelera grauia; & peccata minora, dicens: *Me etenim de die quærunt.* Glossa dicit, fictè & non verè, corpore & non corde, gressibus corporis & non passibus dilectionis. Cum conueniunt ad Ecclesiam omni die, *& scire vias meas volunt*, solum speculatiuè & non practicè, *quasi gens quæ iustitiam fecerit*, cum tamen secundum Glossam non fecerit. — Exemplum paternæ correctionis. — Isa. 58.

SECVNDA spiritualis eleemosyna est remittere debita vel offensa. Pro quo NOTA debitum est duplex, spirituale & corporale. *de spirituali* dicit Dominus Matt. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester debita vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* De hoc etiam dicitur 23. q. 4. c. Si is. Ea quæ in nos committuntur, facilè possumus dimittere. Vbi dicit Glossa, Iniuriam nobis factam, id est rancorem tenemur dimittere, quia ad hoc nullus est cogendus. Ad idẽ dicit Chrysostomus super Matt. In iniurijs proprijs esse quempiam patientem laudabile est, intellige quando iniuria illata personæ ad solam personam pertinet, quando autem redundat in iniuriam Dei, & Ecclesiæ, tunc debet quis propriam vlcisci. Sicut fecit Elias qui misit ignem descendere super illos qui venerunt ad capiendũ eum. 4. Reg. 1. Similiter Eliseus maledixit pueris qui eum deridebant dicentes. *Descende calue*, 4. Reg. 2. Et Syluester Papa excommunicauit illos, qui ipsum in exilium miserunt. 13. q. 4. c. Bellisarius. — II. Eleemosyna spiritualis est, remissio offensæ. Debitum duplex. Iniuriã propriam patẽter ferre, laudabile est.

De debito *corporali* dicitur extra de solut. C. Odoardus. Clericus soluere non valens debitum, nec in toto, nec in parte excommunicandus non est; & si est excommunicandus, debet absolui, vel sententia relaxari, ab eo debet recipi idonea cautio, vt si ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita tunc persoluat. Per cautionem intelligit pignora, vel fideiussores, quæ ponere debet si potest. Si autem non potest fieri cautio fideiussoria, debet fieri iuratoria. Sic autem non erat apud Iudæos, vnusquisq; enim debita sua à debitoribus suis repetebat, etiam cum lite & contentione, ideo ieiunium eorum non erat Deo acceptũ, quod patet ex illa quæstione quam ponit Propheta Isaias c. 58. in persona eorum dicens. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti*, id est non approbasti, nec propter ista ieiunia nos exaudisti & postulata non concessisti. *Humiliauimus animas nostras*, id est vitam animalem, *& nescisti*, id est reprobasti; quia dicit Gregorius. Scire Dei adprobare est, nescire verò reprobare est. Quibus respondet Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Quę sit illa voluntas, ostendit dicens: *Omnes debitores vestros repetitis:* quasi diceret Iniurias illatas vobis vindicatis, & petentibus nõ remittitis, quod tamen facere debuissent Talia debita est spiritualis eleemosyna, vt inquit Augustinus: vel etiam repetabant debita *corporalia*, non solum verbis simplicibus absoluere in potentibus, sed etiam cum lite — P — Iudaicum ieiunium.

lite & contentione, quod tangit cum dicit: *Ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* Sicut fecit ille seruus impius Matt. 18. *qui tenens suffocabat seruum suum*, qui non reddebat ei debitum. Quo exemplo notabat Dominus Iudæos.

Debita ab his qui non possunt soluere, nō sunt repetenda.

Et est NOTANDVM, quod debita non sunt repetenda ab his, qui non possunt soluere, ab his etiam qui possunt vtique repetenda sunt, quia dicitur Extra de solut. c. Ad hoc. Sicut filius debita patris sui soluere tenetur, ita Prælatus sui prædecessoris, pro Ecclesiæ necessitate contracta.

Et dicit NOTANTER *filius*, quod verum est si est hæres qui absque detractione legitimè tenetur soluere debita, quantum hæreditas se extendit, vt C. De donatione. L. etiam & L. patris Et dicit quod successor debet soluere debita prædecessoris, quia est quasi heres ipsius, vt probatur 33. q. 4. c. Conuenior. & 12. q. cap. vlt. Attamen solum pro necessitate Ecclesiæ contracta, quia aliàs non tenetur Ecclesia, vt 10. quæstione 2. §. His creditur.

Eleemosyna animæ.

Item NOTA. Eleemosyna spiritualis non solum est in errantium correctione, aut iniuriæ remissione, verum etiam in animæ miseratione. Iuxta illud Eccles. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Ideo dicit hic Dominus. *Nonnè hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe.* Ad literam per colligationes impietatis intelligit falsas chartas, & chirographa, de quibus veneratores dicunt impiè pauperes esse obligatos. Sicut fecit ille tempore Donati Martyris, qui cum chirographo falso, & iniquo, mortuum sepelire non sinebat, sed debita iam soluta repetebat. Sed per fasciculos deprimentes, intelligit tallias & exactiones iniquas, quas Domini imponunt suis subditis, quod tamen facere non deberent, vt extra de censi. c. Cum Apostolus, vbi dicitur. Tallias non debent à subditis suis extorquere Episcopi & superiores, sed non inhibemus necessitate vrgente, quin possint charitatiuam petitionem vel subsidium implorare.

Exactiones quando licitæ.

I. Pro defensione patriæ.

II. In bello iusto.

III. Pro redemptione ex captiuitate.

Sunt tamen aliquæ causæ iustæ tallias extorquendi. PRIMO pro defensione patriæ, & maximè suæ ciuitatis, vel castri. Ad hoc enim omnes tenentur, non solum res imò corpus impartiri, iuxta illud Catonis. *Pugna pro patria.* & 23. quæst. 3. c. Fortitudo. Et extra de immu. Eccles. c. Peruenit. SECVNDO, si Dominus vult ire in exercitum indictum ab Ecclesia, vel principe, contra hereticos, potest à subditis petere auxilium moderatum. TERTIO, si dominus in guerra iusta sit captus, nec potest soluere redemptionem petitam absque damno, potest petere auxilium, dum tamen non fieret ad grauamen subditorum. vt 10. q. 3. c. Vnio Sed per onus intelligit omne grauamen quodcumque sit, quo innocentes opprimuntur. Quia dicit Haymo super Apoc. 11. Oppriment & dæmones eius mentem, qui nunc pauperem oppresserit & egentem. Oppressio enim pauperis est offensio creatoris. De hoc habes exemplum suprà Dominica I. post Epiphaniam serm. 3. M. Z.

NOTA. Colligationes impietatis. quid?

Fasciculi deprimentes.

Sed MORALITER per *colligationes* impietatis intelliguntur peccata, eo quod vnum aduolutum aliud colligatur: quia dicit Gregorius 30. moral. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox pondere suo ad aliud trahit. Sed de hoc habes suprà Dominica I. in aduentu sermo. 1. A Q. in fine. Per *fasciculos* deprimentes, intellige peccandi assuefactiones, quæ sic deprimunt peccatricem animam, quod non potest ascendere sursum, vnde venit. De qua dicit Arist. in libro de pomo & morte:

Væ

Væ animæ peccatrici, quæ non habet posse redeundi ad locum suum. Quia turpia opera & delectationes corporis impediunt ascensum eius sursum, sed per seruos qui dimitti debent liberi, intelliguntur quinque sensus peccatorum qui in actus suos exeunt, secundum appetitum concupiscentiæ, & non secundum rationem; & hi reddendi sunt libertati, vt subsint rationis imperio, quæ semper deprecatur ad optima, vt dicitur 1. Ethi. Per *onus* intelliguntur quæcumque peccata de quibus Psalmus 37. *Sicut onus graue grauata sunt super me.* Quicumque ergo vult ieiunare benè, debet omnia iam dicta postergare, & conscientiam suam ab his per confessionem expurgare. Onus, quid?

TERTIA eleemosyna, est *corporalis,* & hæc est dare egenti quicquid poteris Glossa. dicit super illud c. Tria sunt genera eleemosynarum. *Vna* est magna eleemosyna, quæ dat vltra id, quod habet. Ad hanc eleemosynam hortatur cum dicit, *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq́; induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Hic tangit solum tres eleemosynæ corporalis partes, licet aliàs sint septem. Vnde versus *Cibo, poto, visito, redimo, tego, colligo, condo,* id est sepelio. *Prima* pars quam hic tangit est de esurientium cibatione, cum dicit: *Frange esurienti panem tuum,* vbi tangit quatuor. PRIMVM est in dante liberalitas, quę tangitur ibi; *frange,* quia qui frangit liberaliter tribuit. Sed in ipsa liberalitate modus exhibendus est rerum, & personarum; *Rerum* vt non omnia vni, sed quædam præstentur vt pluribus prodesse possimus. *Personarum,* primò iustis, deinde peccatoribus, de quibus tamen dare prohibemus non in quantum homines sunt, sed peccatores vt dicit Gregor. 86. dist. c. Fratrum nostrum, & §. In ipsa. SECVNDVM est necessitas cum dicit; *Esurienti.* Necesse est enim vt eleemosynam esurientibus tribuamus, quia dicit Hieronymus super Malach. & ponitur. 16. q. 1. c. Reuertimini. Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas, mundum premit, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant eleemosynam, fraudari loquitur. TERTIVM est in dono vtilitatis, quæ tangitur ibi: *Panem* quia panis inter omnes cibos est vtilior & principalior. QVARTVM est in dono proprietas cum dicit; *Tuum,* non alienum. Quia dicit Sapiens Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* Debet enim eleemosyna tribui de benè acquisitis, vt dixi suprà Dominica I. post octauam Epiphaniæ serm. 3. M. A. Tria genera eleemosynarum. I. Est magna. Exhibetur liberalitate. Necessitate. Vtilitate. Proprietate.

SECVNDA pars *corporalis* eleemosynæ est de pauperum hospitatione, de qua vide suprà Dominica. III. in Aduentu, Sermone 2. H. N. Et Dominica I. post Epiphaniam Sermone. 1. M. L. II. Est hospitalis.

TERTIA pars est de nudorum operitione, cum dicit: *Cum videris nudum, operi eũ, & carnem tuam,* id est proximum *ne despexeris.* De hoc quære H. O. III. Nudos cooperit.

Quantum ad SECVNDVM ponit finale ieiunij stipendium promittendo sex fructus ieiunantibus. PRIMVS est luminis directio, cum dicit, *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum.* Vbi per lumen intelligit lumen gratiæ quod diuinitus homini datur, ad fugandum errorum tenebras. De quo Psalm. 111. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* SECVNDVS fructus est, à vitijs curatio, quam tangit ibi; *Et sanitas tua citius orietur.* Quia per ieiunium tam sanitas corporalis quàm etiam spiritualis acquiritur. Ideo dicit beatus Augustinus, quod ieiunium purgat animam, mentem subleuat, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebu- Ieiunij effectus. 1. Illuminat animam. 2 Fugat vitia.

las dispergit, libidinis ardorem extinguit; castitatis verò lumen accendit. TERTIVS
3. Auget meritum. est in meritis continuatio, quam tangit; *Et ante ibid faciem tuam iustitia tua*, quasi diceret, quocunque ibis & vbicunque eris, iustitia præcedet, sequetur, concomitabitur te, quia semper Deus in te continuabit bona merita. Ideo dicit Sapiens Prou.
4. Glorificat. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectum.* QVARTVS est in præmij glorificatione cum dicit, *Gloria Domini colliget te*; quasi diceret: Christus qui est gloria patris, recipiet te.
5. Exauditio precum. QVINTVS est in desiderijs exauditio, & tangitur ibi; *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te.* SEXTVS fructus est à periculis liberatio,
6. Liberat à periculis. ibi; *Ecce assumit* scilicet ad te de defendendum, & ad liberandum, quia misericors Dominus Deus tuus.

EADEM FERIA SEXTA.

Sermo secundus. De Euangelio.

Audistis quia dictum est antiquis; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos. Matth. 5.

R. Panthera quid? ISIDORVS li. 12. dicit Panthera est animal varios habens colores, scilicet album, nigrum, & flauum. Et dicta est panthera à πᾶν, quod est omne quia omnium animalium est amica, excepto dracone, quem odit, & draco ipsam fugit.

Christus cur Panthera. SPIRITVALITER. Per hanc pantheram Christus intelligitur, quia varijs virtutibus cum coloribus fuit adhuc in terra extans, scilicet albo colore puritatis, & nigro humilitatis, & flauo stabilitatis. De *primo* dicit Isa. 53. & transsumptiuè 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* De *secundo* dicitur ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, formam serui accipiens.* De *tertio* patet quod adeo stabilis permansit, quod in cruce mortuus fuit. propter quod subditur ad Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce Christus ad instar pantheræ diligit omnes homines, tam bonos quàm malos, ideo dicit Sapiens *Nihil eorum odisti, quæ fecisti.* Sapient. 11. Quod etiam patet ex Euangelio hodierno, quia *oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

Sed si diceres. Tamen Christus odit malos, quia dicit Psalm. 118. *Iniquos odio habui.* Dic, quod Christus quoad naturā diligit omnes homines, sed quantum ad culpam, tunc odit peccatores. Et quamuis quantum ad naturam diligit omnes homines, tamen odit dracones infernales, eo quod in malo sint obstinati.

Homo cur Pantheræ similis. Sed MORALITER per pantheram intellige etiam ipsum hominem, qui debet esse ornatus albo puritatis, nigro humilitatis, flauo stabilitatis, vt anima ipsius dicere possit illud Cant. 1. *Nigra sum*, quoad humilitatem, *sed formosa*, quoad puritatem. Et sicut Christus diligit omnes homines etiam suos inimicos, secundum quod dictum est ad antiquos; *Diliges proximum tuum*, vbi per proximum intelligitur omnis homo, debet tamen odire dæmonem qui sic secundum Augustinum dicitur *inimicus*, cum dicit Euangelium: *Et odio habebis inimicum tuum.* In quo Christus nos ad

duo-

duo hortatur. *Primò*, ad inimicorum dilectionem, ibi: *Diligite inimicos. Secundo*, ad vanæ gloriæ detestationem, ibi; *Attendite ne.*

Circa PRIMVM est NOTANDVM, Dominus in hoc Euangelio hortatur nos ad dilectionem inimicorum, & primò ad dilectionem cordis, cum dicit. *Diligite inimicos vestros*; quod apertius exponit beatus Ioan. epist. 1. c. 3. *Filioli non diligamus verbo vel lingua, sed opere & veritate.* Et propter hoc deinde subdit Dominus de dilectione operis, cum subinfert. *Benefacite his qui vos oderunt.* Quia secundum Gregoriũ in homilia, signum dilectionis, est exhibitio operis. Postea subdit de dilectione sermonis, cum ait; *Orate pro persequentibus vos.* Quia dicit Gregorius. Ille preces suas multum facit, qui eas pro inimicis effundit. I. Dilectio inimicorum.

Et est SCIENDVM, quod in mandatis Dei, nihil est mirabilius quàm quod præcipimur diligere inimicos, vt inquit Augustinus. Insipientibus enim impossibile videtur quod ipsi ament inimicos suos, sed tamen si haberent aliquantulum sapientiæ, possibile eis appareret: Nam *sapientiam non vincit malicia.* Vt dicitur Sap. 7. Sunt ergo octo si attendantur, propter quæ non erit difficile diligere inimicos. In mandatis Dei quid mirabile. Cur inimicus diligendus.

PRIMVM est status inimici qui iniuriatus est, & non vult satisfacere; est enim spiritualiter mortuus. Quia Ezech. 18. dicitur, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et habetur 23. q. 3. c. 1. & sequenti. Vbi hoc habes per Augustinum, Inimicus enim tuus inter iniurias quasi insanus manus in seipsum iniecit, cum tibi malum intulit. Quia iuxta illud Sap. 21. *Homo per maliciam occidit animam suam.* Quod probatur 2. Regum. 16. Cum Semei iniuriaretur Dauid regi: Dicens eum virum sanguinum, & virum Belial. Quod audiens Abisai, dixit: *Quare maledicit canis mortuus Domino meo regi? Vado & amputabo caput eius.* Considerauit eum iam mortuum inanimã, ideo non eum viuentem, sed mortuum canem nominauit. Cum enim vellet Abisai occidere, prohibuit Dauid: *Dimitte eum vt maledicat; Dominus enim præcepit ei.* Ecce quòd noluit se in homine, in anima mortua vindicare. Ideo & tu Christiane, noli & tu in fratrem tuum mortuum insanire, sed potius ei compatere. Nam crudeliores videntur, qui Christo mortuo non pepercerunt, quàm qui viuum vulnerauerunt, quod patet ex illo, vt canitur: Lancea Dei dira cum qua post mortem Christus est transfixus. Sed claui dicuntur dulces, cum quibus adhuc viuus cruci est affixus. Quis adeo cœcus est, qui non intelligit dedecus esse, si quis se vult de mortuo vindicare. OS I. Quia est mortuus.

SECVNDVM est, vtilitas iniuriæ prolatæ vel illatæ. Persecutores enim nostri, vt suprà ait propheta, *circundant nos sicut apes*, pungunt aculeis, quos circundant. Sic inimici tribulationum aculeis, nos in præsenti lacerant, & impugnant. Sicut conqueritur Dauid in Psalmo 87. *Circumdederunt me sicut aqua tota die circumdederunt me simul.* Et sicut apes cum pupugerint aculeis, faciunt tamen fauum mellis, sic inimici nostri qui nos vulnerant aculeis tribulationis in futuro faciunt nobis fauum mellis æternæ consolationis, quod testatur Sapiens Eccles. 1. *Vsque ad tempus sustinebit patiens, & post ea redditio iucunditatis.* Et hoc figuratum legitur Genes. 37 Vbi Ioseph multas tribulationes sustinuit à fratribus suis, cum eum in Ægyptum vendiderunt, sed Dominus consolabatur eũ in Ægypto, & magis prosperatus est, quia in Dominum totius regni sublimatus est, vt patet Genes. 41. Ideo dicit deuotus II. Quia nobis est vtilis.

Amandus in hor. ſapient. libr. 1. cap. 13. Sicut ſtella matutina ſolis vicinum huic mundo prænunciat ortum, ſic tribulatio hominis ſimiliter facit. Namque ipſius ortus ſupercæleſtis ſolis, ſcilicet Chriſti, animam tribulatam inuiſere volentis prænuncia eſt; & iucundam demonſtrat propinquitatem, & internam arguit conſolationem ſubſequentem.

III. Quia vtilior eſt amico.

TERTIVM eſt, quod dilectio inimicorum vtilior eſt nobis, quàm amicorum. Ipſa enim valet ad ſpiritualium vulnerum ſanationem. Idcirco dicit Auguſtinus: Ego ad dilectionem inimicorum vos commoneo, quia ad ſanandum vulnera peccatorum, nullum medicamentum vtilius eſſe cognoſco. Ipſa etiam facit ad perfectionem & cumulum bonitatis. Ideo in præſenti Euangelio, poſtquam Dominus ad dilectionem inimicorum hortatus eſt, addit: *Eſtote perfecti ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Super quo dicit Auguſtinus in Enchirid. Magnificentiſſimæ bonitatis eſt, vt tuum inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit tu ſemper bonum velis atq; facis cum poſſis. Ipſa etiam mercedem magnam meretur Lucæ 6. *Si diligitis illos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Nam peccatores diligentes ſe diligunt. Verum etiam diligite inimicos veſtros, & benefacite illis, & erit vobis merces veſtra multa, & eritis filij altiſſimi.*

IV. Quia Deo gratum.

QVARTVM quia Deo gratior eſt. Ideo dicit Auguſtinus. Quanta gratia, qui per nos digni non fuimus, ex imicorum dilectione filij Dei efficiemur. Et Chryſoſtomus ſuper Matth. Nihil eſt quod ſic Deo ſimilem faciat, quàm malignis atque lædentibus eſſe placabilem.

V. Quia diabolo moleſtũ.

QVINTVM eſt, quod diabolo hæc dilectio eſt moleſtior; magis enim elongat ab eis ſimilitudine, qui æſtimato odio hominem perſequitur. Vnde ait Gregorius: Stultum eſt diabolo offenſo ſeruire, qui nullo placatur obſequio.

VI. Quia eum placat.

SEXTVM eſt, quod dilectio id quod odiendum eſt, inimico ipſa placat & tribuit. Ideo dicit Apoſtolus Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi; Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, id eſt, occaſiones accendendi dilectionis ignem in eo erga te facies. Ipſa gladius etiam eſt inimicos interficiens, cum de inimico amicum facit. De hoc etiam dicit Chryſoſtomus. Suſtine ad tempus inimicum, & benefac ei; poſtmodum victum beneuolentia tua, amabis eum amicum tuum.

Item omnis inimicitia beneficiorum aſſiduitate compenſatur. Vnde Gregorius. Miles dum aduerſitatis bello deprehenditur, tunc ſcutum patientię debet anteferre, ne pereat, & ad præliandum promptus, amoris inferat iacula, vt vnicat. Cuius armaturam ſummam beatus Paulus breuiter inſinuat, dicens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt.* Cum enim ex vtraque vna defuerit, non eſt charitas, Si quis malum abſque benignitate tolerans non amat, ac rurſus ſeſe ſine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat.

1. Cor. 13.

VII. Quia te lædis.

SEPTIMVM eſt quod non potes ex propoſito tuo nocere proximo tuo, quando tibi noces. Quia dicit Auguſtinus, quod malicia tua alij non noceat fieri poteſt, quod autem tibi non noceat, fieri non poteſt. Non enim eſt dedecus alicui, ſi non vult inquinare manus ſuas, conuicium reddendo pro conuicio, immo honor eſt ſignum nobilitatis animi, iuxta illud Prouerb. 20. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentione.*

VIII.

OCTAVVM, quod ille qui iniuriatur tibi, magis iniuriatur Deo, quàm tibi,

qui

qui hoc ei prohibuit. Si ergo Deus differt vindicare, nec tu vindices, & non erit tibi dedecus immo honor, si exemplo Domini non vis vindicare in præsenti quia Eccle. 26. dicitur *Gloria magna est sequi Dominum.* Quia Deus nō vindicat.

Quantum ad SECVNDVM, hortatur nos Dominus ad vanæ gloriæ detestationem, cum subiungit: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Dicit Chrysostomus super hæc verba. Arbor plantata & sita in via publica, non potest fructus ferre ad maturitatem, quia transeuntes eos deijciunt. Talis arbor est homo gloriam quærens, vel etiam hypocrita, qui quando cum fructibus stat in publico vt videatur ab hominibus, perdit fructus suos. Quod figuratum est 4. Regum 20. vbi legitur, quod rex Ezechias infirmabatur; id audiens rex Berodach Babylonis, filios Baladan, misit ad ipsum nuntios, quibus rex Ezechias omnia quæ habebat in thesauris ostendit. Et dicit Rabbi Salomō, quod non solum ostendit eis quæ erant in thesauris in domo sua, sed etiam ea quæ secretissimè seruabantur, scilicet vnctionem Regum, ac etiam Pontificum, & tabulas testamenti, & legem, quæ nullo modo erant gentibus ostendenda. Ideo dixit ei Isaias cap. 39. *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt.* Et illud fuit completum quando Nabuchodonosor omnia pretiosa transtulit de Hierusalem in Babilonem, vt habetur 4. Regum 25. T. Fugienda vana gloria.

MORALITER. Ezechias interpretatur confortauit me Dominus, & significat quemlibet Christianum hominem, quem confortauit Dominus ad bono opera faciendum, hic si faciat opera bona, vt ex eis laudem habeat, tunc in anima ægrotat. Quod videns rex Babylonis, id est diabolus, qui est rex confusionis, statim mittit nuntios suos, & hi sunt in faciem laudatores, quibus ostendit opera sua bona per iactantiam, & sic ea perdit quia diabolus adueniens absportat. Quod probatur in Vitis patrum, *lib. 1. cap. 2.* in vita Ioannis Ægyptij eremitæ de quodam Eremita, qui pollens omnibus animi virtutibus, cœpit de se eisdem iactare, quod diabolus cognoscens, statim in specie mulieris venit ad speluncam eius, dicens: quod à bestijs esset nocte deuoranda, nisi susciperetur eius hospitio. Quæ dum suscepta esset, varijs eum induxit blandimentis, quoad membra eius singillatim tangeret, ipsa euanuit deridens eum, & multitudo dæmonum clamauit: O monache, qui te vsque ad stellas extollebas, quomodo ad infernum es demersus? Disce miser: qui se exaltat, humiliabitur. Tunc ille desperans, & fugiens præ confusione consortium hominum religiosorum, reuersus est ad seculum tradens se omni impudicitiæ, ne eum quis salubribus monitis de præcipitio reuocaret. Exemplū vanæ gloriæ.

Ideo necesse est, vt homo adhibeat aliqua remedia, contra vanam gloriam, aut iactantiam. PRIMVM est absconsio, cum enim facit homo opus bonum, necesse est vt intentionem teneat in occultis. Iuxta illud Isa. 32. *Erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Et in Vitis patrum dixit quidam senex. Sicut thesaurus manifestus citò, & virtus quælibet deperit publicata. Nam sicut cera à facie ignis soluitur, ita & anima per laudem resoluta, perit ab intentione. Remedia cō tra iactantiā. I. Absconsio. Simile.

Hoc remedium figuratum est Exodi 4. in manu Moysi quæ fuit leprosa, & cum missa esset in sinum ipsius, facta est ibi sana. Sic etiam si manum bonorum operum miseris in sinum cordis, cogitando de præmio, sana opera habebis. Vnde

Gregorius. Ille debet publicare bonum, quod facit vel agit qui perfectè in humilitate fundatur & nulla allectione contingitur.

II. Dimissio laudis. Laus hominum, animæ damnum. SECVNDVM remedium est laudis dimissio. Cum enim homo laudatur de bono; dimittat laudem. Quia dixit quidam senex; Qui ab hominibus amplius honoratur & laudatur, non paruum damnum animæ patitur. Qui autem penitus ab hominibus non honoratur, supernam gloriam accipiet. *Et iterum dixit:* Sicut fieri non potest, vt simul nascatur herba & semen, ita impossibile est, vt laudem & gloriam secularium habentes, simul etiam & fructum faciamus cœlestem.

III. Consideratio pœnæ. TERTIVM remedium est, ignis purgatorij vel inferni consideratio. Hoc remedium insinuatur Act. 28. Vbi Paulus *viperam adhærentē manui in ignem excussit.* Quid est manui adhærens vipera, nisi vana gloria, quam tunc à se abijcit, quando pœnam infernalis ignis, qui ponitur vana gloria, considerat aut perpendit.

IV. Gloriæ intuitio. QVARTVM remedium est æternæ gloriæ intuitio, quia dicit Gregor. in homil. Vilescunt omnino temporalia, cum considerantur æterna. Et specialiter vilescit vana gloria, si cōsideratur vera gloria. Ideo dicit hic Dominus: *Attendite ne hic iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, vbi per *iustitiam* intelligit omnia opera bona. Et specialiter ponit hoc de eleemosyna dicens: *Cum igitur facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocritæ faciunt in sinagogis & vicis, vt honorificentur ab hominibus*, vbi dicit Glossa. Illi canunt tuba, quia habent iactantiæ verba. (Tuba canere, quid?)

V. Sed Chrysostomus dicit: Tuba, est omnis actus vel sermo, per quem operis iactantia demonstratur; puta, qui fecit eleemosynam, quando aliquem vidit præsentem, vel intercedente aliquo, aut honestiori persona, quæ potest retribuere, alias non facit. Sed etsi in loco secreto fecerit, vt laudabilis videatur, tuba est, & talis cum hypocritis perdet mercedem suam. De quibus subdit: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Te autem*, inquit Dominus, *faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua:* quasi diceret; noli dare ipsam mala intentione, vt, propter laudem vel retributionem, quia secundum Glossam: Illi adhibent manum sinistram, qui habent intentionem obliquam. *Sit igitur eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Cui dicto Saluatoris concordat illud dictum Tullij moral. *Des tacitè quæ das*, scilicet pro Christi nomine; quiuis enim hanc formam dandi poterit seruare. (Manus sinistra, intentio obliqua.)

Quæstio. Sed hic mouet sanctus Thomas quæstionem in Glossa continua super Matthæum? Quomodo, inquit potest fieri, vt tacitè vel coram hominibus eleemosynam faciamus, aut si fiat, quomodo sentiamur facere eam. Si enim præsente aliquo occurrerit pauper, quomodo dabitur ei tacitè, vel absconsè, scilicet educendo eum secretò, & sic videtur, quod datur? *Et respondet*, assumendo pro se dictum Saluatoris: *Attendite ne iustitiam*, &c. dicens; Consideretur, quod Dominus non dixit: Ne tantum coram hominibus faciatis, sed addit; *Vt videamini ab eis.* Qui igitur non ideo facit, vt ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus fecisse videtur. Qui enim facit aliquid propter DEVM, neminem videt in corde suo, nisi Deum propter quem facit; sicut artifex semper habet eum præ oculis, qui sibi opus commisit faciendum. (Responsio.)

DOMI-

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

Sermo primus in Epistolam.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. Cor. 6.

X

SECVNDVM naturales ver inter omnia anni tempora est acceptabilius humanæ saluti: quia est maximè temperatum in suis qualitatibus, minimè mortiferum & infirmum: vt dicit Constantinus in lib. de natura morborum. Et propterea in qualitatibus eius natura maximè delectatur, & eius qualitates sunt calidum & humidum. *Caliditas* est causa effectiua nutrimenti; *humiditas* est causa materialis; & ideo in vere generatur sanguis, qui est necessarius corpori. In hoc tempore sol discurrit per tria signa, quorum vnumquodque habet suum mensem, ad tempus vernale pertinentem. *Primus* mensis est arietis, incipiens à decimo octauo die Martij vsque ad decimum septimum Aprilis. *Secundus* est Tauri, incipiens à decimo septimo Aprilis, vsque ad decimum octauum diem Maij. *Tertius* est Geminorum; incipiens à decimo octauo die Maij, vsq; ad decimum septimum Iunij.

Ver iucundum.

Verni temporis distributio.

MORALITER. Per tempus intelliguntur dies pœnitentiæ Quadragesimalis. De quibus canit Ecclesia. *Aduenerunt nobis dies pœnitentia, ad redimenda peccata, & saluandas animas.* Isti inquam dies sunt valde acceptabiles humanæ saluti, quia homo propter dies pœnitentiæ de mortuo fit viuus, de infirmo sanus. Quod probat Augustinus lib. de pœnitent. Pœnitentia, inquit, languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiamque conseruat. In his diebus pœnitentiæ debet homo ad instar solis discurrere per tria signa. Primum signum debet esse contritio, quæ significatur per arietem: quia sicut aries est signum igneum, vt dicit Misahel, & præcedit in ordine signorum: sic contritio debet esse ignea, ex amore erga Deum, quod tantum bonum ostendit per peccatum, & præcedere debet alias partes pœnitentiæ, quia dicit Petrus in 4. dist. 17. In omni peccato mortali; est actualis auersio voluntatis à Deo per peccatum. Et quia contraria contrarijs curantur, oportet, quod in omni remissione peccati mortalis, fiat actus vel auersio à peccato ad Deum, quæ contritio appellatur, quæ debet præcedere si saltem homo potest eam habere.

Pœnitentia comparatur

I. Arieti, qui contritionẽ designat.

Refert enim Cæsarius in dialogis, lib. 2. cap. 17. in ciuitate Remensi miles quidam consobrinam suam concubinam habebat. Cui tanto conglutinatus fuerat amore, vt nec admonitione, nec excommunicatione, neq; aliqua humana verecundia, ab ea separari vellet. Tandem tactus infirmitate, timore mortis vocat sacerdotem; cui cum lacrymis confessus est. Quem cum Sacerdos admoneret, vt tam illicitam abiuraret commixtionem, & illam personam à se amoueret. Respondit, Domine, non possum; Ecce non potuit habere contritionem de isto peccato. Cumque perseueraret in sua obstinatione, Sacerdos recessit cum corpore Domini. Exeunte autem de domo, occurrit ei nutu diuino beatus Bernardus, interrogans eum, quare infirmum non communicasset, causam intelligens; Ait Sacerdoti. Reuertere

Miles cõmunicans cõtritus decessit.

mecum

mecum ad infirmum. Cumque reuersus esset: Vir sanctus, militi iam morituro, ea quæ salutis erant suadere cœpit. Cumque præter istam rem solam iam dictam, in omnibus obedientiam sponderet, ait vir sanctus; Nunquid non doles, quod non potes habere voluntatem dimittendi illam? Dixit: Domine, valde doleo, me de hoc non posse dolere. Quo audito, ait Abbas sacerdoti, vt corpus Domini daret infirmo. Mira res; statim vt Saluator intrauit, facta est salus huic domui. Ab illa enim hora statim perfectè odire cœpit, quam ante illicitè amauit, & cum multis lacrymis ait: Gratias ago Deo qui me liberauit, quia modo libentius diabolum viderem, quàm illam. Sicq; in bona confessione & perfecta contritione migrauit ad Dominum. Ex quo patet, quod contritio procedere habet à Domino.

II. Tauro confessionē denotat. SECVNDVM signum, per quod debet homo currere hoc pœnitentiæ tempore, est confessio, quæ significatur per Taurum, quia sicut hoc signum facit hominem verecundum, & honestè incedentem, vt dicit Auctor lib. 8. proprietatum. Sic etiam confessio debet hominem facere verecundum, quia verecundia multum valet in confessione. Ideò dicit Augustinus de pœnit. dist. 1. cap. Quem pœnitet. quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro peccato, fit dignus misericordia.

III. Gemini satisfactionē significant. TERTIVM signum est satisfactio, & significatur per Geminos; quia satisfactio requirit principaliter duo, scilicet eleemosynam & orationem, aut alia opera virtutum, vt dicit Eusebius in sermone. Nihil prodest omnis dolor assumptus pœnitentiæ, absq; eleemosynarum largitione, & absq; bonorum opere & virtute. Ecce quod dies pœnitentiæ, & salutis debent currere per hæc tria signa. Et de his dicit Apostolus hic in verbis prælibatis: *Ecce nunc tempus acceptabile*, quæ sunt verba epist. hodiernæ, in qua ad tria hortamur. *Primò* ad gratiæ susceptæ excitationem, ibi; *Hortamur. Secundò,* ad gratiæ ostensionem, ibi; *Nemini. Tertiò* eiusdem conseruationem, ibi; *Per arma iustitiæ.*

Y *I.* Peccatū gratiam non tolerat. Circa PRIMVM NOTANDVM. Gratiam Domini nemo suscipere potest, nec ipsa ad suas consolationes hominem recipit, quamdiu peccatum est in conscientia, quod *primò* probatur. Dicit enim Plinius in specu. nat. & Aristot. 7. lib. animalium. In fronte equi pulli nascitur quidam folliculus niger ad quantitatem oui, quē equa laniat & abscindit, & nunquam pullum admitteret ad vbera, nisi illud pręscinderetur, & vocat illud Plinius Veneficium amoris, quia mulieres incantatrices vtūtur illo in suis præsagijs, quando volunt aliquem stimulare ad amorem. (Sed non est cautum hoc manifestè prædicare, quia posset de hoc prædicator nescientes informare.) Per pullum igitur habentem nigredinem, intelligitur quilibet homo habens peccatum, quod denigrat mentem vt vult Ansel. lib. 5. cap. 55. De quibusdam peccatoribus dici potest illud. Tren. 4. *Denigrata sunt facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis.* Sic etiam quoad rem patuit de illo milite, de quo supra Dominica II. post Epiphaniam serm. 2. N. X. Idcirco quamdiu habens hanc maculam peccati, & per pœnitentiam non amouerit, mater virtutum, scilicet gratia, eum ad consolationis vbera non admittit: vt dicit prædictus Anselmus.

Veneficium amoris.

Caueant prędicatores hæc vulgare.

2. *Secundò* probatur quia per gratiam Dei nemo potest accipere nisi anima prius sit mundata; quia sicut in pergameno, nisi prius rasum & purgatum fuerit non scribitur: Ita animæ humanæ, nisi prius purgata fuerit per confessionem, gratia Dei non infun-

infunditur. Quia dicit B. Bernardus super Cant. Balsamus est gratia Dei, & vas purissimum requirit.

Tertiò sic probatur. Quia nullus sapiens homo in vase immundo, vel pleno, vel confracto, pretiosum liquorem infundit: Sic nec Deus, qui est sapientia sanctorum, cordi humano per luxuriam inquinato, vel vento superbiæ pleno, vel discordia fracto, vel ad terrena incuruato, gratiam suam infundit: quia *non habitat in corde subdito peccatis.* Sap. 1. Ideo dicit Apostolus 1. ad Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione & honore.* Ecce quod gratia Dei homini non datur, nisi mens prius purificetur. Munda igitur non tardando diu mentem tuam, vt Deus infundat gratiam suam. Quia secundum Augustinum gratia est lux animæ, faciens hominem defectus & peccata cognoscere, Deum super omnia diligere, & Deo firmiter adhærere. Cum igitur homo peccata & defectus suos cognoscit, & super omnia Deum diligit, & illi firmiter adhæserit, gratiam ipsius se habere cognoscit; Sed videat homo habita gratia Dei, vt deposcat ne eam amittat. Ideo dicit Apostolus: *Hortamur vos, ne gratiam Dei in vacuum recipiatis:* vt dicit Glossa: Ille gratiam Dei in vacuum recipit, qui post acceptam gratiam in bonis operibus non sese exercet. 3.

Vnde NOTA PRIMO, Homo gartiam Dei habens exercet se, vt tempus sibi datum ad pœnitentiam non perdat, de quo dicit Dominus Isa. 49. *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Quod exponit Apostolus ad duo. PRIMO quantũ ad opportunitatem à malo recededēdi, cum dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Glossa, in quo potest homo à malo recedere iuxta illud Psalm. 33. *Declina a malo, & fac bonum.*. SECVNDO ad opportunitatem in bono proficiendi, cum dicit: *Ecce nunc dies salutis.* De his dicit Haymon. Tempus acceptabile ad pœnitentiam agendam præsens vita est, vsque ad diem iudicij, quæ etiam appellatur dies salutis, in qua salutem æternam nobis possumus promerere. I. II.

Est tamen NOTANDVM. Homo volens in his diebus salutis in bono proficere, debet perfectioribus inhærere, exemplo hederæ. Vnde dicit Isidorus lib. 12. quod dicta est hedera, eo quod arboribus adhæreat, & multum se extendat, quamdiu viuit & arborem inuenit cui appodiare se possit, & hinc inde serpit, donec ad summum peruenit: Sic homo qui vult SPIRITVALITER proficere, debet talibus adhærere, de quorum verbis vel exemplis possit spiritualem fructum capere, & tunc hincinde serpere debet, scilicet modo hoc verbum, modo hoc exemplum apprehendendo: & sic cito ad summum perueniet, & proficiet, vt dicit Anselmus lib. 3. capite 63. Et idem dicit ibidem quod pœnitens, vel imperfectus gradatim proficiendo perficitur; sicut arboris corpus non citò & subitò, sed paulatim, gradatimque augetur. Nam *Primò* semen in herbam prorumpit; *deinde* herba in arborem surgit; tum herba in duriciem transit, & in arborem conualescit. Sic similiter pœnitens, non citò perfectus fit, sed gradatim proficit iuxta illud Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Ideò dicit Bernardus. Nolo repentè fieri summus, sed paulatim proficere volo. Et idcirco pœnitens à principio est vt herba mollis, quia incipit cum timore, & postea solitatur, sic proficitur in dilectione: Sicut patet de Maria Magdalena quæ primò fuit quasi mollis herba, dum ratione timoris *retrò pedes* IESV pœnitendo accessit, Lucæ 7. Sed postea in dilectione solidata fuit quod ante pedes IESV sedit, &

Z Hedera sit homo. Simile. Pœnitens herbæ molli similis.

verbum eius audiuit. Lucæ 10. & similiter quando ipsum ardenter post resurrectionem quæsiuit. Ioan. vlt.

II. SECVNDO homo habens gratiam, post Quadragesimalem pœnitentiam debet præscindere peccati occasiones, iuxta illud quod subdit Apostolus: *Nemini dantes vllam offensionem*, id est occasionem peccandi, quia dicit Ambros. in hexam. Officium sibi dæmonis assumit, qui quandoque ceteris occasionem peccandi tribuit, aut persuasionibus grauius ad peccatum trahit. De illo dicit Hugo de sancto Victore. Eodem reor astringi reum, tam eum qui peccatum perpetrat ac committit, quàm eum qui occasio peccati fuerit. Ideo talis meritò morte morietur, sicut figuratum est Exodi 21. *Qui percusserit hominem, occidetur.* Hoc moraliter facit, vt dicit Nicolaus de Lyra, qui ad mortale peccatum, verbo aut facto inducere hominem intendit. Ideo subdit, *quod morte moriatur*, scilicet hic morte culpæ, & postea morte gehennæ, nisi pœnituerit. Quare tales occasiones abscindere necesse est, exemplo Elephantis, de quo refert Solinus in lib. de miraculis mundi, quod habeat eburneos dentes, & cum à venatore premitur simul percutit ambos, & constringit, & damnato ebore & deturbato, amplius non persequitur.

Fuga occasionum peccati.

Elephas.

MORALITER hic Elephantis figuram gerit, qui habet dentes eburneos, & fortes ad scandalizandum proximum, non occasionem mali verbis prauis præbens. Sed quia venator infernalis non cessat hominem persequi, iuxta illud 3. q. 1. c. Nulli dubium, vbi dicitur: Diabolus non cessat circuire quærens quem deuoret, & quærere quos ex fidelibus perdat. Ideo debet illos dentes, mediantibus quibus præbet occasionem scandali vel mali, abscindere, & nulli occasionem peccati præbere, sicut B. Augustinus illud inhibet, dist. 12. q. 1. c. Nolo. Nolo, inquit, vt aliquis in vobis inueniat malè viuendi occasionem. *Prouideamus igitur bona*, vt ait Apostolus, *non solum, coram Deo sed etiam coram hominibus.*

III. TERTIO debet se exercere habens gratiam Dei in patientia, quod tangit Apostolus, ibi; *In omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia.* Est enim patientia cordis, oris, & operis, quæ valdè necessaria est homini, propter duo. *Primò*, quia ipsa custodit animam, sicut area thesaurum, secundum illud Lucæ 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Sicut igitur homo multum diligeret arcam, in qua posset custodire suum thesaurum: sic debet patientiam diligere, & non solum debet patientiam amare, sed illum qui sibi contumelias infert. Sicut enim multùm diligeret diues hominem illum, qui fabricaret talem arcam gratis sibi, in qua posse conseruare thesaurum suum: Sic diligere debet & illum, qui per illatam sibi iniuriam, patientiam operatur. Quot enim contumeliæ tibi dantur, aut quot iniuriæ fiunt, tot claui ad fortificandũ scrinium cordis tui apponuntur. Idcirco magnas grates agere debes illi, qui talem arcam fabricat tibi, & non debes contumelias reddere, quia dicit Cassiodorus super Psalmos: Patientia est, quæ omnia vincit aduersa, non colluctando sed sufferendo, non murmurando sed gratias agendo, ipsa est quæ fœtorem totius voluptatis abstergit, ipsaq; limpidas animas Deo reddit, & ideo necessaria est. quia ipsa gubernat vitam. Hoc enim facit patientia cordi, quod gubernaculum naui. Sicut enim nauis fracto gubernaculo, ventis & turbinibus agitatur, & tandem tempestate compulsa frangitur ad rupes vel ad scopulos; Sic etiam cor impatiens. Ideo dicit Isa. 54. *Paupercula tempestate conuulsa, absq; vlla consolatione erat.*

Patientia, quæ triplex.

Patientia custodit animã

Simile.

Patientia, quid?

Hæc

Hæc paupercula est anima impatiens, virtutum possessione & gratia spoliata, quam cuiuslibet tempestas tentationis à sua stabilitate euellit, & absque consolatione relinquit, vt exponit Anselmus lib. 9. cap. 51.

Est circa hoc ADVERTENDVM. Ex quo patientia non cognoscitur nisi in aduersitatibus, ideo Apostolus hic enumerat multa, in quibus si homo æquanimiter se habuerit, patiens perpendi poterit. Patientia cognoscitur

PRIMVM est tribulatio, Dicit enim Anselmus libro 10. cap. 56. Patientia hominis non nisi in tribulatione cognoscitur. Et probat hoc per similitudinem. Sicut aliquis habens quartanam, vel tertianam, non dicitur curatus, si in diebus, in quibus non est accensio, non febricitet. Similiter nullus debet dici patiens pro eo, quod non turbatur, cum nulla sit ei molestia, sed si in insistentibus iniurijs, vel tribulationibus patiens esset, tunc diceretur patiens. Ideo dicit hic Apostolus: *In tribulationibus* scilicet aduersorum cognoscitur patiens. Quare quidam dixit senex in vitis patrum, Tribulatio cum patientia multum valet ad salutem, quia tenebras mentis illuminat, duriciam cordis & peccata mollificat, vitam roborat in bonis, & fæces peccati excutit. Et sicut ignis conseruatur in lucerna, sic virtutes in patientia. A I. Simile. In Tribulatione. Verus patiens, quis?

SECVNDVM est necessitas, scilicet victus & vestitus. Cum enim quis patitur necessitatem in victu & vestitu, & æquanimiter portat, patiens esse dignoscitur. Dicitur enim necessitas secundum Haymonem eo quod in nece sit posita, id est in periculo mortis, vbi Apostolus præcipit patientiam seruare, exemplo illius qui dicit 1. Cor. 4. *Vsque in hora hac esurimus & sitimus.* Si tamen videremus aliquem necessitatem in prædictis habentem, misericordiam sibi denegare non debemus. Quia dicit beatus Ioannes epist. 1. cap. 3. *Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo.* Glossa subuentionem denegando, *quomodo charitas Dei manet in eo?* quasi diceret, nullo modo, quia est præcepti transgressor. Et intellige hoc de necessitate vrgente, quando alias non potest sustentari. De hoc etiam dicit Pelagius 7. quæst. 1. Omnis qui negat misericordiam faciendam fugientibus, necessitatem patientibus, ipsum Christum negat, qui est misericordia & veritas. II. In necessitate.

TERTIVM est angustia, quando enim quis patitur angustias animi, sicut Susanna quæ dixit Daniel 13. *Angustiæ sunt mihi vndique*, & in his se benè habet, patiens dici potest. Ideo dicit Apostolus hic *in angustiis*, scilicet cognoscitur patientia. III. In angustia.

QVARTVM est plagarum illatio, quod tangit cum dicit: *In plagis*, cum quis verberatur sicut Apostolus 2. Cor. 11. *A iudæis quinquies, quadragenas, vna minus accepi*, & non contradicit, patiens dicitur. Ideo Sapiens 2. dicitur: *Per tormenta interrogemus eum, probemus patientiam illius.* IV. In plagis.

QVINTVM est incarceratio, quod tangit ibi; *In carceribus*, quam si oportuerit esse, debet quis pati patienter quia sicut refert Vincentius libro 4. spec. hist. cap. 18. quod anno Cyri regis XIII. Tarquinius superbus regnauit annis triginta quinque, qui excogitauit carceres ad puniendum. Est enim pœna homini sedere in carcere, quam si æquè sustinet, patiens, dicitur. V. In carcere. Carcerem quis incogitauit.

SEXTVM est seditio, quæ propriè secundum Haymonem pertinet ad ciues, dum faciunt contra aliquos tumultum, conturbationes, & contentiones, in qua VI In seditia.

qua etiam probatur patientia; ficut probatur de S. Paulo, qui multas feditiones Iudæorum contra fe factas, patienter tulit, vt habetur Actor. 19.

B Sed NOTA quod dicit Anfelmus lib. 9. cap. 51. Patientia tribulationis, requirit etiam foliditatem amoris & virtutis; & probat per fimilitudinem. Fons lutofus iactu lapidis facile turbatur, arenofus verò non; Sic homo plenus peccati, luto de facili per impatientiam turbatur, virtuofus verò non, quia *non contriftat iuftum quicquid ei acciderit*. Prou. 12. Idcirco oportet quod qui vult effe patiens, fit virtuofus, propter quod Apoftolus monet ad bona opera & virtutes.

Patientia requirit folliditatem. Simile.

Patientiam patit.

1. Labor. *Primò* ad laborem, cum dicit: *In laboribus*, quod facit contra accediofos, qui de facili in mente amaricantur, iuxta illud, quod dicit B. Bernardus in quadam epiftola: Nihil adeo dulce delectabileq; reperire poteritis, quod non proferat fpeciem amaritudinis in animo accediofi hominis & torpentis.

2. Solicitudo. *Secundò* ad follicitudinem contra fomnolentiam, ibi: *In vigiliis*, quia homo fomnolentus de facili irritatur, ficut dicitur in fimili Cato.

Noli irritare canem dormire volentem.

3. Ieiunium. *Tertiò* ad fobrietatem, contra repletionem, cum dicit: *In ieiuniis*, quia homines ebrij potu, & repleti cibo, mouentur per impatientiam, vt inferant conuicia & verbera proximis fuis, quia dicit Sapiens: *Tumultuofa res eft ebrietas*. Prou. 20. & Ecclef. 30. *Amaritudo animi, vinum multum potatum*, & vbi eft homo amarus in animo, de facili fit quod per impatientiam prouocatur ad iram.

4. Puritas. *Quarto* ad puritatem, ibi; *In caftitate*, quia caftitas dicit puritatem mentis redũdantem in corpus. Et congruè hortatur hic Apoftolus ad caftitatem, quia vbi eft luxuria, ibi eft impatientia, rixa & guerra, & tandem mors; quia luxuriofo dicit Dominus Ezech. 12. *Dabo te in animas odientium te* ficut patet de Ammon. 2. Reg. 13. qui ftuprauerat propriam fororem Thamar, propter quod in odium fratris fui Abfalonis datus fuit, qui ipfum ad conuiuium inuitauit, & interfecit. Ideo dicit Hieronymus: Quotidie fanguis mœchorum funditur, & adulterium damnatur.

5. Difcretio. *Quintò* ad difcretionem contra fatuitatem, cum dicit *in fcientia* quia vbi eft homo difcretus, ibi impatientia non dominatur, fed patientia & omnis virtus; quia dicitur 1. quæft. 1. Patientium difcretio, eft mater omnium virtutum.

6. Longanimitas. *Sextò* ad longanimitatem, quia longanimitas eft virtus qua patienter vitæ æternæ præmia exfpectamus: Vel longanimitas eft longa perfeuerantia cum patientia, in aduerfis huius feculi.

7. Societas. *Septimò*, ad concordem focietatem, cum dicit: *In fuauitate*. Gloffa affabilitatis & focietatis, vt nullo modo factis verbifque amaritudinẽ geramus, & hæc fuauitas debet haberi in Spiritu fancto, vt dicatur de quolibet noftrum illud Eccl. 41. *In fide & lenitate fanctum fecit eum*. Et hoc dicit contra illos, qui per dulces fermones feducunt corda innocentum, ficut fecit Ioab 2. Reg. 20. qui venit cum fuauitate fermonum, fed non in Spiritu fancto, ad Amafam cognatum fuum, quia erant de duabus fororibus, vt habetur 2. Reg. 18. dixitq; ad eum: *Salue mi frater. Et tenuit, manu dextera mentum Amafa, quafi ofculans eum. Porro Amafa non obferuauit gladium quem habebat Ioab.* Quia dicit Rabbi Salomon, quod Ioab difpofuit vt gladius caderet de vagina, vt fic Amafa cederet & leuaret à terra ad reponendum in vaginam, & non ad percutiendũ ipfum, & fic fe non obferuauit à perfecutione, & *percuffit eum in latere, & effudit inte-*

in testina eius, & mortuus est. Et hoc ex impatientia & inuidia fecit, quia impatienter tulit verbum Dauid regis, quod mandauerat ad Amasam dicens 2. Regum 19. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.*

Octauo ad veram charitatē, cum dicit: *In charitate non ficta*; id est fragili, vel simulata. Dicit enim Haymo quod charitas ficta est, quando quis videns fratrem suum in necessitate positum, & derelinquit eum, quem ante profitebatur toto nisu diligere mentis; sed vera charitas est, quando diligimus proximos sicut nosmetipsos, & cui tempore prosperitatis adhærere videbamur, eundem tempore persecutionis non derelinquamus. De hoc refert Valerius lib. 4. de duobus scholaribus, qui se mutuo dilexerunt: contigit vt vnus à Dionysio rege caperetur & in carceraretur, quod audiens alter venit, obsidem pro incarcerato se posuit, vt ille transiens res suas disponeret: quibus sic dispositis, redijt & socium liberauit; quorum charitatem rex perpendens, ambos absoluit & dimisit. 8. Charitas vera. Exemplum

Nono & vltimo monet nos generaliter ad virtutem, cum dicit; *In virtute Dei* vos exerceatis. Vnde virtus necessaria est septem generibus hominum. 9. Virtus.

PRIMO præsidentibus, necessaria est virtus directionis, vt corrigant iuxta illud Eccles. 7. *Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*, quasi diceret: noli recipere potestatem iudicandi, nisi valeas punire peccata secundum ordinem iustitiæ, *ne fortè expauescas faciem potentis.* Glossa, propter hoc dimittendo ordinem iuris, *& ponas scandalum in æquitate tua*, id est scandalizes populum in leuitate tua & inconstantia. SECVNDO, prædicantibus necessaria est virtus discretionis, vt quod dicunt, faciant. Quia Actor. 1. dicitur. *Cœpit Iesus facere, & docere.* Ideo Psal. 67. dicit *Dominus*, inquit, *dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* TERTIO iubilantibus necessaria est virtus deuotionis, vt quod cantant sentiant. Iuxta illud Eccl. 43. *Exaltantes Dominum, replemini virtute*, Maior est enim omni laude. QVARTO, pugnantibus virtus fortitudinis, vt quod impugnant vincant sicut gloriatur Dauid in Psalm. 17. *Præcinxisti me virtute ad bellum.* QVINTO, pœnitentibus constantia vt pœniteant, & non recidiuent, sicut legitur 4. Reg. 22. De Iosua qui *reuersus est ad Dominum in omni corde suo, in tota anima sua.* SEXTO, proficientibus virtus strenuitatis, vt ascendant. Ideo petit Dauid in Psal. 137. *Multiplicabis in anima mea virtutem.* SEPTIMO laborantibus virtus charitatis, ne deficiant. Ideo Apostolus ad Eph. 3. *Det vobis*, inquit, *Deus pater, secundum diuitias gloriæ suæ, corroborari per spiritum eius in charitate.* C Discretio quibus necessaria. I. Præsidibus. II. Concionatoribus. III. Musicis. IV. Militibus. V. Pœnitentibus. VI. Proficientibus. VII. Operarijs.

DE EADEM DOMINICA.

Sermo secundus, in Euangelium.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Matt. 10.

REx terrenus, qui ciuitatem aliquam fortem, vel benè munitam, voluerit lucrari, præ omnibus escam & aquam mandat eis sumere, & sic penuria coacti debent se forte sine pugna subijcere. Ideo legitur de ciui- D

Amplitudo muri Babylonis.

ciuitate Babylon quod erat valde fortis, quia secundum Hieronymum super Isa. 11: Muri eius sedecim millia passuum erant per quadrum ab angulo in angulum, ibique erat turris trium millium passuum in altitudine, eius materia fuerunt lapides cocti ex bitumine indissolubili. Vnde nec igne, nec aqua dissolui potuit. Huic imperabat rex potentissimus Nabuchodonosor. Et licet adeò fortis fuit, tamen per Cyrum regem capta est hoc modo. Nam refert Petrus Manducator in scholastica historia, quia subtraxerat eis aquam Euphratem fluuium, qui per ciuitatem fluxit, & diuiserat longè à ciuitate per plures riuos, vt alueum, qui fluebat per ciuitatem vadibilem faceret, per ipsumq; ingressi sunt sub muro; aliter capi non poterat, quia tanta erat muri amplitudo, quod super eam viginti quadrigæ esse potuerunt.

Anima hominis, angelorum custodia munitur.

MORALITER. Ciuitas benè munita est vniuscuiusque hominis anima, quæ est munita custodia Angelorum, si saltem est in anima rex ipsorum. Ideo dicit Bernardus: Dominum IESVM sicut signaculum super cor tuum pone: vbi est tanti ostij custos, consequenter adsunt millia millium ministrantium, ad fores exteriorum sensuum, & tribulantium repellentes acies contrarias, irrumpere non valentes propter ostij reuerentiam, & Angelorum custodiam. Hæc Bernardus. Sed contingit (heu) multoties, quod rex Angelorum expellitur ab anima per varietatem peccatorum, vt per delicias gulæ, auaritiæ, luxuriæ ac superbiæ: quia talis rex *non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Iob. 28. Et sic anima hominis fit quasi Babylon confusa, in qua habitat Nabuchodonosor, qui interpretatur quasi sedens in angustia, & significat diabolum, qui tunc imperat animæ à qua Deus recessit. Sicut factum est de multis qui in præterito tempore carnispriuij secuti sunt instinctum dæmonis: Alij per gulam, alij per luxuriam, nonnulli per choream, qui est circulus, cuius rector vel centrum est diabolus; Vt autem tales animæ Christo regi lucrarentur, præcipit vt esca per quam fit gula, & aqua carnalium deliciarum interdicantur hoc tempore Quadragesimali hominibus, vt ipsi per ieiunium, suspensis aquis deliciarum, Christo facerent ingressum; quia diabolus non potest expelli nisi per ieiunium, vt dicit Christus Matt. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione.* De quo ieiunio dicit præsens Euangelium, in quo tria tanguntur, scilicet Eremiticus ingressus, ibi; *Ductus est* IESVS. Diabolicus accessus, ibi; *Et accedens tentator.* Sathanicus oppressus, ibi; *Vade Sathana.*

Chorea circulus est, cuius centrum est diabolus.

Simile.

DE PRIMO EST NOTANDVM. Plinius in specu. nat. lib. 8. cap. 19. dicit, vulpes semper pugnat contra taxum, & taxus contra vulpem; sed videns vulpes quod taxum lædere non potest, propter duriciem pellis, se victum simulans fugit, & dum taxus abest, Vulpes intrat latibulum eius, & immunditia sua inficit, sicque taxum de latibulo suo expellit.

SPIRITVALITER. Per vulpem intellige diabolum, iuxta illud Psal. 62. *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* id est, dæmonum. Sed per taxum intellige Deum. Sicut enim vulpes pugnat contra taxum, sic diabolus ab initio pugnauit contra Deum, de qua pugna dicitur Apocalyp. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo.* Per hoc autem quod vulpes taxum lædere non potest, denotatur quod diabolus Deum superare non potuit, quia dicitur Apocal. vbi suprà. *Draco pugnauit, & Angeli eius, & non praualuerunt,* Sed per hoc quod vulpes victum se simulans fugit, innuitur quod diabolus

victus

victus de cœlo trusus fuit, sicut declarat beatus Ioannes Apoc. 12. per hoc *Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & sathanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est*, inquit, *in terram.* De ipsius casu dicit Dominus Luc. 10. *Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Cum igitur sic detrusus esset, adhuc à pugna non cessauit. Sicut n. primò pugnauit, cum Deo, ita non cessat præliari cum membris suis, scilicet Adam: intrauit enim in Paradisum, quod significatur per hoc, quod vulpes absente taxo intrat eius latibulum, quia permittente Deo quod hic significatur per absentiam, diabolus sua immunditie astutiaq; primum hominem decepit, de paradiso expulit, & eiecit, sicut testatur. Sedulius lib. 2. **Sedulius.**

Expulerat primo genitum sauissimus anguis.
Florigera de sede sua blandiq; soporis.
Illecebris, misero potum portabat amarum.
Nec solus miram, præsumptor senserat iram.

Sed simul humanum genus omne (heu) noxia coniunx: quasi diceret, hoc venit per nocentiam coniugum; Sed dictum est, quod permittente Deo diabolus hominem decepit.

Ideo quærit B. Augustinus lib. 11. super Gen. c. 13. & Magist. lib. 2. dist. 23. c. 1. Cur Deus hominem tentari permisit quem decipiendum sciebat. **Quæstio.**

Ad hoc *respondent.* Non esse laudabile homini, si ideo benè viuere posset, quia nemo malè viuere suaderet, cum in natura *posse*, & in potestate haberet *velle* non consentire suadenti, Deo adiuuante. Et est gloriosius non consentire, quàm tentari non posse. Hæc Augustinus. Quia igitur totum genus humanum in tentatione succubuerat, necesse valde erat, vt Christus qui propter nostram salutem de cœlo descenderat, desertum intraret, & nos resistere tentationi dæmonis informaret, & hoc est quod dicit Euangelista. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

MORALITER per desertum pœnitentia designatur. PRIMO propter asperitatem. Sicut enim secundum Magistrum lib. 4. proprietatum; Desertum est locus spinis ac sentibus plenum, & spinæ pungunt tangentem: Sic in pœnitentia sunt spinæ contritionis, & sentes timoris. Ideo dicit Magist. lib. 4. dist. 14. Pœnitentia dicitur à puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit. *Et subdit.* Pœnitentiæ autem virtus à timore concipitur. Et declarat hoc per Isa. c. 26. *A timore tuo Domine concepimus spiritum salutis*, nec tamen valet timor sine contritione. **Per desertũ pœnitentia significatur. I. Ob asperitatem.**

Nam legitur apud Cæsarium lib. 2. dialog. cap. 15. quod Clericus quidam Parisiensis fuit delicatus, peccatis luxuriæ, gulæque laxans habenas, multorum etiam se aliorum peccatorum immundicijs inquinauit. Tandem tactus infirmitate, timore mortis pœnituit confessionemque fecit, peccata detestatus est, & emendationem promisit, viaticum accepit, & inunctus fuit, sicque vitam finiuit. Cuius corpus, vt viri nobilis & diuitis, cum magna pompa secularis gloriæ est tumulatum. Eratque die illa tanta serenitas, vt etiam super eius obsequijs aër famulari videretur; dixeruntque homines ad inuicem. Multa bona Deus huic homini præstitit, nihil ei horum defuit, quæ Christianus debet habere in morte: Dominicis Sacramentis munitus est, aër in eius morte serenatus est, & cum magna solennitate sepultus est. Post paucos dies cuidam familiari suo apparuit, dicens se damnatũ esse. Cumq; mirare- **Exemplum pœnitentiæ malæ.**

raretur ille & expauesceret, pœnitentiam eius atque confessionem, sacram etiam communionem, & vnctionem commemorans. Respondit defunctus; Vnum bonum defuit mihi, sine quo nullum horum quæ numerata sunt, prodesse mihi potuerunt. Et ille; Quid est hoc, inquit. Respondit mortuus Vera contritio. Ecce quod contritionis spinæ debent esse in deserto pœnitentiæ. Licet, inquit, promiserim cõfessori meo, amplius velle abstinere à peccatis, & alia facere quæ sunt salutis, tamen mihi dicebat conscientia, quia si conualueris, obseruare non poteris quod promittis. Et quia cor magis declinabat ad transgressionem quàm ad voti obseruationem, propterea nullius peccati merui remissionem.

II. Ob ariditatem. SECVNDO propter ariditatem, quia sicut in deserto est terra sitis ariditatis, æstus & caloris. Et quamuis terra est arida, perfunditur tamen interdũm pluuia, interdum niue, nonnunquam verò rore. Sic in pœnitentia debet esse, vt homo pœniteat propter salutem propriam sicut Dauid qui ait, Psal. 62. *Sitiuit in te anima mea*, Item debet esse ariditas carnalis voluptatis. Qui enim vult pœnitere, debet voluptates carnis, & alias iniquitates, dimittere. Quia dicit Pius Papa de pœnit. distinct. 3. Nihil prodest homini ieiunare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur. Item debet in pœnitentia esse æstus & calor charitatis; Nihil enim valet pœnitenti afflictio carnis, nisi processerit ex radice charitatis, iuxta illud. 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Item in pœnitentia debet aliquando cadere pluuia lacrymationis. Quia pœnitentia est præterita mala plangere, & plangendo iterum alia non committere; Vt dicit Ambrosius in quodam sermone Quadragesimali. Et ponitur de pœn. dist. 1. §. 1. Cui consonat Gregorius quem allegat Magist. lib. 4. dist. 14. Pœnitere, est acta peccata deflere, & flenda non committere.

Ieiunium quando prosit.

Pluuia lacrymarum.

Pœnitere quid?

F Niuis vtilitas. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen committat; adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. Item in pœnitentia debet etiam cadere nix confessionis quia sicut nix est vtilis ad plura, sic & confessio. *Primò* nix est malarum herbarum mortificatiua. Quid sunt malæ herbæ, nisi peccata & culpæ, quæ confessio ad instar niuis mortificat & extinguit. Iuxta illud Origenis super Leuiticum: Pronuncians peccatum, peccati meretur remissionem. *Secundò*, sicut nix est fœditorum occultatiua locorum, sic confessio occultat & tegit peccatum, quod fecerunt per infamiam: quia post confessionem, illud peccatum quod fuit mortale, fit veniale, vt habetur de pœn. dist. 1. c. Quem pœnitet. Ideo dicit Psal. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata. Tertiò*, sicut nix est montium dealbatiua, sic confessio. Magni enim peccatores denigrati per peccatũ, dealbabuntur per veram pœnitentiam & confessionem, Iuxta illud Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum*; & Dauid Psalm. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Item in deserto pœnitentiæ, debet etiam cadere ros consolationis diuinæ. Dicit enim doctor quidam deuotè pœnitentibus. Incipit namque ex tunc quædam familiaritas inter Deum & inter animam fieri, eo quod sentiat se ab eo visitari, & ex eius aduentu, non tantum consolari, immo aliquoties quodam ineffabili gaudio repleri. Sed ad hæc quis est idoneus profectò verus pœnitens & confitens.

1.

2.

3.

III. Ob ventositatem. TERTIO pœnitentia designatur per desertum, propter ventositatem. Sicut enim in deserto sunt loca ventosa, sic tentatio per ventum significata est in pœnitentia; Quia

Quia dicit Hilarius ſuper Matth. Iuſtificatis maxime diaboli tentamenta craſſantur: quia victoriam magis exſpectat de ſanctis.

Quod autem fortius tentantur, & frequentius pœnitentes quàm peccatores, probatur per ſimilitudinem venti. Dicit enim Seneca lib. 4. de naturalibus quæſtionibus. Quod circa auroram fit ventus, quia tunc vapor ventum faciens eſt collectus, & radius ſolis appropinquans, percutit ſoli dunc aërem, ſed in prima parte noctis rarò ſit ventus. Sic etiam MORALITER, circa auroram pœnitentiæ & confeſſionis fit ventus tentationis, quia tunc vapor deuotionis eſt copioſè collectus per conuerſionem pœnitentis, per quam nox peccati expellitur, & dies gratiæ illuceſcit. Sed exiſtente homine in tenebris ſeu nocte peccati, rarò fit ventus tentationis, quia parum diabolus tentat, ſicut teſtatur Gregorius 24. moral. Hoſtis noſter, quantò ſibi nos rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit. Illos enim tentare negligit, quos quieto iure ſe poſſidere ſentit. Ideo hortatur nos Sapiens: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccleſ. 2. Idcirco Dominus etiam ductus eſt in deſertum, vt tentaretur à diabolo; Sic etiam nos ducimur in deſertum pœnitentiæ, vt tentemur à dæmone. Quia dicit Auguſtinus: Quis pertinet ad Chriſtum, qui non varijs tentationibus agitatur? quaſi diceret, nullus eſt qui ad Chriſtum ſpectet, quem diabolus non tentat. Simile quo diaboli artes declarantur.

Et NOTA. Sicut diabolus ad Chriſtum venerat non in ſpecie propria, ſed in ſpecie hominis honeſti, vt dicit Magiſter in Scholaſt. hiſtoria, & ſecundum aliquos in ſpecie magiſtrali: Sic etiam occulta tentatione conatur pœnitentes defraudare: quod figuratum eſt 3. Reg. 14. Vbi legitur, quod Abia filio Ieroboam ægrotante, miſit Ieroboam vxorem ſuam dicens; *Muta habitum, vt non cognoſcaris; & vade in Sylo ad Ahiam prophetam, ipſe indicabit tibi quid venturum ſit puero.* Sed propheta diuinitus inſpiratus, vxorem Ieroboam cognouit, quamuis oculi eius caligaſſent, & ait *Ingredere vxor Ieroboam; quare aliam te eſſe ſimulas? Vade & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus: Delebo de domo eius vſq; ad mingentem ad parietem.* Diabolus tẽtát Chriſtum in ſpecie hominis.

MORALITER. Per Ieroboam qui interpretatur populi diuiſio, ſignificatur diabolus, qui ſemper Dei populum ſtudet à Deo diuidere per peccata. De qua diuiſione dicit Propheta Iſa. 40. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter nos, & Deum veſtrum.* Et ſimiliter nititur diuidere populum proximum, à proximo ſuo, per odium & liuorem. Hic igitur mittit vxorem, id eſt tentationem, quam ſibi deſponſauit, cum primum hominem tentauit; ſed non mittit eam in proprio habitu, quia aliàs à viris ſanctis cognoſceretur. Ideo dicit: *Muta habitum, & vade ad Ahiam in Sylo,* quæ interpretatur translata. Sed Ahias interpretatur firmitas Domini. Et benè notatur per hoc Chriſti miles, qui per pœnitentiam & confeſſionem translatus eſt de peccato ad gratiam, & ſpirituali firmitate coniunctus eſt Deo; Et dicitur, quod Ahias erat Propheta, id eſt videns: quia iuſtus homo ſine macula Deo ſeruire cupiens, debet videre ne ipſum decipiat diabolica tentatio, ſed dicat ad ipſam: Quare te ſimulas aliam eſſe, quaſi diceret: cognoſco te, ne decipias me.

Et eſt NOTANDVM, quod Dominus vult hominem in deſerto pœnitentiæ tentari, propter tria. PRIMO propter virtutum exercitationem. Sicut tentauit Dominus Abraham, Gen. 22. dicens: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, &* G Cur Deus hominem velit tentari.

I. *offer eum super vnum montium quem monstrauero tibi*, & hoc ideo fecit, vt probaret o-
Ob exercitium virtutis. bedientiæ eius virtutem. Sic etiam permittit vt diabolus tentet, vt homo se in virtutibus exerceat, sicut patet de Iob. c. 1. qui à diabolo tentatus, patiens est inuentus. Ideo dicit Sapiens: *Qui non est tentatus, pauca cognoscit. vel quid scit?* quasi diceret, nihil Eccles. 34. Sicut miles qui non est exercitatus in torneamentis vel hastiludijs, minus valet in prælijs. Ideo Dauid petijt se tentari cum orauit. *Proba me Deus, & tenta.* Vbi dicit Glossa, Nisi tentatus fuero; per omnia negligens inuenior. Quare dicit Augustinus: Tentaris vt exercearis, tentaris vt proberis, tentaris vt à te ipso inueniaris. Deus tentat vt doceat, diabolus tentat vt decipiat, cui tamen nisi ille qui
II. tentatur locum dederit inanis est tentatio. Est igitur vincenda SECVNDO, propter vir-
Ob virtutũ conseruationem. tutum conseruationem, sicut patet de beato Paulo qui ait. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ vt me colaphizet.* Super quo dicit Gregorius. Cum vitijs tentamur, diuina dispensatione nobiscum agitur, ne virtutibus quibus proficimus extollamur. *Et idem dicit:* Ipso infirmitatis nostræ pondere, quotidie deijceremur, nisi manu artificis miro modo, per flagella subuenientia, teneremur. Ex quo patet quod tentatione carere non possu-
Exemplum homini tentationem necessariam. mus. Ideo legitur quod in Phrisia quandam virginem religiosam & inclusam tentauit diabolus per stimulum carnis, & cum sæpe orasset cum lachrymis spiritum auferri à se, apparuit ei Angelus & ait, si vis ab hac tentatione liberari dic istum versiculũ. *Confige timore tuo carnes meas*, & liberaberis, quod & ipsa fecit. Angelo recedente liberata est, & statim eam tentatio blasphemiæ circumdedit, & cœpit dubitare de fide Christiana, & de Deo. Tum incepit inuocare diuinam misericordiam, Et iterum petijt liberari. Cui apparens Angelus ait, Putásne te viuere siue tentatione? necesse est enim vt vnam istarum habeas. Quod audiens illa, elegit primam tanquam humanam, refutans aliam tanquam diabolicam.

III. TERTIO propter virtutum præmiationem. Iuxta illud Iacob. 1. *Beatus vir qui suf-*
Ob præmiũ. Exemplum. *fert tentationem, quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ. &c.* Sicut de hoc legitur in Vitis patrum. Quidam senex habens quendam discipulum, qui cum eo horas psallebat. Contigit autem vt senex somno grauaretur, quem discipulus exspectans, vt simul orarent Septies tentatus est vt recederet, sed resistebat. Tandem senex excitatus, ambo legerunt Matutinum, qui dum sederent, vidit senex Angelum, qui ostendit ei locum gloriosum, & septem coronas. quo interrogante, cuius essent, respondit; discipuli tui, qui experrectus, à discipulo suo didicit, quod per septem tentationes eas meruisset.

H. Circa quod, vlterius NOTANDVM, qui vult diabolicas tentationes superare, debet cum Domino in deserto pœnitentiæ ieiunare. quia dicit hic Euangelista quod *Dominus quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit*, & post diabolum superauit. Ideo de conse. dist. 5. c. Quadragesima, præcipitur, quod isti quadraginta dies diligenter obseruentur. Quadragesima, inquit, summa obseruatione est obseruanda, nisi de abstinentia abstracti, vel nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur. quia ipsi dies decimi sunt anni. *Et subdit.* A prima Dominica Quadragesimæ, vsque in Pascha Domini, sex hebdomadæ computantur, quarum dies quadraginta & duo sunt. Ex quibus dum sex dies Dominicæ, in quibus non est abstinentia, subtrahantur, non plus in abstinentia quam triginta sex dies remanent. Verbi gratia, si

per

per trecentos sexaginta quinque dies anni voluimur, deinde per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimam Deo damus. Sed vt sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator suo ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolerantur, id est accipiuntur.

Et dicit, *nisi de abstinentia abstracti sint.* Quia senes nimium, non tenentur ad ieiunium, quia abstinentia respicit personæ valetudinem, temporis oportunitatem, & ciborum qualitatem & quantitatem vt dicit Augustinus in lib. quæstionum Euangel & ponitur 41. dist. c. Quod autem. Est autem tempus opportunum comedendi post cantum Vesperarum, quia dicitur de conse. dist. 1. c. Solent. Plures qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox vt audierint signum ad horam nonam, manducant, qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerunt quàm Vespertinum celebratur officium: intellige, quòd non rectè & dignè ieiunant; quia in præueniendo horam comedendi peccant, & propter peccatum figunt esse quod non est vt q. 7. cap. Non omnis. A ieiunio excusantur. I. Senes. Qua hora prandendũ.

Quare autem exspectandum est, quousq; Vesperæ dicantur, ponit rationem Archidiaconus Guido in Rosario; quia vespera, est diei complementum, homines autem in ieiunio debent, quantum possunt, se Christo conformare: Sed quia humana fragilitas non sinit hominem exemplo Christi sinè interuallo ieiunare, debet tamen se ita conformare vt finitis horis diei manducet, & hoc fit vesperis dictis quæ sunt finis diei. Nam completorium, ad diem pertinet subsequentem. Cur prandendum primũ post vesperas.

Vel etiam dic, quod de abstinentia sunt abstracti pueri nondum puberes, quia Ioannes de Deo, non videtur admittere pueros nondum puberes, sed solum qui habent adultam ætatem. Et dicit Thomas 2. 2. q. 47. Pueri quamdiu sunt in statu augmenti propter quod indigent multo nutrimento, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia, hoc est, ad finem tertij septennij, scilicet vigesimi primi anni. Conueniens tamen est, vt in hoc tempore se ad ieiunandum exerceant, plus vel minus, secundum modum suæ ætatis & possibilitatis. Sed à vicesimo primo anno & suprà, vocatur ætas ad ieiunandum, quia tali ætate in veteri testamento, homines reputabantur idonei ad debellandum. Et addit Ioann. de Deo. Non ante ætatem credo aliquem esse compellendum ad hæc ieiunia. *Et statim post.* Quia quidam sunt in vigesimo primo & secundo debiliores, quam alij in decimo octauo, ideo in talibus ad arbitrium boni viri recurrendum est. Alij dicunt, quod à vicesimo quinto anno tantum tenentur, quoniam huiusmodi ætas exstabat idonea in veteri testamento ad onera portandum. II. Pueri. Annus XXI. ætas conueniens ieiunio.

ITEM dictum est superius, quod Quadragesima obseruanda est: nisi infirmitas impedierit. Infirmi enim non coguntur ad ieiunia, sed ab illis excusantur, vt dicit Gulielmus. Sed pro quanta debilitate, arbitrio boni viri standum est, ideo dicit Gregor. de consec. dist. 5. Ieiunia legitima non sunt soluenda, nisi grandis infirmitatis necessitas cogat. III. Infirmi.

Quantum ad SECVNDVM: in hoc Euangelio ponitur diabolicus accessus, cum subiungit: *Et accedes tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Vbi NOTA, venator qui in deserto sine magno labore feras capere cupit, accedens in desertum, varia retia ponit, vt si fera vnum rete euaserit ad aliud veniens, in illud incidat; Sic est de venatore diabolo, qui existentibus in deserto pœnitentię, multa retia I Diabolus venator.

 tenti-

tentationis consueuit ponere. De quo dicit Chrysostomus super Matth. Inimicus noster diabolus retia super omnem terram expandit, vt quicquid euaserit de retibus carnalis concupiscentiæ, capiatur retibus inanis gloriæ; capiatur à retibus gulæ capiatur à retibus turpissimæ auaritiæ. Et qui taliter vincunt, illis Angeli ministrabunt. Et ponit hic Chrysostomus quatuor retia, quorũ tria expandit coram Adam & Eua, nostris primis parentibus.

Quatuor retia diaboli.

I. Gulæ.

PRIMVM est rete gulæ, & hoc tunc expandit quando eis de ligno vitæ manducare persuasit, cum dixit, Gen. 3. *Quocunque die comederitis, aperientur oculi vestri.* Idem legitur lib. 2. sentent. dist. 21. c. 4. Etiam illud rete expandit ante Christum in deserto cum dixit: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Viderat enim eum quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, ideo cogitauit; Quia ieiunus est, si lapides in panes mutauerit, quia Deus est apparebit; Si verò non potest, quia purus homo est, tum patebit. Omnis enim intentio sua fuit, vt experiretur, an si homo purus vel Deus sit; Sed Dominus ei respondit, ex quo cognoscere non potuit, cum dixit: *Scriptum est*, scilicet Deut. 8. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Quod etiã patet corporaliter de Moyse, qui vt legitur Exod. 24. *fuit in monte quadraginta diebus & noctibus absq; cibo & potu*, & per tot dies verbis Domini fuit sustentatus. Ideo dicit hic Dominus, quod homo viuit de verbo, quod procedit de ore Dei, cum homo sit compositus ex corpore & anima: Cibus corporis, est panis frumenti; sed cibus animæ, est verbum Dei.

Et quia nullam fecit mentionem de cibo animæ sed tandum de cibo corporis, patet, quia suasio est tentatio. Sicut igitur diabolus tentauit primum hominem in gula, & ipsum superauit, & consequenter Christum, quem superare nequiuit: sic adhuc multos tentat de hoc vitio, & eos superat; & principaliter illos, qui in carnispriuio vsq; ad noctis medium; vel etiam illos, qui post medium noctis carnibus se & potibus repleuerunt, & de hoc certos excipio (loquitur ironicè) religiosos scilicet atq; seculares sacerdotes. Quia refert Cæsarius in dial. li. 4. c. 86. Quidam monachi Prumienses feria tertia ante Cineres, in domo cuiusdam secularis sacerdotis conuiuantes, carnes diuersas cum vino exquisito vsq; ad mediam penè noctẽ comederunt. Et cum saturati essent nimis, in ipso gallicantu sacerdos vocans scholarẽ adultum dixit ei; Certe adhuc comedemus carnes, vade & affer nobis gallinam, quam inueneris in pertica iuxta gallum, sedentem, quia ceteris pinguior esse consueuit, & præpara nobis. Et in hoc benè dixit sacerdos, quia gallina sedens circa gallum, pinguior est: quia & hoc confirmat Auctor propriet. li. 12. quia gallus pinguiorem & teneriorem gallinam, quam plus diligit, secum quietis gratia collocat, & ipsius præsentiam plus affectat. Igitur scholaris cum hanc attulisset & strangulasset, ventre aperto, manuq; imposita, cum se omnia intestina simul eijcere putaret, maximũ bufonem extraxit. Cuius motum cum in manu sensisset, & proiecisset, vidissetq; quid esset, repentino clamore suo omnes aduocauit: Videntes illi intestina gallinæ in bufonem conuersa, confusi, à loco conuiuij recesserunt, intelligentes, opus esse diaboli. Et dicit Cæsarius. Hæc mihi vnus fratrum illorum, qui interfuit & vidit, recitauit. Ideo dicit Sapiens. *Iustus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insatiabilis.* Prou. 13. quasi diceret, Iusti homines comedent hoc tempore moderatè, & replebunt animas suas diuino sermone; Sed impij & immoderati nunquam satiantur. Sed

In carnispriuio diabolus multos tentat & superat.

Exemplum.

Sed nesciunt hi, qui per hanc viam gulæ ambulant, quia diaboli eis laqueos deceptionis ponunt. Iuxta illud Psalm. 139. & 141. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* vbi per superbos intelligit diabolos. Idcirco cum de hoc vitio tentaris attende mala quæ tibi gula affert.

PRIMVM, quod omnia bona gratiæ in homine dissipat vsque ad fundamentum eorum, quod est fides. quia dicit Sapiens: *Vinum & mulieres, apostatare faciunt sapientes* Eccles. 19. SECVNDO, omnia bona naturæ exterminat, vsque ad insensabilitatem. Iuxta illud quod dicit ebriosus, Prou. 23. *Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me & non sensi.* Quia etiam ad literam ebriosi cum verberantur, non sentiunt adeo, sicut sentirent cum sobrij essent. Ideo dicit B. Augustinus: Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, incitat libidinem, inuoluit linguã, corrumpit sanguinem; omnia membra debilitat, vitam diminuit, & omnem salutem exterminat. De hac etiam ebrietate dicit Gregorius. Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum, quam qui habet, se non habet, quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum, quasi diceret, quia ipsa causat omnia peccata, vt dixi supra Dominica in Quinquagesima sermone 1. R. N. Ideo quamuis ebrietas omnibus inhibetur, tamen præ omnibus & super omnia clericis, vt dicitur distinct. 36. cap. Ante. Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes est & nutrix Itaque eum quem ebrium constiterit fuisse, vt ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione submoueatur, aut corporali subdatur supplicio, Glossa, igitur recipiat quadraginta ictus minus vno, vt extra de fo. compe. c. Nullis.

K Mala Gulæ. I. Aufert bona gratiæ. II. Tollit bona naturæ. Ebrietatis mala. Pœna ebrij clerici.

TERTIVM malum, quod væ æternum incutit, aut importat, Isa. 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam.* Et Eccles. 10. *Væ terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Per *terram* intelligitur hic homo: *Terra enim est & in terram ibit*, Gen. 3. Per *Regem* intellige liberum arbitrium quod animam habet regere. Per *Principes* intelliguntur quinque sensus. Sicut enim illi qui vnum Deum colunt, in obsequio diuino diem inchoare volunt; sic illi, quorum Deus venter est, primo quærunt regnum Dei sui, quod quidem regnum est esca & potus, quia videmus de multis, qui cum possent, nullum tamen diem ieiunant in Quadragesima. Vel enim statim manè bibunt, aut horam comedendi gulosè præueniunt. Et hæc tentatio à diabolo procedit.

III. Adfert damnationem.

Legitur enim in Vitis patrum lib. 2. cap. 3. Quidam frater impugnabatur à dæmonibus, statim hora diei prima tantam famem ei faciendo, vt penitus sustinere nõ posset; qui dicebat in corde suo, oportet me vel vsque ad tertiam exspectare, & tunc cibum sumere. Cumq; fuisset hora tertia idem dicebat cogitationibus suis; etiam oportet me sustinere vsque ad sextam, & sic etiam ad nonam exspectauit, qua veniente omnes horas compleuerat, & ponebat panem & aquam vt comederet; hoc per plures dies sustinuit, & sic in consuetudinem venit. Quadam igitur die cum sic exspectasset ad horã nonam, & intellige hic ad horam nonam, qua cantatur hora Nona in Ecclesia Dei, & non horam nonam horologij, vidit de sportella in qua panes iacebant, exire fumum magnum, & egredi per fenestram; & non est incredibile diabolum tentatorem cum fumo recessisse. Ita ex illo die non esurijt, sed cor eius roboratum in abstinentia fuit. Sic & tu homo cum tentaris à diabolo, præueniendo

Exemplum.

horam in ieiunio, sustine patienter esuriem, & recedet à te diabolus, iuxta illud 1. Pet. 2. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.*

An per potũ soluatur ieiunium.

Sed quia dictum est superius de bibentibus manè ideo quæritur; An per potum soluatur ieiunium. *Ad hoc respondet* Thomas 2.2.q.147.art. 6.ad 2.Ieiunantes autem non prohibentur pluries bibere,quia potus magis sumitur ad alterationem corporis & digestionem ciborum assumtarum, quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat,& ideo licet pluries ieiunantibus bibere. Si autem quis immoderatè potu vtatur, potest peccare & meritum ieiunij perdere, sic etiam, qui immoderatè in vna commestione cibum assumit. Concordat Innocentius, & addit, siue potus sumitur ante cibum, siue post. Et rectè potest dici,quod isti qui nimium sunt soliciti de corpore, etiam incurrunt æternum væ, de quo Isaias & Sapiens superius prædixerunt. Ideo consulendum est talibus, vt pœniteant, sicut ille fecit, de quo legitur. Erat quidam diues qui de corpore erat nimis sollicitus in cibis & potibus, sed quia erat prudens,factus est regis Franciæ senator,& tunc amplius resoluebatur delicijs in tantũ, vt eius pinguedo vix posset per cutem restringi.Cui cocus vna dierum seruiens dixit: O Domine,nunquid magna inflammatio tum erit,quando vestra pinguedo cremabitur igne infernali? Qui verba illa non reclamans sed considerans, cœpit dicere intra se, Verè ille dixit verum; Nam & caro mea cibus erit vermium, & lardus dœmonum, cum erit corrupta & exosa Deo, sed nequaquam ita erit. Vnde assumpta pœnitentia per carnem Deum placauit,per quam prius Deum contempsit & offendit.

Exemplum.

II. Rete vanæ gloriæ.

SECVNDVM rete est vanæ gloriæ, & hoc extendit ante primum hominem cum dixit: *Eritis sicut Dii.* Per hoc rete eos decepit.quia Magister lib. 2. dist. 22. c. 8. allegans Augustinũ super Genes.quod parem fastum habuit mulier cum viro, pariter ergo superbierunt, & pariter peccauerunt, sed tamen ibidem hoc magis determinat dicens: Dicamus, parem fastum fuisse in occasione peccati, & etiam in esu ligni vetiti, sed disparem, in muliere videlicet multo maiorem, eo quòd credidit,& voluit esse sicut Deus,quod non vir. Veruntamen de viro legitur, quod voluit esse sicut Deus.Dicit enim B. Augustinus super illum locum Ps. 68. *Quæ non rapui tunc exsoluebam.* Rapuit Adam & Eua,præsumentes de diuinitate,& perdiderunt felicitatem. Ecce qualiter per superbiam & vanam gloriam eos decepit.

Sic etiam in proposito,per rete vanæ gloriæ Christum capere voluit,quãdo eum in ciuitatem sanctam assumpsit, & super pinnaculum templi statuit, dicens: *Si filius Dei es. mitte te deorsum? Scriptum est enim* Psal.90. *Angelis suis mandauit de te*, &c. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et hoc ideo dixit, vt ex illa præcipitatione homines eum adorarent, & hoc, vt vanam gloriam incurreret. Videbatur enim ei, quod Christum homines viderent.Cum dicat tamen Glossa, Verum fuisse diabolum in humana specie, sed Christum sic egisse, vt nulli visus posset esse. Vel ideo hoc dixit,vt suam diuinitatem cognosceret.Sed Dominus ei sic respõdit, vt adhuc dubius permaneret,dicens: *Scriptum est rursus,* Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sicut enim diabolus tentauit Adam, & ipsum cum vana gloria superauit; & similiter Christum,quem superare non potuit: Sic adhuc conatur per rete vanæ gloriæ multos capere& decipere.

Apostatæ Conuersus cum furto

Legitur enim, vt refert Cæsarius lib.5 dialogorum cap.16. In Episcopatu Coloniensi est quoddam claustrum Cisterciense,in quo quidam Conuersus fuit,qui à monachis,cum quibus loquebatur, in tantum literas didicerat, vt textum Alexandri le-

gere sciret. Huius itaq; occasione illectus & deceptus, libellos sibi ad hoc idoneos occultè fecit conscribi, cœpitq; in vitio proprietatis delectari. Cumq; huiusmodi studium ei prohiberetur, amore discendi apostasiam incurrit, modicum tamen propter ætatem profecit. Deinde ad monasterium pœnitentia ductus rediens, & hoc vsque tertio actitans, nunc ad scholas seculares exeundo, nunc reuertendo, diabolo copiosam in se præbuit materiam decipiendi. Visibiliter enim illi apparens in specie Angeli, ait: Disce fortiter, quia futurum est, & à Deo definitum, vt Halberstadiensis fias Episcopus. Ecce tentauit eum in superbia dignitatis. Stultus ille diaboli dolos non obseruans, sperabat in se antiqua renouanda miracula. Quid plura? Die quadam seductor conuerso se ingerens, clara voce, & hilari facie dixit: Hodie Episcopus Halberstadiensis defunctus est, Festina venire ad ciuitatem, quia à Deo Antistes destinatus es: Ipsius enim consilium non potest mutari. Statim ille miser de monasterio silenter exiens, nocte eadem in domo cuiusdam honesti Sacerdotis iuxta oppidum Xantense hospitatus est. Vt autem gloriosè ad suam ciuitatem & sedem veniret, nocte ante lucem surgens, equum hospitis valde bonum strauit, & cappam eiusdem induit, ascendit & abijt. Manè familia domus, damno cognito, apostatam insequens apprehendit; Qui ad iudicium seculari tractus cum furto, & per sententiam dãmnatus, non Cathedram vt Episcopus, sed sicut fur patibulum ascendit. Sic adhuc nonnullos per rete inanis gloriæ nititur ad culmen honoris allicere, vt illos ad patibulum inferni possit trahere vel suspendere.

capitur & suspenditur.

Tentatio dignitatis.

Ideo prudentes homines, tentationes fraudulentas dæmonum metuunt humiliter, fugiunt prudenter, repellunt efficaciter, vt dicit Anselmus lib. 5. cap. 14. Et probat hoc sic. Sunt enim quidam quodam modò virtuosi sunt cerui. Dicit enim Aristot. lib. 8. animalium. quod cerui tenent vocẽ vulpis. Quid est vox vulpis, nisi fraudulenta suggestio dæmonis, quem semper timent viri sancti. Iuxta illud Eccl. 2. *Sta in timore Dei, & præpara animam tuam ad tentationem.* Sed addit Aristot. Ceruus quando canis ipsum insequitur, si inuenerit biuium, non rectis currit vestigijs, sed nunc huc nunc illuc transuersaliter saltus mutat. Sicq; per cõtrarios ambiguos saltus canes decipiuntur: si prudentes homines faciunt, cum eos diabolus tentando persequitur, non rectis vestigijs, sed transuersaliter currunt. Quia cum à superbia se pulsari sentiunt, aut vana gloria, mox non ad considerationem suæ virtutis, sed suæ infirmitatis recurrunt: & cum obiecta infirmitate & pusillanimitate tentantur, quasi per saltum transuersum sua fortia opera ad memoriam reducere satagunt: Et probat hoc Anselmus exemplo Iob. Sicut beatus Iob, ne magnitudo virtutum eum extolleret, ad suam fragilitatem considerandam cucurrit, dicens: *Parce mihi Domine*, &c. *quid est homo?* &c. Iob. 8. Et rursus ne ob calamitatum suarum multitudinem desperaret, ad suam innocentiam pensandam saltauit. dicens. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* &c. Iob. 17. Quasi ergo transuersales & varios saltus dabat, qui nunc vt sibi parceretur rogabat, nunc autem se non peccasse dicebat; vt neque in elationem superbiæ innocentia eum duceret, neque in desperationem eum calamitas traheret. Sic & nos dum à vana gloria tentamur. non bona nostra opera, sed excessus considerare hortamur: Sicut de hoc dixit quidam senex in libro Patrum. Quando cogitatio vanæ gloriæ, vel superbiæ diabolus te impugnat, tunc perscrutare teipsum, si omnia mandata DEI seruasti, si inimicos diligis, si

Cerui tenẽt vocẽ vulpis.

Remedium contra vanã gloriam & superbiam.

gaudes

gaudes in gloria inimici tui, & contristaris in deiectione eius. Et si apud te habes, quoniam inutilis es præ omnibus hominibus, & plus peccas, & neque de te grande aliquid sentis, tanquam aliquid feceris, scias, quod elata cogitatio omnia bona dissoluit.

Cerui imitur tandi.

Item addit Aristoteles de ceruo, quando canes eum insequuntur, si potest fugit ad fluuium, vbi ex aquæ frigiditate viribus reassumptis transnatando aquam venatorem euadit & fugit. Tunc autem secundum Gulielmum, vbi suprà, canes in sequum, ceruum, quando importunæ tentationes vel cogitationes molestant & stimulant animum, qui tunc fugit ad fluuium quando ad sui considerationem cum timore rediens, copiosas lacrymas fundit, dicens in oratione; *Deus meus es tu, ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet. Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me*, vt inquit Dauid Psalm. 21. Et tunc oratio lacrymosa sic animum fortificat & corroborat, vt non solum canes, id est, tentationes euadat, sed etiam exstinguat. Iuxta illud Psal. 73. *Contribulasti capita draconum in aquis*, scilicet lacrymarum.

Exemplum de gloria hominum fugienda. Ex lib. doct. Patrum §. 3.

Sic quidam senex cum tentaretur de vana gloria, redit ad propriam considerationem, vt legitur in vitis patrum. Hic enim cum sensit ad se venire aliquos cum lampadibus, vt rogarent pro sanitate infantis, statim exuit sua vestimenta se in flumen misit, & ea lauare cœpit stans nudus. Ille autem qui ministrabat ei, videns hoc erubuit, & rogauit homines, dicens; Reuertimini, Senex noster sensus perdidit. Veniens ergo ad senem dixit ei; Abba, quare hoc fecisti: Omnes enim qui te viderunt, dixerunt, quod dæmonium habet senex. Cui ille; Et ego, inquit, volebam hoc audire.

M III. Rete auaritiæ.

TERTIVM rete est auaritiæ, & hoc ante Adam expandit, quando eius persuasioni consensit. Itaque per hoc rete & Christum capere voluit, quando, vt ait Euangelista, ipsum *in excelsum montem duxit, & omnia regna mundi ei ostendit? dicens*, vt ait Lucæ 4. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo procidens si adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Sed Matt. refert eum dixisse. *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.* Et quia illud cōtinebat iniuriam Dei, ideo repulit eum dicens, *Vade Sathana* scilicet in infernum, *Scriptum est enim*, scilicet Deut. 6. *Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei.*

Dæmonem nō plus posse, quàm ei à Deo fuerit permissum.

Sic etiam tentat adhuc capere homines per rete auaritię, promittendo eis interdū bona temporalia. Sicut refert Cæsarius lib. 5. dialogorum, cap. 56. In vila quadam, diœcesis Coloniensis, Campanarius habuit votum cuiusdam peregrinationis: Hic cū die quadam condixisset cum muliere villæ suæ, quod manè pariter ituri essent, illa eum rogauit, vt maturius surgeret, & matutinas pulsaret, propter solis feruorem & ardorem, & promisit. Eadem nocte diabolus ad lectum eius veniens, tetigit eum dicens; Pulsa matutinas, sicque discessit. Qui mox surgens, & lumen ardere in Ecclesia conspiciens, cùm ante primum gallicantum esse deprehendisset, putans, quod à prædicta muliere fuisset excitatus, de Ecclesia exiuit, volens illi dicere, vt dormitum iret, eo quòd nimis mane esset verum minimè eam inuenit, sed bouem nigrum contra se stantem vidit, qui emissa lingua hominem tetigit, & ipsum supra dorsum iactauit, ac per aërem cum illo volitans, supra prinnam turris castri, qoud Isenburg dicitur,

tur, deposuit. Cui cum diceret; Timésne aliquid modo? Respondit ille; Dei permissione ductus sum huc, nihil contra me poteris, nisi quantum ille permiserit. Ad quē diabolus; Fac mihi homagium, & ego te ponam daboq; tibi diuitias multas. Ecce qui Christo omnia regna dare spopōdit, illi dare diuitias multas, vt ei homagium faceret, promisit. *Et addit.* Quod si non feceris, vel fame in hoc loco morieris, vel præcipitio interibis. Cui Campanarius, spem habens in Domino, dixit; Adiuro te per nomen Iesu Christi, ne me lędas, & vt me sine periculo corporis mei deponas. Mox diabolus illum tollens iuxta villam Gerishaim/ Satis incommodè deposuit. Cum autem ante lucem diei, in dedicatione eiusdem villæ homines ad matutinarum solemnia cum faculis properantes, eum in agro in magno defectu destitutum reperissent, atque refocillassent, auditis his, quæ ei contigerant, valdè admirati sunt. Quarto verò die regressus in domum suam, situm tam locorum quàm domorum atque ædificiorum, quæ ante nunquam viderat, tam planè omnibus exposuit, vt de raptu ejus penitus nihil dubitarent.

Cum igitur hominem tentat diabolus capere per rete auaritiæ, debet fortiter resistere, quia qui per hoc rete capitur, de facili non dimittitur. Cuius sunt duæ causæ. *Prima* est soliditas rei, cui adhæret, vel ligatus est. Possessio enim auri plus durat, quā ipse: & ideo non soluitur à reti auaritiæ dum viuit. *Secunda* causa, quia est pluribus funibus ligatus. Quot enim aureos possidens habet, tot funibus ligatus est, non solum amore proprio, sed etiam amore filiorum. Nam licet in morte desinit amare eos, quoad se, adhuc tamen amat eos, filij suis cumulando, & nescit miser, quod thesaurizat tum sibi quàm filijs iram in nouissimis suis. Rete auaritiæ cur difficulter rumpatur. 1. Causa. 2. Causa.

Quare autem Deus irascatur eis, patet *primò* per illud Isa. 42. *Propter iniquitatem auaritiæ ei iratus sum, & percussi eum. Secundò*, ex verbo Oseæ 12. *Ad iracundiam Ephraim me prouocauit.* Ephraim interpretatur sanctificans qui fructificat in diuitijs. *Tertiò* ex illo verbo Iacob. 5. quod dicit de auaris: *Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus*, vbi dicit Glossa. Nescis miser cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ cumulari. Et huius iræ est sufficiens ratio: quia *auari regnum Dei non possidebunt* 1. Cor. 6. Deus auaris cur irascatur

FERIA SECVNDA POST INVOCAVIT.

Sermo.

Hæc dicit Dominus. Ecce ego ipse requiro oues meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum, Ezech. 34.

ARISTOTELES lib. 8. animalium dicit, quod ouibus nocet tonitru. Etsi remanserit vna sola & fuerit impregnata, abortum faciet forsitan præ timore. Idem dicit. Plinius in specu. natur. Tonitrua solitarijs ouibus inferunt abortiuum, ideo, remedium est, vt in vnum pariter congregentur. N Ouibus nocet toniter.

MORALITER per tonitrum intelligitur pœnitentia: Sicut enim ad tonitrum requiritur, vt primo vapor eleuetur à terra, & in nube aquosa includatur; sic necesse est in pœnitentia: Nam tum vapor terrestris sursum eleuatur, quando commissum

peccatum ad memoriam reuocatur. Sed tunc includitur in nube aquosa, quando peccati memoriam sequitur compunctio lacrymosa, sicut patet de Maria Magdalena, de qua dicit Gregorius in homilia. Cogitauit enim quid facit. Ecce peccatorum ad memoriam reductio, & noluit moderari quid faceret; super conuiuantes ingressa est, inter epulas lacrymas obtulit. Ecce memoriam peccatorū secuta est lacryma. Ista quidem pœnitentia interdum nocet spiritualibus ouibus Christi, scilicet hominibus qui propter pœnitentiam quærunt loca solitaria, vbi nonnunquam à dœmonibus decipiuntur. Propter quod dicit Gregor. dist. 40. c. Quælibet occulta loca, sine gratia, animam saluare non possunt. Quod in ipsis, etiam electi aliquando errauerint, patet: Num Loth, in ipsa peruersa ciuitate iustus fuit, in monte verò peccauit. Ideo ad agēdā pœnitentiam securior est vita communis quàm solitaria, propter quinque rationes. *Primò* propter mutuam consolationem. Ideo dicit Eccles. 4. *Melius est duos esse simul, quàm vnum.* *Secundo* propter periculi sui lapsus faciliorem euitationem. *Tertiò* propter promptiorem releuationem, Eccles. 4. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem.* *Quartò*, propter mutuam ab aduersarijs defensionem. *Quintò*, propter corporalē ministrationem. Et hoc tangit Ecclesiastes cum dicit: *Habent enim emolumentum societatis suæ.* Ideo Dominus in præsenti Epistola dicit de electis ouibus suis, quod vult eas liberare de cunctis periculis, in quibus dispersæ fuerant. In quo signa suæ bonitatis dupliciter ostendit. *Primò*, exprimit particulatim, ibi; *Ecce ego ipse requiro.* *Secundo*, colligit summatim, ibi; *Quod perierat.* Circa quod NOTANDVM, Dominum hic per oues, intelligere electos suos, propter quatuor.

(Vita communis cur securior. — I. II. III. IV. V. — Signum duplex bonitatis diuinæ. — Cur p oues designentur electi.)

PRIMO propter innocentiam. Ouis enim est animal innocens, id est nullum nocumentum inferens; & hinc est, quod natura ei nullam dedit armaturam, quia nec habent cornua ad feriendum, nec dentes ad mortificandum, nec vngues ad scindendū; sed vocantur bibentes, quia cum duobus dentibus nasci dicuntur, sed dentes earum non sunt ad nocendum, sed ad pascendum. Hæc innocentia competit electis DEI, quia nihil faciunt, vnde alijs nocere possint, aut intendant; quia vt dicunt Doctores, Innocentia est puritas animi omnem iniuriæ illationem abhorrens. Ideo dixit David 2. Reg. vlt. *Isti qui oues sunt, quid fecerunt?* quasi diceret, nihil, vt sic in eis duplex notetur innocentia, scilicet respectu sui & respectu proximi, de qua dicit Augustinus. Vera innocentia est, quæ nec sibi nec alijs nocet.

(I. Propter innocentiam. — Innocentia quid?)

O Ex iam dictis patet, quod impij raptores non sunt oues Christi, quia illi habent potestatem nocendi quæ intelligitur per cornua. Nam nocent sibi ipsis, quia seipsos damnant, nisi ad integrum rapinas restituant. Iuxta illud 1. Cor. 6. *Nolite errare fratres: neq; enim fures, neq; raptores regnum Dei possidebunt.* Item nocent etiam alijs pauperibus, violentiam eis inferendo, & bona eorum eis auferendo, quod tamen prohibet Dominus, Prouerb. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: nec conteras egenū in porta; quoniā Dominus iudicabit causam ipsius, & confringet eos qui conterunt animam eius.* Nam legitur in hodierno Euangelio quod habetur Matth. 25. quod Dominus dicit his qui à sinistris sunt; *Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi bibere.* Sed raptoribus dicit, Esuriui, sed abstulistis mihi quod debui manducare; ori meo abstraxistis, quod canibus & auibus vestris dedistis, quia canes & aues pascuntur de rapinis pauperum.

(Canes & aues pascūtur)

perum. Ideo dicit eis, sitiui & abstulistis mihi quod debui potare, immo quod plus est, sanguinem meum in pauperibus bibistis; quia *quod vni ex minimus meis fecistis, mihi fecistis*. Item dicet eis: *Hospes eram & non collegistis, me*, imo quod plus est, domum in qua colligi debebam combussistis. Tales igitur incendiarij domorum, ad instar hædorum separantur hic à communione omnium Christianorum. Sic dicitur 23. q. 9. cap. Si quis membrorum truncationes, aut domorum incendia fecerit, siue facere iusserit, siue facienti consenserit, quousque vnusquisque de his, legaliter, vel amicabiliter coram Episcopo ciuitatis, alijsque ciuibus se non emendauerit, à collegio Christianorum separetur, tanquam Ethnicus & publicanus. Et hoc intellige de illo, qui intendit auctoritate propria, malo studio, seu odio siue pro vindicta, vt 23. q. 6 c. Pessimam. Si autem faceret iussu eius qui habet potestatem indicendi bellum, vt Regis, vel Principis, non iudicatur incendiarius, si est bellum iustum: Vel si incenduntur rei, & non innocentes, vt dicit Raymundus de raptoribus §. Incendiarius. Similiter Hostien. & Gregorius Papa. Et sicut tales incendiarij domorum hic separantur à communione fidelium omnium, ita in districto Dei iudicio ab eis separabuntur, sicut dicit Euangelium: *Cum venerit filius hominis. &c.* Et sequitur: *Separabit ab inuicem eos, sicut pastor segregat oues ab hedis.*

De rapinis pauperum.

Incendiarũ domorum.

Item dicet Christus raptoribus: *Nudus eram, & non me cooperuistis*, imo quod plus est, in pauperibus me excoriastis, & cum quo cooperiri debueram subtraxistis. Vxores enim raptorum vestibus caudatis terram cooperiunt, & quandoq; trahunt in cauda sua totam substantiam vnius pauperis hominis. De talibus habetur Amos 4. *Vaccæ pingues audite quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes*, quasi diceret; Per viros vestros procurare facitis, & dicitis maritis vestris; *Afferte & bibemus*, id est substantiam aliorum rapite, vt nos & famulæ nostræ lautè viuamus. *Jurauit Dominus*, dicit propheta, *in sancto suo*, id est, in seipso. *Ecce dies venient super vos & leuabunt vos in contis* scilicet dæmones, portando in captiuitatem, *& reliquias vestras in ollis feruentibus*. Item dicit eis; *Infirmus fui & non visitastis me*, &c, *super dolorem vulneris mei addidistis*. In carcere fui, & me ibi cruciastis, quod pertinet ad raptores non solum rerum, sed etiam personarum, quas incarcerant, & ab eis omnia quæ adhuc habent in domibus extorquent. Ideo dicit eis finaliter Christus: *Discedite a me maledicti in ignē æternum qui præparatus est sathanæ & angelis eius.*

SECVNDO patet quod maledici & detractores non existunt de ouibus Christi: quia habent dentes pestiferos, ad mordendum vitam proximi sui, quod tamen prohibet Dominus Leuit. 12. *Non maledices surdo*. Quod exponit Gregorius surdo maledicere, & absenti detrahere. Et similiter Tullius moral. P

Obl. quo nullum debes corrodere dente.

Ideo comparantur PRIMO canibus, de quibus Matt. 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Et quare canibus comparentur aperit Sapiens Eccl. 19. *Sagitta infixa femori canis, sicut verbum in ore stulti.* Quasi diceret; Canis infixam habens sagittam, non quiescit donec remouerit; Sic nec stultus detractor quiescere potest, donec verbum malum quod de proximo audiuit, alijs retulerit. Detractores enim, sunt canes gregem diaboli custodientes, non permittentes etiam vnam ouiculam inde auferri, quin lacerent & latrent, detrahendo vel deridendo. *Vel aliter.* Canes isti non solum carnes comedunt, sed etiam ossa rodunt: quia non solum carnalibus, sed etiam spiritu-

Detractores canibus cõparantur.

Detractores gregem diaboli cu[illegible]

libus hominibus detrahūt. SPIRITVALITER autem detractores similes sunt canibus, qui in macello morantur, qui & sanguini insidiantur. Prou. 1. *Venite & insidiemur sanguini.* Et quia detractores sunt canes, ideo cum ouibus Christi non à dextris, sed à sinistris stabunt. sicq; cum hædis ad infernum trahentur & intrabunt; quia dicitur Apoc. vlt. *Foris canes*, id est, detractores contra bonos latrantes.

Detractores suibus comparantur.

SECVNDO detractores comparantur suibus: quia ad modum suum non parcunt ori suo ab immundicia, sicut nec pedi. Contra quos dicit Sap. 1. *A detractione parcite linguæ.* Et meritò comparantur suibus: Sus enim, si hortum intrat, vbi ex vna parte stercora, & ex alia parte flores viderit, neglectis floribus ad stercora currit, & ea in ore ponit: Sic detractor, si videat in aliquo aliqua imitatione laudeq; digna, quæ velut flores sunt; & ex alia parte aliqua reprehensibilia, quæ velut stercora sunt, tunc bona abijcit. Ideo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum cap. 36. part. 3. Erat in ordine quodam, nomine nō actibus, instructus sacerdos, hic in tantum vitio linguæ deditus erat, vt de se pessima mentiretur, & socios suos, vel cohabilantes sibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam in tantum in se debacchatus est cæde, vt proprijs dentibus linguam maliloquam laniaret, & palam cunctos offenderet; quod lingua sua dolosè egerat, & *venenum aspidum sub labiis eius*, quasi sepulchrum patens guttur illius, fœtorem deterrimum exhalaret.

Exemplū de obitu & punitione sacerdotis detractoris.

Sed quia sancta mater Ecclesia in hac die secundum morem antiquum incipit ieiunium, diuina ordinatione legit de ouibus, tam in Epistola quàm in Euangelio, dans intelligere: Sicut ouis est animal innocens, nullum dentibus lædendo, vt sic homo sit innocens nulli detrahendo. Quia dicitur de consé. dist. 5. c. Nihil prodest homini orare, ieiunare, & alia bona religiosa agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Et est Pij Papæ sententia.

Detractores necant corpora.

TERTIO patet, quod non sunt ex ouibus Christi iniquissimi corporum necatores: quia habent vngues ad scindendum. Et certè sunt similes dœmonibus, & non ouibus; quia de diabolo dicitur Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio:* fuit enim homicida sui ipsius & postea parentum nostrorum. Ideo homicidæ ponentur cum hædis à sinistris, & non cum ouibus à dextris. Ideo Apoc. vbi suprà, cum dixisset, *foris canes*, addidit, *& homicidæ*, scilicet corporales & spirituales.

II. Propter patientiam.

SECVNDO electi assimulantur ouibus propter *patientiam*. Sicut enim oues cum occiduntur sunt valde patientes, non clamando; Sic etiam electi Dei cum occiduntur, aut etiam molestantur, non murmurant, sed etiam patienter tolerant. Ideo dicit Psal. 43. *Quoniam propter te tota die mortificamur, æstimati sumus sicut oues occisionis*; vbi patientia electorum Dei omnium commendatur, ex duobus. *Primò* ex causa scilicet propter Deum, non propter furtum, vel homicidium. quia dicit Petrus Apostolus 1. Pet. 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida aut fur, aut maledicus, aut appetitor alienorum*, ideo dicit Psal. 68. *Propter te sustinui opprobrium. Secundò*, ex pœna. quia mortificamur per patientiam tota die, id est per totam vitam.

Patientia ouium commendatur.

1.

2.

Murmurātes non sunt oues Christi.

Ex his patet, quod non sunt ex ouibus Christi, ex impatientia murmurantes: Et *Primò* contra infirmitatem, quod tamen valdè fatuum est. Quia vtilior est aliquando infirmitas quam sanitas, propter sex causas, quas habes supra Dominica in sexagesima serm. 1. Q. Igitur legitur in Vitis patrum.

I. Infirmitas cur vtilior sanitate.

Quidam senex magnus discipulo infirmanti ait, Ne contristeris ex infirmitate:

Q Summa

Summa enim religio eſt, vt in infirmitate Domino quis gratias agat. Si ferrum es, æruginem per ignem amittis; ſi aurum, probaris per ignem; à magnis ad maiora procedis. Ne anxieris igitur frater, ſi dominus vult te in corpore torqueri, tu quis ſis qui moleſtè fers, ſuſtine igitur & roga eum, vt quæ ipſe vult illa concedat.

Secundò, contra paupertatem, quod eſt, etiam fatuum: quia pauperes ſunt electi ad regnum cœlorum, iuxta illud Iacobi 2. *Nónne elegit Deus pauperes in hoc mundo*, quaſi diceret, ſic: diuites in fide & heredes regni. Ideo legitur in Vitis patrum, quod ſanctus Arſenius, qui cum magnus fuiſſet in curiam Imperiali, factus eſt religioſus & adeo pauper, quod quærere eleemoſynam ipſum oportebat, de hoc non murmurans, ſed glorians in Domino dixit; Gratias tibi ago Domine, quia ad hoc deueni, vt eleemoſynam in nomine tuo peterem vt egenus. *II.* Arſenij paupertas.

Tertiò contra temporis opportunitatem. Sunt enim quidam, qui ſemper volunt aliam auram habere, quam nobis Dominus dignatur dare: Si enim pluit, ipſi deſiderant ſerenitatem: Si autem eſt ſerenitas, ipſi cupiunt pluuiæ humiditatem. Sicut legitur in Vitis patrum. Quidam Eremita ſeminauit olera; & viſum eſt ſibi pluuiam neceſſariam eſſe oleribus. Petijt igitur à Domino & obtinuit. Et vt breuiter dicam, tale tempus dedit ei Deus, quale voluit; & tamen nec vllum olus de terra exijt, qui credens vniuerſalem eſſe defectum olerum in anno illo, patienter ſuſtinuit. Sed cum declinaſſet ad domum Eremitæ alterius, & pulcherimum vidiſſet, narrauit Eremitæ illi, quæ ſibi acciderant; Cui ille reſpondit, meritò hoc tibi accidit, Putabas te ſapientiorem eſſe Deo, quod ei iudicabas quid facere deberet; Ille enim, qui ſe conformat diuinæ voluntati, ſemper abundat, ſicut iſte de quo legitur qui ſemper in agris ſuis & vineis habuit fructus vberiores, quàm alij; Et cum quæreretur à vicinis, quare hoc eſſet, reſpondit: Non eſt mirum, ſi fructus vberes habebo cum tale tempus habeo, quale volo. Cum illi mirarentur & inquirerent, quomodo hoc? Reſpondit Ego nunquam aliud volo, quàm quod Deus vult, ideo ſemper habeo tale, quale ego volo. *III.* Exemplum.

Quartò contra proſperitatem malorum, dicit Iob. 21. *Quare impij viuunt, ſublimati ſunt, confortatiq; diuitiis.* Alij dicunt Iere. 12. *Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt.* Reliqui vero aiunt Abacuc. 1. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* Ceteri dicunt. Pſal. 93. *Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur.* Sed ceſſat murmur, ſiquis reſpiciat cauſam, quare hæc fiant: Fidelis enim medicus, de ægri ſanitate deſperans, vniuerſa concedit, quæ ipſe appetit: Ægro verò, de cuius ſalute ſpem habet, multa negat; Sic Dominus, reprobis abundantiam temporalium tribuit, vt ſi quæ bona egerunt, in mundo iſto mercedem recipiant. De hoc vide ſuprà Dominica I. in Aduentu Domini ſermon. 2. A. Z. & Dominica III, in Aduentu ſermon. 1. F. G. *IV.*

TERTIO electi aſſimilantur ouibus, propter *abundantiam*; abundant enim, *Primo* in fœtibus, iuxta illud Pſal. 143. *Oues eorum fœtoſæ.* Et vt ait Ariſtot. lib. animalium, quod pariunt vſque ad octo annos. *Secundo* abundant in egreſſibus, id eſt, in lacte quod egreditur ab vberibus eorum. Ideo dicit Pſal. 143. *Abundantes in egreſſibus ſuis.* *Tertio* abundant in velleribus de quibus dixit Iob. 31. *De velleribus ouium mearum caleſactus eſt pauper.* *III.* Propter abũdantiam.

MORALITER; per fœtus, intellige merita: per lac, Doctrinas: ſed per vellera, exempla bona. Electi enim ad inſtar ouium abundant, in meritis ſalutis, veris doctrinis, boniſq́ exemplis. Sed longum eſſet quoad tempus declarare.

R Eſt tamen NOTANDVM quod quatuor ſunt quæ faciunt in fœtibus ipſas oues abundare. Primum eſt *ventus* dicit enim Ariſtot. lib. 7. animalium. Si oues impregnatæ fuerint verſus ventum Septentrionalem, faciunt mares; ſi autem aduerſus Meridionalem, tum fœminæ naſcentur. Et eſt ratio. quia ventus Septentrionalis frigidus eſt, & claudit poros corporis, vt ſic fructificentur oues ad maſculos procreandos. Econtra eſt de Meridionali.

Septem dona Spiritus ſancti, contra ſeptem mala.

MORALITER. Per ventum Septentrionalem intelligitur inſpiratio gratiæ ſeptiformis, quæ notatur in Septentrione, vbi ſunt ſeptem ſtellæ circa polum, deſignantes ſeptem dona ſpiritus ſancti, quæ ſunt pietas, timor, ſcientia, &c. quæ dantur nobis contra ſeptem mala.

Maturitas quid requirat.

I. PRIMVM malum eſt, *puerilitas*, de qua Iſa. 15. *Puer centum annorum morietur*. Et 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effici ſenſibus*. Contra hoc malum, eſt maturitas ſapientiæ; quia ſecundum Gregorium ſuper Ezechielem. Per ſapientiam maturi ſumus. Ad maturitatem ſapientiæ pertinet, puerilia deſpicere, Ideo ventus Septentrionalis facit oues Dei parere fœtus maſculinos. *II.* SECVNDVM malum eſt *brutalitas*, qua exteriora ſola in rebus cupimus, illis ſolum adhærentes, & quaſi foris ſtantes, interiora verò eorum cognitione non attingimus. Contra hoc malum eſt donum intellectus, penetrans interiora: quia ſecundum Gregorium ſuper Ezechielem, intellectus tollit hebetudinem. *III.* TERTIVM *eſt periculoſitas*; contra quam eſt donum conſilij. Prou. 14. *Erit ſalus vbi multa conſilia*. *IV.* QVARTVM malum, *certaminum* ſpiritualium *continuitas*; Contra quam eſt donum fortitudinis, mundus enim totus eſt plenus certaminis, iuxta illud Bernardi, In mundo iſto quaſi in ſtadio certaminis poſiti ſumus. Iob. 7. *V.* *Militia eſt hominis vita ſuper terram*. QVINTVM malum, eſt *error* circa bona & mala, ſecundum qualitatem & quantitatem. Secundum *qualitatem*, quando creduntur eſſe bona quæ ſunt mala, iuxta Iſa. 5. *Væ, Væ, qui dicitis malum bonum*. Secundum *quantitatem*, quando creduntur magna bona, quæ ſunt parua; & econuerſo. Contra hoc eſt donum ſcientiæ; Scientia enim reſpicit bonum & malum, ideo nominatur lignum ſcientiæ boni & mali. Geneſ. 2. Contra hunc errorem dicitur Sap. 14. *In magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant*. *VI.* SEXTVM eſt *vita execrabilitas*, vita ſcilicet quæ Deo non eſt honorifica, immò eſt contumelioſa. Contra quod eſt donum pietatis prout dicitur. Pietas veneratio ſanctorum; primò Dei, *VII.* deinde eorum quæ ei ſanctificata ſunt. SEPTIMVM malum eſt *ſtulta ſocietas*, qua nihil eſt periculoſius homini tot malis obſeſſo. Prou. 28. *Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt*. Contra hoc eſt timor Dei, qui expellit peccatum. Eccleſ. 1. & 23. *Nihil melius eſt quam timor Dei*. Ecce quod ventus Septentrionalis, per quem, vt dictum eſt, intelligitur inſpiratio gratiæ ſepti formis ſeptem donorum Spiritus ſancti, facit fœtus maſculinos, id eſt opera virtuoſa.

Ventus meridionalis, quid?

Sed per Meridionalem ventum calidum, intellige inflamationem ſpiritus maligni, quæ facit parere fęminas, id eſt opera vitioſa & defectiua: quia dæmones ſignificantur per locuſtas, Exod. 10. quę omnia viridia corroſerunt. quia ipſi non ſolum parere mala opera faciunt, ſed etiam omnia bona corrodunt. quia feſtinant ad deſtruen-

ſtruendum bonorum operum initia, vt frequens fructus impediatur, vt teſtatur Petrus Rauen. ſuper Matth. Diabolus ſemper primordia bona ſibi pulſat, captat rudimenta virtutum, ſcientiam in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſed non poteſt.

SECVNDVM quod abundare facit oues eſt potus, quia dicit Ariſtot. lib. 7. animalium: Oues impinguantur bibendo aquam, & ideo dant eis paſtores comedere ſal, vt plus bibentes citius impinguentur. & magis ſanæ conſeruentur. Hæc aqua MORALITER eſt ſapientia, de qua Sap. 15. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit eos.* Hanc quidem aquam, ſi potabunt electi Dei, facit eos abundare fœtibus bonorum operum. Ideo dicit Apoſtolus ad Coloſ. 1. *Fructificantes & creſcentes in ſcientia Dei.* Oues impinguantur optando aquā.

TERTIVM quod facit abundare eos, eſt paſtus. quia dicit Ariſtot. vbi ſuprà. Paſtores dant eis in autumno cucurbitas cum ſale paratas, ad multiplicationem lactis de mamillis; vt oues impinguentur lenticula mixta cum ſale; & ſi oues per triduum abſtineant à cibo, & poſtea accipiunt, multum impinguantur. In æſtate valet eis aqua Septentrionalis frigida, & in hyeme Meridionalis tepida, & iuuat eas paſci in fine diei ad generandum.

Sic MORALITER. Electi ad inſtar ouium dicuntur paſci pane verborum Dei, vt abundent in lacte doctrinarum, ſicut patet de beato Paulo, qui paſtus eſt pane Dei, quando in tertio cœlo didicit verba ſui Euangelij. Sicut ipſe teſtatur ad Galat. 1. *Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non ſecundum hominem, neque ab homine accepi neque didici, ſed per reuelationem IESV Chriſti.* Ideo abūdauit in lacte doctrinæ, ſecundum illud 1. Cor. 3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis.*

QVARTVM quod facit oues abundare eſt motus, Per nimia enim itinera per multoſque labores fortes marceſcunt, & ſic multum parturiunt, quod oues pingues non faciunt. Et tunc paſtores cognoſcunt, quæ hyemem pati poſſunt, quando ſuper quaſdam inueniuntur glacies, & ſuper quaſdam non, & quæ ex eis eſt debilis, à ſe non excutit glaciem: Sic etiam ad præſens, quando oues Chriſti mouentur de vno opere bono in aliud, & faciunt doctrinam beati Hieronymi ad Ruſticum monachū, de conſe. diſtinct. 5. c. Nunquam, Facito aliquod opus ſemper, vt diabolus inueniat te occupatum, Tunc vtique multis meritis fœcundantur; Ideo dicitur de electis Dei. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Et iterum Pſal. 125. Pſal. 83.
Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Et ſequitur. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

QVARTO electi aſſimulantur ouibus propter obedientiam: Audiunt enim oues vocem paſtoris & ſequuntur. Sic electi Dei audiunt & ſequuntur doctrinam & vocem Chriſti, iuxta illud Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt*, ſcilicet aure audiendo, corde credendo, & opere exercendo & ad implendo. Ideo de quolibet tali obediente dicit Dominus in Pſ. 17. *In auditu auris obediuit mihi.* Et quia electi ſunt oues Chriſti, ideo ad inſtar boni paſtoris oſtendit eis octo ſigna amoris quæ tanguntur in præſenti Epiſtola. IV. Propter obedientiam.

Primum eſt, quod requiſiuit ſeparatam. Sicut, petierat Dauid Pſal. 118. *Erraui ſicut ouis, quæ periyt require ſeruum tuum &c.* Et hoc tangit Propheta cum dicit in perſona Domini; Ezech. 34. *Ego ipſe requiram oues meas.* Eramus n. per peccatum à Deo ſeparati, ſed Dominus non quæſiuit, ſicut patet in parabola Lucæ 15. *Quis ex vobis* I.

homo,

homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat.

II. *Secundum* signum dilectionis est, quia visitat ægrotam: de quo dicit Augustinus: Magnus medicus venit in mundum, quia vbique iacebat ægrotus. Et hoc tangit cum dicit: *Visitabo*, Glossa, tanquam medicus infirmos, sanando corporaliter & spiritualiter, sicut pastor visitat gregem suum, scilicet infirmum. *in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum*, id est morbidorum, à salute longinquorum.

III. *Tertium* signum est, quod liberat oppressam, quod tangit ibi: *Et liberabo eas de cunctis locis, in quibus dispersæ erant in die nubis & caliginis.*

IV. *Quartum* signum, quando educit oppressam, quod tangitur ibi; *Et reducam eas à populis.* Ideò potest quilibet nostrum dicere cum Psal. 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

V. *Quinto*, quod congregat errabundam, propter quod dicit: *Congregabo de terris*, scilicet errabundis.

VI. *Sextum*, quod inducit expulsam, quod innuitur ibi; *Et inducam eos in terram suam*, scilicet in triumphantem Ecclesiam. Ideo de Christo dicitur Exod. 15. *Introduces eos in montem hereditatis tuæ*, id est cœlestem patriam.

VII. & VIII. *Septimum & Octauum*, quod famelicam pascit & quiescere facit lassatam, quæ tanguntur ibi: *Pascam eos in montibus Israel.* Et dicit Glossa, quod pascua electorum in præsenti vita, sunt documenta scripturarum, sacramenta Eucharistiæ, inspirationes diuinæ, & consolationes æternæ; sed in futura vita, pascet eos clara sua visione, de quibus subdit: *In pascuis vberrimis pascuam eos, in montibus excelsis &c.*

FERIA QVARTA QVATVOR TEMPORVM.

Dixit Dominus ad Moysem, *Ascende ad me in montem, & esto ibi, donec dicam tibi, daboq́; tibi duas tabulas lapideas scriptas manu DEI.* Exod. 24.

COnsuetudo Regum & dominorum terrenorum est, quod leges & præcepta per se condunt, propter quod dicuntur legum conditores 25. q. 1. c. Confidimus, per Gelasium. & C. de leg. L. Digna vox. Et hoc faciunt instinctu Dei, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt.* Et licet per se condant, tamen non per se, sed mediantibus alijs promulgant, eaque nota faciunt. Et *primum* per magis dignos, vel per milites: *Deinde*, per precones, qui populo publicè hæc promulgant.

Sic SPIRITVALITER: DEVS, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, Imperator cœlorum, præcepta & leges principaliter condidit. Iuxta illud Psalm. 148. *Præceptum posuit & non præteribit.* Sed tamen illa præcepta, non per se, sed *primum* per milites, id est, per Angelos promulgauit, iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. *Lex ordinata fuit per Angelos, & in manu mediatoris.* Quia super Exod. ca. 24. dicit Glossa. quod quidam apparens in forma corporali, & loquens in persona DEI, dicit præcepta Moysi. Ideo dicit Augustinus lib. 5. de Trinitate, quod omnes apparitiones & lo-

& locutiones veteris testamenti fuerunt factæ per Angelos, qui apparebant in subiecto creaturis, in quo voces corporales formabant. Idem dicit Magister lib. 2. distinct. 8. c. 5. Illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cum DEVS illis præsentaretur per creaturam: Glossa, sicut per ministros factum esse manifestum est. Etsi nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit DEVS, per Angelos tamen facta esse credimus. Et sic patet, quod per Angelos principaliter dedit præcepta, & deinde per Moysen tanquam per præconem populo promulgauit. Ideo hic Angelus, quem scriptor vocat hic Dominum, dixit ad Moysen: *Ascende ad me in montem*, quæ sunt verba hodiernæ lectionis, in quo tria describuntur, scilicet, Angelus imperauit; ibi; *Ascende ad me*; Moyses populum ordinauit, ibi; *Exspectate hic donec, &c.* Idem ascensum consummauit, ibi; *Cumq; ascendisset Moyses.*

Circa, quod NOTANDVM. Domini terreni dant præcepta subditis suis, ne obliuione tradantur, scribunt ea per se, vel suos Cancellarios, vt sic memoriter teneantur, quia dicit Poëta. T

Lectio lecta perit, litera scripta manet.

Sic ad præsens Dominus Deus, qui præcepta sua populo suo dedit, vt ea scriberentur voluit, propter quatuor causas, quas S. Thomas ponit, 37. dist. lib. 3. sententiarum. PRIMA causa, quia per contrariam consuetudinem ratio naturalis, in qua scripta erant hæc præcepta, erat obtenebrata. SECVNDA causa, quia si in aliquibus vigebat lex naturæ, tamen amor boni in eis deficiebat, & ideo per quandam coactionem legis ad bonum inducendi erant. TERTIA causa, vt non solum natura inclinaret ad bonum, sed etiam reuerentia imperij diuini. QVARTA causa, vt præcepta magis memoriæ commendarentur. Ideo dixit hic Angelus ad Moysen. *Dabo tibi duas tabulas lapideas scriptas manu Dei.* Sic habent aliqui libri: vbi videtur, quod Dominus per se scripsit præcepta; sed tamen communiter libri habent, quod Angelus dixit, *quas scripsi.* Nam & sic habet textus bibliæ. Et sic videtur verius, quod scripsit præcepta Dominus per Angelum, tanquam per Cancellarium.

Cur Deus præcepta sua scribi voluit. I. II. III. IV.

Sed oritur hic vna quæstio quomodo ista decem præcepta fuerunt in duabus tabulis scripta. *De hoc varia sunt opiniones.* Dicit enim Iosephus in libro antiquitatum, qui erat fidelissimus historiographus, quod in vna tabula erant quinque, & in alia tabula similiter quinque. Sed Augustinus cum quo concordat Magist. lib. 3. dist. 37. c. 1. quod in prima tabula fuerunt tria præcepta prima, quæ pertinent ad Deum, scilicet ad cognitionem & ad dilectionem Trinitatis. Sed in secunda tabula fuerunt reliqua septem, quæ pertinent ad proximum. Origines & ceteri dicunt, sex fuisse in vna & quatuor in alia. Obiectio.

Sed pro concordia istarum potest dici, quod ad literam fuerunt quinque præcepta in vna tabula, & quinque in alia, vt dicit Iosephus, qui attendit ordinem rei gestæ; Sed Augustinus, Magister & Origenes loquuntur secundum ordinem rei gerendæ. quia principalia teneantur ad præcepta, quæ immediatè Dominum respiciunt, vt sunt duo prima, de quibus Origenes facit quatuor. Et ideo Augustin. & Origenes tria prima præcepta, immediatè ad Dominum pertinentia, vocant præcepta primæ tabulæ. Et iste est communis modus loquendi Doctorum, qui in hoc modo loquendi sequuntur beatum Augustinum. Solutio.

Idcirco est sciendum, præceptum primæ tabulæ, *Non habebis Deos alienos, Non*

facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Hic Origenes, dicit duo esse mandata, ita quod illud sit PRIMVM. *Non habebis Deos alienos*, per quod secundum eum prohibetur Idololatria, quæ fit sub omni corporali imagine, vel figura corporali, vel idolo. SECVNDVM præceptum, vt ipse vult, *Non facias tibi sculptile*: per quod prohibetur idololatria, quæ fieri consueuit cum imaginibus & idolis. Sed èeontra de duobus vltimis, quæ sunt de concupiscentia, fecit vnum præceptum: & sic adhuc secundum ipsum, tantum sunt decem. Sed Beatus Augustinus facit tantum vnum, & ita communiter tenent Doctores. Et est ratio congruentiæ ad hoc, quod omnis idololatria conuenit in vna ratione, scilicet, adorare pro DEO, quod non est DEVS. Et valet tantum in affectu. *Non habebis Deos alienos*, solum verum DEVM adorabis.

Contra hoc præceptum primò peccant Gentiles, qui idola adorant, & hæc adoratio idolorum instinctu Diaboli processit, quia dicitur 26. q. 4. c. Sciendum. Idolorum culturam subtilitas adinuenit dæmonum. Est tamen NOTANDVM, quod certæ sunt causæ quibus idololatria fuit inducta.

I. Occasio Idololatriæ. PRIMA fuit nimius dolor de amici amissione. Pater enim amisso filio nimium dolens, imaginem filij sibi fecit, vt esset sibi solatium qualecunq; De hoc habetur. Sap. 14. *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est.* Sed sicut patres fecerunt imagines filiorum, sic & filij patrum mortuorum. Nam Magister histo. super. 11. c. Genes. dicit, & similiter Gregorius super Luc. 11. quod mortuo Belo Rege Græciæ, Ninus filius eius in solatium doloris pro morte patris, imaginem Beli fecit: cui tantam exhibuit reuerentiam, vt quibusdam reis, qui ad eam confugerant, parceret. Proinde omnes regni eius, diuinos honores cœperunt imagini impendere: Huius exemplo plurimi, charis suis mortuis, imagines dedicauerunt.

V Quomodo imagines adorandæ. Sed incidit hic vna dubitatio; Vtrum imagines sanctorum in Ecclesijs sint adorandæ? *Ad hoc* dicit Gregorius in registro lib. 10. Si quis imagines facere voluerit, minime prohibetur, adorare verò imagines modis omnibus omninò vetatur. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem solius Trinitatis prosternentur.

Obiectio ex Damasceno. Sed instaret aliquis, dicens. Ioannes Damascenus lib. 4. sentent. cap. 8. qui intitulatur de sanctis imaginibus, allegat magnum Basilium dicentem, quod honor imaginis ad πρωτότυπον, id est, ad exemplar pertinet. Vbi videtur docere, quod sanctorum imagines debeant adorari. *Ad hoc respondet* Holkot super lib. Sap. lect. 158. dicens, quod sic debeat intelligi, quod propter imaginis repræsentationem, licet mihi bene coram imagine sanctum illum cuius est imago, adorare, non tamen adoratione Latriæ quia solus DEVS sic adoratur, sed adoratione Duliæ. (Responsio.)

II. Idololatriæ occasio. SECVNDA causa quare idololatria fuerit inducta, fuit vesana superbia Principum qui non attendentes infirmitatem suam, voluerunt se vt Deos adorari, vt patet de Nabuchodonosore Iudith. 3. Principes superbi imagines suas adorari faciebant, ab his qui erant remoti ab eis.

III. TERTIA causa fuit adulatio, seu desiderium quod habebant minores ad acqui-

ren-

rendam gratiam maiorum. De qua Sap. 14. *Affectui ergo & regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Hæc quidem idololatria magnum est peccatum, quia Deo suum honorem aufert, & creaturæ, cuius non est, confert. De quo ad Rom. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,* quasi diceret, cultum soli Deo debitum, scilicet Latrię, exhibuerunt Ioui & Herculi qui fuerunt homines.

Adulatio.

SECVNDO contra hoc præceptum peccant auari, relinquentes cultum veri Dei, idololatriam committunt, iuxta illud Apostoli Eph. 5. *Auaritia est idolorum seruitus,* vbi dicit Glossa; Auari Deus, est nummus: auarus enim colit pecuniam, quia dicit Augustinus super Epistolam ad Philip. 2. Hoc ab homine colitur, quod præ ceteris diligitur. Cum enim auarus transit ante vineam pulchram, vel domum, vel cistam, in qua est pecunia, caput ei inclinat; Inclinatio enim capitis vt dicit Dionysius, est amor animi, & sic colit pro creatore creaturam.

Auaritia Idololatria.

Auari Deus est nummus

TERTIO peccant contra hoc præceptum gulosi, quia vilissimam creaturam scilicet ventrem, qui est saccus stercorum, Deificant. Ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est.*

Gula Idololatria.

Ex his iam elicio quod idololatria est triplex. *Prima* paganorum, quæ est mala, quia colunt aurum & argentum, iuxta illud Psal. 113. *Simulchra gentium argentum & aurum. Secunda* est auarorum, quæ est peior. quia adorant nummum, interius enim talem reuerentiam exhibet auarus nummo, aut vineæ, quam verus fidelis Deo in Crucifixi imagine. *Tertia* est gulosorum, & hæc est pessima. quia vilissimum colunt Deum, vt suprà.

Idololatria, triplex.

SECVNDVM præceptum primæ tabulæ est. *Non assumes nomen Dei tui in vanum,* quod est dicere secundum literam, vt dicit Magister lib. 3. distinctione 28. Non iurabis pro nihilo in vanum superfluè, id est falsè nomen Dei, Allegoricè tamen præcipitur ita, vt non putes creaturam esse Christum Dei filium: quia omnis creatura vanitati subiecta est, sed æqualem Patri. Circa quod sciendum, quod nomen Dei tripliciter sumitur in vanum. X

PRIMO corde sicut mali Christiani, & illi (vt dicit Augustinus lib. de doctrina Christiana) sunt Dei subsannatores. Ex sacramento enim vnctionis Christianorum, id est in Christo credentium, vocabulum descendit. Et ideo ille nomen illi frustra sortitur, qui Christum minime imitatur. *Et subdit.* Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen vsurpare alienum. quasi diceret, nihil. Si Christianum te esse delectat; quæ Christi sunt quære, & meritò tibi Christiani nomen assumes; aut fortè non es, sed vocari desideras, hoc satis fœtidum est & miserum, te velle vocari quod non sis. Nemo enim ita transit ad Christum vt Christianus appelletur & non sit. Qui Christianus dicitur esse, Christum se habere Dominum profitetur: & verè eum habet, si ei in omnibus seruiat & obsequatur. Hæc Augustinus.

Nomen Dei tripliciter in vanum sumitur.

I. Corde.

SECVNDO assumitur nomen Dei in vanum ore; & sic multi faciunt contra hoc præceptum. PRIMO blasphemi in Deum, & sic grauiter sunt puniendi, vt Extra de maleficis c. Statuimus, vt videlicet septem diebus Dominicis prę foribus Ecclesiæ in publico, dum aguntur Missarum solennia, blasphemus existat: vltimo illorum dierum Dominico, palliũ & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemq; pręcedentibus sextis ferijs in pane ieiunet & aqua, Ecclesiam ingressurus, &

II. Ore.

Pœna blasphemorum.

quolibet prædictorum dierum tres si poterit reficiat pauperes, & si non potest, in aliam pœnam commutetur. Et hæc blasphemia interdum venit ex hominis impatientia, vel ex propria malicia, aut immissione diabolica. Ideo legitur in Vitis patrum li. 2. doctrinæ Sanctorum PP. §. 98. Quidam frater impugnabatur à spiritu blasphemię & erubescebat dicere. Cumq; frequenter ad Abbatem Poëmenem venisset, vidit eum senex habentem cogitationes, dicit ei; Frater, ecce frequenter venis ad me habens cogitationes, & sic iterum remeas tristis tecum illas reportans. Dic ergò mihi fili, quid habes? Ait ille; In blasphemia impugnat me diabolus, & erubesco dicere. Mox, vt aperuit causam, leuior impugnatio eius apparuit: Et dixit ei senex; Ne tristeris fili, quando enim hæc cogitatio ad te venerit, dic: Ego causam non habeo, blasphemia tua sit super te ô Sathana. Hanc enim causam anima non vult.

Blasphemia vnde veniat.

SECVNDO faciunt contra hoc præceptum prædicatores, falsa intentione prædicantes, scilicet propter pecuniam, aut hominum fauorem; & illa mala intentio facit opus bonum non valere, vt 23. q. 5. c. Cum minister.

TERTIO, peccant contra hoc præceptum indeuotè orantes, de quibus Isa. 3. *Hic populus labiis me honorat, cor autem illorum longe est à me.* Vel etiam illi, qui in orationibus vocant Deum patrem; & tamen per peccata faciunt se filios dæmonum. De quibus dicit Dominus, Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* His prohibet Dominus dicens; *Non assumes nomen Dei tui in vanum,* id est, non dices pater noster, nisi filius sis Dei.

QVARTO peccant contra hoc præceptum malè iurantes, quod fit vno modo, dum quis sine causa diuinam nominat veritatem. Aliquando dolosè iurat, rem esse meliorem quàm est, vt faciunt mercatores. Et dicit Chrysostomus 22. q. 5. c. Iuramenti huius causa est, quia omnis qui iurat, ad hoc iuret, id est, iurare debet, vt quod verum est, loquatur.

III. Opere.

TERTIO assumitur nomen Dei in vanum opere, & sic *primò* faciunt contra hoc præceptum voti transgressores: quia dicit Hugo in lib. de sacrament. parte 12. c. 8. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ eorum, quæ ad solum Deum vel ad ea quæ Dei sunt, referuntur. Ex quo patet, quod qui votum frangit, mandatum hoc transcendit.
2. *Secundo* faciunt opere contra hoc præceptum hypocritæ, qui nomen Dei assumunt in simulatione operis exterioris, & non in cordis puritate.

TERTIVM præceptum primæ tabulæ est, *Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Vbi secundum literam præcipitur Sabbathi obseruantia: Allegoricè verò non requiem hic in vitijs, & in futuro Dei contemplationem exspectes. Et dicit Magister lib. historiarum: huic Sabbato, succedit dies Dominica in noua lege, non ex vi præcepti, sed ex institutione Ecclesiæ & consuetudine populi Christiani propter duo. *Primò*
1. propter beneficium creationis, quia hoc die mundus sumpsit exordium: *Secundò*
2. propter gaudium Dominicæ resurrectionis, vt dicit Innocentius Papa, de consec. distinct. 3. cap. Sabbato. Ideo Leo Papa dicit. 75. c. Quod die Dominico. In hac die mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem & mors interitum, & vita accepit principium.

Sabbatum cur in Dominicam mutatum.

Et dicit NOTANTER in hoc præcepto, *Memento*, quia illud præceptum non erat simpliciter inductum rationi sicut alia præcepta; quia determinatio istius

istius diei, qua celebrandum esset, & diuinis officijs seu obsequijs insistendum, vocanda est ceremonialis & non moralis, licet istud præceptum, quoad substantiam sit morale. Ideo dicit, *Memento vt diem Sabbati sanctifices.* De hoc dixi supra infra octauam Natiuitatis Christi, tertio principali K.T. Et in eo sermone L. A.

Contra hoc præceptum peccant PRIMO mortaliter peccantes; quorum sunt aliqui adulteri, qui violant hoc præceptum; Dicit enim Gregorius in dialogo, quod quædam legitima à viro suo cognita, cũ se die Dominica processioni ingereret, à diabolo vexabatur. Et si hoc fuit in legitima, quanto magis in adulteris. *Alii autem* sunt chorizantes. Ideo dicit Augustinus. Melius est diebus Dominicis arare vel fodere, quàm choreas ducere. Ratio, quia in primis, necessitas: in secundo verò, vanitas. Idẽ dicit; Melius esset vt diebus festiuis mulieres lanam trahãt, quàm quod in vanis publicè choreis saltant, *Tertii sunt* qui se in ebrietatibus exercent; & sic multa mala committunt, vt habes suprà Dominica I. Quadragesimæ serm. 2. T. K. Y Mortaliter peccant cõtra hoc præceptum. I. Adulteri. Choreæ, siue saltationes.

SECVNDO faciunt contra hoc præceptum manualiter laborantes. De quo suprà L. A. II. Manu laborantes.

QVARTVM præceptum secundæ tabulæ, pertinens cum sequentibus ad dilectionem proximi. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Et hoc refert secundum Magistrum lib. 3. distinct. 37. ad patrem carnalem, sicut primum primæ tabulæ ad patrem cœlestem. Et exponit hoc Magister de terra viuentium, *Et addit:* Parentes si sunt honorandi, vt eis debita reuerentia exhibeatur & necessaria ministrentur.

Contra hoc præceptum faciunt pueri, PRIMO, qui parentibus manus violentas inijciunt, propter quod hæreditate priuari possunt, vt Extra de iureiurando c. Quintauallis in glo. & ideo dicitur. Exodi 21. *Qui percusserit patrem vel matrem, morte moriatur.* Sed hoc non intelligitur, de leui percussione, vt dicunt Doctores nostri, & etiam Hebræi: quia propter ipsam filius non debet mori, sed aliqualiter pœnitere. Ideo dicit Rabbi Salomon: Nisi ex percussione fiat effusio sanguinis, aut liuor, non infertur pœna mortis, intelligitur etiam de percutiente à proposito, non à casu, nec etiam ex ioco. Contra quartum præceptum peccant. I. Pueri.

SECVNDO, faciunt contra hoc præceptum, qui parentibus mortem optant, vt ipsorum hæreditatem percipiant. II. Optantes mortem parentibus.

TERTIO, qui parentibus maledicunt. Exod. 21. & Leuit. 20. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Et dicit Glossa. Ista pœna non incurritur pro vno solo maledicto, sed assuefacto ad maledicendum. III. Maledicentes parentibus.

QVARTO qui eis non obediunt, dicit enim S. Thomas in quodam libello; Filij tenentur obedire parentibus in domestica conuersatione, & in his quæ tangunt disciplinam morum. IV. Inobedientes parentibus.

QVINTO, qui parentibus pauperibus non subueniunt, de quibus in authent. c. Licet matri & auiæ §. Illud quoq; collat. 8. filij locupletes tenentur alere parentes egenos, sicut parentes locupletes, filios. Cessat tamen hæc obligatio, vt dicit Hostiens. Si illi possunt de bonis proprijs vel de suo artificio sustentari. V. Non subuenientes parentibus.

QVINTVM præceptum secundæ tabulæ. *Non occides.* vbi secundum literam actus homicidij prohibetur, secundum verò spiritualem intelligentiam, etiam voluntas occidendi prohibetur.

1\. Contra hoc præceptum PRIMO faciunt qui proximum odiunt, vt supra Dominica II. post Epiphaniam N. I. 2. SECVNDO qui pauperibus necessaria subtrahunt. Dicit enim Ambrosius lib. de offic. & habetur 36. distinct. c. Pasce fame morientem, 3. si non paueris occidisti. TERTIO, qui hominibus detrahunt, quia spiritualiter eos occidunt vt suprà N. S.

SEXTVM præceptum secundæ tabulæ est, *Non mœchaberis*, id est, ne cuilibet miscearis excepta fœdere matrimoniali, sicut exponit Magister lib. 3. dist. 37. Et est dictum Isidori super Exodi. Et ponitur 32. q. 5. *Non mœchaberis*. Et licet secundum Augustinum super. Exod. Nomine mœchiæ, omnis illicitus coitus intelligatur, propriè tamen mœchari idem est, quod adulterari. Vnde mœchus Græcè, adulter dicitur latinè, vt dicit Gregorius 32. q. 5. c. Qui viderit.

Peccantes contra sextũ præceptum. Contra hoc mandatum faciunt fornicatores, stupratores. Virginum raptores, continentiæ fractores, adulteratores, &c. de quibus dicetur infra Dominica Lætare serm. 1.

SEPTIMVM præceptum secundæ tabulæ est; *Non furtum facies*, vbi sacrilegium & omnis rapina prohibetur, vt dicit Magister libro 3. distinctione 37. Non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed furti nomine benè intelligi voluit omnem illicitam vsurpationem rei alienæ: sicut sibi vsurpant vsurarij. Et dicit Magister, vbi suprà, Sacrilegium tribus modis committitur. Quando sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro vel sacrũ de sacro aufertur. Sacrũ dicitur quicquid mancipatum est diuino cultui, vt Ecclesia vel res Ecclesiæ. Et dicit Magister, hic etiam vsura prohibetur, quæ sub rapina continetur. Est autem vsura secundum Augustinum super illud Psal. 54. *Non deficiet de plateis eorum vsura*. Vsura est, cum quis plus exigit per iniuriam in qualibet re, non enim tantum in pecunia, sed in omni re vsura committitur, quod etiam testatur Beatus Hieronymus super illud Ezech. 18. *Vsuram & super abundantiam non acceperit*. Putant, inquit, aliqui vsuram tantum esse in pecunia, sed intelligant, vsuram vocari superabundantiam, scilicet quicquid est, sibi ab eo quod dederit plus est: vt si in hyeme damus decem modios, & in messe quindecim recipimus.

Sacrilegium triplex.

Quid sit vsura.

In decimis plebanos decipientes.

Contra hoc præceptum faciunt etiam adhuc multa genera hominum. PRIMI qui plebanos suos in decimis decipiunt, & in oblationibus. Nam vt dicit Augustinus 16. q. 1. c. Decimæ sunt tributa egentium animarum; quod si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum accipies, sed etiam sanitatem consequeris, vbi tangit Augustinus duas vtilitates. *Prima* abundantia fructuum; *Secunda* sanitas corporis. De prima refert Cæsarius lib. 10. dialog. cap. 13. Miles quidam vineam habuit, de qua circa decem carratas, vulgariter Fuder/ annuatim colligere solebat, de qua & decimam dare oportebat. Anno quodam vnam solam carratam colligens in ea, ait: Domine Deus, quod meum fuit tulisti, quod tuum est offeram tibi, deditq; eandem carratam loco decimæ. Eodem tempore germanus eius existens sacerdos adueniens, vineam repletam vidit botris. Et cum fratrem quasi de negligentia vindemiæ argueret, mirantem & minus credentem introduxit, & ecce benedictione Domini ita est inuentum, nec vmquam aliquo anno vberiores fructus fecit, quàm illo. *Tertia* vtilitas est indulgentia peccatorum. *Quarta* cœleste regnum, de illis iterum dicit Augustinus vbi suprà. Qui præmium comparare, aut indulgentiam peccatorum

Militis vinea miraculosè repleta.

rum desiderat promereri, reddat decimam,& de nouem partibus eleemosynam studeat dare pauperibus; Qui verò non dat decimam suam, econtra puniatur. Ideo dicit Dominus Malach. 1. & 3. *Quia non reddidistis mihi decimas & primitias, idcirco in fame & penuria maledicti estis.* Et B. Augustinus 16. q. 1. c. Decimæ. Cum decimas dando, & terrena & cœlestia possis præmia promereri, pro auaritia duplicem benedictionem fraudas, id est, subtrahis tibi, hæc est enim Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimas reuoceris, id est amittis nouem partes. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.

Contingit enim multoties, quod laici qui defraudant plebanos suos in decimis, exactionantur à suis dominis. De obligationibus, quas tenentur laici sacerdotibus, dicitur de conse. dist. 1. c. Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offere, & reducere ad memoriam, quod dicit per Moysem Dominus Exod. 34. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Et dicunt Doctores, quod in quatuor festiuitatibus Paschæ, Pentecostes, Natiuitate Domini, & Assumptionis B. Virginis, debēt offerre singuli integrum denarium, vel nummum, sicut est consuetum, vt dicit Glossa super illud Psal. 117. *Constituite diem solennem.* Et si plebes talia offertoria non dant suis plebanis, peccant contra hoc præceptum. A

Quando oblationes faciendæ.

SECVNDI sunt, qui censum furtiuè Dominis suis subtrahunt. Dicunt enim Doctores, quod census qui ab initio fuit impositus sine dolo & fraude, integraliter debet solui: & si quis de hoc subtraxerit, peccat mortaliter. Et dicunt leges, censitus qui non dat censum tempore recto & statuto die, & omnibus diebus, dummodo habet esse suum sub domino, dupliciter persoluet. & hoc non est vsura, quia statutum est nomine pœnæ, ideo potest esse Deificum vt 12. q. 2. in legibus & c. de vsuris & fructibus legatorum, seu fidei commissorum.

Censum furtiuè subtrahentes.

TERTII sunt qui feudum alienauerunt à Domino, & in alterius Dominium transferunt: Et tales feudum amittunt, & illud liberum ad Dominum suum reuertetur, vt probat Hostien. in sua summa c. de feudis.

Feuda alienantes.

QVARTI sunt serui & ancillæ qui res dominorum consumunt furtiuè, vel ipsis inuitis eleemosynas inde faciunt. Dicit enim Thomas in 4. dist. 15. Serui & ancillæ quamuis sint liberæ conditionis, non tamen possunt eleemosynas dare de rebus dominorum suorum, sine eorum consensu, nisi panem & huiusmodi, quæ non inferunt sensibile nocumentum.

Furtiuè consumētes bona dominorum.

QVINTI sunt (qui peccant contra hoc præceptum) vxores, quæ res furtiuè subtrahunt maritis, & de eis contra voluntatem ipsorum eleemosynas faciunt. Contra quod dicitur in quodam Canone: Nihil de tua veste, vel auro, vel argento, vel quacunq; pecunia, vel etiam rebus tuis, inuito marito facere debuisti. Sed fallit hoc, *primò* si vxor fuerit lucratiua: 1. *Secundò* si habet res proprias, vt paraphernalia, de illis inuito marito facere potest eleemosynas, vt c. de compactis conuentis hac lege. 2. *Tertiò* si habet res aliquas suæ dispensationi commissas, vt est panis & vinum, & sic de alijs potest de his facere eleemosynas moderatas, secundum viri facultates. 3. Et debet semper sibi formare conscientiam, quod viro non displiceat corde, licet interdum prohibeat ore, vt dicit Raymundus.

Vxores furtiuè maritis res subtrahentes.

SEXTI sunt, qui aliena rapiunt, qui omnes restituere tenentur, vt habes supra Dominica infra octauam Epiphaniæ serm. 3. M. A.

Aliena rapientes.

SEPTI-

Inueni non restituentes.

SEPTIMI sunt, qui res inueniunt alienas, & non restituunt. de quibus dicit Hieronymus 14. q. 5. c. Multi sine peccato putant esse, si alienum quid inuenerint & tenent, & dicunt; Deus mihi dedit cui habeo reddere: discant ergo, hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddit. Et dicit Raymundus quod reddere debet illi qui amiserit, si inueniri poterit, & faciat hoc publicè dici per præconem in Ecclesijs, vel in loco vbi rem inuenit; Si verò eum non inuenit, cũ consilio & auctoritate sui confessoris retineat si pauper est, & oret pro illo cuius fuit. Si autem non est pauper, tum eroget pauperibus. De hoc legitur in Vitis patrum lib. 2. cap. 138. Abbas Ioannes à quodam fratre mutuauit solidum vnum, vt linum compararet & operaretur, quod cum emisset, venit ille repetens solidum. Cui Ioannes: Ego vadam & afferam tibi. Et iuit ad Abbatem Iacob vt peteret eum, vt redderet illi à quo mutuauit. Et dum iret per viam, solidum iacentem tertio inuentum sustulit & facta oratione tulit illum ad Abbatem & dixit. Abba veniens ad te inueni hunc solidum in via, Fac ergo charitatem & prædica sic in ciuitate, si quis perdiderit illum, & si inuentus fuerit Dominus eius, reddes illi. Profectus est igitur senex & per tres dies prædicauit, & nemo inuentus est, qui perdidisset, & tunc reddidit fratri cui debuit ex mutuo.

Exemplum.

Indebitas exactiones extorquentes.

OCTAVI qui contra hoc præceptũ faciunt sunt qui indebitas exactiones à subditis extorquent, & siue per se, siue per alios, directè vel indirectè, tenentur restituere. distinctione 18. de eulogijs, & 1. quæstione 2. c. Placuit & capit. Quam pio. Et dicitur cogere indirectè quando negat subditis iustitiam, vel non defendit eos, vt sic aliquid extorqueat, vel insinuari faciat quod vult aliquid habere. Sed tres causas habes suprà Feria sexta post Esto mihi sermo. 1. D. P. In quibus potest Dominus moderatam exactionem capere.

Debita ciuium oppignorantes.

NONI sunt qui propter debita Dominorum ipsos ciues & subditos indebitè impignorant, dimissis rebus principalium debiturum.

Mercedẽ seruorum detinentes.

DECIMI sunt qui mercedem seruitorum indebitè detinent, quod est contra illud Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te vsq; mane*. Et Deut. 24. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, vt ex eo sustentet animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*. Similiter Tobias docuit filium suum Tob. 4. *Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui omnino apud te non maneat*. His concordat Tullius moral.

Si tibi seruierit aliquis, sua præmia tecum.
Non retinere velis, si diligis æquum id est, iustitiam.

Ludendo alios decipientes.

VNDECIMI sunt qui in ludo proximum decipiunt, de quibus habetur suprà Dominica III. post Epiphaniam sermone 1. O. F.

OCTAVVM præceptum secundæ tabulæ. *Ne loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*. De hoc vide suprà Dominica III. &c. O. K. In hoc præcepto crimen periurij & mendacij prohibetur, & principaliter illud mendacium, quod obest ei cui dicitur, vel non prodest.

Genera octo mendacij.

Vbi NOTA Augustinus lib. de mendacio ponit octo genera mendacij, quæ ponuntur allegatoricè per Gratianum in decreto 12. q. 2. c. Primum & Magistrum lib. 3. distinct. 38. cap. 1. vbi dicit.

PRI-

PRIMVM capitale, id est principale, est mendacium longèque fugiendum quod fit in doctrina religionis: Glossa contra articulos fidei, ad quod nulla causa quisquam debet adduci. SECVNDVM est tale quod nulli prosit, sed obsit alicui. Et ponit Glossa exemplum de mendacio detractoris, vt falsi testis in causa criminali, & de illo dicit lex. Non est ferendus qui vult obesse; & non prodesse ff. de rei ven. L. in fundo. TERTIVM est quod ita prodest alicui vt alteri, obsit. Glossa ponit exemplum de mendacio testis iniqui, in causa pecuniaria. QVARTVM quod sola mentiendi fallendique libidine fit, quod mirum est mendacium: quasi diceret, mirum quod aliquis ita vult mentiri, vbi nulla vertitur vtilitas. QVINTVM, quod fit, placendi cupiditate de suaui eloquio, quod secundum Glossam faciunt adulatores, vt dicitur distinctione 46. cap. Sunt nonnulli. *Et subdit Augustinus*, His omnibus euitatis, quia secundum Glossam sunt mortalia: Sequitur SEXTVM genus quod nulli obest & prodest alicui, vt si quis pecuniam alicuius iniustè esse tollendam sciens, vbi sit nescire se mentiatur. SEPTIMVM, quod nulli obest & alicui prodest, excepto si iudex interrogat, vt si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur non solum iustum atque innocentiæ, sed & reum quia Christianæ disciplinæ sit, vt neq; de cuiusquam correctione desperetur neq; pœnitendi aditus intercludatur. OCTAVVM quod nulli obest & adhuc prodest, vt ab immundicia corporali aliquem tueatur vt si virgo timens corruptionem fingeret se maritatam. In istis tribus tanto minus peccat quisquam cum mentitur, quando magis à primo scilicet mendacio recedit.

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

Item in hoc præcepto prohibetur etiam periurium quod secundum Magistrum lib. 3. dist. 39. est mendacium confirmatum in iuramento. Et dicit Magister: ille creditur periurare, qui falsum voluntate fallendi iurat. Et qui falsum putans quod verum est, iurat, & qui verum putans, quod falsum est, iurat. Et sumpsit hoc ex dicto beati Augustinus super verbis Apostoli, qui dixit se venturum ad Corinthios, & præpeditus non venit.

Item contra hoc præceptum peccant derisores, qui timere debent illud Prouerb. 19. *Derisoribus parata sunt supplicia*. Nam pueri quadraginta duo, qui deriserunt Eliseum, per ipsum sunt maledicti *& per duos vrsos lacerati*. 4. Regum 2.

Item peccant contra hoc præceptum qui conuitijs proximos conturbant, & hi vulnerant cor illius cui conuitium dicunt, de quo dicitur Eccl. 28. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem lingua comminuet ossa*, ideo dicit Hieronymus. Sicut homo cauet ne aliquem percutiat baculo, sic debet cauere ne aliquem percutiat conuitio.

NONVM præceptum: *non desiderabis vxorem proximi tui*. IX.

DECIMVM *Non concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam*. Glossa dicit Ancillam contingit concupisci dupliciter. *Vno modo* ad concubitum, & sic pertinet ad nonum præceptum. *Alio modo* ad dominum, & sic pertinet ad decimum. In his enim vltimis præceptis mala intentio prohibetur. Posset enim aliquis dicere, quod ista duo præcepta essent superflua quia nonum concordat cum illo: *Non mœchaberis*, & decimum cum illo: *Non furtum facies*. Ideo, dicitur quod in sexto & septimo opera sunt prohibita: In istis autem intentio mala, ita quod illa duo præcepta manum prohibent, ista verò vltima animum. X.

Ecce audistis dilecti mei decem chordas psalterij videlicet decem præcepta vtrique sexui imposita, quæ quidem chordæ tangendæ sunt, vt bestiæ videlicet vitiorum

occidantur, vt dixi supra Dominica III. in aduentu sermone 2. H. E. Sed timeo quod iam pauci nostrum tangunt has chordas decem præceptorum, ea videlicet implendo. Nam legitur in Vitis patrum: Quidam sancti patres quodam tempore erant congregati, & de vltimis generationibus prædixerunt: inter quos vnus præcipuus, nomine Quiris, dixit: Nos adhuc præcepta Dei impleamus. Audientes hoc alij, interrogauerunt eum dicentes. Quid facient, qui post nos venturi sunt? At ille respondens ait. Media forte complebunt præcepta, & æternum requirent DEVM. Dixerunt patres, post hos qui veniunt quid facturi sunt; Respondens dixit; Homines generationis illius mandatorum DEI opera non habebunt, & præcepta DEI obliuiscentur. Re abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, veniet autem super eos magna tentatio. Et qui inuenti fuerint in illa tentatione probati, & nobis patribusque nostris meliores existent, & feliciores atque probabiliores.

Exemplum.

DE EADEM FERIA QVARTA.

Sermo Secundus.

Accesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi dicentes: Magister volumus à te signum videre. Matth. 12. Marci. 4. & Lucæ. 6.

C

ARISTOTELES in libro animalium, dicit. Sunt quidam leones siluestres, qui habent magnitudinem tauri, & hi sunt illius naturæ, cum vident, quod de manu venatoris, vel canum suorum euadere non possunt, proijciunt ex se stercus per quatuor passus, dumque canes stercus odorant, circa odorem detinentur, sicque fugiunt, & ab eis elongantur.

MORALITER, Per venatorem intellige Dæmonem, quia sicut venatores in siluis circumeunt ad capiendam feras, sic Diabolus in silua huius mundi *circumit quærens quem deuoret:* sicut patet. 3. q. 1. cap. Nulli dubium. Vbi dicitur; Diabolus non cessat circumire quærens quem deuoret, & quærere quos ex fidelibus perdat, & maxime illos, quos ardentiores in seruitio DEI Saluatoris, eiusque familiares inuenerit. Sed per canes intelliguntur adulatores. Sicut enim canes aliqui homini in principio quasi applaudunt verbis blandis, sed postea mordent: Sic etiam adulatores primò applaudunt verbis blandis, quia tales, vt dicit Ægidius Romanus in lib. de regimine principium, omnia dicta vel facta referunt ad placentiam auditorum, & ad laudem ipsorum: sed tamen in hoc prætendunt malum, iuxta illud Prouerb. 30. *Qui plandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Sed per leones intelliguntur homines, quia sicut leones sunt mundi & mites, si sunt castrati, sic & debent homines esse mundi & mites. Quia *beati mites, quoniam possidebunt terram.* Matth. 5. Et iterum. *Beati mundo corde quia ipsi Deum videbunt.*

Adulatores canibus similes.

Homo, leo.

Isti igitur ad instar leonum siluestrium, si volunt effugere venatores, dæmones, & adulatores eius canes, debent proijcere ex se stercus gloriæ & laudis, de qua dicitur. 1. Machabæor. 2. *A gloria viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius stercus & vermis est.* Et hanc quidem debent à se proijcere per quatuor passus, vt docet Anselmus libro

Gloria.

libro similitudinum. 2. cap. 41. *Primus* est, quod habita dimittant. *Secundus*, quod habita non quærant. *Tertius*, quod ablata restituant. *Quartus*, quod corde teneant. Sic fecit Christus quando Scribę & Pharisæi cum adulatoriè Magistrum vocauerunt, & ad gloriam laudis incitare voluerunt cum dixerunt: *Magister, volumus à te signum videre.* Ecce adulatio, quod *Magistrum* eũ vocauerunt, eius tamen discipuli esse renuunt: sed Christũ capere non poterant, quia gloriam respuit cum signum coram eis facere voluit, sed dixit, *Generatio mala, & adultera signum quærit & non dabitur ei signum* &c. In quibus verbis sancti Euangelij, summatim tria genera hominum reprehendit, scilicet, curiosos inqusitores, ibi; *Magister volumus*; Duros peccatores, ibi; *Viri Niniuitæ*. Insanos recidiuatores, ibi; *Cum immundus spiritus.*

De PRIMO est sciendum. Curiositas est multiplex. PRIMA est in scientijs inquirendis. Cum enim aliqui nimis curiosi, mundanas simul & diuinas scientias scire volunt, in errorem nonnunquam cadunt. Similitudinem habes in culice, quam ponit Anselmus lib. 4. cap. 2. dicens: Culex qui lucipetens est, lumen candelæ libenter videt sed dũ in lumen nimis irruit, seipsam comburit; Similiter, qui diligunt lumen diuinæ & humanæ scientiæ; interdum nimis curiosè vel præsumptuosè perscrutando ipsum quasi in lumen impingunt, in alicuius erroris ignem incidendo seipsos occidunt. Curiositas varia. I. In scientia inquirenda. Simile.

Et hoc patet, *primo* de Eua, quæ sic curiosè bonum & malum scire petiuit, & quasi DEVS fieri voluit, cum dixit serpens: *Eritis quasi Dij, scientes bonum & malum*, Genes. 3. Ideo seipsam cumbussit, & in mortem corruit. *Secundo* patet, de quodam Philosopho, de quo refert Valerius in Polycrate: Cum quidam Princeps Romanus Ciuitatem Syracusanam obsedisset, fuit ibi quidam Philosophus, Archimedes nomine, quem cum Princeps cognouisset, prohibuit, quod nemo ipsum occidere deberet. Dum igitur ciuitatem intrassent, prædictum Philosophum, ex quo erat Mathematicus, figuras in terra ex sua curiosa scientia facere inuenerunt. Quod cum vidisset Principes suasit ei, vt figuras dimitteret, ait Philosophus. Dimitte me figuras facere, quasi diceret: Tenta tu facta tua. Et voluit in inquirendis scientijs esse curiosus, licet videt super se vibratum gladium. Cum igitur nollet desistere, Princeps ipsum gladio interemit. Ideo dicit Gregorius Nazianzenus: Scientiæ desiderium, & inquisitio quęstionum, nisi timor DEI pręcesserit, effręnatos animos effecit pręcipites. De hoc dicit Salomon Eccles. 1. *Proposui in animo meo, quærere & inuestigare sapienter de omnibus, quæ sunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit DEVS filijs hominum, vt occupentur in ea.* Vbi dicit Glossa: Studium curiosorum, potest dici occupatio mala, peior pessima. *Mala*, propter afflictionem, tam corporis, quàm animæ, quę est ibi est; & pręcipuè est ista afflictio, vbi parua vel nulla vtilitas. Ideo dicit Seneca: Quid te torques in illa quæstione, quam subtilius est contexisse, quàm soluere. Est autem *peior*, propter contemptores sapientiæ, & fastidiosos auditores. Quid enim prodest curiosè scientias inquirere, cum pauci vel quasi nulli, dignentur eam audire. Quia dicitur Prouerb. 1. *Sapientiam atq; scientiam stulti despiciunt.* Et dicit Glossa. Ideo sapientia à stultis despicitur, quia ab eis non cognoscitur, sicut aurum & argentum à brutis conculcatur, quia ab eis non cognoscitur. Exemplum. Curiosorũ occupatio mala.

D

Curiositas in inuẽtione nouitatum.

SECVNDO, curiositas est in nouitatibus inueniendis, sicut faciunt aliqui in nouis vestibus, aliqui in gestibus, vel verbis. De curiositate vestium & verborum dicit Hieronymus ad Nepotianum in Epistola: Curiositas maximè vitanda est clericis, in vestibus præcipuè & in verbis. De curiositate gestuum dicit Basilius in regula: Displiceat igitur viris sanctis curiositas in gestu, mollicies in vestitu, adulatio in affatu. Quare autem hæc curiositas nouitatum reprehenditur, causa est: quia est instrumentum diaboli ad animas occidendum, sicut dicit Anselmus in lib. 5. cap. 34. & declarat sic: Sunt enim curiosi homines similes ceruis siluestribus, de quibus dicit Plinius in specul. nat. quod tantæ sunt simplicitatis, vt omnem mirentur & stupeant nouitatem. Vnde vrso & bubulo ad eos accedente, ita in eum respiciunt, vt hominẽ prius iuxta se venientem, & sagittis eos impetentem, non aduertant. Ita curiosi homines, mentes circa quaslibet nouitates inutiles occupant, vt iaculis diaboli feriantur & necentur, sicut testatur Varro in sententijs li. 1. Hoc modo iam increuit in hoc mundo, vt curiosa vanitas hominum, subuersio grandis atque perditio sit eorum. Ideo dicit Apostolus 1. ad Timot. 6. *Diuita prouanas vocum nouitates.*

Homines curiosi ceruis similes.

Curiositas in astrorum aspectu.

TERTIA curiositas est in astris inspiciendis. Sunt enim nonnulli, qui non contenti terrestribus; volunt etiam curiosè super cœlestia & astra perscrutari. Contra quos dicit Beatus Augustinus, contra assignationem Arij de futuris. Quid curiosè futurorum quæris scientiam euentum & astrorum? Te quæras, te inuenias, & sic viam, quæ nobis crandis restat tutè peragras. Et idem in sermone ponit causam dicens: Multo facilius inuenit humilis siderum conditorem, quàm superbi curiositas siderum ordinem.

Curiositas cur reprehensibilis. Simile de Leopardo.

Quare autem curiositas est reprehensibilis, ratio est, quia est fouea ad animas capiendas, sicut per similitudinem probat Aristoteles libro 8. animalium & Auicenn. de Leopardo qui sentiens aliquid sibi gratum, ita ardenter desiderat, quod præ nimio amore illius saltat excessiuè ad illud, donec habeat. Ideo venatores scientes eius conditionem, suspendunt ad arborem aliquid, vt stercus humanũ, quod sciunt diligere ipsum; ita quod illud capere non possit, & cum sentit incipit saltare adeo, quod efficitur fessus, vt se non possit leuare, & sic capitur, quia aliàs minime capi potuisset. Sic sunt aliqui adeo ardentes in inuestigatione siderum, quæ supra se sunt, vt etiam quasi excessiuè saltent ad ipsa cognoscenda, quæ tamen minimè cognoscere possunt, iuxta illud Eccles. 8. *Est homo qui diebus & noctibus somnum oculis non capit. Et intellexi, quod omnium operum DEI nullam possit inuenire homo rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quando plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat.*

Sed tamen tales curiosi hoc non aduertunt, sed inuenire dum ea volunt, multoties in foueam erroris dilabuntur, & à Diabolo capiuntur. In signum istius refert Laërtius de Philosopho, qui dicebatur Thales, qui fuit Mathematicus & primò inuenit quantitatem solis & lunæ. Hic tam curiosus exstitit, vt singula astra vellet indagare. Ob hoc quandam vetulam conduxit, quæ noctis tempore eum per campi planicies duceret ne in foueas caderet. Qui cum ab ipsa duceretur semper interim astra contemplabatur: volens autem ipsa, velut prudens mulier, eius curiositatem castigare, in quandam foueam permisit eum cadere. Et ait: Ecce miser, quid vis scrutari cœlestia, qui nondum scrutatus es terrena; prius enim terrena perscrutari debuisset, ne in hanc foueam deuenisset. Ideo dicit Sapiens Eccles. 3. *Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne*

Exemplum

te ne scrutatus fueris: quæ præcepit tibi Deus cogita semper, & in pluribus eius operibus ne fueris curiosus.

QVARTA curiositas, est in signis expetendis. Et hanc curiositatem habuerunt Scribæ & Pharisæi, qui signum à Domino petebant, dicentes: *Magister, volumus à te signum videre:* sed Christus eos non exaudiuit, quia necessarium non fuit. Curiositas in signis petendus.

E

In primitiua enim Ecclesia signa fuerunt necessaria triplici de causa. *Prima*, quia tunc Ecclesia erat ad fidem introducenda, sed postquam est introducta, iam non existunt necessaria miracula, sicut seta in filo ponitur, vt ipsum introducat, sed postquam introductum fuerit, seta necessaria non erit. *Secunda*, quia Ecclesia tunc erat in fidei roboranda, modo iam roborata est; miracula igitur necessaria non sunt. Et ponit Gregorius exemplum de planta cui tamdiu aquam infundimus, quousque in terra conualuisse videmus, & postquam radices firmauerit, inundatio aquæ necessaria non erit. *Tertia*, quia Ecclesia modo in meritis est cumulanda, sed vt dicit Gregorius in homilia: Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Ideo dixit Dominus. *Generatio praua & adultera*, propriè vndrtig / *signum quærit, & signum non dabitur ei.* Signa in prima Ecclesia cur necessaria. I. II. III.

SECVNDO, Dominus hic reprehendit duros peccatores. Vbi NOTA. Multi duri peccatores existunt, qui nec sanguine Christi, aut passione eius frangi, & induci ad pœnitentiam possunt. Refert enim Solinus in lib. de mirabilibus mundi, de adamante, qui adeo durus existit, quod nulli materici cedit, nec ferro, nec vllo igne incalescit, frangitur tamen sanguine hircino calido. Quid est adamas solidus, nisi peccator induratus? De quo Prophetauit Iob. 41. *Cor eius indurabitur sicut lapis:* Sed quis est hic hircus, nisi Christus! quia figuratus est per hircum emissarium, qui mittebatur in desertum, quo ad Deitatem, cum alter immolabatur qui significat humanitatem. Ideo dicit Ambrosius in expositione Psalterij, quem allegat Magister libro 3. distinct. 21. Hic est hircus appopempeius, id est emissarius, qui altero hirco immolato in solitudinem mittebatur, vt legitur Leuit. 16. *Et subdit.* Duo hirci, id est humanitas & Deitas Christi intelligitur. Humanitate igitur immolata diuinitas in solitudinem abijt, id est in cœlum, per quod intellige occultatum: quia occultauit potentiam suam, vt auxilium non exhiberet. Adamantis duricies. Christus hircus emissarius.

Sicut enim adamas non frangitur ferro vel igne, sic quidam peccatores sunt adeo indurati, quod nec franguntur, nec molliuntur ad pœnitentiam, ferro aduersitatis, nec igne charitatis; sed vtinam mollirentur sanguine Christi passionis. Sed sunt nonnulli, qui cum Pharisæis & Scribis nullo modo conuerti possunt, audita Christi passione, cum enim diceret eis Christus: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ:* vbi insinuauit suam passionem, sepulturam & resurrectionem. Ipsi tamen conuerti nolebant, ideo duriores sunt petris, quæ in passione Christi *scissæ sunt*. Matth. 27. Peccatores adamante duriores.

F

SECVNDO, isti sunt duri peccatores, & hic à Domino reprehenduntur, qui per prædicatores sacræ scripturæ non conuertuntur. Vbi NOTA. Ad hoc, vt peccator durus conuertatur, quatuor requiruntur, sicut figuratum est Zachar. 1. vbi dicit Zacharias. *Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, vt deijciant cornua*, quæ sunt dura, & intelliguntur per cornua peccata indurata; per quatuor fabros, qui debent illa cornua deijcere; significantur prædicatores, vt dicit Nicolaus de Lyra in Glossa morali. Ad cõuersionem peccatoris quatuor necessaria.

Ad quos quidem prædicatores, vt dicit idem, quatuor oportet concurrere, quæ in corporali fabricatione concurrunt, scilicet artifex, materia dura, malleus, & ignis. *Artifex* est prædicator: *materia* dura peccator: *Malleus* verbum diuinum, quod *malleus conterens petras duras*. Hiere. 31. *Ignis* autem est Spiritus sanctus, qui mollificat corda dura.

Istis igitur quatuor in prædicationibus concurrentibus, deijciuntur cornua peccatorum. sicut factum est de Niniuitis, qui ad prædicationem Ionæ conuersi sunt, sicut habetur Ionæ 3. vbi legitur quod Ionas ait: *Adhuc quadraginta, dies & Niniue subuertetur*. Glossa. si non aget pœnitentiam. Hæc fuit Prophetia comminationis, quę aliquando mutatur, vt sequitur: *Crediderunt Viri in Niniuita in Deum; & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad maiorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gestent quicquã nec pascantur, & aquam non bibant: & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à sua mala. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus: Et vidit Deus, opera eorum, & misertus est Dominus super malitiam eorum.*

Sed (heu) iam inueniuntur multi duri, qui fortè adhuc in multis prædicationibus conuerti non poterunt. Sed dicit hic Dominus, quod *viri Niniuitę surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*. Ipsi autem nolunt conuerti in prædicationibus Christi, qui tamen plus est quàm Ionas.

TERTII sunt multum duri, qui per bona exempla conuerti non possunt. Multi enim sunt, qui secuti sunt exempla peccantium; sed nolunt sequi iam exempla pœnitentium. Contra quos dicit Isidorus libro sententiarum: Si paruorum sæpe secuti sumus exémpla, cur non imitamur sanctorum digna, & Deo placita facta? Et apti fuimus imitari iniquos ad malum; cur pigri sumus imitari iustos ad bonũ; Et B. Ambrosius dicit ad Theodosium Imperatorem, cum allegasset, quod & Dauid Rex adulter & homicida fuisset, & peccasset. Si inquit, secutus es errantem, sequere & pœnitentem. Quare ergo debemus sequi exempla pœnitentium.

Dicit Anselm. lib. 2. cap. 49. Exempla sanctorum qui à gratia ceciderunt, & postea resurrexerunt, sunt alijs valdè proficua: & probat hoc per similitudinem dicens. In montibus Indiæ sunt quidam capreoli, qui ab herbis aromaticis pascuntur; in quorum vnguibus sunt quædam concauitates, in quibus colliguntur humores, ad apostemata, quæ primò ad maturitatem & motum, & confricationem rumpuntur, & à corpore cum pilosis folliculis abstrahuntur, & substantia. Inter pelliculas continetur summè bona & odorifera, aromatica, maximè preciosa, plurimum vtilis in medicinis, & vnctuosa, vt dicit Dioscorus, & Platearius. Et illud muscum vulgariter dicitur, & tunc exponit hoc moraliter dicens; quod capreoli sunt sensus hominis humiles & solliciti, qui quasi aromaticis pascuntur, quia frequenter multis donis & diuinis gratijs replentur, sicut patet de sancto Petro, qui gratiam miraculorum expellendi dœmones cũ alijs Apostolis habuit, & sanandi infirmos. Matth. 10. *Conuocatis discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent illos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Sed tamen cum illis peccauit, & hoc figuratur per illud, quod in vnguibus, id est sensibus, siue affectibus, remanent quædam

Simile à Capreolis Indicis.

conca-

concauitates, id est defectus quidam, & pronitates ad malum, quia *sensus & cogitatio hominis proni sunt ad malum ab adolescentia sua.* Genes. 8. Et ponitur. 12.q.1.c. Omnis ætas ab adolescentia sua prona est in malum. Et 20. q. 3. c. Procliuis. Vbi dicitur, Procliuis rursus hominis est ad voluptatem, & natura vitiorum est imitatrix. Natura vitiorum imitatrix.

Idcirco quidam humores interdum ex incautela, vel negligentia, multiplicantur affectionum, in tantum, quod generatur ex eis apostema alicuius peccati grauis, sicut factum fuit de peccato negationis Petri, quod graue fuit. quia dicit Augustinus. 11. quæst. 3. c. Non solum. Quanta est vita confiteri Christum, tanta mors est negare ipsum. Sed sicut illa apostemata in capreolis rumpuntur, propter motũ & discursum: sic propter motum compunctionis, & discursus nimiæ considerationis, frangitur talis peccati affectus, & impilosis folliculis, id est, affectiuis & asperis exercitijs trahitur à corde; sicut iterum patet de Petro, qui per asperam pœnitentiam fletus lacrymarum, attraxerat de corde id peccatum negationum trinarum.

Illud exemplum Petri & aliorum pœnitentium, est alijs peccatoribus quasi muscum odoriferum & medicinale ad peccata sua diluenda. Qui autem per bona exempla aliorum conuerti nolunt, per Reginam Austri condemnabuntur, quam exemplum boni Regis Salomonis traxit de longinquis patribus. De hoc dicit Dominus: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista* scilicet, quæ per bona exempla conuerti noluit, *& condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon hic.* Quia Christus in suis exemplis, in quibus nobis præcessit, multò plus est quam Salomon: & etiam exempla suorum sanctorum multò maiora sunt, quàm Salomonis, si illa sequi nolumus, meritò condemnabimur. De tertio membro patebit, infra Dominica II. Sermone. 2. &c.

FERIA SEXTA POST INVOCAVIT.

Sermo.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ezech. 18.

AMbrosius in Hexameron. Apes habent regem mansuetum, pium, qui quamuis aculeos habeat, non tamen vtitur eis ad vindicandum. Idcirco apes, quæ non obtemperant regi, aut eum offendunt, propria condemnatione se stimulant, vt aculei sui vulnere moriantur. G

MORALITER. Per apes intellige animas peccatrices, quia sicut de apibus refert Aristoteles l. 8. quando pungunt, citò pòst moriuntur. Sic etiam animę peccatrices, pungunt Deum peccatis, iuxta illud Zachar. 12. & Ioan 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Ideo ad Instar apum moriuntur, sed per regem apum, intellige Christum Dominum, qui mansuetus est, & pius, & quamuis vindictæ habeat aculeos, non tamen vtitur iam eis, sed *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Sapient. 11. Propter quod dicit Ambrosius de benignitate Dei: Non sufficio mirari eo quod potest tantum parcere homini peccatori. Idcirco quia anima peccatrix inobediens fuit tam pio regi ac mansueto, per culpam ipsum offendendo, debet aculeum pœnitentiæ in seipsam affigere, & seipsam punire. Quia dicit Augustinus in sermonibus Rex apum Christus.

communi-

communibus sermon. 43. Impunitum non potest esse peccatum, non decet, non oportet, non est iustum: quia non potest esse impunitum, puniatur à te, ne puniatur ab illo, & salubriter puniat anima peccatrix seipsam aculeo pœnitentiæ, vt sic moriatur pœnitens, ne moriatur morte secunda, scilicet gehennæ, de qua dicunt verba prælibata: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur:* æternaliter nisi pænituerit. In qua quidem Epistola duo ponit. *Primò* peccati damnositatem, ibi; *Anima quæ peccauerit. Secundo*, pœnitentiæ fructuositatem, ibi: *Si impius.*

H Peccati mortalis effectus. I. A Deo separat.

PRIMO EST NOTANDVM, peccatum mortale multa damna infert animæ. PRIMVM est, quod à Deo separat: ideo comparatur nubibus, quia sicut nubes per interpositionem suiipsius inter solem & aspectũ nostrũ, separat nos scilicet à sole, vt ipsum videre non valeamus, sic peccatũ mortale interponit se inter Deum & nos, iuxta illud Isa. 40. *Iniquitates vestræ diuersunt inter vos & Deum vestrum.* & sic solem iustitiæ Christum Dominum videre non valeamus. Ideo peccator qui sic à Deo separatus est, & ipsum perdidit, congruè potest dicere illud Amandi in horo. Sapientiæ lib. 1. cap. 4. Quis det mihi membranas cœli habentes latitudinem; attamentumque maris excedens quantitatem, & calamos tot, quot arborum folia, & pratorum gramina, vt perstringere possent dolorem, simulque damnum quod incurri, quia dilectum meum dereliqui. Quia naturale est, quando nubes se interponit, & claritas solis se abscondit, quod tunc qui aliàs lætus fuit, tristis erit, quia scilicet nubes turbidant aerem, & inficiunt quem radij solares purificant. Quia dicit Auctor propriet. lib. 8. quod sol est purificatiuus aeris, à vaporibus infectiuis, & per consequens auræ pestilenticæ fugatiuus. Sic etiam homo eodem modo per peccatum conscientiam turbidat.

II. Amaricat mentem. 1. Peccatum comparatur absynthio.

SECVNDVM, damnum est quod mentem amaricat, propter quod assimilatur absynthio, PRIMO, quia absynthium sua amaritudine lædit gustum, sic peccatum lædit gustum animæ, quę est sensualitatis appetitus, qui ita ex peccato inficitur, vt ei & dulcia & suauia, id est spirituales delitiæ, quæ de se sunt dulcissimæ, amaræ videantur asperæ. Propter quod Isa. 1. dicitur; *Væ, qui dicitis bonum malum, ponentes dulce in amarum. Secundo*, quia sicut absynthium amarum reddit lac & vinum; & omne dulce cui admixtum fuerit, sicut patet de apibus, quæ frequenter de absynthio faciunt mel amarum, vt dicit Dioscorus: Sic peccator omnem rem delectabilem, cui admiscetur, reddit in eandem amaritudinem, scilicet conscientiæ mordentis, vel pœnæ affligentis; sicut patet principaliter de peccato luxuriæ & voluptate carnis, quæ videtur delectabilis, sed tamen finalem affert amaritudinem. Iuxta illud Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium.* Et dicit Pascasius, quod per meretricem intelligitur carnalis voluptas, quæ affert anxietatem, vt dixi suprà infra octauam Natiuitatis Christi I. Y.

III. Mortem animæ affert. Cleopatra à serpente infecta moritur.

TERTIVM damnum est, quod mortificat animam, propter, quod assimilatur cuidam serpenti, qui est talis naturæ, quod hominem in somno necat, & homo moritur in somno dormiendo. Sed homini vigilanti non audet appropinquare, sicut dicit Isidorus lib. Etymol. & ponit exemplum de Cleopatra Regina Æthiopum, quæ cum mori vellet consuluit quosdam qua morte melius interiret: consultum fuit ei, vt talem serpentem dormienti sibi apponeret. Quod cum fecisset, quasi somno sic morte resoluta est.

MORA-

MORALITER. Per ſerpentem intellige peccatum mortale. Sed per ſomnum negligentia deſignatur. Cum igitur homo negligens fuerit circa ſeipſum, ſerpit peccatum in anima eius & ipſam inſenſibiliter occidit, quod tamen ſollicitis facere non poteſt. Quod probat Gregorius 27. moral. exponens illud Iob. 37. *Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur*, dicens: Quis alius nomine beſtiæ, niſi hoſtis antiquus accipitur.

Sed NOTANDVM magnoperè, quod hæc beſtia non ſolum antrum ſuum ingreditur, ſed etiam in eo mori perhibetur. Aliquando enim etiam bonorum mentes ingreditur illicitos actus ſuggerens, tentatos fatigat, rectitudinem ſpiritus ad delectationem carnis flectere conatur, delectationes quoq; ad conſenſum perducere nititur: Sed tamen reſiſtente ſomno adiutorio ſuo præualere perhibentur. Aliquando ergo mentes bonorum intrare poteſt per peccatum, ſed in eis morari nō poteſt. quia cor iuſti huius beſtiæ antrum non eſt. Quos enim quaſi proprium antrum poſſidet, eorum mentes proculdubio immorans tenet, quia in eis cogitationes ad iniqua deſideria & deſideria vſque ad nequiſſima opera ducit. *Et infrà dicit*. Hæc igitur beſtia in antro ſuo morari dicitur, quia tam diu cogitationes reprobrum tenet quouſque etiam eorum vitam iaculo perforat. Ecce qualiter mentes negligentium cum peccato intrat diabolus, & iaculo praui operis occidit.

SECVNDO peccatum ex quo occidit, aſſimilatur cuidam lactucæ ſpontè creſcenti, quæ dicitur caprina. Dicit enim Plinius in ſpeculo natur. quod ſi in mare proijcitur piſces qui in vicino ſunt moriuntur. Per mare intellige cor humanum iuxta illud Iſa. 58. *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*. Sed per piſces intellige omnia merita, & omnes virtutes, quæ omnes occiduntur ſi peccata in eo proiiciuntur: quia peccatum mortale omnia merita ſanctorum quæ ſunt, virtutes quæ ſunt, in anima, occidit iuxta illud Iacob. 1. *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem*, ſcilicet animæ. De hoc etiam dicit Richardus de ſancto Victore: Sicut per mortem ex timore corpus reſtringitur quæ ſunt ad vitam iſtam ſic anima per obligationem culpæ mortificatur per operationem quæ fit ad mortē æternam cui conſonant verba præſentis Epiſtolæ. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet?* quaſi diceret, nequaquam. *Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur*, quaſi diceret, non erunt in mea recordatione, ſcilicet quantum ad hoc, vt pro eis ei conferam vitam æternam aut præmium vitæ æternæ. Et ſubdit. *In præuaricatione, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur*. id eſt, ad mortem æternam condemnabitur.

2. Peccatū lactucæ caprinæ ſimile.

TERTIO aſſimilantur apoſtemati. Sicut enim apoſtema cum conuertitur ad interiora, & ibi crepat, cauſa eſt mortis corporalis; ſic peccatum conuerſum in mentem, eſt cauſa mortis ſpiritualis. Ideo dicit hic propheta. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*

3. Peccatū apoſtemati ſimile.

Sed ſuper hoc quod dicit *(ipſa)* occurrit vna dubitatio: Vtrum aliquis moriatur pro peccato alterius, & videtur quod ſic. Quia dicit Dominus Exodi 20. *Viſitans iniquitates patrum in filios*, vbi videntur filij puniendi pro parentum peccatis. Sed econtra dicit Deutro. 24. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Hic dicit per prophetam: *Filius non portabit iniqui-*

Dubiū, Nū quis pro alterius peccato moriatur.

tatem patris, nec pater iniquitatem filii sed iustitia iusti super eum, & impietas impii super
Solutio. *eum.* id est, sibi soli scilicet quo ad pœnam æternam. Ideò ad *concordiam istius* dicunt
Mors quadruplex. aliqui quòd quadruplex est mors, scilicet corporalis, spiritualis, temporalis, æternalis. Dicunt ergo, quod morte *spirituali & æterna* non punitur pater pro filio, nec filius pro patre, sicut dicit Propheta: *Filius non portabit*, &c. Morte autem *corporali & temporali* interficitur aliquandò filius pro iniquitate patris, & è conuerso.

Sed alij dicunt, quod iudicibus temporalibus nullo modo licet interficere filios pro iniquitate parentum, nisi essent participes in crimine, & tunc interficerentur pro peccatis suis, quod iustum est, quia dicit Canon. Pœna suos auctores tenere debet, nec pœna alterius est protrahenda, quoniam delictum fuit in excedente repertum, vt extra quæ fiunt à maiori parte. cap. Quæsiuit. Et c. de pœna L. sancimus.

Sed Deus qui est auctor vitæ & mortis, potest interficere filios pro peccatis parentum. Sicut patet de filio Dauid, quē habuit ex adulterio Bethsabeæ vxoris Vriæ, quem mori permisit propter peccatum patris 2. Reg. 12. Sic etiam in diluuio pueri occisi sunt propter peccata parentum, vt Genes. 7. & hoc per seipsum, vel etiam occidit eos per angelos bonos, vt patet de pueris quinq; ciuitatum Sodomæ, Gomorræ, Adamæ, Zebois, & Segor. Genes. 19. Vel fecit hoc per malos Angelos, vt de primogenitis eorum quos Dominus percutere iussit, propter peccata parentum. Exod. 12. Sed absq; mandato Dei, non possunt interfici innocentes. Per hoc habes responsum ad dubitationem.

II Quantum ad SECVNDVM ponit pœnitentiæ fructuositatem cum dicit: *Si autem impius egerit pœnitentiam.* Vbi NOTA. Pœnitentiæ prima fructuositas est, quod
Peccatum nubibus comparatur. nubes peccati rumpit. Dictum est enim, quod peccatum nubibus comparatur, propter, quod necessaria est pœnitentia, quæ tonitruo similatur, quod scindit nubes. Vnde ad tonitrua aliqua requiruntur.

PRIMVM est vaporis eleuatio. Dicit enim Aristoteles 1. Metheor. & Albertus tractatu de impressionibus, quod calore & virtute solis simul, vapor humidus aquæ & siccus terrestris, eleuatur ad medium interstitium aëris. Quid per vapores nisi peccatum designatur? Sed per aëris regionem mediam intellige memoriam, ad quam debet peccatum eleuari, vt videlicet memoretur quantum damnum peccatum fecit. quia sex bona abstulit: *Primò*, Dominium. *Secundò*, regnum cœlorum.
Damna quæ peccatum adfert. *Tertiò*, fraternitatem Ecclesiæ, quia dicitur Eccles. 13. *Quæ communicatio sancto homini ad canem?* Quasi diceret, Nulla. *Quartò*, bona Ecclesiæ, pro quibus petiuit Dauid
1. Psalm. 118. *Particeps sum ego (DEVS) omnium timentium te* &c. *Quinto*, bona pro-
2. pria. De hoc Ambrosius. Qui, inquit, charitatem non habet, omne bonum amittit,
3. quod habet. *Sextò*, abstulit homo seipsum. Et hoc duobus modis: *Primò* quia
4. in seruitutem diaboli transiuit. *Secundò*, quia melius esset si natus non fuisset, si sic
5.
6. perseueraret.

Hæc igitur si homo commemorat, citò vaporem peccati eleuat; sed vt hoc fiat necesse est, vt calor charitatis, & virtus solis Christi, concurrant. Quia dicit Richardus de sancto Victore: Cum homo in aliquod peccatum graue ceciderit, iam non est in eius potestate, vt per semetipsum resurgere possit. Per semetipsum

potest

potest à Domino recedere, sed per semetipsum non potest ad DEVM redire. Ideo dixit Dominus Oseæ 13. *Perditio tua ex te*, id est, ex demerito tuo Israël, *tantummodo ex me auxilium tuum*.

SECVNDVM est vaporis eleuati inflammatio. Dicit enim Aristoteles vbi suprà, quod talis vapor eleuatus, frigiditate loci inspissatur & condensatur in nube, & incipit comprimi. quia exhalatio sicca in eo est inclusa, tanquam in ventre eius, & incipit comprimi. Et in tali compressione vaporis in ventre nubis, fit vehemens exagitatio exhalationis siccæ. Exagitatio autem talis actualem induit inflammationem. *II.*

Sed MORALITER per hanc inflammationem vaporis, intellige peccati detestationem, quæ debet esse feruens ad ipsum destruendum. Nam cum peccata homo considerat, & peccatorum delectamenta, quæ transierunt, iam comparat ad maxima damna supra dicta, quæ incurrit, quasi quædam compassio fit vnius contrarij in aliud, ex quo mens exagitata inceditur, & ad peccati reatum tollendum vehementius ignitur. Et tunc de pœnitente dici potest illud Eccles. 38. *Vapor ignis vrit carnes.* Inflãmatio vaporis, q̃d?

TERTIVM est nubis aquosæ scissio. Hæc igitur exhalatio sic inflammata, agitatur in ventre nubis percutiendo latera eius, & aliquando scindit nubem, & exit causando sonum, & hoc est, quod tonitruum appellamus, vt dicit Aristoteles. *III.*

Sed scissio nubis aquosæ MORALITER est apertio mentis accensæ, & compunctæ, per actum confessionis: quia vapor contritionis repellit vaporem criminis. Et necesse est, vt fiat confessio de omnibus peccatis: quia dicit hic. *Qui conuersus fuerit à via sua mala, & egerit pœnitentiam, de omnibus peccatis suis quæ operatus est.* quia non potest esse vera pœnitentia de vno, nisi fiat de omnibus. Non enim est vera pœnitentia, nisi sit formata charitate, nunc autem charitas esse non potest, vbi non est pœnitentia vera de omnibus peccatis. Cuius ratio est, quia peccatum de quo quis dignè non pœnitet, semper manet, charitas autem cum peccato mortali esse non potest. Quod autem confessio debet esse de omnibus, vide suprà in die Cinerum, S. E. Scissio nubis quid? Confitendũ de omnibus peccatis cõmissis.

Sed dices. Nunquid peccatum veniale in confitente dimittitur sine mortali? *Respondet* S. Thomas super 4. dist. 16. quod non. Quia peccatum veniale opponitur caritatis feruori, mortale autem directè opponitur caritati: sublata autem caritate tanquam priore, tollitur feruor caritatis, & non è conuerso. Ideò feruor caritatis non potest restitui sine caritate, & per consequens peccatum veniale non potest dimitti sine mortali. Peccatum autem mortale potest dimitti sine veniali, quia caritas potest homini restitui sine feruore caritatis. Veniale sine mortali an dimittatur.

QVARTVM est vaporis egredientis coruscatio. Nam dum vapor ignitus, & inflammatus egreditur de nube, apparet coruscatio & sonus, sed non simul deprehenduntur. quia visus velocior est quàm auditus. Per hoc MORALITER designatur, quod in pœnitente non tantum debet esse sonus confessionis, sed etiam coruscatio bonæ operationis & conuersationis. Et hoc tangit Propheta in persona Domini, cum dicit: *Et custodierit præcepta mea*; scilicet tam negatiua, quæ ligant semper & vbique, quàm affirmatiua, *& fecit iustitiam*, secundum rationem faciendo omnis virtutis operationem, *& iudicium*, scilicet rationem sequendo, & cum hoc *IV.*

fecerit tunc sequitur, *vita viuet & non morietur: omnium iniquitatum eius quas fecit, vel operatus est, non recordabor*, scilicet quantum ad pœnæ inflictionem.

K SECVNDA pœnitentiæ fructuositas est, quod amaritudinem peccati repellit. Ideo assimilatur pantheræ, quæ vt dicit Phisiologus, suo suaui odore draconem fugat. Nam ipsa draconem odit, & draco eam fugit. Ipsa enim pasta in spelunca se recondit, & per tres dies aliquando dormit, tunc surgens magnam vocem emittit, & ab eius ore aromaticus odor exit, supra modum suauis. Quare tunc omnia animalia sequuntur eam, solus autem draco fugit, & eius odorem non ferens, in seipso deficit. Per pantheram intellige pœnitentiam, sed per draconem peccatum designatur. Sicut enim panthera draconem, ita pœnitentia odit peccatum, & peccatum ipsam pœnitentiam fugit.

Alius pœnitentiæ fructus.

Pantheræ & draconis significatio.

Et quia dictum est suprà, quod peccatum mentem amaricat, ideo necesse est, vt pœnitentia in spelunca cordis claudatur, & post tres dies scilicet contritionis, & confessionis, & satisfactionis, exsurgat à statu culpæ, & emittat vocem laudis diuinæ, quæ dulcis est in aure Domini secundum illud, Can. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Et dicat illum versiculum Psalm. 115. *Diripuisti Domine vincula mea, & tibi sacrificabo hostiam laudis.* Vel etiam ideo ex ore suo pœnitens dicitur suauem emittere odorem, scilicet suauis & deuotæ orationis, quam omnia animalia sequuntur, quia omnes virtutes & omnia merita, post hoc restituuntur homini pœnitenti, & draco, id est, peccatum mentem amaricans deficit atq; perit, vt dicit Anselmus lib. 2. cap. 95.

TERTIA pœnitentiæ fructuositas est, quod animam viuificat, & omnia opera per peccatum mortua, facit meritoria. Cuius exemplum apparet in varijs piscibus minoribus, quæ dicuntur trutæ, quæ oua in aqua faciunt, & ipsa aquæ fouenda committunt. Et aqua tanquam blanda mater ea suscipiens, animat & creat, & pisces ex eis format. Sunt ergo opera bona hominum tanquam oua quædam trutarum, quæ tunc in aqua prodeunt, quando in vera pœnitentia fiunt, atque ex ipsis in aqua, scilicet pœnitentiæ lacrymosæ & compunctiuæ opera viua, id est gratuita, & meritoria fiunt. Hæc Anselm. lib. 5. cap. 62. Et sic homo in anima reuiuiscit, qui prius mortuus fuit, & etiam opera mortificata. Vnde versus.

Pœnitentiæ viuificat animam.

Simile.

Illa reuiuiscunt, quæ mortificata fuerunt.

Quia opera bona, quæ quis fecit ante peccatum, per pœnitentiam resurgunt. Sed quæ in peccato mortali quis fecerit, viuificari non possunt. De hoc etiam, quod anima per pœnitentiam viuificatur, exemplum habes de Phœnice Dominica infra octauam Epiphaniæ, Serm. 3. L. O.

DE EADEM FERIA SEXTA.

Sermo secundus.

Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Ioan. 5.

Pan-

L

PAnthera quamuis sit bestia valde sæua, tamen illis, qui sibi aliquod beneficium præstant, nullatenus est ingrata. Et exponit exemplum de quodam, qui liberauit catulos pantheræ, collapsos in quandam foueam, quem panthera eduxit extra solitudinem læta & blandiens, vt referre sibi grates pro impenso beneficio appareret.

MORALITER. Panthera est gens Iudaica, quæ sæua est quoad seipsam, eo quod potius vult damnari, quàm assumendo fidem Catholicam saluari, non tamen existit ingrata. Christus enim multa beneficia eis præstitit, cum eos creauit, & ab Ægypto liberauit, & legem dedit. &c. Ideo ei non ingrati extiterunt, in hoc quod septies festiuitates peregerunt. Vt enim colligitur ex Num. 23. & 34. in veteri lege erant septem festiuitates. *Panthera gens Iudaica* *Septem festa Iudaica.*

PRIMVM festum erat quasi continuum; quia quotidie manè & vespere immolabatur agnus, ad repræsentandum perpetuitatem diuinæ beatitudinis. Erant autem aliæ festiuitates inter quas PRIMA erat Sabbatum, in quo nullum opus seruile fieri permittebatur: seruis & ancillis requies fieri iubebatur. Ignis non incendebatur: Cibus hoc die necessarius, præcedenti die præparabatur: Templum plus frequentabatur, vt dicit Magist. 9. lib. propriet. Hoc festum in memoriam creationis peragebant: Sed in hoc figurabatur spiritualis requies nobis data per Christum. SECVNDA festiuitas erat Neomenia in quolibet mense. in innouatione nouæ lunæ, ad commemorandum opus diuinæ gubernationis, quia inferiora præcipue variantur, secundum motum superiorum. Sed per hanc figurabatur illuminatio primitiuæ Ecclesiæ per Christum, eo prædicante & miracula faciente, confirmante facto quod dixit verbo. TERTIA erat paschæ, in quo agnus assus comedebatur, & *nihil ex eo vsq; mane relinquebatur,* vt dicitur Exod. 12. In memoriam liberationis de Ægypto Iudæorum, & interfectionis Ægyptiorum. Ideo mos inoleuit, vt de duobus damnandis ad mortem, vnus in pascha dimitteretur, & alter interficeretur. Matth. 27. QVARTA fuit Pentecostes, & erat solennis festiuitas ad recolendum beneficium legis datæ. Populus Israeliticus quinquagesima die à pascha celebrauerunt in Ramesse, venerunt ad montem Syna & legem susceperunt. Exod. 19. Sed per hoc præfigurabatur descensus Spiritus sancti in Apostolos, qui quinquagesima die venit in linguis igneis Act. 2. QVINTA erat festiuitas tubarum, quod celebrabatur prima die mensis Septembris, in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham inuenit arietem hærentem cornibus inter vepres. Genes. 27. quod repræsentabant cornua quibus buccinabant. SEXTA verò festiuitas Iudæorum erat festum expiationis, quod celebrabant quarta die septimi mensis, ob memorandum beneficium propiciationis Dei, ad preces Moysi de adoratione vituli conflatilis Exod. 12. *I. Sabbatum Iudæorum.* *II. Neomenia.* *III. Pascha.* *IV. Pentecoste.* *V. Festum tubarum.* *VI. Festum expiationis.*

Post hoc celebrabant festum scenopegiæ, id est, tabernaculi septem diebus, & ad rememorandum beneficium protectionis, per desertum cum in tabernaculis habitabant. Sed in hoc figurabatur peregrinatio in hoc mundo, quo ambulabant homines in virtutibus proficienda. *Tabernaculi festum.*

SEPTIMA autem die mensis septimi, celebrabant festum cetus atque collectæ; in quo colligebantur à populo, quæ necessaria erant, ad expensas cultus diuini, & figurabatur in hoc Domini pax, & præscientia, veniendi, in terram promissionis: & illud festum dicebant sanctissimum, in quo figuraliter ostendebatur congregatio fide- *VII. Festum collectæ.*

lium in regno cœlorum. Et de vno istorum festorum propositum hic est. Erat dies festus Iudæorum, quod fuit festum Pentecostes. In præsenti Euangelio tria tanguntur, scilicet, pœnitentiæ bonitas, ibi: *Erat dies festus.* Peccatorum diuersitas, ibi; *His autem.* Eorundem curabilitas, ibi; *Qui prior descendit.*

Bonitas piscinæ requirit. 1. Fundum solidum.

Circa PRIMVM est notandum. MORALITER per hanc piscinam intelligi pœnitentiam. Dicit enim auctor propriet. lib. 13. ad bonitatem piscinæ tria exiguntur: scilicet, fundi stabilitas; Aquæ puritas; Riui influentis continuitas. PRIMVM igitur est fundi soliditas, & requiritur etiam ad pœnitentiam: Profundum enim cor pœnitentis designatur, quod debet esse solidum, & firmum, vt pœnitentiam in ipso finaliter perseueret. Quia dicit Petrus super 4. sententiarum. Pœnitentia interior debet esse perpetua, saltem quantum ad habitum, licet non exterior. Sic etiā dicit sanctus Thomas in 4. dist. 17. de contritione quæ semper in habitu debet permanere; quia dolor contritionis correspondet culpę, ex parte auersionis, ex qua auersione ipsa culpa habet quandam infinitatem. Et sic dicitur piscina pœnitentiæ habere fundum solidum. quando pœnitens suum cor à peccatis suis futuris firmiter custodit. Quia dicit Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia. Pœnitentia est quædā dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. *Et infra.* Quotidie quidem dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse dolet. Pœnitentia igitur est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Quid enim restat nobis nisi dolere in vita: vbi enim deficit dolor, deficit & pœnitentia. Si igitur quis dolet quid relinquitur, certe quod de venia tamdiu gaudeat, & sperat de gratia, quamdiu sustinetur pœnitentia. Dicit enim Dominus Ioan. 8. adulteræ. *Vade, & amplius noli peccare.* Non dicit, non pecces: sed vt amplius non peccando eius vita ornetur.

Pœnitentia quid?

M Quod quomodo seruabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur? Hic igitur semper doleas, & de dolore gaudeas, vt non post mortem semper te dolore oporteat. Et hic ex fide doleas vt non semper doleas te hic aliquando non doluisse. Hæc Augustinus. Ecce quod pœnitentia ad instar piscinæ semper debet habere solidum fundum, vt scilicet semper maneat, si eius bonitas cognosci debeat.

2. Aquæ puritas. Quare aquę assimilentur lacrymæ.

SECVNDVM quod requiritur ad bonam piscinam. est aquæ puritas, per quam intelligitur aqua lacrymarum, quæ requiritur etiam ad pœnitentiæ bonitatem. De qua potest intelligi illud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Vnde aquæ assimilantur lacrymæ propter multa.

I. Lauat sordes. Lacrymæ abstergunt sordes peccatorum.

PRIMO, quia aqua est sordium lauatiua, sicut patet de panno lineo, qui niger videtur & sordidus dum est à tela succisus, aquis tamen sæpe lotus, efficitur valde albus. Sic etiam oues maculatæ antequam tondeantur, prius in aqua lauantur. Sic etiam aqua lacrymarum est omnium peccatorum abstersiua, mundatiua, & dealbatiua. Sicut patet de Petro, de quo dicit Theophilus; Lachrymæ Petrum Christo per pœnitentiam adduxerunt. Et hoc etiam dicitur distinct. 50. c. Ponderet. Beatus Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Deum negasse pœnituit. De hoc etiam vide supra Dominica infra octauam Epiphaniæ L. G. Ideo dicit Iob. 9. *Si lotus fuero aquis niuis, & fuerint velut mundissimæ manus meæ.* Nam aquæ fluentes ex resolutione niuis, sunt

ſunt lachrymæ fluentes ex recordatione peccatorum. Et hæ ſunt maximè dealbatiuæ; ſicut teſtatur Petrus Rauen. Quis in ſeculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro? Illi tamen per lacrymas & pœnitentiam meruerunt non ſolum miniſterium, ſed magnum ſanctitatis meritum. Sed econtra multi ſunt peccatores miſeri qui relicta aqua puræ pœnitentię, ad modum porcorum quærunt aquam lutoſam luxuriæ. Ideo de quolibet tali dicitur. *Non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lotus ad ſalutem.* Ezech. 16.

SECVNDO aqua eſt viuificatiua. Arbores verò quæ videntur mortuæ in hyeme, ex defectu humiditatis aquæ humore aſcendente videntur iterum viuere: Sic anima in peccatis mortua, viuificatur lacrymarum pœnitentia. Et ſicut piſcis non viuit abſq; aquis, ſed remotus ab eis moritur & putreſcit; Sic etiam peccator ſine aquis pœnitentiæ viuere nequit. Iuxta illud Iſa. 50. *Computreſcunt piſces ſine aquis*, id eſt pœnitentes ſine lacryma, & moriuntur in ſiti. *II.* Aqua viuificat. Similes.

Sunt etiam ſecundum naturales quædam auiculæ, vt refert Iacobus Antiochus in hiſtorijs Orientalibus, quæ miro modo ex quibuſdam arboribus generantur, & loco fructuum ex eis naſcuntur. Quamdiu tamen ab arbore ſuſpenduntur, nunquam viuificantur, ſed quando ruptis tenaculis, in aquam cadunt, mox viuificantur, & animam cum vita recipiunt. Sed hæ auiculæ valde aqueam & pinguem habent carnem & nimis de ſanguine; quare ad eſum non ſunt aptæ. Sed quæ eſt arbor producens has aqueas res niſi mundus producens homines. Et quid eſt non viuificari in arbore, ſed in aqua; niſi quia ſpiritualiter non viuimus, quamdiu mundo & peccato inhæremus, vt exponit Anſelmus lib. 1. c. 46. Auiculæ miro modo generantur in arboribus.

TERTIA eſt aqua fœcundatiua. Dicunt Philoſophi, & ſic eſt: Si terra fuerit nimium indurata, nec aquis balneata, ſemen non recipit, receptum in germen erumpere non permittit: ſed vomere ſæpe confracta, ſemina mittit: Per aquam pluuiæ reſoluta quandam in ſe pinguedinem recolligit, quam radicibus ad productionem ſeminis circumfundit. Sic per omnia, corda dura nulli ſunt fructui apta, ſed vomere pœnitentiæ commollita, & perfuſa lacrymarum aqua, fiunt pinguia & fœcunda. Ideo dicit Iob. 12. *Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur.* *III.* Aqua fœcundat. Simile.

TERTIVM quod requiritur ad bonitatem piſcinæ, eſt riui influentis continuitas. Per hunc riuum intellige MORALITER fidem. *Primo*, ſicut riuus eſt immunditiarum purgatiuus, ſic fides purgat immunditias errorum, vel affectionum terrenarum iuxta illud Actor. 15. *Fide purificans corda eorum.* *Secundò*, ſicut riuus terræ fœcunditatiuus, ſic fides fœcundat animam meritorijs operibus. Iuxta illud ad Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam.* 3. Aqua iugiter fluens. *I.* *II.*

Tertio ſicut riuus eſt potus animalium miniſtratiuus, ſic fides potum veræ ſapientiæ adminiſtrat animabus. De quo potu dicit Dominus Ezech. 34. *Paſcam eos in montibus Iſrael in riuis.* Ideo dicit Sapiens Eccleſ. 15. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* *III.*

Quartò, ſicut riuus eſt vigoris & pulchritudinis in plantis conſeruatiuus, ſic fides conſeruat in ſanctis vigorem carnis, id eſt virginitatem & pulchritudinem conuerſationis, ſicut patet in ſanctis virginibus quæ fidei virtute armatæ, corrumpi non poterunt: ſicut roſæ ſuper riuos plantatæ non marceſcunt, iuxta illud Eccleſ. 39. *Quaſi roſa plantationum ſuper riuos aquarum.* Iſte inquam riuus fidei debet continuè *IV.* Simile.

fluere

fluere in piſcinam pœnitentiæ, quia niſi fides vera adfuerit, pœnitentia inanis erit: *Quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ad Hebr. 11. Ideo dicit Hugo de ſancto Victore. Eſt autem homo fidelis ſine fide mortuus, velut ſine anima corpus.

Pars ſecunda concionis. Quantum ad SECVNDVM, tangitur peccatorum diuerſitas, ibi; *In his autem iacebat multitudo languentium.*

N 1. Ignorantia. I. Impedit viſum. Vbi NOTANDVM. Quidam homines peccant ex ignorantia, & ſignificantur hi per cęcos, & illorum peccatum aſſimilatur tenebrę. PRIMO, quia tenebra eſt viſus impeditiua: quia dicitur tenebra à tenendo, quia tenentur oculi ne videant lumen, ſicut patet de Tobia *in tenebris*, inquit, *ſedeo & lumen cæli non video.* Sic etiam peccatum ignorantię tenet oculos mentis, ne videant lumen veritatis. Propter quod dixit Auguſtinus: Peccatum eſt tenebra, qua intellectus obtunditur, totusque homo interior obumbratur. Vnde neceſſe eſt, vt tantò magis ſollicitè mentales oculi à peccati tenebris, per compunctionis lacrymas continuè expurgentur, quantò ampliùs humanę contemplationis radius obnubilatur. II. Prohibet greſſus. SECVNDO, eſt greſſus prohibitiua, eo quòd non eſt tutum in tenebris ambulare. Ideo dicit Dominus Ioan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebra vos comprehendant. Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadit.* Sic ignorantię finis impedit greſſum recti operis Vnde Euangeliſta *Multitudo virorum iacebat.* III. Diminuit verecundiam. TERTIO, quia eſt verecundię diminutiua. Qui enim volunt facere turpia, tenebras quęrunt, vt verecundiam fugiant. Iuxta illud Eccl. 23. *Omnis homo qui transgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam, & dicens: Quis me videt? tenebra circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor?* Sic etiam Ignorantia culpę, minuit & tollit ruborem pœnitentię. Iuxta illud Ierem. 6. *Confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Illi igitur ſi volunt curari, neceſſe eſt vt ſurgant, & piſcinam pœnitentię intrent, & aquis lacrymarum ſe lauent; quia lacrymę lauant delictum, quod pudor eſt confiteri, vt dicit Chryſoſt. de pœn. diſt. 1. c. Menſuram §. Lacrymę. De hoc vide ſuprà Dominica prima in aduentu ſermone 1. A. E.

2. Ex diaboli tentatione peccant quidam. Mergulus imitandus. SECVNDI peccant tentatione diabolica. quia diabolus occultè tentat homines decipere, ſicut dictum eſt ſuprà Dominica Inuocauit ſerm. 2. E. F. Quia dicit Iſidorus de ſummo bono, Qui ſuggeſtiones Diaboli non recipit, in eius inſidias minimè tranſit. Attamen ſi homo peccando ei conſenſerit, ad piſcinam pœnitentię conſurgere debet, ad inſtar merguli. De quo dicit Magiſter lib. 12. proprietatum quando ab aue perſequitur ad aquam refugiens, ſubmerſionis beneficio liberatur. Tunc enim, dicit Anſelmus lib. 4. cap. 61. rapaces aues mergulum inuadunt, quando ipſi dęmones animam hominis tentando circumuenire ſatagunt. Sed ſi anima fugit ad aquas pœnitentię, & in eis humiliando ſe ſubmerſerit, à fraudulentia dęmonum euadet iuxta illud Pſalm. 73. *Tu contribulaſti capita draconum in aquis*, id eſt tentationes dęmonis.

3. Peccant ex infirmitate. TERTII peccant ex infirmitate humana. De his peccatis dicit Auguſtinus 15. quęſtione 1. c. Quare autem. Ex carnis infirmitate procedunt quę naturę languore fiunt, quę niſi imputarentur ad pœnam, nequaquam amplius lege carnis grauatus diceret: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, id eſt à Domino carnis in qua eſt mors. *Et ſubdit:* Siue penes voluntatem, ſiue penes infirmitatem, peccata conſiſtant, ſemper imputantur ad pœnam. Hęc ille. Ideo tales qui peccant ex infirmitate,

tate, debent in aquis pœnitentiæ se abscondere, exemplo coturnicum, de quibus dicit Ambrosius in Hexameron: Cum mare transeunt & lassantur, in aquam descendunt, & vnam alam erigentes, velum faciunt, & alia se regunt. Sic homines per mare huius mundi transeuntes, multoties per infirmitatem humanam in peccatis lassantur, vt dicere possit illud Sap. 5. *Lassati sumus in via*, scilicet *iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Ex quo igitur lassati sunt ex grauedine peccati, debent si volunt euadere, humiliando descendere in aquam pœnitentiæ, & cum vna ala, scilicet timoris in ista aqua pœnitentiæ, se regere & tenere, aliam verò alam spei debent sursum ad cœlum dirigere: Quia sicut debet timere de iustitia, ita debet sperare de venia aut misericordia. Et hæc ala spei, erit velum ducens ad pia opera pœnitentiæ, vt dicit Anselmus lib. 4. cap. 64. Peccantes ex infirmitate, quid faciēt.

QVARTI peccant ex certa malitia: & hi significantur per aridos, quia omnis peccator peccans ex malitia fit aridus, quia videmus quod loca arida facit defectus aquę: qui enim habet duos puteos propinquos, tantum posset cauare & profundare vnū, quod alius maneret vacuus, vel aridus, vel sine aqua. Et sic in corde hominis sunt duo putei. *Vnus est* amor cœlestium; *& alius* amor temporalium: sine illis amoribus anima esse non potest. Iuxta illud Gregorij super Ezech. Anima sine amore nunquā est, aut enim superius innititur, & vere beata est; aut inferius, circa temporalia versatur, & mala est. Si enim peccatores nimis profundant se in amore temporalium, manent aridi in amore spiritualium; & dicere possunt cum Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* 4. Ex malitia peccantes.

QVINTI peccant ex consuetudine longa: & hi quasi in peccatis se noscunt, ideo peccatum eorum senio comparatur. *Primò* ideo, quia sicut senium tædium inducit; sic peccatum inueteratum tædium homini & pœnam facit. Iuxta illud Augustini in lib. confessio. Iussisti Domine, & sic est, vt omnis inordinatus animus sit sibiipsi pœna. Ideo omnis talis peccator inueteratus potest dicere cum Iob. cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ. Secundo* sicut senium pigrum facit, quia vires corporis minuit; sic peccatum illorum defectum virtutum, & pigritiam spiritualium laborum inducit. Ideo dicitur Prouerb. 20. *Propter frigus*, scilicet peccati, *piger arare*, id est, laborare in virtutibus *noluit*. Ergo mendicabit æstate, & non *dabitur ei. Tertio* sicut senio calor naturalis refrigescit, sic peccatum facit refrigescere charitatem. quia dicit Dominus Matth. 24. *Vbi superabundauit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Quarto* sicut in senio cutis rugatur; sic in peccatore conuersatio exterior deformatur. Ideo dixit Iob. 16. *Rugæ meæ testimonium prabent contra me. Quinto* sicut in sene omnis virtus corporalis annihilatur. Ideo potest dicere cum Psal. 37. *Dereliquit me virtus mea.* Et quia homo ex longa consuetudine peccati inueteratus est, debet ad instar aquilæ se renouare in fonte pœnitentiæ. Et qualiter hoc fieri debeat, dixi supra Dominica infra octa: Epipha. Sermone 1. L. G. 5. Ex consuetudine peccantes. Senio peccatum comparatur. 1. 2. 3. 4. 5.

Ecce habes quintuplex genus peccatorum. *Primum* genus eorum, qui peccant ex ignorantia, iacent in prima porticu Salomonis, & significantur per cœcos; qui peccant ex tentatione diabolica, iacent in *Secunda* porticu: illi qui ex infirmitate humana, significantur per claudos, & iacent in *Tertia* porticu. Et qui peccant ex certa malitia, significantur per aridos, & iacent in *Quarta* porticu: qui ex consuetudine longa, significantur per infirmum, qui habuit triginta octo annos in infirmitate sua, & Peccantes in porticu iacent.

iacent in *Quinta* porticu. Et omnes illi senes in peccato fieri possunt mundi, si in piscinam pœnitentiæ se mergunt. Qui enim peccant ex ignorantia, facile misericordiam consequuntur, sicut Paulus, qui ait 1. Tim. 1. *Prius fui blasphemus, & persecutor, fui contumeliosus; sed misericordiam*, id est remissionem peccatorum, *consecutus sum, quia ignorans feci, & in incrudelitate.* id est, falsè credens me bene agere.

Ignorantiç triplex.

Dicit tamen Magist. lib. 2. dist. 22. quod ignorantia est triplex: scilicet eorum, qui scire nolunt, cum possunt, quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est. Et eorum, qui scire volunt, & non possunt, quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum. Et eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes vel proponentes scire, quæ neminem excusat plene. Sed sic fortassis minus punientur. Hęc Magister.

Illi verò, qui peccant tentatione diabolica, consequuntur veniā, si veniunt ad pœnitentiæ piscinam. Sicut de Adam patet; qui tentatione diaboli peccauit, sicut dicitur, de summa Trinit. & fide Cathol. c. Firmiter. Diabolus enim & alij dæmones à Deo quidem naturà creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diaboli sugestione peccauit: Ideo gratiam meruit.

Qui verò peccant ex infirmitate humana, faciliter etiam veniam merentur: sicut patet de adultera, cui Dominus peccatum condonans dixit: *Vade, & amplius noli peccare*, Ioan. 8. Sed qui ex certa malitia peccant, difficilius gratiam consequuntur. Si tamen cum magnitudine eam quærunt, ab ea non excluduntur, sicut patet de Iuda, qui ex malitia peccauit; tamen si gratiam quæsiuisset, ab ea exclusus non fuisset, si ipsam à Christo quæsiuisset, aut postulasset.

Qui autem ex consuetudine longa peccant, tardius sanantur. Sed tamen hunc languidum triginta octo annorum sanauit, vt nemo peccatorum desperet: quia dicit Leo Papa de pœn. d. 7. Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur.

SABBATO QVATVOR TEMPORVM.

Sermo.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione. &c. 1. ad Thessal. 4.

P Abundantia noxia est.

EXPERIENTIA docet, quia abundantia cibariorum accipitribus, est periculosa. Ex abundanti enim cibo insolescunt & pigrescunt, & ad manum Domini venire dedignantur. Per accipitres MORALITER intellige homines, quorum aliqui abundant in bonis fortunæ, & illorum abundantia est illis periculosa propter tria.

I. *Primo* propter iræ Dei prouocationē. Cum enim abundantia cibariorum se satiant, consequenter Deum ad iram prouocant, iuxta illud Iob. 12. *Abundant tabernacula pradonum: audacter prouocant Deum.* Ideo dicitur Deut. 32. *Prouocauerunt eum filij sui & filiæ.*

II. *Secundo* propter Dei despectionem. Sicut enim accipiter nimium satiatus, Dominum suum despicit & contemnit; sic homo

homo nimium abundans diuitijs & cibarijs Deum despicit, iuxta illud Isa. 1. *Filios enutriui*, quoad abundantiam ciborum, *& exaltaui*, quoad abundantiam diuitiarum: *ipsi autem spreuerunt me. Tertio* propter sui ipsius pollutionem. quia abundantia cibi & potus, polluit corpus, scilicet fornicatione. Iuxta illud D. Hieronymi. Venter mero æstuans, de facili spumat in libidinẽ. quod patuit de Sodomitis de quibus Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, & abundantia vini.* Ideo Apostolus in præsenti Epistola hortatur nos ad sanctificationem, quę propriè consistit in oratione, in ieiunio, & in abstinentia: vt per orationem Deum mitigemus, per ieiunium Deũ despectum nobis reconciliemus, & per abstinentiam corpus pollutum à fornicatione cohibeamus. Ideo dicit: *Hæc est voluntas Dei.* In quibus duo facit. *Primo* inducit ad similitudinem, ibi; *Hæc est voluntas. Secundo* corripit cupiditatem, ibi; *Ne quis.* III. Sanctificatio vestra in quo consistat.

Circa quod NOTANDVM. Domini terrestres volunt, vt voluntates ipsorum à subditis seruentur, & has voluntates non semper per seipsos, sed etiam per suos famulos solent promulgare. Sic etiam Dominus noster IESVS Christus voluntatem suam nobis per fidelem famulum suum Paulum insinuat, qui dicit: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

Vnde NOTANDVM. Voluntas Dei primo in hoc consistit, vt homo per pœnitentiam conuertatur, iuxta illud Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, &c.* Pœnitentia enim transfert de culpa ad gratiam, ideo assimilatur translationi Prelatorum, quæ fit multipliciter, sic & conuersio peccatorum. PRIMO enim fit translatio causa necessitatis, puto quando Prælatus persecutionem patitur, aut hostilitatem in Ecclesia vna, potest transire ad aliam Ecclesiam. Et in hoc casu si auctoritate propria transit, non punitur. cum causam habeat necessitatem. Sed cessante necessitate, debet recuperare Ecclesiam suam, vt 7. q. 1. c. Pastoralis. Et Extra de renunc. c. Nisi cum pridem. Ita est conuersio eorum, qui propter tribulationes, aut aduersitates, vel infirmitates ad Deum conuertuntur. Sicut Manasses rex Hierusalem, qui vt habetur 4. Regum. 21. adeo malus fuit, quòd malum in conspectu Domini fecit, idola erexit, *omnem militiam cœli*, scilicet Solem, Lunam, Iouem, & alios planetas *adorauit, & sanguinem innoxium prophetarum effudit.* Ita quod sanguine ipsorum plateas Hierusalem, vsque ad os impleuit, id est quantum potuit facere. Sicut vas dicitur plenum vsque ad os, quando non potest vltra capere. Sic exponit Nicolaus de Lyra. Sed vt habetur 2. Paral. 33. *Induxit super eum Dominus exercitum regis Assyriorum qui cœperunt eum vinctum catenis, atque compedibus duxerunt eum in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit ad Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Domino.* Ecce quod iste peccator per tribulationem conuersus est ad Ecclesiam militantium electorum, ab Ecclesia malignantium peccatorum. Simile exemplum habes de Nabuchodonosor, Dominica prima in Aduentu serm. 1. G. A. Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Idem patet de muliere Chananæa in hodierno Euangelio, quod tribulatio, quam in filia sua videbat, eam ad Dominum ire compellebat. Ideo de omnibus illis dicit Sap. 10. *Transtulit illos*, scilicet pœnitentes, *per mare rubrum*, id est per tribulationem & persecutionem. Et Psal. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.* Q Cur Prælati mutentur. I. Propter necessitatem. Manassis regis cõuersio. Mala ad Deũ ire compelluntur.

SECVNDO fit translatio caussa vtilitatis, puta quando in Ecclesia sua est inutilis, & in alia vtilis. & tunc potest transire auctoritate superioris, vt 7. q. 1. c. Mutationes, & II. Propter vtilitatem.

tribus capitulis sequentibus. Sic etiam hac de causa debet homo se conuertere, & transire de Ecclesia peccatorum, in qua fuit, ad Ecclesiam sanctorum & saluandorũ. quia in Ecclesia peccatorum est oratio inutilis, quantum ad meritum. neque enim sibi nec alteri meretur. Propter quod dixit Dauid Psalm. 100. *Odiui Ecclesiam malignantium, &c.* Sed dum est in Ecclesia saluandorum & in statu gratiæ, operatur fructuosa. quia meretur tam sibi, quàm alijs, & ideo translatio peccatoris vocatur de morte ad vitam.

Qui est in statu gratiæ operatur fructuosa.

III. Propter leuitatem.

TERTIO fit translatio causa leuitatis, vt videlicet ex leuitate alteri Ecclesiæ adhæreat, & suam pro derelicta habeat. Et hæc est conuersio iuuenum & puerorum, qui potius ex leuitate animi, quàm ex deuotione & licentia parentum, religionem intrant & profitentur, maximè si pueri nondum sunt doli capaces, de quibus manifestum est, quod ex sola leuitate hoc faciunt, & ideo non obstante tali professione, quam infra pubertatis annos fecerunt, à parentibus repeti possunt. quia Canon dicit 20. q. 2. c. Si in qualibet, & seq. si religionem intrantes pueri sunt ante quatuordecim annos masculi, & puellæ ante duodecim, possunt à parentibus reuocari.

IV. Propter cupiditatem vel ambitionem.

QVARTO fit causa cupiditatis vel ambitionis: & tunc secundum iura priuandus est Ecclesia sua, propter certas causas. *Prima*, quia eam superbè contempsit. *Secunda*, quia eam amare cupiuit, vt 7. q. 1. cap. Si quis Episcopus, & de clericis non residen. cap 1. Attamen Ecclesia prima potest eum repetere, vt 7. q. 1. ca. Si quis de ordine. Et talis conuersio est Hypocritarum, scilicet qui propter cupiditatem terreni lucri, vel propter ambitionem honoris conuertuntur: qui duplici bono priuantur, scilicet cœlesti, quod contemnunt: & interdum corporali, quod amare cupiunt. Et hoc fit dupliciter. *Primo* quia seipsos aliquando affligunt abstinentia, & huiusmodi, & sic priuant seipsos cõmodo corporali. *Secundo*, quia dum eorum hypocrisis apprehenditur, & confunditur, vituperantur, & sic priuantur præmio æterno, quod sperauerunt: & temporali, quod amauerunt, vt dicit Ansel. lib. 8. c. 58.

Conuersio hypocritarũ quæ?

V. Propter humilitatẽ & sanctitatem.

QVINTO, fit translatio causa humilitatis & sanctitatis: puto cum transit ad religionem, in quo casu inferioribus sufficit petere licentiam ab Episcopis, alioquin si non petita licentia transeat, Ecclesia potest eum repetere, vt 7. q. 1 c. Si qui verò &c. & c. Si quis presbyter. Ipse autem si professus est, non potest repetere primam Ecclesiam, nec redire ad seculum, vt 7. quæst. 1. c. Eos & de renum c. Cum dubijs. Hinc translationi assimilatur conuersio eorũ, qui culpam suã & miseriam erubescentes, humiliter ad pœnitentiam veniunt interdũ, remorsu conscientiæ puncti & stimulati, & sic postquam conuersi sunt, ad pristinam culpam redire non debent. quia dicit hic Apostolus. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Quia vult, vt per pœnitentiã humiliter conuertamur, & sanctificemur, vt ad pristinam inordinatã vitam non reuertamur.

Professus in religione nõ potest redire ad seculum.

Volũtas Dei consistit.

I. In conuersione.

II. In confessione.

Secundò voluntas Dei consistit in hoc, vt homo per confessionem expurgetur. Quia dicunt iura: antequam quis consecretur & ordinetur, debet præcedere per triduum scrutinium, examinationis scilicet, vt incipiatur feria quarta Sabbatum præcedente. Et in hoc triduo debet diligenter inquiri de genere, de patria, de ætate, de titulo, ad quem ordinatur, de loco, in quo conuersatus est, &c. Sicque examinatus per triduum qui probatus, Episcopo præsentatur, vt 24. di. Sed hoc nunc in certis diœcesibus ab examinatoribus tam strictè non seruatur, de consuetudine hodie propter ordinandorum paupertatem.

Ante ordinũ susceptionẽ quæ nam seruanda.

Sic

Sic MORALITER. Pœnitens antequam se sacerdoti & confessori repræsentet, aut beneficium absolutionis sacramentalis, gratiæ consecrationem recipiat, debet seipsum diligenter perscrutari, & conscientiam suam per triduum, id est diutius examinare: vel per triduum, id est, triplici tempore scilicet iuuentute, virilidate & senectute, vel per triduum, id est, tripliciter, scilicet de commissis in Deum, in proximum, vel in seipsum; vel per triduum, quia debet esse examinatio confitentium circa personas, circa peccata & circa circumstantias peccatorum. Debet ergo fieri examinatio confitentis de tota vita sua, & non solum de actibus, sed etiam de circumstantijs, scilicet de conditione personæ, de loco, de facto, de causa, de modo, de tempore, de auxilijs, quibus operatus est. Vnde versus: Pœnitēti ante confessionem quid faciendum. Tridui explicatio.

Quis, quid vbi, quibus auxilius, cur, quomodo, quando.

Et cum pœnitens sic se examinat, debet omnia peccata confiteri, si vult Episcopo animarum nostrarum Christo in Sabbato æternitatis, & requiei repræsentari. Nec debet propter verecundiam à confessione elongari, quia verecundia confitendi tenet hominem in peccato, & facit eum teneri & illaqueari, sicut capitur & tenetur ab homine leo. Dicit Magister propriet. libro 13. Ad capiendum leonem fit duplex fouea. Vna continue iuxta aliam: ouis ponitur in prima. Sed quædam cista, quæ faciliter clauditur, ponitur in secunda. Veniens ergo leo propter ouem saltat in primam, & videns se non posse exire, erubescens se deceptum vt lateat, intrat in secundam, & sic incidit, in decipulam ibi præparatam, quæ post eius introitum sub se clauditur, & ipsum vlterius exire non permittit. Sed in cauea foueæ trahitur, & in illa tenetur captus, donec dometur. R Confessio propter verecundiam non omittenda. Vt capiatur leo.

Hoc naturale moralizat Anselmus sic lib. 5. cap. 22. Similiter est duplex fouea ad capiendum peccatorem. *Prima* est, quando peccatum committitur. *Secunda* est, quando peccatum retinetur, siue continuatur. In prima est delectatio bestialis, propter quam peccator seipsum præcipitat. In secunda est cistula se claudens, id est peccati consuetudo quæ quasi inclusum tenet peccatorem, vt vix exire inde possit. Et sic peccator ex prima intrat secundam, propter verecundiam, videlicet vt lateat. Quia postquam homo cecidit in peccatum, in tantum verecundatur confiteri, & timet ne sciatur, quod potius permanet in peccato ipso. Sic qui dum per vnum peccatum retinetur, trahitur ad aliud. Ideo ex prima fouea transit in secundam. quia ex opere peccati transit in consuetudinem peccandi propter hoc, quod homo fortiter à diabolo instigatur, vt diutius detineatur, sic quod ab ipso nunquam dimittetur, postquam ab eo inclusus est per prauam consuetudinem. Quomodo capiendus peccator.

Tertiò in hoc consistit voluntas Dei, vt peccatum dimittatur, & de hac voluntate dicit hic principaliter Apostolus, *Hæc est voluntas*, id est præceptum Dei, *sanctificatio vestra*, quasi diceret: hoc vult Deus, vt peccata dimittatis, & vos benè operando sanctificetis. Et ponit hic Apostolus plura peccata: cum dicit, *vt abstineatis vos à fornicatione*. Vbi NOTA, multa sunt, propter quæ homo debet se à fornicatione abstinere. *III.* In peccatorū dimissione. Cur homo debeat à fornicatione abstinere.

PRIMVM est, diaboli placentia: multum enim placet diabolo hoc peccatum, quod potest ostendi *Primò* ex Iob 40. vbi dicitur de diabolo quo ad sensum mysticum: *Sub vmbra dormiuit in secreto thalami, in locis humentibus*. Vbi dicit Glossa. Loca humentia sunt fornicatores, in quibus libenter habitant dæmonus. Ideo petebant *I.* Ne placeat diabolo.

à Christo Matth. 8. *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*, vbi per gregem porcorum intelligitur congregatio fornicatorum.

Dæmones præcipuè gaudent de fornicatione

Secundo ostenditur per hoc, quod dicit Glossa super Leuit. Cum dœmones de omni peccato gaudeant, præcipue tamen gaudent de fornicatione & idololatria, quæ est spiritualis fornicatio de qua dicitur Oseæ 1. *Fornicans fornicabitur terra à Domino.* Et tangit Glossa causam, quare dæmones ita gaudeant de fornicatione, quia ibi corpus & anima maculantur. Ideo legitur in Vitis patrum lib. 4. cap. 5. §. 17. Quidam monachus intrauit in templum dæmonicorum, & vidit sathanam sedentem, & omnem militiam eius astantem, & ecce vnus venit, & adorauit eum, dixitq; sathan: Vnde venis? Et ille: Fui in illa prouincia, & suscitaui bella, & effusiones sanguinum. Et interrogauit: Quanto tempore hoc fecisti? Respondit, triginta diebus: & iussit eum flagellari. Et alius venit dicens: Quadraginta annis impugnaui quendam monachum, & vix ista nocte præualui, & feci eum fornicari: quod sathan audiens, mox surrexit, & osculatus est eum, & tollens coronam, quam habuit, imposuit capiti eius, & fecit sibi consedere. Ecce quantum placet fornicatio diabolo.

Fornicatio maculat anima & corp°.

Fornicatione binos lucratur diabolus.

Tertio per hoc peccatum binos & binos diabolus lucratur homines: filios & filias, quia dicitur Prou. 6. *Pretium scorti vix est vnius panis.* Sic habetur quod scortum est modici precij, quia frustum panis est modicum, & tamen accedens ad eam perdit maximum, quia mulier fornicaria pretiosam viri rapit animam.

II. Propter erubescentiam.

SECVNDO propter quod est fornicatio dimittenda, est erubescentia. Et hanc quidem ostendit absconsio: quia volentes hunc actum perpetrare, se in tenebris occultant. Iuxta illud Iob. 24. *Oculus adulteri obseruat caliginem dicens: Non videbit me oculus & aperiet vultum suum.* Sed quamuis abscondunt se ab hominibus, non tamen à Deo glorioso, quia dicit Sapiens Prou. 1. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Bonos scilicet ad præmiandum, & malos ad puniendum. Et Boëtius lib. 5. prosa vlt. Magna est nobis indicta necessitas probitatis, cum ante oculos agitur iudicis cuncta cernentis.

III. Infamia.

TERTIVM est infamia: quia non est peccatum, quod adeo maculat & infamat, sicut fornicatio. Quia de fornicatoribus exponi potest illud Prou. 6. *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Ideo dictum est Salomoni Eccl. 37. *Maculam dedisti in gloria tuâ.* Ideo dicit hîc Apostolus 1. Thess. 4. *Abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione.* Per vas intelligitur corpus nostrum proprium. Iuxta illud 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum* scilicet animam, *in vasis fictilibus*, quia corpus est vas animæ. Et hoc debemus per cõtinentiam possidere, id est, castigare vel coërcere, non in passione desiderij. Iuxta illud ad Rom. 13. *Curam carnis ne feceritis in desideriis, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Debet enim quilibet homo in hoc sacro tempore pœnitentiæ corpus per continentiam coërcere, quia dicit Hieronymus: Frustra assumitur pænitentia in voce & habitu, nisi etiam abstineatur à delectatione carnis & coitus.

S

Cur cupiditas valli cõparetur.

Quantum ad SECVNDVM, Apostolus corrigit cupiditatem cum dicit: *Ne quis supergrediatur neq; circumueniat fratrem in negotio.* Et NOTA: Cupiditas comparatur vallibus. *Primo*, quia valles sunt sordidæ. Nam ad valles confluunt sordes, & ibi diutius conseruantur. Sic in cupidis sunt sordes omnis malitiæ & peccati, secundum quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam* *quidam*

1. Valles sunt sordidæ.

quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Ideo dicitur Iohel 5. *Multiplicata est malitia eorum in valle*, id est in cupiditate. *Secundo* valles sunt calidę. 2.
Quia secundum Isidorum, in eis fit maior radiorum concursus & confractio, & ideo calidiores impressiones in eis quàm in mōtibus generantur. Sic etiam cupidi sunt calidi & fraudulenti in acquirendis diuitijs tēporalibus, & quasi omnes cupiditate accenduntur. Sicut figuratum est 4. Reg. vlt. *Nabuzardan princeps militiæ exercitus regis Babylonis venit in Hierusalem, & succendit domum Domini & domum regis, & domos Hierusalem.* Per Nabuzardan, qui interpretatur princeps cocorum, intelligitur diabolus, qui igne cupiditatis succendit clerum, nobiles, & omnem populum. Nam per domum Domini clerum, per domum regis nobiles, per domos Hierusalem communis populus figuratur: quia omnes calore cupiditatis accenduntur, iuxta illud Ierem. 6. *A maiore vsq; ad minorem, & à propheta vsq; ad sacerdotem, omnes auaritiæ student.* Sed audiant illi Hilarium super Matthæum: Qui nunc igne tam auidæ cupiditatis inflammatus fuerit, igne gehennali æternaliter æstuabit. Ideo Apostolus corrigit cupiditatem principaliter, quoad duo. *Primò* quoad hoc, vt nullus opprimat proximum suum, ab eo iniustè possessionem, vel aliam rem, extorquendo, cum dicit; *Ne quis supergrediatur. Secundò*, ne ipsum illaqueet debitis per vsuras vel mercationes decipiendo, dum subdit, *neq; circumueniat in negotio fratrem.*

Valles sunt calidæ.

Aliena bona non sunt inuadenda vel rapienda.

De PRIMO, quod nullus debet alium opprimere & bona sua ab eo iniustè extorquere, sed in suis contentari, ponam aliqua exempla sacræ Scripturæ. *Primum* est Genes. 14. de rege Sodomorum dicente Abraham, *Da mihi animas*, id est, viros, & mulieres, & paruulos, *cetera tolle tibi*; Respondit Abraham: *Leuo manum meam ad dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quod à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligę, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Secundum* exemplum est Genes. 33. Vbi Iacob volenti dare munera Esau respondit: *Habeo plurima, frater mi, sint tibi tua. Tertium* est 1. Regum 12. vbi ait Samuel: *Loquimini coram Domino de me: si de manu cuiusquam accepi munera, si bouem cuiusquam tulerim*, Glossa, ponendo in opere meo, *aut asinum. Si quem oppressi, & contemnam illud hodie.* Glossa nihil inde retinere volo. *Et dixerunt: Non es calumniatus nos.* Et sic testificati sunt eius innocentiam. *Quartum* exemplum est 2. Regum vlt. Cum Dauid veniret ad Areunam, vt emeret ab eo aream. Et hæc area est mons, in quo Abraham voluit filium suum immolare, vt dicit Scholastica historia. Et hunc voluit emere Dauid, vt ædificaret Altare, & offerret holocausta, vt interfectio populi cessaret. *Dixitq; ad eum Areuna: Accipiat & offerat Dominus meus rex, sicut placet ei, habes boues in holocaustum. Cui Dauid: Nequaquam vt vis:* quasi diceret: Non accipiam gratis, te in hoc aggrauando, *sed emam pretio a te. Et emit eam & boues, quinquaginta siclis.* Non autem sic faciunt domini terreni, sed occasiones varias quærunt vt vi tollere possint bona subditorum suorum, ciuium & rusticorum, & eos opprimere violenter.

1.

2.

3.

4.

Ideo legitur, cum quidam malefactor diu pauperes oppressisset, quadam nocte somniauit, quod comederet brachium pueri, quē imago B. Virginis tenebat super altari. Et cum præ angustia famis vellet comedere brachium alterum, puer eleuata manu percussit eum, & cecidit ante altare. Et cum ex illo casu euigilasset, & somnium narrasset vxori & familiæ, statim subita morte mortuus est. Ibiq; ostendit quod pauperes & boni Christiani sunt membra Iesu Christi, & quod ipse est, qui eos vindicat.

Punitus oppressor pauperum.

De

T

Nemo vsuris decipiēdi. Vsura manifesta. Vsura palliata & eius species.

De SECVNDO, quod nullus debet decipere alium per vsuras, est NOTANDVM, Duæ sunt species vsuræ. *Vna* est palliata: *Alia* manifesta. *Manifesta* vsura est, cum quis tradit alicui pecuniam mutuam, vel ponderatam, vel mensuratam, tali pacto, vt sibi vltra sortem aliquid detur. Quod tamen non est faciendum, quia dicit regula generalis? Quicquid acciderit extra capitale, vsura est, 14. q. 3. c. Plerique. Sed vsura *palliata* sex habet species. PRIMA accidit circa pignora vel obsides, & hoc quinque modis; *Primus* cum aliquis habet grangiam, vulgariter ein Schewren/ & fructus colligit vltra sortem. *Secundus* modus, cum quis vtitur pignoribus, sicut fecerunt illi, de quibus dicit Amos 2. *Super vestimentu pignoratis accubuerunt*. Vnde Tho. 2. 2. q. 78. si pignus sit res aliqua, cuius vsus pretio æstimari potest, debet ille, qui mutuauit, computare illius rei æstimationem in sortem. Alioquin si pecuniam acciperet pro re mutuo, illud quod accipit, est vsurarium, nisi fortè talis res sit, cuius vsus sine pretio solet concedi inter amicos. Sicut patet de lib. accommodato, Et hoc intellige, quod sit vsura, si vtatur pignore consentiente debitore: Si vero vtatur eo nolente, esset furtum. c. de fur. L. si pignore. *Tertius* modus cū aliquis habet equos in pignore, & facit eos comedere plus quàm possibile sit. *Quartus*, cum habet vsurarius obsides, & eorum expensis viuit. *Quintus* modus, cum obsidibus non vult dare dilationem, nisi sibi aliquid detur.

I. Circa pignora, &c.

II. Circa conditiones, &c.

SECVNDA species vsuræ palliatæ est circa venditiones & emptiones, & fit tribus modis: *Primus*, quando vsurarius emit aliquam possessionem longè minori pretio quā valet, tali conditione, quod venditor eam rehabere possit, quando pretium

1. soluere voluerit. *Secundus* modus est, quando aliquid ad terminum vendit, plus

2. quàm valet. Quia sunt aliqui, qui vendunt res suas longè carius propter dilationem solutionis, quàm eis in continenti soluerent. Sicut patet, Extra de vsuris. c. Consuluit. Si enim venditor statuat in corde suo, pro quanto pretio velit rem suam dare, non potest sine peccato propter dilationem pretium augmentare. Sed si pecunia prompta indigeat, potest quidem pro parata diminuere, sed non potest pro di-

3. lata augmentare. vt Extra de empt. & vendi. cap. dilecti. & cap. vlt. *Tertius* modus est quando ante terminum illum emit aliquid minori pretio quàm valet, sicut blandum in terra.

III. Accipere aliquid vltra sortem.

TERTIA species, cum vsurarius aliquid extra sortem accipit, sine pacto expresso.

IV. Societas palliata.

QVARTA species, cum quis palliat vsuraria societate. Vt cum aliquis tradit pecuniam suam alicui negotiatori tali conditione, vt sit socius eius in lucris, & non in damno, quod est maxima iniquitas: cum pauper, cui traditur pecunia laborem habeat, & periculum tam corporis quam animæ, & super eum adhuc ponatur periculum pecuniæ. Vult enim vsurarius, quod pecunia sua sit quoad lucrum, & pauperis quoad periculum.

Similiter hæc species vsuræ est secundum Gulielmum, cum aliquis sua animalia tradit pauperi tali conditione, quod sibi immortalia sint, quæ animalia vocantur vulgariter ferrea.

QVINTA, species est, cum quis nomine pœnæ palliat vsuram, sicut faciunt Romani. quod licet aliquando iustè possit fieri, secundum quod iustum est negligentiam alicuius puniri, sicut dictum est suprà de non soluentibus census tempore statuto,

tuto, vt suprà diximus Feria IV. quatuor temporum. V.A. Hoc tamen quoad multos vsura est. quia non intendit in pœnis talibus, vt sibi soluantur amplius, vt dicit Gulielmus.

SEXTA species est, vbi palliatur vsura in translatione facta à re in rem, à persona in personam. A re in rem fit translatio, vt cum diues non vult vltra sortem accipere pecuniam à paupere, sed benè accipit, vt benè operetur in vinea sua duobus diebus, vel aliquid simile. A persona verò in personam fit, cum vsurarius non accomodat, sed habet aliquem amicum, quem facit accommodare. quas species omnes prohibet hic Apostolus cum dicit; *Neq; circumueniat fratrem suum in negotio.*

De *tertiò*, quod nullus debet circumuenire, vel decipere proximum per mercationes dictum est aliqualiter Dominica III. post Epiphaniam, Sermone I. O.B. Est tamen NOTANDVM, quod per multa mala mercatores proximum decipiunt. Fallaciæ mercatorũ variæ.

PRIMVM malum est, vendere quanto carius possunt, & emere quanto vilius possunt. Illud malum excludit verbum Dei à negotiatoribus, & facit eos idololatras esse. Ex quo enim aliquis nullum respectum habet ad Deum, vel ad supernam charitatem in sua negotiatione, ipsum seruitium: quod deberet Deo impendere, diuitijs impendit: quod idololatriæ est: quia dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Auaritia est idolorum seruitus* I.

SECVNDVM malum est mendacium. quia dicit Chrysostomus distinct. 88. cap. Eijciens. Mercator sine periurio & mendacio esse non potest. De hoc legitur: quod erant duo mercatores, qui inter cætera peccata confessi sunt duo genera peccatorum, scilicet mendacium & periurium dicentes: Nihil penè emere, vel vendere possumus, quin oporteat nos mentiri & periurare. Quibus Sacerdos: Ista peccata grauia sunt, à Saluatoreque prohibita, cum dixit: *Sit sermo vester, est, est, non, non.* Responderunt. Non possumus hoc in negociationibus nostris custodire. Ait Sacerdos; Vtimini hoc consilio meo. Sicut mercatum vestrum dare vultis, sic & laudate. Et promiserunt, quod tentare vellent vno anno. Sed impediente Sathana, qui saluti hominum aduersatur, pene anno illo nihil vendiderunt, vel vendere potuerunt. Reuersique anno reuoluto ad confessionem dixerunt: Obedientia huius anni multum nobis damnosa fuit. homines à nobis defluunt, nec aliquid sine iuramento vendere possumus. Tunc Sacerdos: Nolite timere: quia tentatio diabolica est. fixum tenete in corde vestro, ita vt nulla aduersitas, nulla paupertas à tali proposito vos auertat, & Dominus vos benedicet. Promiserunt ei Domino inspirante, quia custodire vellent omnibus diebus vitæ suæ, etiam si oporteret eos mendicare. Mira res: statim Dominus immissam tentationem compescuit, & cœperunt eos homines plus, quàm cæteros mercatores frequentare, factiq; sunt in breui ita diuites, vt mirarentur. Reuersi sunt ad confessorem gratiasque egerunt. II. An mercator sine mendacio & periurio esse possit.

TERTIVM malum, quo decipiunt mercatores proximum, est furtum. quia furta fiunt præcipuè per fraudes quas faciunt circa stateras, pondera & mensuras: & hoc tripliciter. *Vno modo*, cum quis habet diuersa pondera, & diuersas mensuras, & vendit ad minorem, & emit ad maiorem. De quo Prouerbior. 20. *Abominatio est apud Deum pondus & pondus, & statera* dolosa *non est bona. Secundò* III. 1. 2.

cum

cũ quis habet iustam mensuram & iustum pondus, & malè inde mensurat vel ponderat, sicut faciunt caupones, qui mensuram implent spuma, de hoc. Leuit. 19. *Ego Dominus Deus vester, nolite iniquum aliquid facere in iudicio, & in pondere, & in mensura. Statera iusta, & aqua sint pondera: iustus modius, aquusq; sextarius. Ego Dominus Deus vester.* Ideo cum loqueretur de mensura, bis se dixit Dominum, vt timeant in eis fraudem facere, cum scirent se habere dominum, quem nulla possit fraus latere. *Tertio modo,* cum quis procurat, vt res, quæ ad pondus debet vendi, ponderosior sit, vt faciunt illi, qui lanam madefaciunt.

IV. QVARTVM malum, quod abundat in mercatoribus est, quod carius vendunt propter filij dilationem. quod est species vsuræ palliatæ, vt suprà est dictum.

V. QVINTVM quod vnum ostendunt, & aliud vendunt.

VI. SEXTVM est, quod verum celant, vt faciunt, qui equos vitiosos vendunt.

VII. SEPTIMVM est, quod loca tenebrosa quærunt & eligunt, vel aliter procurare solent, vt venalis res appareat alterius modi, quàm sit. Sicut in mercatoribus accidit, qui tenebras faciunt in locis, in quibus debent pannos vendere. in quo ostendunt se esse filios tenebrarum. Ideo meritò dicet eis Dominus, Matth. 22. *Proiicite eos in tenebras exteriores.* Istas omnes fraudes & deceptiones prohibet hic Apostolus cum dicit: *Neq; circumueniat aliquis fratrem in negotio.* Et subdit pœnam illius dicens: *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus,* scilicet grauiter puniendo.

V. Punitio talium deceptorũ. Vbi NOTA, qui hîc decipiunt proximos, vt dictum est, à Deo duplici pœna punientur. *Prima* est temporalis, & est paupertas. Quia dicit Poëta.

De male quæsitis gaudet vix tertius hæres

Ideo dicit hic Dominus Miche. 6. *Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa?* Quasi diceret: Non. Et sequitur pœna paupertatis. *Tu seminabis, & non metes: & calcabis oliuam, & non vngeris oleo.* Et est pœna temporalis vitæ breuitas, Deut. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus dederit tibi:* quasi diceret ex cõtrario; si hoc non feceris vitam tuam abbreuiabis: quia abominabitur eum Dominus, qui fecerit hæc. *Secunda* pœna, qua vindicat Dominus, est spiritualis, quæ tangitur Mich. 6. *Adhuc ignis est in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor ira plena.* Vbi dicit Glossa, quantum mensuræ subtrahitur, tantum iræ & offensionis acquiritur. Et cum sit scriptum Sap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc punietur.* Cum ergo in statera peccent, tales in statera B. Michaëlis punientur, & æternaliter condemnabuntur.

Pro conclusione legitur in annulo cap. 14. Veniens quidam vir sanctus ad quandam tabernam, vt vinum emeret, qui videns malam mensuram, de qua semper hospes fiebat pauperior, dixit ei; Fode iuxta clepsydram. Fodiens igitur inuenit busonem maximæ quantitatis, guttas & spumam cadentes aperto ore accipientem. Quod vir sanctus cernens, ait hospiti: Nunc cognosce, quomodo malè acquisita tua bona consumuntur.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

Sermo.

Ecce mulier Chananaa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: Filia mea malè à dæmonio vexatur, Matth. 15. & Marc. 7.

DIcunt experti nautæ, quod nauis tutius fertur, & natat in aqua amara, quã dulci aqua. Et hoc ideo est, quia quanto aqua est grossior, tanto nauigatio securior. Sed quia aqua amara siue salsa, vt est aqua maris, est grossior & grauior quàm dulcis, ideo ad nauigandum est tutior. Quia legitur, quod in mari Palestinæ mortuo nihil submergitur. In mari mortuo nihil submergitur

MORALITER. Per nauem intellige vitam humanam, vt dixi suprà Dominica infra octauam Epiphaniæ, Sermone. L.C. Sed per aquam maris intelligitur tribulatio hominis, vt supra Dominica III. post Epiphaniam Serm. II. O.D. Ideo sicut tutius fertur nauis in aquis maris, sic certè tuta est vita humana, aut anima in aquis tribulationis, quia habet secum valdè prudentem nautam, scilicet Christum, qui dicit Psalm. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum*, &c. quia si homo tribulatus periclitatur, per Christum eripitur. & in fine glorificatur. Sed in aqua dulci humanæ consolationis nauigantes, dubitatur, ne pereant. quia dicit Dominus Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram*. Quod perpendens Dauid, ait in Psal. 76. *Renuit consolari anima mea*, scilicet hic in terris. *Sed memor fui Dei, & delectatus sum*. Ideo Dominus permittit, vt electi sui nauigent hîc in aquis tribulationis, vt eò securius accedant ad portum cœlestis consolationis, vt patet Iob. 1. qui tribulatus est: *Primo*, per Sabæos, qui oues & asinos sibi abstulerunt. *Secundò*, per Chaldæos qui camelos rapuerunt. *Tertiò*, per ventum turbinis, qui quatuor parietes euertit, & pueros occidit. *Quartò*, per dœmonem, qui eum in toto corpore vulnerauit. *Quintò*, per vxorem, quæ ipsum, vt Deum blasphemaret, incitauit. Ideo dixit Iob. 17. *In amaritudinibus morabitur oculus meus*. Sic etiam ad præsens permisit mulierem Chananæam tribulari, & similiter filiam à dœmonio vexari, vt eas securius duceret ad portum salutis. Ideo dixit Euangelium: *Ecce mulier Chananæa*, &c. In quo ad sensum moralem tria tanguntur. *Primò*, animæ purgatio de peccato egredientis, ibi; *Ecce mulier*. *Secundò*, Dei imploratio deuota miserantis, ibi; *Miserere mei*. *Tertiò*, tentatoris tribulatio durè persequentis, ibi; *Filia mea*.

Vtilitas aquæ tribulationis.

Quare Deus permittat tribulationes.

Pro quo NOTANDVM. MORALITER, per hanc mulierem intellige animam peccatricem. quia Anselmus lib. 6. c. 7. ponit aliquas malas conditiones mulierum, quæ etiam conueniunt peccatricibus animabus. X

Mulier animę peccatrici cur comparetur.

PRIMA, quod mulier habet mentis inconstantiam & mobilitatem. Própter, quod dixit Sapiens quærendo, Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* scilicet, quæ esset constans in factis suis. Sic etiam anima peccatrix est instabilis in bono, iuxta illud Thren. 1. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est*. Est etiam labilis ad malum; quod intelligitur per mobilitatem. Ideo dicitur in authent. de

I. Quia inconstans.

Monachis. §. Si quis igitur. col. 1. Humana natura quodammodo labitur ad delicta. De hoc etiam dixi suprà Feria IV. Inuocauit, Sermo: II. V. F. Sicut enim mulier est adeo volubilis. postquam sæpe à viro decepta fuit, tamen ei credit, & ei se submittit: sic etiam anima peccatrix inconstans in bono, etiam postquam sæpe à diabolo se illusam & confusam sentit; adhuc tamen ei credit, & eius tentationi consentit. Idcirco assimilatur Samsoni. Iudic. 16. De quo legitur, quod amauerat mulierem nomine Dalilam. Quod cum audissent Principes Philisthinorum, venerunt ad eam, dicentes: *Decipe eum, & disce ab eo, in quo tantam fortitudinem habeat. promiserunt ei singuli mille & centum argenteos. Cui Dalila: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit, quo ligatus erumpere nequeas? Et ille: Si septem neruiceis funibus necdum siccis & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri homines. Attuleruntq; ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, vt dixerat, quibus vinxit eum latentibus apud se insidijs, & in cubiculo finem rei exspectantibus: Clamauitq; ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filium stuppæ tortum sputamine, cum odorem ignis acceperit: Et non est cognitum, in quo erat fortitudo eius. Ad quem Dalila: Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es. Saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas. Cui ille: Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis. Quibus rursum Dalila vinxit eum, & clamauit, Philisthiim super te Samson. Qui ita rupit vincula, quasi fila telarum. Et tandem dicit Dalila: Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Cumq; molesta esset ei per multos dies, aperuit ei veritatem dicens: Si rasum fuerit caput meum, tunc recedet à me fortitudo mea. Tunc illa fecit eum dormire super genua sua, & vocato tonsore rasit caput eius, & recessit ab eo fortitudo. Et traditus fuit in manus Philisthinorum.* Sic peccator tam multoties decipitur, donec tandem ad manus tortorum infernalium traditur.

Anima peccatrix similis Dalilæ.

MORALITER: Philisthiim interpretatur cadentes, & significat dæmones, qui de cœlo Empyreo ceciderunt, sicut dicitur Apoc. 12. *Draco cadens de cœlo traxit secum tertiam partem stellarum*, id est, Angelorum. Super quo dicit Magister lib. 2. dist. 6. quod lucifer non solus cecidit, sed cum eo alij multi, qui ei in malitia consenserunt. Ideo significantur per Philisthiim, qui interpretantur, ceciderunt, vel cadentes. Sed per Dalilam, quæ interpretatur paupercula, intelligitur tentatio diabolica, quæ est velut paupercula & debilis, si homo ei resistit, iuxta illud Gregorij in moral. Hostis antiquus contra consentientes fortis est; contra resistentes debilis. Sed Samson, qui interpretatur sol eorum, significat animam, quæ ad instar solis debet lucere lumine intellectus. Quia dicit Aristot. 2. Rhetoricorum. Intellectus est lumen, quod Deus infundit animæ. Sicut igitur Philisthiim miserunt Dalilam, vt deciperet Samsonem, sic dæmones mittunt tentationes, vt decipiant animam. De hoc dicit Gregorius 10. moral. Sæpe tot tentamenta nos obsident, vt ipsa nos eorum innumerositas penè ad lapsum inclinet. Igitur si anima eis consentit septem funibus mortalium peccatorum ligatur, vt dicere possit cum Psalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Sed hos funes debet rumpere per confessionem, Dei adiutorio, vt dicere possit cum Psal. 115. *Diripuisti vincula mea, &c.* Et rursum, si consentit anima tentationi, ligatur: & tandem per dæmones excæcatur.

Animę splẽdor, quis?

Funes peccatorũ per confessionem rumpuntur.

II. Quia fragilis.

SECVNDA conditio mulieris est, vt habeat mentis & corporis fragilitatem. Dicit Aristoteles lib. 7. Animalium. In omnibus generibus animalium fœminæ sunt de

debiliores maribus, præter vrsam & leopardam, quæ sunt fortiores quàm sunt mares. Ideò mulier quasi mollis aër dicitur. Sic anima peccatrix fragilis est, & mollis ad cedendum tentationibus, siue carnalibus, siue spiritualibus. Vnde sicut mulier fornicaria recipit omnes masculos, sic anima peccatrix omnes tentationis motus, iuxta illud Eccles. 36. *Omnem masculum accipiet mulier.*

III. **Corporis & capillorum venustatem appetit.**

TERTIA conditio mulieris, quod appetit habere corporis venustatem, propter, quod vt dicit Aristot. Omnis mulier habet flexibiliorē capillum, & molliorem quàm vir ceruicem. & præcipue in illis partibus mulieres ostendunt lasciuiam, scilicet in capillis, in ceruice, in facie, in colore, & reliqua parte corporis. Sed tamen hoc faciunt in damnum tam sibi, quàm proximis. Proximis enim de facili ad malum prouenit, ex pulchritudine ceruicum siue capillorum. Quia legitur Iudith. 16. *Quare ipsa colligauit cincinnos suos mitra ad capiendam Holofernem.* Et Cincinni dicuntur capilli dependentes de capite mulieris. Accidit etiam eis multiplex malum ex venustate crinium, sicut figuratum est 2. Regum. 14. *Absalon vir erat pulcher in omni Iraël, à vestigio pedis vsq; ad verticem, & non erat in eo vlla macula. Et quanto magis tondebat capillos, tanto magis crescebant. Semel autem in anno tondebatur: quia grauabat eum cæsaries, & ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Quid autem ei accidit? Nam legitur 2. Regum. 18. *quod caput eius quercui adhæsit, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insidebat, pertransijt. Et veniens Ioab infixit tres lanceas in corde ipsius.* Sic pulchritudine crinium adhæret mulier alicui viro luxurioso, quæ per quercum designatur. Quercus enim fructum defert, quo porci pascuntur. Sic etiam ipsa luxuriosa opera facit, in quibus infernales porci delectantur: Et veniens diabolus infigit tres lanceas in cor fatuæ mulieris. *Prima*, lancea est vitium superbiæ. *Secunda*, vitium luxuriæ. *Tertia*, vitium discordiæ inter ipsam & virum. Ecce quanta mala facit crinium pulchritudo, aut venustas.

Cicinni, quid?

Sic MORALITER. ad instar mulierum habet primo anima peccatrix crines & capillos flexibiles, quando consentit diabolo per cogitationes, aut affectiones mentis ad malitiam, & in his habet delectationes. Iuxta hoc verbum Psalm. 74. *Inclinauit ex hoc*, scilicet vitio, *in hoc*, scilicet peccatum, per malas cogitationes. Nos autem non sic. Quia dicit Bernardus: Tribus modis prouidentur bona apud DEVM: cogitatione, affectione, intentione. *Cogitatione*, quæ debet esse sancta: *Affectione*, quæ debet esse pura; *Intentione*, quæ debet esse recta. Sed hæc tria deficiunt animæ peccatrici, cuius cogitatio est iniqua, affectio impura, & intentio praua. Ideò dicitur *Secundo*, quod habet ceruicem & colorem album per hypocrisin, & exteriorem apparentiam: propter, quod significatur per cygnum, quæ est auis alba, longo collo, & rostro, cibum trahit de aqua profunda. Sic anima peccatrix est alba per hypocrisin, sanctitatem quærens exterius, & quæstum intendit interius. *Tertiò*, etiam habet carnes molles per luxuriam. Ita de peccatrice anima exponi potest illud Ierem. 31. *Mulier circumdabit virum*, id est, malitia luxuriosam animam.

ApudDeum prouidentur bona.

IV. **Habet vocē tenuem.**

QVARTA conditio, quia mulier habet vocis tenuitatem & gracilitatem. Iuxta illud Aristot. lib. 4. Animalium. Omnium animalium fœminæ graciliores habent voces, quàm masculi, præter vaccam. Sic anima peccatrix tenuem & modicam habet vocem ad Deum laudandum, vel peccata sua confitendum. Quoad laudandum, dicitur Eccles. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ideo Ps. 49. Peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, &c.*

Y SECVNDO, quoad confessionem dicitur Psal. 37. *Sicut mutus non aperiens os suum.* Si tamen anima peccatrix aperiret os suum ad pœnitendum fugaret diabolum : quia legitur. 3. Regum. 6. *Postquam Elisæus manifestauit latrunculos Syriæ, ducens eos in ciuitatem Samariam, eis recedentibus non fuerunt amplius ausi redire in Samariam.* quia dicitur ibidem. *Vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël*; cui prius erant nimis infesti.

MORALITER. Samaria interpretatur custodia & significat animam, quæ infestatur à latronibus Syriæ, quæ interpretatur humefacta, & significat peccata lubrica, quæ sunt quasi latrones animam infestantes. Idcirco debet virtus confessionis, quæ significatur per Elisæum, manifestare hæc peccata regi Ierusalem, id est, Sacerdoti. quo facto, fugatur, nec amplius habet accedendi facultatem. Quia dicunt communiter Doctores, quod peccata semel dimissa non redeant, 50. dist. c. Miror. Idem testatur Gelasius Papa. 23. q. 4. c. Si illic. Diuina clementia peccata in absolutione semel dimissa iterum in vltionem redire non patitur. Idem probat Prosper de pœnit. dist. 4. c. Qui recedit. Nunquam reuertitur in idem, quod dimissum est.

V. Mulier est loquax. QVINTA, quia mulier habet linguæ volubilitatem & sermonis facilitatem. Sic peccatrix anima facilis est ad malè loquendum, mentiendum, detrahendum, & huiusmodi. Iuxta illud Psal. 5. *Linguis suis dolosè agebant.* De hoc Prou. 18. *Os lubricū operatur ruinas vel minas, & os stulti contritio eius.*

VI. Mulier tarde mouetur. SEXTA, quia mulier habet motus tarditatem. Sic peccatrix anima tarde mouetur ad pœnitentiam, & parum proficit in via DEI, iuxta illud Sap. 5. *Pes eorum piger ad ambulandum*, cum tamen debeat festinare ad pœnitentiam, propter quinque, quæ habes suprà Dominica infra octauam Epiphaniæ Serm. III. L. T.

VII. Prona est ad iram. SEPTIMA, quia mulier habet ad iram pronitatem. De qua dicitur Eccles. 25. *Non est ira, super iram mulieris.* Sic etiam peccator faciliter irascitur, iuxta illud Psal. 111. *Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet.*

VIII. Retinet odium. OCTAVA, quia mulier habet odij tenacitatem. Nam diu solent portare odium. Sic peccatrix anima nimis diu portat odium in corde contra proximum. Contra, quod dicit quidam: Qui odio habuerit aliquem in præsenti, ipse exosus, & odiosus erit omnium creatori. qui enim odit hominem, odit omnium Saluatorem.

IX. Inuidia. NONA, quia mulier habet inuidiæ liuorem: Sic & peccatores sibi inuicem inuident, iuxta illud ad Galat. 5. *Inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.*

X. Laborem refugit. DECIMA, quia mulier habet laboris impassibilitatem. Est enim impatiens laboris, sic peccatrix anima refugit laborem pœnitentiæ. De his dicit Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. &c.*

XI. Exiguā spem habet. VNDECIMA, quia mulier habet spei modicitatem. Sic etiam peccatrix anima parum confidit in DEO, sed magis ponit spem suam in mundo. Ideo tales animæ finaliter cogentur dicere illud Isa. 28. *Posuimus mendacium spem nostram.*

XII. Est inuerecunda. DVODECIMA, quia mulier habet verecundiæ infirmitatem. Postquam enim verecundiam deponit, sine verecundia existit: propter quod dicit Cato. *Verecundiam serua.* Sic peccatrix anima si peccato assuescit, inuerecunda erit, iuxta illud Ierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere.* Istæ sunt conditiones duodecim mulieris, propter quas anima peccatrix sibi assimilatur.

Ad propositum ergo, sicut ista mulier est egressa à finibus Chananæorum, ita anima peccatrix debet egredi de cogitatione peccatorum. Iuxta illud Genes. 12. *Egredere de terra tua, & cognatione tua.* Sed ad hanc egressionem iuuant eam duo: PRIMVM est tribulatio, & significatur in hoc, quod IESVS venit in partes Tyri. Tyrus enim interpretatur angustia vel tribulatio. Cum enim IESVS venit ad hominem peccatorem in tribulatione aduersitatis vel infirmitatis, tunc homo egreditur de finibus iniquitatis. Quia mala, quæ nos hic premunt, ad DEVM ire compellunt, vt dicit Gregorius. Quæ iuuant vt anima egrediatur de peccatis. *I.* Tribulatio.

Sicut enim hæc mulier Chananæa à finibus gentilium egressa, fortassis ad IESVM non venisset, si eam tribulatio filiæ suæ non coëgisset. Sic peccatrices animæ de peccatis suis minimè egrederentur, nisi tribulationibus & correctionibus cogerentur. Sicut habes de Manasse suprà V. Q. sermone præcedente. Ipse fortassis nunquam pœnituisset, si angustiatus in carcere non fuisset, in quo tamen vere pœnituit, sicut patet ex oratione solenni, quæ communiter ponitur in fine secundi Paralipomeni. Sed non habetur in Hebræo, nec est de textu Paralip. In qua recurrit *primo* ad diuinam misericordiam, cum dicit: *Domine Deus omnipotens, tu es altissimus super omnem terram, longanimis, & multum misericors, & pœnitens super malitia hominum. Secundo,* recognoscit propriam miseriam, cum addit; *Peccaui super numerum arenæ maris, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ. Incuruatus sum multo vinculo ferreo, & non est respiratio mihi: quia excitaui iram tuam, & malum coram te feci, statuens abominationes & multiplicaui offensiones. Tertio,* petit misericordiam dicens; *& nunc flecto genu cordis mei.* quia vt didicit Glossa, Genua corporis flectere non potuit: compedibus ferri erat impeditus: *precans à te bonitatem: Peccaui Domine, peccaui; & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine: remitte: Et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserues mala mihi. quia me indignum sanabis secundum magnam misericordiam tuam. Quartò,* promittit emendationem cum concludit: *Et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum,* id est, omnes ordines Angelorum, *& tibi est gloria in secula seculorum. Amen.*

Perpende, peccator, an non verè pœnituit, qui ad diuinam misericordiam in tribulationibus positus cucurrit, miseriam propriam recognouit, misericordiam petijt & emendationem promisit. Certe vtiq;. Et tu sic fac. Si enim post nimia peccata à Domino tribulationibus vel infirmitatibus visiteris, curre ad Dominum, sicq; misericordiam cum Manasse consequeris. Ita fecit hæc mulier, de qua dicit Euangeliũ, quæ propter peccata sua in filiæ vexatione angustiabatur.

PRIMO, cucurrit ad Dominum, non ad incantatores, aut incantatrices. Sicut de hoc ipsam laudat Origenes in homilia. O prudentia fœminæ, quæ non ab homine seductore postulas auxilium, sed nec secuta es vates fallentes: non quæris ariolos, aut ad falsa consurgis præsidia; sed omnem relinquens diaboli cultum, venis ad IESVM omnium Saluatorem. Et hoc fecit nobis peccatoribus in exemplum, vt cum propter peccata nostra patimur, aut tribulamur, non ad incantatores, aut ariolos curramus. Qui enim in necessitatibus ad illos currunt, valde peccant, & nullum inde cõmodum, aut vtilitatem, reportant. Quod patet Num. 22. de Balach, *qui in arcto positus ad consilium Balaam arioli currebat.* Sed nullum inde commodum reportabat. Z In tribulatione ad Christũ currendum, non ad incãtatores, ariolos, & similes.

Ideo

Ideo legitur. 4. Regum 1. de Ochozia, *qui cecidit per cancellos*, id est, de ambulatorio cœnaculi sui, *& ægrotauit, misitq́; nuntios.* Dicit Glossa: Hoc fecit ex consilio matris suæ Iezabel, quę erat idololatrix pessima. Et ideo fecit eum currere ad idolum, & non ad DEVM dicens: *Ite consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam?* Aliquando enim dabant in idolis dæmones responsiones, Deo permittente, propter malitiam recurrentium ad idola, per quam merebantur, vt in suo errore detinerentur. Cumque irent ad consulendum; *Angelus Domini loquutus est ad Eliam: Surge & ascende in occursum nuntiorũ Regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non est Deus Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et dicitur infrà: *Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem loquutus est Elias.* Ecce quod nullum commodum, sed potius magnum damnum damnationis inde reportauit. Ideo dicit Beatus Augustinus 26. q. vlt. c. Admoneant fideles sacerdotes populos, vt nouerint magicas artes, scilicet incantationes, quibuslibet infirmitatibus hominum, non posse quicquam remedij conferre; nec languentibus animalibus, vt claudicantibus, vel etiam moribundis quicquam mederi, sed hæc esse laqueos antiqui hostis, quibus ille perfidè genus humanum decipere nititur. Et ponit Canon pœnam. Si quis hæc exercuerit clericus, degradetur; Laicus excommunicetur.

Peccator debet miseriã suam agnoscere.

SECVNDO, hæc mulier miseriã suam nimiam cognouit, propterea clamauit. Nam qui se miseros esse sciunt, clamore se ostendunt. Sicut videmus de claudis, cæcis, & debilibus, qui sedent in Ecclesiæ liminibus, quod miseriã suam clamoribus demonstrant. Sic debet anima peccatrix, per mulierẽ designata, miseriam suam cognoscere, in quam cecidit per peccatum. Iuxta illud Prou. 14. *Miseros facit peccatum populos.* Quia Dauid cognoscens se miserum factum, per peccatum, ait Psalm. 37. *Miser factus sum, & curuatus vsq; in finem, &c.*

Peccator debet misericordiã Dei implorare.

TERTIO, hæc mulier misericordiam petijt cum dixit: *Miserere mei Domine fili Dauid filia mea malè à dæmonio vexatur.* quasi diceret sicut Dauid percutiens citharam à Rege Saul malignum spiritum expellebat 1. Regum. 16. sicut de hoc habes suprà Dominica in Quinquagesima sermon. 2. R. T. Ita & te prædicante, & decem chordas hominum & Angelorum tangente, potes fugare dæmonium à filia mea. Ideo debet anima ad instar mulieris huius misericordiam à Deo petere. quia filia sua vexatur à dæmonio. Per filiam namque eius intellige conscientiam, quæ si aliquo peccato grauatur, à diabolo vexatur. Quia dicit Rabanus: Si quis conscientiam habet alicuius vitij sorde pollutam, filiam habet malè à dæmonio vexatam. Licet peccator in explendis peccatis exterius habeat interdum delitias, tamen in conscientia sua patitur pœnas. Iuxta illud Augustini lib. confessio. Iussisti Domine: & ita est, vt omnis inordinatus animus sit sibi ipsi pœna. Ideo dixit Dominus Ierem. 16. *Seruietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Et Isaiæ vlt. *Vermis eorum non morietur.* quia vermis conscientiæ mordentis in peccatoribus nunquam extinguetur. Et sic quotidie peccator in filia sua, scilicet conscientia vexatur. Ideo clamet pro misericordia dicens; Miserere mei, &c. filia mea, id est conscientia malè à dæmonio vexatur, scilicet per continuum remorsum in præsenti, & in futuro per gehennam. quia dicitur. 28. q. 1. Omne, quod contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam. Idem habetur de restit. spoli. c. habes, & de præscript. c. Quoniam omne. Dicit tamen Bartholomæus

lomæus Brixiensis Glossator decretorum: Quod sit contra conscientiam præcepti prohibitionis, ædificat ad gehennam. *Et addit:* Nam si plus comedam quàm debeam, quamuis est contra conscientiam; non tamen pecco mortaliter, vt 25. dist. §. Omnis. vbi B. Augustinus hoc numerat inter peccata venialia. [Contra conscientiam qui facit.]

Et sic patet, quod conscientia hominis, quando peccato mortali vel veniali occupatur, tunc semper vexatur. Ideo debet anima peccatrix pro sanatione prius Christum exorare dicens: Miserere mei Deus, &c. Et licet eam Christus non statim dignatur exaudire, debet tamen exemplo huius mulieris à proposito petitionis nō statim cessare, sed constanter perseuerare, patiens esse, se humiliare & fidem habere. [Quid prætereà peccator facere debeat exemplo Chananeæ.]

Primò, debet perseuerare, quia *qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit*. *Secundò*, debet esse patiens. quia patientia dœmonium expellit à conscientia. Nam legitur de filia cuiusdam primarij dœmonium habente, quod quidam discipulus senis iuit in domum, in qua ipsa puella erat à dœmonio vexata, quæ dedit ei alapam: Ille autem præbuit mox alteram maxillā. Dœmon autem coactus clamauit, quòd violenta mandata Dei eum inde expellerent. & statim curata est puella. *Tertiò*, debet se anima humiliare, quia & humilitas expellit dœmonium. Sicut patet in Vitis patrum libr. 2. quidam duxerunt ad beatum Apollonium Abbatem dœmoniacum deprecantes, vt eum curaret. Quibus ille: Non sum tanti meriti, vt dœmonibus imperem. Illis autem persistentibus orando & flendo, tandem acquieuit. Cumque in nomine Domini nostri Saluatoris IESV Christi imperaret, vt exiret, dixit dœmon: Ego imperante virtute Christi egrediar: tamen rogo te, quid est hoc, quod scriptum est in Euangelio; Qui sunt hœdi? & qui sunt oues? Cui senior: Hœdi quidem iniusti, inter quos ego sum peccator, qui multis peccatis obnoxius sum: oues autem Deus nouit. Tunc exclamauit dœmon voce magna: propter humilitatem tuam omnino stare non possum, & statim egressus est de homine, quem obsederat. *Quartò*, debet habere fidē. quia fides de Maria peccatrice Magdalena septem dœmonia expulit, & eam saluam fecit, Luc. 7. Sic etiam de anima peccatrice fides dœmonium expellit, & eam saluam facit, vt dici possit de ea; O mulier magna est fides tua. &c. [I. Perseuerare Matth. 10.] [II. Patiens esse.] [III. Se humiliare Insigne exemplū humilitatis.] [IV. Fidē habere.]

SECVNDVM, quod iuuat animam, vt egrediatur à finibus peccatorum, est Dei commotio, & tangitur, ibi; *Secessit IESVS in partes Sidonis*. Sidon interpretatur venatio vel commotio. Vbi NOTA, venatio est multiplex. [Ad peccatoris conuersionem, necessaria esse gratia Dei excitans.]

PRIMA est oppressiua, & hæc est peccatorum alios opprimentium. vt tyrannorū, de qua habetur. 6. dist. §. His itaque. Et est ibi exemplum de Nemroth: *Cœpit Nemroth robustus esse venator*, id est, oppressor hominum *coram Domino*, Gen. 10. Isti, inquam, peccatores, si debent egredi ab hac oppressiua venatione necesse est, vt Dominus dignetur corda eorum commouere, sicut commouit cor illius comitis, de quo dixi suprà Dominica I. in Aduentu Serm. I. A. N. [Venatio multiplex. I. Oppressiua.]

SECVNDA venatio est adulatoria, & ista est histrionum, & similium, quoties placendi causa dicunt bona de aliquo, ipsum falsè commendando. Et hæc adulatorum venatio est omnibus illicita, & secundum iura infamiam infert, vt 81. dist. cap. Sunt nonnulli. & 6. q. 1. c. Plurimi. Illis etiam, vt egrediantur de peccatis, necesse est diuina commotio, qua commotus fuit ille, de quo legitur lib. de dono timoris, videlicet nomine Gothardus, aliàs Fulco histrio excellens & ioculator, mundi vanitatibus deditus, cui Dominus immisit timorem pœnarum inferni, vt cum semel iaceret [II. Adulatoria.]

in lecto delicato, diceret intra se: Si semper iacere deberet in hoc lecto, nec inde exire, non posses sustinere. Quomodo ergo posses æternas pœnas ferre? Sicq; hac commotione firmatus omnia reliquit, & ordinem Cistercien. intrauit, & postea Episcopus factus est magnæ sanctitatis.

III. Arenaria. TERTIA venatio dicitur arenaria, & est cum quis recipit salarium, vt in arena pugnet cum bestijs feris. Et hanc qui exercent, peccant mortaliter. qui eam aspicit, & qui exercet eam, infamis est, nisi hoc fecerit gratia vitium experiendarum. De hoc loquuntur illa capitula. Qui venatoribus, &c. Qui venatori, & illud c. Vident homines venatores, & delectantur. Væ miseris, si se non correxerint. Qui enim vident venationem, & delectantur, videbunt Saluatorem, & contristabuntur. dist. 86. per Augustinum super Psal. 147. Hoc autem MORALITER vt dicit Anselmus, lib. 8. c. 56. refertur ad auaros, qui propter cupiditatem lucri pugnant in arena, id est auro, quia *omne aurum tanquam arena est exiguum.* Sap. 7.

Vt igitur isti exeant à finibus huius auaræ venationis, necesse est, vt Christus eos commoueat dicens: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorũ* Matt. 5. & 19. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.* Et Luc. 14. *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ecce qualiter commouet nos, vt à venatione auaritiæ exeamus. Possunt enim tam clerici, quàm laici temporalia possidere, sed non nisi ad vsum. Nihil enim miserius, quàm propter nummum perdere DEVM, vt dicit Hieronymus. 12. q. 1. c. Duo. Sed prohibetur eis, ne seruent auarè pecuniam, vt 47. c. Sicut sic.

IV. Saltuosa. QVARTA venatio dicitur occupatiua vel saltuosa, quæ in saltu, siue in nemore fit, canum, auium, vel hominum multitudine congregata. Hæc non est prohibita laicis, si exerceant eam tempore debito. quia in quadraginta diebus ieiuniorum non est licita. quia dicit Ambrosius in homil. & ponitur 86. distinct. c. An putatis illum ieiunare, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, sed surgit, & congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus siluasque perlustrat? Quasi diceret, non rectè. Digneque ieiunat, cum contra prohibitionem Ecclesiæ faciat. Si autem bestiæ vastarent homines, vel segetes, in diebus Quadragesimæ, etiam licita esset, vt c. de feris. L. 2. Sed hæc est Clericis interdicta, Extra de Clerico venatore, in Conc. Arelaten. vbi dicitur: Episcopum, presbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum non licet habere. Quare, si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus, tribus mensibus; si presbyter, duobus; si Diaconus, ab omnibus officijs suspendatur. Dicit enim Glossa: Quod causa sanitatis, necessitatis, vel recreationis possit esse presbyteris licita, dummodo clamores dimittunt.

Venatio Clericis interdicta.

Venatio quãdo presbyteris licita.

Hæc autem venatio MORALITER. Ad persecutores aliorum refertur, vel detrahendo, quod pertinet ad canes; vel rapiendo, quod pertinet ad aues; vel expugnando armis, quod pertinet ad homines feroces, qui alios persequi, & illudere student. Hi omnes, si debent egredi de his peccatis, necesse est, vt Christus in partes Sidonis secedat. quod tunc fit, quando eorum persecutiones per prædicatores corriguntur. Et NOTA, quod prædicatores debent corrigere persecutores, per hoc verbum Leuit. 19. *Surdo non maledices: nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum.* Ad literam verò, valde impium est surdo maledicere, cum ipse non audiat, nec

nec contra obiecta aliquid poterit respondere. Valde etiam impium est coram cœco ponere offendiculum, cum ille non videat, nec possit cauere. Sed secundum Glossam, Surdo maledicit, qui absenti detrahit. Et ibidem: *Non eris criminator, nec susurro in populis.* Dicit Glossa: criminator idem est quod detractor, qui alieno crimine delectatur. &c.

FERIA QVARTA POST REMINISCERE.

Sermo primus.

Orauit Esther ad Dominum dicens: Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere tuæ voluntate. Esther 13.

A

Per mulieres gratia dominorum conciliatur.

CONsuetudo fuit apud antiquos, vt hi, qui non erant in gratia dominorũ, per mulieres reconciliarentur sapientes. Cuius figura habetur 1. Reg. 25. de Abigail muliere prudente, quæ videns virum suum Nabal non esse in gratia Regis Dauid, *assumptis secum ducentis panibus, & duobus vtribus vini, & quinq; arietibus*, ad ipsum properanter iuit, virumque reconciliauit sicut de hoc habetur latius Sermone IV. in Aduentu, I. P. Idem legitur. 2. Reg. 14. Cum Absalon non haberet gratiam Patris sui Dauid, eo quòd fratrem suum Amnon occidisset, sicut patet plenius 2. Reg. 14. misit prudentem mulierem Thecuitem, quæ ipsum sapienter reconciliauit. Sic etiam legitur in lib. Esther; Cum Iudæi omnes essent damnati ad mortem, qui erant in centum viginti septem prouincijs Assueri, per Esther prudentem sunt reconciliati: sicut patet in præsenti epistola, in qua per orationẽ, quam ad Dominum fudit, Assuerum Regem mitem inuenit, qui sententiam datam reuocauit. Sed per mulieres sapientes intellige animas sanctas propter tria.

Mulieres sapientes denotant animas sanctas.

PRIMO, sicut mulieres naturaliter sunt piæ, quod patet ex hoc, quod maioris sunt pietatis, quam viri, & citius lacrymas fundunt. Sic animæ sanctæ sunt piæ, & ad lacrymas compunctionis pronæ: qualis fuit animæ Iob, qui dicit cap. 4. *Flebam quondam*, scilicet in prosperitate *super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*

SECVNDO, sicut mulieres sunt vehementer amatiuæ. magis enim diligunt Deum, quàm viri; sic animæ sanctæ feruenter diligunt DEVM. Nam quælibet dicere potest, illud Can. 5. *Si inueneritis dilectum, dicite ei, quia amore langueo.*

TERTIO, sicut mulieres circa fœtum sunt magis sollicitæ, quia dicit Aristoteles lib. 17. animalium. Non est consuetudo, quod mares sint solliciti circa fœtus, sed fœminę: Sic animæ sanctæ sollicitæ sunt circa bona opera, quæ sunt quasi fœtus, quos Deo pariunt. Et talis erat anima Marthæ, cui Dominus dixit, Luc. 10. *Martha, Martha, sollicita es.*

Modo ad propositum. Nos peccatores, qui sumus in ira Dei propter peccata nostra, quia de peccatoribus dicitur per Psalmum 77. *Ira Dei ascendit super Israel.* Si volumus DEO reconciliari, necesse est, vt hoc fiat per orationes sanctarum animarum,

Gratia Dei per orationes Ecclesiæ impetratur.

marum, quarum vna fuit hæc fidelis mulier Esther, quæ petit in persona Ecclesiæ liberationem spiritualem cuiuslibet peccatoris à peccati seruitute; vt ad sensum moralem testatur hæc Epistola: In qua hæc sancta mulier principaliter duo facit. *Primò*, captat liberationis beneuolentiam, ibi; *Domine &c. in ditione enim tua, &c. Secundò*, explicat ordinis continentiam ibi; *Et nunc Domine Rex, &c.*

Circa quod NOTANDVM, quoad sensum historialem legitur, quod in regno regis Assueri, fuit quidam vir Iudæus de tribu Beniamin, nomine Mardochæus, qui descendit de transmigratione Iechoniæ. Hic quandam neptem suo nomine Esther puellam speciosissimam adoptauerat in filiam, quam rex Assuerus, repudiata Vasthi, suo coniugio copulauit, vt habetur Esther 2. Tunc igitur temporis fuerunt multi Iudæi in regnis Assueri, qui post vltimum reditum Iudæorum de Babylone, qui fuit sub Nehemia, remanserunt in terra hac, noluerunt reuerti inde, & præsertim qui habitabant in Susis, & in centum viginti septem prouincijs. quia multi ibi duxerunt vxores, acquisierunt possessiones, quas dimittere noluerunt.

Contigit igitur, vt habetur Esther. 3. vt rex Assuerus exaltaret quendam nomine Aman, præcipiens, *vt cuncti illi genu flecterent, quod & fecerunt, præter Mardochæum*. Propter, quod Aman indignatus contra Mardochæum; & quia erat Iudæus, impetrauit Aman à rege, vt omnes Iudæi, qui in prædictis regnis erant, vna die delerentur. Et propter hoc edictum regis appendit primum in ciuitate Susis, vt habetur Esther 3. Et hoc fecit ideo, ne rex edictum immutaret. Quod audiens Mardochæus, contristatus est valde, & omnes Iudæi in ciuitate. Hoc ad aures Esther peruenit, dicente ei hoc Mardochæo. Illa autem præcepit ei, vt omnes Iudæi, qui erant in Susis congregati, tribus diebus ieiunarent, & ipsa cum ancillis suis cibum non gustaret. Quibus finitis ad regem primò & secundò intrauit, & edictum immutauit, vt omnis populus Iudæorum saluaretur, & hostis eorum Aman suspenderetur. Et in istis tribus diebus Mardochæus hanc orationem forte orauit dicens: Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua &c. Esther. 13.

Sed quod hîc asscribitur Esther hæc oratio, dicitur, quod sic erat in translatione septuaginta interpretum, de qua etiam dicit Ecclesia. Vel, quia Mardochæus auctoritate, & iussu Esther eam fecit. Et est regula iuris, libr. 6. quod quis facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum. Vel ideo hæc oratio attribuitur Esther, quia ipsa liberationem populi, pro qua fiebat ista oratio, principaliter procurauit.

B Comparat Esther Ecclesiæ, Vasthi Synagogæ.

Sed SPIRITVALITER in Esther regina figurata est Ecclesia, quam Christus duxit in sponsam repudiando veterem synagogam. Nam synagoga figurata est per Vasthi, quæ interpretatur eleuata. quia synagoga est finita & consummata. & Ecclesia multum eleuata, & in regno militantium valde confortata.

Propter PRIMVM igitur, quod Ecclesia est eleuata, non solum figurata est per Esther, quæ vltra omnes virgines fuit in regno Assueri eleuata. Sed etiam figurata est per firmamentum, quod primo est super omnes cœlos septem planetarum locatum. Quia dicunt Doctores, quod sub firmamento *Primum* est cœlum Saturni; *Secundum* Iouis; *Tertium* Martis; *Quartum* Solis; *Quintum* Veneris; *Sextum* Mercurij; *Septimum* Lunæ. Deinde ponunt octauam sphæram, quam vocant firma-

firmamentum. Per ſeptem igitur cœlos planetarum figuratur ſeptenarius numerus dierum, quos celebrabant in veteri Synagoga. De quibus ſuprà feria ſexta Inuocauit, Sermo II. V. L. Comparat Eccleſiam firmamento cœli.

Sed vltra hos eleuata eſt Eccleſia, quæ multa feſta ſanctorum per anni circulum celebrat, & gloriam reſurrectionis exſpectat. ſicut ipſa canit in Symbolo Nicæno: *Et exſpecto reſurrectionem mortuorum.*

SECVNDO, Eccleſia figuratur per firmamentum, & per Eſther, quia ſicut firmamentum inter duos polos rotatur, quorum vnus Septentrionalis, qui à nobis videtur, & dicitur polus Arcticus. Alter autem Auſtralis, qui Antarcticus dicitur, nunquam à nobis videtur. Sic etiam Eſther quando ad regem Aſſuerum intrauit, duabus puellis ſuſtentabatur: ſuper vnam innitebatur, & alia defluentia in terram portabat veſtimenta, vt habetur Eſther 15.

Similiter ſancta mater Eccleſia ad ſimilitudinem firmamenti, & Eſther, habet duo teſtamenta, quæ ſunt tanquam duo poli, inter quos rotatur. Quorum *primum* vetus teſtamentum, vt polus Arcticus, in quo bona viſibilia & præſentia promittebantur. Quia Deuter. 11. & Leuit 26. promiſit DEVS præcepta ſua ſeruantibus pluuias temporibus ſuis generationem ſeminis terræ, arborum repletionem cum fructibus, panis ſaturationem, & inimicorum de finibus eorum ablationem. Et Deuter. 28. Promiſit agri benedictionem, iumentorum multiplicationem, cellariorum repletionem, & ſic de alijs. quæ omnia fuerunt viſibilia & præſentia. Sed *ſecundum*, ſcilicet nouum teſtamentum, futura & inuiſibilia prædicat, vt regnum cœlorum, Matth. 4. *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Sed per duas puellas Eſther intellige in Chriſto duas naturas, diuinam & humanam. Super diuinam naturam Eccleſia innititur, iuxta illud Cantic. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Vbi per *deſertum* intelligit aſperitatem perſecutionis Tyrannorum, de qua Eccleſia aſcendit ad DEVM. Sed humana natura ſcilicet CHRISTI ſuſtentat veſtimenta, id eſt ornamenta. quia omnia ornamenta Eccleſiæ per Chriſti humanitatem ſuſtentantur.

Illæ etiam duæ naturæ ſignificantur per duos polos, quarum *vna* eſt viſibilis, ſcilicet humana, iuxta illud Baruch. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Altera* inuiſibilis, ſcilicet diuina, ſicut dicit Moyſes, Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* & Magiſter lib. 2. diſt. 8. cap. 5. Deus in ſpecie ſuæ eſſentiæ nunquam apparuit mortalibus.

TERTIO. Sicut firmamentum multis ſtellis decoratur, quia Geneſ. 1. dicitur. *Fecit Deus ſtellas & poſuit in firmamento.* Et ſimiliter Eſther regina erat valdè decora. quia incredibili pulchritudine, & oculis omnium gratioſa, Eſther. 2. Sic ſimiliter ſancta mater Eccleſia valde decora per multitudinem ſanctorum. Et vt canitur. *Eſt virgo ſine ruga*, de cuius pulchritudine dicit ſponſus, Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea*, &c Et ſic habes conuenientiam firmamenti cum Eſther regina, propter quam ſancta mater Eccleſia eſt ambobus comparata.

Propter SECVNDVM igitur, quod dictum eſt, quod Eccleſia eſt valdè conformiter aſſimilata Eſther Reginæ, & cum hoc monti Sion. NOTA: quia ſicut Eſther fuit fortis mulier, vt patet ex ſua audacia, quando ad regem Aſſuerum, ad quem nemo intrabat niſi iuſſus, intrare auſa fuit, Eſther. 6. Sic etiam mons Sion, fuit mons fortitudinis Eccleſia & Eſther cōparatur monti Sion.

ti u mis & securitatis, vt dicit Magister lib. 4. Isto mod o Ecclesia est adeo fortis & secura, quod nulla persecutione hæreticorum & tyrannorum deficiet. sicut testatur B. Hieronymus 24. quæst. 1. c. Hæc est fides sancta, inquit, Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente, & B. Petro opem ferente. In futuro permanebit sine vlla hæreticorum Insultatione, (Glossa, præualente) atque firma & immobilis omni tempore persistet.

Rom. Eccle-siæ elogium

Ista igitur sancta Ecclesia per Esther & firmamentum ratione eleuationis, & per montem Sion ratione confortationis figurata, habet multos populos scilicet Christianos, qui significantur per Iudæos. quia sicut Iudæi interpretantur confitentes, sic Christiani confitentur Christum, dicit enim Hieronymus 11. quæst. 3. cap. Æstimant. Quoties bonum agimus, Deum confitemur, & quoties vincimur à vitijs & peccatis, Deum negamus. Sed contingit (heu) multoties, quod ipse populus Christianus ad mortem culpæ procurante diabolo aut peccato condemnatur. Sicut figuratur in illo populo Iudaico, qui procurante Aman condemnari debebat. Aman interpretatur iniquus, & per ipsum accipitur diabolus; qui procurat damnationis sententiam, quod audiens mater Ecclesia, orat pro populo suo ad Dominum, sicut dicunt præmissa verba Epistolæ: *Orauit Esther ad Dominum*. Vbi per Esther intelligitur Ecclesia, quæ orauit pro suis populis.

Ecclesia cōparatur mustelæ.

PRIMO, vt à suis populis defensetur. Facit enim ad similitudinem mustelæ, quæ secundum Plinium in spec. nat. & Isaac in dietis, quando pugnatura est cum serpente primò, rutam comedit, vt in eius odore & virtute contra venenum sæuiat, & sic contra bella securè procedit. quia dicunt Plinius & Dioscorus & Constantinus, tanta est rutæ vis, quod post eius esum mustela etiam basilicum suum inuadit securè, & occidit.

Oratio deuota flagellum diaboli.

MORALITER. Pugnans mustela cum serpente, est Ecclesia tentata in suis filijs à dœmone. hæc quidem si vult dœmonem vincere & occidere, debet se ruta deuotæ orationis præmunire, quia oratio deuota est quasi flagellum cingens diabolum, vt dicit Anselmus.

Cur Ecclesia plus oret in Quadragesima.

SECVNDO. Et quia diabolus hoc sacro tempore Quadragesimali plus fideles impugnat, hinc est, quod Ecclesia plus alijs temporibus anni iam preces fundit. vt diabolum impugnantem facilius vincat & occidat. Quia legitur Exodi 17. cum Amalech aggressus est filios Israël cum eis pugnaturus, dixit Moyses ad Iosue: *Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech. Ego autem stabo in vertice montium, habens virgam Dei in manu mea.* Ascendit igitur in montem, & Iosue pugnabat. Cumque manus eleuaret Moyses, populus Israël superabat; cum autem remitteret, superabatur. Amalech interpretatur gens bruta, & significat dæmones, vel peccata, quæ faciunt homines bestiales: sicut probat Boëtius libro 4. de consolat. prosa. 3. Euenit, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis, quasi diceret, sed magis bestiam.

Isti igitur pugnant contra fideles, qui significantur per Israël. Sed Moyses, qui interpretatur liniens, vel vrgens, significat prædicatorem quemlibet Ecclesiæ, qui interdum linit dulci sermone, interdum vrget aspera correctione. Hic dicit Iosue, qui interpretatur saluaturus, & significat vnumquemque hominem, qui saluaturus est animam suam; *Elige tibi viros*, per quos intellige virtutes, scilicet orationes,

nes, ieiunium, & eleemosynam, & pugna contra dæmones & vitia, quia *hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio* Matth. 17.

Quod autem Moyses dicit se stare in vertice montium, manus eleuando in cœlum, significatur, quod Prælati sanctæ Ecclesiæ & Prædicatores stant in summitate graduum dignitatis, & eleuando manus ad DEVM orationibus suis adiuuant in pugna populum, iuxta illud Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* quia superiores tenentur orare pro subditis, & è conuerso. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Sed Ecclesia ideo orauit ad Dominum pro suis populis, vt in anima impinguētur. Facit enim Ecclesia sicut mulier, quę distillat vinū, vt inde fiat olei pinguedo. Dicit enim Anselmus lib. 9. c. 49. quod per sublimationē aut distillationem conuertitur liquor vini in pinguedinem olei. Nam si vinum distilletur ad modū aquæ rosaceæ, distillatur humiditas aquea & insipida, & illud quod remanet, fit oleaginum: & si iterum illa substantia sublimetur, egredietur inde oleum. Et hoc plus fit de forti, quàm de debili vino; & præcipuè de musto. Sic sancta Ecclesia ad modum mulieris vinum distillantis, & semper plus & plus vinum sublimantis, distillat & sublimat vinum orationis. Nam feria quinta, post diem Cinerum, fecit mentionem de oratione Ezechiæ, ex Isa. cap. 38. qualiter oratione sanitatem, & quindecim annos vitæ suæ impetrauit. *Deinde*, iterum sublimat. Nam Sabbato quatuor temporum proposuit nobis orationem Moysi, quæ ponitur Deut. 27. in hæc verba: *Respice Domine, de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo & terra, quam dedisti nobis.*

Iacob. 5.

Vini distillatio in oleum

Ecclesia crebro orat pro populo hoc sacro tempore.

Post hoc, *tertio* iterum sublimat vinum orationis; quia Feria secunda Reminiscere posuit orationem Danielis Prophetæ, cap. 9. per quam Ecclesia sic orauit: *Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti, in manu forti & virtute magna*, &c. *Auertatur ira & furor, obsecro, tuus.* quasi diceret. Tu qui eduxisti iam populum tuum per veram confessionem & pœnitentiam de tenebris peccati, obsecro te, ne irascaris ei,

Deinde *quartò*, iterum distillat orationem, & sublimat, vt hodie in persona Esther. Et quid per hoc vult? certe non aliud, nisi vt oleum deuotionis in filijs generetur suis, id est, anima cuiuslibet hominis impinguetur. Ideo dicit Anselmus, vbi suprà. Per vini fortis liquorem intellige compuncti hominis feruorem. De quo dicit Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis.* Vnde qui feruenter orat, tantum sublimatur quantum orando eleuatur. Quia oratio est ascensio mentis in Deum, vt dicit Damascenus. Ideo sublimatio fortis vini, est oratio compuncti hominis, quæ conuertitur in pinguedinem olei. quia ipsi oranti acquirit abundantiam gratiæ spiritualis gaudij, quod est vt quædam pinguedo ouium, vt tunc dicatur de quolibet tali illud Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Oratio quid?

TERTIO, orauit Ecclesia, vt gratia nobis citius impetretur. Secundum enim iura aliquis, qui est ineligibilis ad aliquam dignitatem, ob vnitatem electorum concorditer petitur. Qui taliter petitus ex gratia admittitur, non autem est iustitia, ex qua indignus esset ad postulandum vel eligendum. vt Extra. de postu. c. Bonæ memoriæ. Quia secundum Gaufredum postulatio est gratiæ petitio. Sic, quia cum homo ex se est indignus exaudiri, ideo sancta Ecclesia in suis fidelibus concorditer orat pro peccatoribus, vt habiles reddantur ad accipiendum glo-

riam

riam CHRISTI, & eius misericordiam. quia secundum iura postulatio debet fieri in concordia, si aliquis debet ex gratia admitti. Sic etiam concors Ecclesiæ petitio admittitur pro peccatore.

Orationem Esther accōmodat Ecclesiæ pro peccatorib⁹. Ideo dicit: *Orauit Esther*, id est Ecclesia eleuata ad Dominum suum pro populo suo, vt ab hoste defensaretur, id est, anima impinguaretur, & gratia sibi impetraretur. Et primò ideo, quia captat beneuolentiam, *vno modo* in hoc, cum dicit; *Domine*; quasi diceret, quia Dominus est nomen liberalitatis, ideo liberaliter peto me pro populis meis exaudiri. Quod enim Dominus est nomen liberalitatis, vide suprà Dominica IV. in Aduentu. I.A. *Alio modo* captat beneuolentiam cum dicit, *DEVS*. quia DEVS est misericors, & sua proprietas est misereri semper & parcere. Et Deuter. 4. dixit Moyses, *DEVS ignis consumens*. Dicit Glossa, DEVS ignis est, quia consumit peccata. Et Iob. 8. *Deus non proiiciet simplicem*.

Tertiò, in hoc cum dicit, *Rex*, quasi diceret: Reges sunt liberales ad exaudiendum; sicut refert Suetonius de Tito Imperatore. Quem cum rogaret pauper pro nummo, dedit ei ciuitatem. Et si terreni Reges sunt liberales, quantò magis Rex cœlestis misericorditer remittit sententiam damnationis & offensam. Quia igitur leo, qui est rex animalium, secundum Isidorum. 12. circa hominem mirificam habet naturam & misericordiam, sicut potest perpendi ex hoc, quod prostratis ante se parcit, hominem nisi in magna fame nec comedit, nec occidit. Et quare non Christus Rex regum, & Dominus dominantium humiliatis ante se parceret. Nec humiliatum interimeret aut necaret? Quia dicit Ezechiel. 18. *Nolo mortem peccatoris*.

Omnipotentia Dei in quo cōsistat. *Quartò*, in hoc, cum dicit; *Omnipotens*. Exodi. 15. *Dominus omnipotens nomen eius*. Nam omnipotentia sua stat in tribus. In *amplitudine potentiæ*. potest enim quæcunque vult facere, iuxta illud Sapien. 11. *Misereris, quia omnia potes*. Item in hoc, quod ad agendum *nullius indiget*. Iuxta illud Psalm. 15. *Bonorum meorum non indiges*. Item quia, *à nullo prohiberi potest*, Iuxta illud Matth. 20. *Non licet mihi facere, quod volo*. Quasi diceret, vtiq;. Et quia Deus est omnipotens, ideo sibi non deest potestas implendi illud, quod ab eo rogitatur.

Quintò, captat beneuolentiam in hoc, cum addit, *in ditione tua*, id est, dominatione tua, *cuncta sunt posita*. quasi diceret, ex quo omnia sunt sub tua dominatione, restat, vt non frustremur in nostra petitione. quia secundum Psal. 144. *Dominatio tua in omni generatione. & generatione*.

Sextò captat beneuolentiam, cum dicit. *Non est, qui possit resistere tuæ voluntati*. quasi diceret si vis misereri nostri, nemo resistit tibi.

D

An peccatores resistant diuinæ voluntati. Duplex Dei voluntas. Sed diceres. Videtur, quod peccatores resistant diuinæ voluntati: quia DEVS vult bonum fieri, & tamen ipsi malum faciunt, & bonum omittunt. igitur, &c. *Ad hoc dicitur* secundum Magistrum lib. 1. distinct. 45. Duplex est voluntas DEI: PRIMA est beneplaciti, & hæc est idem quod diuina essentia: & huic nihil potest resistere. quia omnino est sicut DEVS. De hac dicit Propheta; *Omnia quæcunq; voluit, fecit*. Et Apostolus ad Roman. 9. *Voluntati eius quis resistet?* Quasi diceret, nullus. Et de illa dicit ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta*.

Signa diuinæ voluntatis. ALIA est voluntas signi. & est quintuplex, id est, quinque sunt signa illius diuinæ voluntatis; scilicet præceptum, prohibitio, permissio, consilium, & impletio. Vnde versus.

Præcipit

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

Et istis signis resistunt interdum peccatores. quia præcipit Deus multis ea, quæ non faciunt: & prohibet, quæ non cauent; consulit, quæ non implent.

Cum autem dicitur, quod Deus vult bonum fieri, dicitur, quod vult quantum in se est. Non tamen est verum, quod velit simpliciter fieri bonum. quia semper fieret. Et cum dicitur, vult malum non fieri, dic, quod ista negatiua est vera: sed illa, Deus non vult malum fieri, non est vera simpliciter, quia nunquam malum fieret. Nunc autem nulla mala fierent, nisi Deo permittente. Quomodo Deus vult bonũ fieri.

Septimò captat beneuolentiam per hoc, quod subdit: *Si decreueris saluare Israel*; quasi diceret, sententia tua est inscrutabilis. Nam sententiæ aliorum Principum, quamuis secundum æquitatem procedant, sæpissimè tamen frustrantur, nec fit executio de mandatis. Et hoc ideo, quia non sunt omnipotentes. Sed sic non est de Deo. Et subdit, Dei omnipotentiam magnificando ex rerum productione, dicens: *Tu enim fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur*: quasi diceret. Tu fecisti etiam alia elementa, scilicet ignem, aërem, & aquam. *Dominus omnium tu es, & non est qui resistit tuæ maiestati.*

Quantum ad SECVNDVM, explicat ordinis continentiam, ibi: *Et nunc Deus Abraham*. Quia mos est petentium, vt cum eum, à quo petere volunt, beneuolum fecerunt, statim petitionem subiungant. Sic & hic facit sancta Ecclesia, cum dicit: *Et nunc DEVS Abraham*, quia video te beneuolum ad dandum illud, quod peto, miserere populo tuo, scilicet culpam, quam commisit, relaxando, *quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere.* Hic per inimicos intelligit diabolos: sed per hæreditatem populum Christianum. De hoc dicitur 3. q. 1. c. Nulli dubium. Nam diabolus non cessat circumire, quærens quem deuoret, & quærere, quos ex fidelibus perdat.

Ideo assimilantur bubonibus propter duo: *Primo*. Bubones de nocte ad templa volant, vt lampadis oleum euacuent, vt dicit Magister lib. 12. propriet. Per templum intelligitur cor hominis, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Nescitis*, quasi diceret, scire debetis, *quia templum* spirituale *Dei estis, & spiritus DEI habitat in vobis?* Et idem. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et infrà cap. 6. *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* In hoc quidem templo humani cordis sancta mater Ecclesia facit oleum deuotionis, vt patuit suprà. Et hoc facit ideo, vt veniente sponso Christo in morte cuiuslibet hominis, in lampade mentis habeat oleum deuotionis, vt scilicet cum *prudentibus virginibus ornent lampades suas*, Matth. 25. Sed dæmones nocte, id est, latenter & occultè, oleum illud de mentibus bonorum satagunt euacuare, vt veniente sponso non habeant secum oleum in lampadibus, & sic ab æterni regis nuptijs excludantur. Sicut accidit virginibus fatuis. Matth. vbi suprà. Dœmones assimilantur bubonibus.

Secundò, quia bubo de nocte comedit oua monedulæ, quia fortis est de nocte. Sed econtra monedula capit oua bubonis de die, & comedit, quia bubo est debilis de die, vt dicit Auctor vbi suprà. Sic etiam diabolus comedit in nocte peccati, omnia opera bona hominis, quæ significantur per oua, vt nullo modo sint ei meritoria, dum iacet in peccatis, saltem ad vitam æternam. Valent tamen ad minus ad extremi iudicij supplicium subeundum. De pœn. dist. 4. c. vlt. aut ad bo- Bubonis fortitudo nocte

 num

num temporale obtinendum, de pœn. distinct. 4. aut ad cor eius illustrandum, de pœn. dist. 2. c. Falsas. Et quia diabolus ad instar bubonis destruit bona opera hominis per peccata mortalia, ideo debet econtra homo in die salutis & gratiæ, destruere oua diaboli per opera pœnitentiæ. Quia dicit Anselmus lib. 4. cap. 21. est velut monedula humilis pœnitentia, cuius oua dici possunt laboriosa pœnitentis opera, & velut oua bubonis sunt peccata, ad quæ induxit dæmon. *Monedula*, igitur de die destruit oua bubonis, quia humilis pœnitentia, illustrante Dei gratia, destruit peccata, quæ pœnitens ex dæmonis suggestione commisit. Sicut fecit ille, de quo legitur in Annulo cap. 17.

Diabolus destruit bona opera.

Iuuenis quidam fuerat, qui instigante diabolo multa mala commiserat, & diu ei seruierat. Timens igitur ne eum amitteret, in forma cuiusdam clerici, scilicet socij eius apparuit ei: Et; Eamus, inquit, ad ripam extra ciuitatem, volens ipsum præcipitare in via. Erat autem quædam capella, quam intrauit diabolo foris exspectante. Iuuenis igitur exemplo aliorum compunctus confitebatur, & sic opera mala diaboli destruebat, cum pœnitentiam agebat. Diabolus verò à singulis exeuntibus quæsiuit de socio suo. Tandem ille cum esset egressus, diabolus dixit ei: Veniet ne socius meus? Ait iuuenis: Agnoscis ne eum? Ait ille: vtique eum cognoscerem, si eum viderem, sicut prius dimisi eum. Respondit iuuenis: Ego sum. Sed DEVS me de tua societate misericorditer per pœnitentiam liberauit. Ideo vlterius orauit sancta mater Ecclesia pro suis filijs & populis dicens: *Ne despicias partem tuam, quam redemisti* sanguine tuo, quasi diceret. Sed da eis veram pœnitentiam, vt sic euadant fallaciam diaboli. *Placere.* offensam remittendo, *& exaudi deprecationem meam*, scilicet quam fundo pro populo meo, *& propitius esto sorti & funiculo hæreditatis tuæ. & conuerte luctum nostrum in gaudium*, scilicet gratiam tuam & consolationē dando, sine qua spirituale gaudium habere non possumus. Quia peccator, qui adhuc iacet in peccati tenebris, dicere potest illud Tob. 5. *Quale mihi gaudium cum in tenebris sedeo?* quasi diceret, nullum. Ideo, *conuerte luctum nostrum*, &c. quod tunc fit cum homo confitetur peccatum, quia etiam ad literam homo confessus alleuiatur, & leuior efficitur ad bonum operandum, & ad Deum laudandum. Ideo concludit: *Vt viuentes*, scilicet in anima per pœnitentiam, *laudemus nomen tuum: & ne claudas*; id est, claudi permittas per dæmonem, *ora canentium te Domine Deus noster*, &c.

Exemplum quomodo pœnitentiæ delet peccata, vt diabolus hominē peccatorem non iam agnoscat.

DE EADEM FERIA QVARTA.

Sermo secundus.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. Matth. 20. & Marci 10. Lucæ vero 14. cap.

ROBERTUS Holkot super lib. Sapien. cap. 11. lect. 138. dicit sanguis humanus triplicem habet naturam. quia fœcundat lignum aridum, sanat corpus languidum, causat cementum solidum.

E Sanguinis humani triplex effect⁹. L

PRIMO fœcundat lignum aridum. Dicunt naturales; si lignum ari-

aridum fuerit arboris vel arefactum, optimum remedium est statim principio arefactionis imponere radici sanguinem humanũ. Refert etiam Hermes Ægyptius, quod rosarium plantatum in terra commixtum sanguine, ad calorem modicum ignis omni tempore anni producit rosas. Rosarium omni tẽpore anni producens rosas.

Sic Moraliter homo, quasi arbor, Marc. 8. *Video homines quasi arbores*, arescit per peccatum, quando de Deo non cogitat, quæ Dei sunt. Ideo exponitur de ipsis illud Ioël. 1. *Lingua agri aruerunt, quia confusum est gaudium à filiis hominum.* In isto casu non est melius remedium, quam ad radicem talium hominum apponere sanguinem calidum Christi, per deuotam medidationem eius passionis. Ista meditatio accendit statim amorem, qui est calor naturalis hominis. Quia secundum Gregorium in registro; Amor Dei nunquam est otiosus: sed operatur magna si est, Et ideo ad istum sanguinem, scilicet Christi passionis memoriam, sequitur fructus boni operis. Amor DEI nunquam otiosus.

Secundo, sanat sanguinem corpus languidum. Ideo consultum legitur Constãtino Imperatori leproso, quod balnearet in sanguine calido puerorum, & curaretur eius infirmitas. quam pueri quandoq; sustinent, & vocatur Tenglos, periculosa valdè, nisi per remedium aliquod occurratur. Et est remedium tale, quod puer vngatur sanguine hominis, qui prius passus fuit morbum istum. II.

Moraliter. Corporis nostri mortalitas est incurabilis infirmitas, eo quòd cõtinuè morimur secundum Senecam. Ista quidem infirmitas, vt videlicet fieremus immortales, curari non potuit, nisi per illius sanguinem, qui sponte nostram mortalitatem sua passione curauit. Ideo dicit Bernardus in quodam sermone; O bone Iesu, quid tibi & morti! Nos delinquimus, & tu soluis; nos peccamus, & tu luis: Opus sine exemplo, gratia sine merito, & caritas sine modo.

Tertio, sanguis cementum causat solidum. Dicitur enim quod antiqui volentes ædificare perpetua, cementum humano sanguine miscuerunt. Ideo de Vortigerno Rege Britanniæ legitur in historijs Britonum, quod cum ædificaret turrim in monte Ererij, vel monte niuis in Wallia, quicquid cementarij de die operabantur, tellus alto die absorbuit. Consoluerunt ergo magi dicto regi, quod iuuenem quendam inquiri faceret, qui patrem non haberet, cuius sanguine lapides & cementum aspersi præstarent solidum fundamentum. III.

Moraliter: ante passionem Christi sic in mundo erat, quod quicquid in mundo ædificauerunt, quantumcumque benè ædificarent, moraliter benè viuendo, totum in morte absorbebatur à terra: quia omnes in puteum inferni descenderunt, nec statui potuit ædificium meritorum, donec aspersi essent sanguine iuuenis, qui patrem non haberet in terra. De quo dicit Apostolus ad Hebr. 12. *Accessistis ad montem Sion, & iudicem omnium Deum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem, quàm Abel.* Glossa. quia sanguis Abel loquitur vindictam; sed sanguis Christi veniam. Isto etiam sanguine cementum Ecclesiæ conglutinatum est & solidatum, vt Deo amore indissolubili inhæreamus. quia procul in regione dissimilitudinis prius distabamus. Iuxta illud Ephes. 2. *Nunc autem in CHRISTO IESV*, id est, per Christum, *vos, qui eratis aliquando longè, facti estis propè in sanguine Christi.* Ideo sancta mater Ecclesia in præsenti Euangelio recitat de passione Christi, & de effusione sanguinis, quæ facta est in flagellatione & crucifixione, vt

ſic hominis cor in amore accenderetur, mortalitas auferetur, & humanum genus in cœlum leuaretur, dicens: *Aſſumpſit IESVS duodecim diſcipulos ſuos ſecreto* &c. Sed omiſſis alijs verbis Euangelij, ſolum de calice Chriſti erit ſermo, cum dicit: *Poteſtis bibere calicem?* In quibus duo ponit. *Primo*, præmittit interrogationem, ibi; *Poteſtis bibere calicem. Secundò*, ſubiungit reſponſionem, ibi; *Poſſumus.*

Pro quo NOTANDVM, Sicut reges terreni diuerſos habent calices, de quibus propinant charis ſuis interdum dulcia: aliquando verò pocula amara, ſecundum temporis opportunitatem. Sic etiam Chriſtus habet diuerſos calices, de quibus propinat ſolummodo dilectis ſuis, & amicis.

Chriſtus habet varios calices.

I. Paſſionis Dominicæ.

PRIMVS eſt Dominicæ ſuſtinentiæ, vel paſſionis, de quo præcipuè intelliguntur verba prælibata Chriſti, cum interrogat; *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et hic calix continet in ſe ſuauem balſamum propter multa.

Primò, ad triſtitiam remouendam. quia dicit Conſtantinus in libro de natura liquorum, quod balſamum in aqua poſitum mox fundum petit. Et hoc eſt verum, ſi non fuerit Sophiſticatum. Quid per aquam intelligitur niſi triſtitia, aut tribulatio mentalis? De qua Pſal. 68. *Non me demergat tempeſtas aquæ*, id eſt, triſtitiæ. De qua triſtitia dicitur Eccleſ. 30. *Triſtitiam longè expelle à te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Sed per balſamum intelligitur paſſio Chriſti glorioſa, quæ ſi ponitur in aqua triſtitiæ, aut tribulationis noſtræ, ſtatim fundum petit. quia grauior eſt omnibus tribulationibus noſtris, iuxta illud, Threnorum 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* quaſi diceret; Cum tribulatus hoc aduertit, tunc ſuas tribulationes paſſio Chriſti ſui ponderis & grauaminis comparatione, leues & tolerabiles reddit, iuxta illud Gregorij. Si paſſio CHRISTI ad memoriam reuocetur, nihil eſt adeo durum, quod non æquo animo toleretur.

Per balſamũ deſignatur paſſio Chriſti.

Exemplum.

Ad quod probandum refert Amandus in horologio Sapientiæ, lib. 1. cap. 14. Erat quidam, quem circa conuerſionis ſuæ initia quædam triſtitia inordinata tam lethaliter oppreſſit, quod nec orare, nec legere, vel quicquã boni pro tunc facere poſſet. Hic quadã die in cella reſidens, & ab hac paſſione dum grauiter vrgeretur, facta eſt deſuper vox ad eum dicens: Quid hîc ſedes otioſus in teipſo tabeſcens: Surge nunc, & paſſionem meam deuota memoria pertracta, & mea amaritudine vincas tuum dolorem. Quo audito, frater ille ſurrexit, & ſe ad meditandam paſſionem contulit. Ex tũc medicina illa ſalutari ſanatus, per eius continuam replicationem, nequaquam plus de cetero talem vmquam ſenſit animi paſſionem. Ideo hortatur nos Apoſtolus ad Heb. 12. *Recogitate eum, qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.*

Paſſione Chriſti concupiſcentiæ extinguũtur

SECVNDO, ad concupiſcentiam extinguendam. Dicit enim idem Conſtantinus, vbi ſuprà, quod balſamum ignem extinguit. Quia dum in balſamo ignem exſtinguimus, filum intingimus, & non crematur luminis aduſtione. Sic ſimiliter digitus intinctus balſamo, à flamma ardentis candelæ nullam recipit læſionem. Et ratio eſt ſecundum Galenum, Balſamum, quamuis ſit vnctuoſum, igni tamen nihilominus eſt inimicum, contra naturam pinguedinis cunctorum liquidorum.

Concupiſcẽtia eſt multiplex.

MORALITER. Concupiſcentia eſt multiplex. PRIMA eſt concupiſcentia luxuriæ, quæ eſt velut ignis deuorans, Iob. 31. *Ignis eſt vſq; ad perditionem deuorans,*

&

& omnia eradicans genimina. Sed hanc concupiscentiam ignitam extinguit balsamũ Christi passionis, si homo de ipsa deuotè biberit. Quod probat Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 58. part. 25.

1. Luxuriæ.

Erat quædam puella in Brabantiæ partibus, inter proceres generosa, quæ in amore cuiusdam iuuenis miro modo per multos annos dæmonum stimulabatur insultu. Hæc cum ipsa frequenter confessori cum multis lacrymis aperiret, consultum fuit ei, vt summoperè caueret; nec nutu aut verbo iuueni tentationis occasio præberetur. Paruit illa diligenter, vt præmonebatur. Cumque adeo grauiter tentaretur, vt somni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, vt tanto dæmonum agitaretur impulsu, quod superueniente aurora surgere cogitaret, & clam adire iuuenem, qui morabatur in vicinio. Nec mora, vbi surgens oculos aperuit, vidit CHRISTVM quasi plagis recentibus crucifixum, læto sermone dicentem sibi. Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, & generosus. Hæc vt dixit, repente disparuit, & puellam in omni pace, & gaudio, & gratiarum actione ab omni tentatione liberam dereliquit. Ecce, quod passio Christi, velut suaue balsamum, extinguit concupiscentiam carnis inordinatæ accensam. Ideo, ô homo, cum concupiscentia inordinata carnali accenderis, si de calice passionis Christi, qui est plenus balsamo biberis, proculdubio citius liberaberis. quia castissimus Mariæ filius non sinit hunc tentari ardore libidinis, qui deuotè meditatur acerbitatem suæ passionis.

Christus puellæ apparẽs liberat eam à tẽtatione.

Concupiscẽtiam libidinis sedat meditatio passionis Christi.

SECVNDA concupiscentia est auaritiæ, quæ etiam est velut ignis deuorans, iuxta illud Iob. 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorum.* quasi diceret, æstus auaritiæ cruciabit mentes auarorum. Sed hanc concupiscentiam extinguit balsamus suauissimus Dominicæ passionis. Si enim Dominum maiestatis nudum in cruce patientem quis videret, vilissimam auaritiam non amaret. quia dicit Bernardus: Magna siquidem abusio & nimis magna, quod diues velit fieri vermiculus vilis, pro quo DEVS maiestatis & Dominus Sabbaot, pauper voluit fieri. Ideò Dominus dirigit nos ad meditationem suæ paupertatis, quàm habuit in sua passione dicens: Threnor. 3. *Recordare paupertatis meæ, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis.*

2. Auaritiæ.

Concupiscẽtiam auaritię exstinguit passio Christi

TERTIA concupiscentia est vindictæ, quæ est ignis ardens Deuter. 32. *Ignis accensus est in furore meo.* Huic igitur inimicum est balsamum salutiferæ passionis. quia CHRISTVS pendens in cruce, se de crucifixoribus suis non vindicauit, sed prò eis pia dulciter exorauit voce, dicens Lucæ 23. *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et quis est inter nos, qui vindictam proximo suo non remitteret, si balsamum passionis Christi per deuotam meditationẽ biberet, aut cordi suo infunderet: quia Christus crucifixus, illos, qui vindictam remittunt, diligit, & eis omnia peccata dimittit, vt dixi suprà Dominica IV. in Aduentu I. O.

3. Vindictæ.

Vindictæ cõ concupiscentiam collit passio Christi

TERTIO, calix passionis Christi est ideo plenus balsamo ad culpam educendam. quia dicit Magister lib. 17. propriet. Balsamum fœtum mortuum educit. Nam si mulier fœtum mortuum portaret, & de balsamo biberet, continuo pareret, & fœtum educeret. Quid est mulier nisi peccatrix anima, vt suprà Dominica Reminiscere, Sermone II. quæ si vult partus diaboli mortuos, id est, peccata mortalia de corde educere, debet de balsamo Dominicæ passionis bibere. Quia passio Christi purè meditata, peccatum mortale de conscientia extrahit & educit. quia pœnitentia, & cætera sacramenta in virtute passionis Christi operantur, sicut testatur Hugo de sancto Victore

Calix passionis Dominicæ conuertit peccatores.

ctore libro de sacramentis. Misericordia, inquit, nimirum sacramenta in virtute passionis CHRISTI Dominicæ nouimus diuinitus instituta.

Ideo legitur, quod fuit quidam Clericus lubricus & immundus, qui quotidie proponebat conuertere se & agere pœnitentiam, & tamen semper differebat & tardabat. Cui apparuit Dominus in forma, qua crucifixus erat, in visione ostendens ei vulnera & sanguinem, dicens: Vide, quid pro peccatis tuis passus sum in corpore meo; ad te, & alios peccatores vocandum, monendum, & à peccatis soluendum. Conuertere ad me, & ego suscipiam te. Quod ille audiens, ex illis verbis motus fuit, & religionem intrauit, pœnitentiam egit, sancteq; vixit.

F

II. Calix pœnitentiæ & cōfessionis, Absynthij virtus.

SECVNDVS calix est salutiferæ pœnitentiæ & confessionis, & hic est plenus absynthio propter tria, quæ perficiunt pœnitentiam. *Primo*, qui absynthium habet virtutem amaricatiuam. Est enim tantæ amaritudinis, quod etiam vermes & animalia ipsum abhorrent. Et hic est, quod ipsa liberat nos à vermibus & à muribus. Nam & libros & vestimenta conseruat ab eis, si cum is simul includatur, vt dicit Macer & Dioscorus. Sed quid per absynthij amaritudinem, nisi amaram contritionem intelliges? De qua Isa. 38. *In pace amaritudo mea amarissima.* Et iterum: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Iere. 6. *Luctum vnigeniti, fac tibi planctum amarum.* Hæc quidem amara contritio repellit mures & vermes.

Absynthij amaritudo, contritionē designat.

Pœnitentia vincit delectationes carnis.

MORALITER. Per hæc animalia, scilicet mures, significatur vno modo carnis delectationes; quia sicut potus occidit murem (Nam secundum Aristotelem mus non potat: & si potauerit, morietur) Ita delectatio carnis occidit mentē. Hæc quidem delectatio secundum Anselmū li. 2. c. 15. tunc potatur, quando ei consentitur. De quo cōsensu dicit Ps. 108. *Intrauit sicut aqua in interiora eius.* Et tunc anima moritur. Quia dicit Apostolus Iacobus cap. 1. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Exemplum.

Sed has delectationes repellit amara contritio. Sicut patet de quadam muliere, quæ per multos annos delectationes carnales experta fuit, quas omnino contritio amara repulit & curauit.

Legitur enim in Vitis patrum ex lib. Sent. Patrum, §. 204. Quidam frater in Ægypto, qui habebat in seculo sororem meretricem. Hic ex fratrum monitu iuit vt sororem induceret ad pœnitendum. Dum autem illuc venisset, vidit eum quidam ex notis, & dixit sorori: frater tuus venit de eremo ad te. Illa autem statim contrita, relictis amatoribus, discooperto capite cucurrit ad eum. Et dixit ei frater: Soror mea, parce iam animæ tuæ, quia multi propter te iam perierunt: propter quod multa habes tormenta præparata, nisi citò pœnitueris. Illa autem contremiscens, dixit: Scis frater, quod est mihi salus, vel non? Et ille: Si volueris, adhuc est tibi salus. Illa autem iactabat se ad pedes eius, petens vt eum secum duceret in desertum. Et dixit frater: Vade cooperi caput tuum, & sequere me: Et illa: Velociter, inquit, eamus: quia magis volo nudo capite ambulare, quàm ad domum peccati mei iterum ingredi. Ecce qualiter amara contritio huius mulieris repulit delectationes carnis. Dum igitur pariter ambularent. monebat eam frater ad pœnitentiam. Venerunt autem quidam fratres eadem via & ideo dixit ei: Quoniam necdum omnes sciunt, quod soror mea es, parum de via secede, donec isti transeant, & pôst vocauit eam, dicens: Veni soror mea. Eamus viam nostram. Illa autem

Contritionis vehementia meretrix cōuersa moritur, & sine purgatorio euolauit.

autem non respondit ei: Vadens igitur inuenit eam mortuam, & vestigia pedum eius plena sanguine. Erat enim discalceata. Tum ille flens & eiulans, nunciauit senioribus Patribus hæc omnia, & vni eorum Dominus manifestauit: quod ex quo illi nulla cura fuit de rebus corporalibus, & omnia neglexit sua, ideo Deus suscepit contritionem eius & pœnitentiam.

Alio modo per mures intelliguntur diabolicę tentationes. Sicut enim mures rem rodunt & scindunt, quam apprehendunt secundum Isidorum libr. 12. Propter quod dicitur 13. q. 1. capit. Ecclesias. Mali hospites sunt mus, vipera, & ignis in sinu: eo quod malè remunerant hospites suos, scilicet actiuos. Sic etiam tentationes diabolicæ, cum mentem hominis occupauerint, rodunt & scindunt eam. Propter quod conqueritur beatus Bernardus: Heu, heu, sicut nec mare fluctibus, ita nec vita ista carere potest tentationibus. Sed has tentationes remouet amaritudo pœnitentiæ.

Quid per mures intelligatur.

De hoc legitur in Vitis patrum de abbate Serapione. Hic dum esset paruulus, tentabatur à diabolo, vt semper post horam prandij absconderet vnum paximacium, vt illud comederet occultè. Et cum hoc diu fecisset, & semper in conscientia redargutus fuisset, quod malè faceret, contigit Dei prouidentia quosdam fratres refectionis causa ad cellam senioris venire, cum quo Serapio manebat. Refectione facta, senex cœpit eos informare plurimis bonis admonitionibus. Et ad vltimum dixit: Nihil sic noxium est monachis, & lætificat dœmones, quàm si celant tentationes suas spiritualibus patribus. Tunc ille compunctus corde, statuebat seni secreta pectoris sui patefacere: Deinde compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorumpens, cœpit amarissimè flere, & continuò eiecit de sinu paximacium, quod parauerat ad comedendum. Cumque in medium protulisset, quomodo sic occultè comedisset, prostratus in pauimento cum veniæ postulatione confessus est. Et vbertim profusis lacrymis, orationibus fratrum veniam apud Deum postulabat. Tunc senex dixit: Confide fili, quia liberauit te à captiuitate diaboli pœnitentia, & confessione tua, de inimico tuo hodie triumphasti. Necdum senex hæc verba compleuerat, Ecce statim velut lampas magna accensa de medio sinu procedens, tanto fœtore cellam repleuit, vt vix in ea sedere possent. Et ita tota diabolica tentatio virtute pœnitentiæ extincta est, vt nunquam ei quicquam vlterius tale accideret.

Exemplum Cassionis in Collat. Patrum. c. 11. Serapió paruulus furtũ humiliter cõfitetur, & à tentatione diaboli liberatur.

Sed per vermes intellige conscientiæ remorsum, de quo Isa. vlt. *Vermis eorum non morietur.* quia semper conscientia improperat homini peccatum. Sed hanc conscientiam remordentem, remouet amaritudo pœnitentiæ. De qua habes suprà Dominica infra octauam Natiuitatis Christi, K. I.

Pœnitentia tollit remorsum conscientiæ.

Secundo quia absynthium habet virtutem laxatiuam, scilicet propter caliditatem: vnde, si inuenit materiam indigestam, eam soluit & expellit. Et hoc confessioni competit pœnitentis. Quia ex caliditate, id est, ex feruore amaritudinis pœnitentis, ipsa confessio habet virtutem laxatiuam, id est emissiuam & purgatiuam peccati. Quia culpam, quam per contritionem inuenit iam digestam, & ad purgationem & eiectionem iam paratam, dum confitetur, eijcit eam & emittit. Sicut dicit Anselmus lib. 3. c. 6.

Absynthiũ laxat.

Tertio

Tertio habet virtutem restrictiuam. Dicitur enim in Plateario, quod absynthium habet virtutes contrarias, scilicet laxatiuam & restrictiuam. Nam sicut laxat ex caliditate & amaritudine, ita restringit ex siccitate & grossitie substantiæ suæ. Ideo si materiam compactam inuenerit, compactiorem eam facit. Hoc autem competit pœnitentiæ ratione satisfactionis, per quam peccatorum materiæ & causæ dum subtrahuntur, ab ipsis peccatis pœnitentes restringuntur. Est enim satisfactio secundum Augustinum, causas peccatorum excidere, & eorum suggestionibus aditum non præbere. Et habetur de pœn. dist. 1. in principio, & Magister in 4. dist. 15. Satisfactio curat peccata præterita recompensando, & præseruat à futuris cauendo.

Absynthiũ restringit.

Satisfactio quid?

FERIA SEXTA.

Sermo.

Homo quidam erat paterfamiliàs qui plantauit vineam, Matth. 21.

G

CONSVETVDO est bonorum amicorum, licet distent abinuicem corporaliter, tamen sunt in amicitia mentaliter, & illa amicitia est intransmutabilis. Quia dicit Aristoteles octauo. Ethicorum, Loci distantia non separat amicitiam, sed operationem. *Et iterum:* Sola amicitia bonorum honestorum, est intransmutabilis. Idcirco cum vnus audit infortunium alterius, dolorem vel compassionem studet ei manifestare. Quia dicit idem Aristot. vbi suprà, Amicitia est beneuolentia mutua, quæ in habente non latet. Ideo legitur Iob. 2. de tribus amicis, qui audientes eius infortunium, scilicet de ablatione ouium, iumentorum, & morte liberorum, insuper & de flagellis, quæ passus est à sathana, venerunt & condoluerunt ei. Cumque vidissent eum, exclamantes plorauerunt præ dolore, scilicet ex compassione scissisque vestibus in signum tristitiæ sederunt cum eo in terra septem diebus & noctibus. Et hoc intellige horis congruentibus: non tamen semper propter refectionem.

Christus amicus noster.

SPIRITVALITER. loquendo Christus est amicus noster quia dixit Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid facit Dominus eius. Vos autem dixi amicos.* Iste amicus longè est à nobis, quia *abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum,* Lucæ 19. Sed tamen dolores multos & passiones sustinuit à Iudæis. Et de hoc manifestat nobis Ecclesia sancta tàm in epistola, quàm in Euangelio. In epistola, quæ ponitur Genes. 37. legitur de Ioseph, qui ait. *Audite somnium meum quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes, adorare manipulum meum,* quod exponit Anselmus libr. 7. cap. 22. Manipulus Ioseph, est collectio contumeliarum & passionum Christi. Manipuli verò fratrum significant collectiones pœnarum, & passionum aliorum sanctorum. Quod ergo manipuli fratrum, manipulum Ioseph adorauerunt, nihil aliud est, quàm recognoscere quod passiones eorum, ex compassione Christi virtutem & initium habent, propter quod est veneranda. In Euangelio autem narrat nobis sancta mater Ecclesia, qualiter Christus amicus noster à Iudæis sit extra vineam eiectus, & occisus: Quid per hoc vult, nisi quod Christo patienti condoleamus, tanquam bono nostro

Manipulus Ioseph & fratrum, quid?

nostro amico nec non fratri, quia caro & frater noster est. Genes. 37. Quia dicit Bernardus lib. de considerat. ad Eugenium: Indignus est Christi passione felicissima, qui non Christo patienti totis viribus studuerit condolere. Propter quod Euangelium dicit nobis de tribus: *Primò*; de vineæ plantatione, ibi; ***Homo quidam.*** ***Secundo***, de Christi passione, ibi; ***Et apprehendat.*** ***Tertiò***, de Pharisæorum damnatione ibi; ***Malos malè.***

Circa quod NOTANDVM est, hoc Euangelium quantum ad præsens sufficit, exponitur tripliciter: Literaliter, spiritualiter, & moraliter. PRIMO exponitur *literaliter*, vt per hominem patrem familias intelligatur Dominus Deus Sabbaoth, de quo dicit beatus Gregorius homilia 7. Quis verò patrisfamilias similitudinem rectius tenet, quàm conditor noster, qui regit, quos condidit, & electos suos sic in mundo possidet quasi subiectos Dominus in domo. Iste inquam plantauit vineam, scilicet, plebem Iudaicam, de qua vinea dicit Isa. 5. ***Vinea Domini exercituum est domus Israël.*** Hanc vineam transtulit iste paterfamilias de Ægypto. Sicut commemorat Azaph propheta Psalm. 79. ***Vineam de Ægypto transtulisti.*** quasi diceret: Eduxisti populum Israel de Ægypto, quæ erat terra idololatriæ dedita; sicut agricola transplantat vineam de mala terra in bonam. Et sequitur. *Eiecisti gentes, & plantasti eam.* Quia Dominus virtute diuina magis quàm humana eiecit gentes de terra promissionis, dando eam populo Israel. Quia dicitur Iosue. 11. ***Cepit Iosue omnem terram sicut locutus est Dominus ad Moysem, & tradidit eam in possessionem filiis Israël***, secundum partes suas: quieuitque à prælijs terra. De hac vinea Iudaica sequitur in Psalmo vbi suprà, ***Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleсti terram.*** Et iterum: ***Extendit palmites suos vsque ad mare***, scilicet mediterraneum, ***& vsque ad flumen***, Euphraten, ***propagines eius***, Ecce quali diligentia excoluit paterfamilias hanc vineam, & plantauit.

Expositio Euangelij literalis.

Vinea Domini populi Israel.

SECVNDO, *sepe circumdedit eam.* Hæc seps nihil fuit aliud nisi custodia angelorũ, qua eam muniuit. De quibus potest intelligi illud Isa. 62. ***Super muros tuos Hierusalẽ, posui custodes, tota die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini.*** Sed propter obstinationem ipsorum, custodia Angelorum sunt priuati: Quia sicut legitur Ierem. 51. ***Curauimus Babylonem, & non est curata.*** Et vocat hic plebem Iudaicam Babylonem, propter vitiorum confusionẽ. Et dicit quædam Glossa. Quod auditæ sunt quædam voces Angelorum dicentium; ***Transeamus ab his sedibus.*** Idcirco conqueritur Azaph propheta, vbi suprà. ***Vt quid***, id est, propter quid ***destruxisti maceriam eius?*** id est, Angelorum custodiam subtrahendo. Cui potest responderi: quia populus fuit conuersus ad idololatriam, vt patet 3. & 4. Reg. in multis locis.

Seps custodia angelorum.

Sed cum destruitur seps vinearum, solet esse incursus bestiarum. Sic cum hæc vinea populi Israel amisit custodiam Angelorum, statim passa est incursum tyrannorũ. Quod patet ex illo, quod sequitur. ***Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viã.*** Quia regis Syriæ, & multi alij, ante destructionem ciuitatis fuerunt eis molesti, bona eorum rapientes, & populum occidentes, vt patet 3. & 4. Regum, & in lib. Esdræ, Nehemiæ, Et 1. & 2. Machab. Et non solum per istos fuerunt molestati, sed etiam per Nabuchodonosor & Antiochum reges.

De *primo* tangitur, ***Exterminauit eam aper de silua.*** Quia sic nominatur Nabuchodonosor, eo quod habitauit inter feras. De ***Secundo tangitur***, ***Et singularis ferus***

depastus est eam. Quia Antiochus fuit valde singularis in superbia, quasi haberet terram ad ambulandum, & mare ad nauigandũ, propter mentis elationem. 2. Machab. 5. Fuit etiam valde ferus propter tormenta inhumana & exquisita, inducens populũ Israel ad transgressionem legis, vt dicitur 2. Machab. 7. Videntes igitur eis tanta mala euenire ex desertione custodiæ Angelorum, clamauerunt ad Dominum dicentes: *Deus virtutum conuertere* per condescensionem bonitatis tuæ clementiæ. *Et visita*, scilicet in propria persona, *vineam istam*, quod fecit in sua benedicta incarnatione, qua *visitauit nos oriens ex alto*, Luc. 1.

Torcular, lex.

TERTIO in hac vinea Iudaica fecit iste paterfamilias torcular, per quod intelligitur lex, quam dedit per Moysem populo Israel, qui multis præceptis eos torquebat. De circumcisione, quæ torquebat in carnis præscissione. Et similiter cum posuit pœnam talionis, vt oculum pro oculo, dentem pro dente; & sic de alijs.

QVARTO *Turrim ædificauit*, quando templum erexit. Et hæc ædificatio tempore Salomonis primò fuit, quando perfecit hoc templum in septem annis, vti patet 3. Reg. 6. & 7. Sed post ædificationem templi à Salomone, quadringentis & septendecim annis, venit Nabuzardam in Hierusalem, & accendit domum Domini, vt dicitur 4. Reg. 25.

Agricolæ Reges & sacerdotes.

Deinde QVINTO, cum hæc fecisset, *locauit eam agricolis* per quos intelligi possunt reges & sacerdotes, quibus tradidit Dominus vineam excolendam. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.*

H

Exempla seruorum malè tractatorum à subditis. Isaias.

Sed illi apprehensis seruis alios serrauerunt, vt Isaiam, quem rex Manasses serrari fecit, quamuis esset auunculus eius ex parte matris. Et dicũt expositores nostri quod fuit serratus serra lignea ad diuturnitatem affectionum. Et tamen Hebræi dicunt, quod ipsum serra serrauerit ferrea. Fuit enim Isaias de nobili genere, propter quod non fuit eum ausus occidere de facili, sicut alios. Sed quæsiuit occasiones de lege, sicut dicitur in quodam libro Hebraico, qui dicitur Iebamoth. c. 6. dicens: Tu dixisti: Vidi Dominum sedere super solium excelsum. Et hoc dicis contra Moysem, & contra Dominum dicentem Moysi, Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet* super terram. Sicque iudicauit eum ad mortem. Et cum oraret propheta, aperuit Dominus quandam cedrum, & ibi inclusit eum. Manasses verò viso miraculo non fuit retractus, sed cum cedro fecit eum serrari serra ferrea. Et cum propheta peteret aquam sibi dari, & negaretur ei, Dominus de excelso misit aquam in os eius, & expirauit: nec tamen carnifices à serratione cessauerunt. Et hoc fuit circa piscinam Siloe, *quod interpretatur missus*. Ioan. 9. Et ob hanc aquæ missionem confirmatum est nomen Siloe. *Alios vero de seruis occiderunt*, vt Ezechielem.

Ezechiel.

Refert enim Comestor & Vincent. lib. 3. cap. 118. spec. histo. Anno decimo quarto postquam percussa est ciuitas Hierusalem, facta est manus Domini super Ezechielem, & adduxit eum in spiritu in montem excelsum in terram Israel, & ostendit ei destructionem ciuitatis & templi. Porro Ezechiel in Chaldæa inter captiuos iudicauit transgressores legis, & pręcipue quosdam de tribu Gad & Dan, quod in legem committerent impiam furiam, legis persequendo custodes. Vt fecit Epiphanes, qui fecit contra eos prodigium, quia filij eorum, & vniuersa pecora, à serpentibus perierunt. Et prædixit eis Ezechiel, quod tribus illæ non reuerterentur ad

pro-

propria, sed in medio regionis remanerent. Ex hoc exacerbati in eum, traxerunt eum equis per crepidines saxorum. & cerebrauerunt eum, & sepelierunt eum in sepulchro Sem & Arphaxat.

Similiter alios necauerunt, vt Hieremiam. Dicit Vincentius lib. 3. c. 118. Hieremias anno decimo tertio regis Iosiæ exorsus est prædicare in terra Beniamin, tertio ab vrbe milliario, & prophetauit vsque ad euersionem vrbis quadraginta annis & vno, præter illud quod in Ægypto prophetauit in Thanis. Et occisus est à Ioachim rege, cum ipsum arguisset. Idem Vincent. dicit c.14. propter veritatem incarceratus est anno Sedeciæ mense decimo, quando Nabuth & Nabuzardan obsederunt Hierusalem, & clausa est octodecim mensibus. Territus autem Sedecias, Hieremiam de carcere tulit. Sed quando postea prædicauit, Principes & seniores eum ad mortem iudicauerunt, & Sedecias eis exposuit eum, qui eum in locum Helchiæ posuerunt, vt staret in luto vsq; ad guttur, quod erat ei omni morte amarius. Sed extraxit eum Aldemalech Æthiops vir Eunuchus. Hieremias.

Alios vero lapidauerunt, vt Zachariam & similiter Hieremiam. Quia dicit Vincent. vbi suprà capite 16. quod insurrexerunt contra eum populi, & lapidauerunt eum. *Iterum* misit alios prophetas minores, Amos, Osæam, & sic de alijs. Et hi erant plures prioribus; & fecerunt illis similiter. Et propter hæc peccata puniuit eos Deus septuaginta annis in Babylonia. Sicut de hoc in Psalm. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Sed tamen in prædicta captiuitate septuaginta annorum erat Deus cum eis in propheta Hieremia, & alijs prophetis. Et dedit illis ducem Salathiel, & principes, & sacerdotes, cum quibus exiuerunt de Babylone, & peracta pœnitentia, & placato Deo ædificauerunt Hierusalem, & alias ciuitates: & effudit super eos misericordias suas copiosè. Zacharias.

Sed *nouissime* quando Deus *misit ad eos filium suum dicens: Forte verebuntur filium meum, quem ipsi videntes, dixerunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum extra vineam eiecerunt & occiderunt.* Propterea dispersit eos in vniuersum mundum, vt iam non habeant prophetas aut regem, aut sacerdotes, neque altare, neque sacrificium, neq; vnctionem: sed sunt contemptibiles toti mundo. Et iam sunt in desolatione perpetua, de qua prophetauit Dani. c. 9. *Vsq; ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Prima ipsorum captiuitas, qua erant captiui Babylone, fuit vocata transmigratio quia post modicum tempus sunt reducti in Hierusalem, vt suprà dictum est. Sed hæc in qua nunc sunt, vocatur desolatio perpetua, in qua Deus non miserebitur ipsorum, sicut miserebatur patribus eorum; quia iam sunt in maiori peccato, quam patres eorum fuerunt. Christus hæres. Punitio Iudæorum.

Ideo dixit Dominus per prophetam Amos cap. 2. *Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iustum. Primum* scelus in quatuor sceleribus, fuit venditio Ioseph à fratribus suis, de qua narrat hodierna Epistola. *Secundum* scelus fuit adoratio vituli in Oreb. *Tertium* fuit occisio prophetarum. Propter quod fuit Israel captus in Babylone, vt dictum est, septuaginta annis. *Quartum* scelus fuit venditio iusti Iesu, & propter hoc peccatum venditionis & occisionis iusti, continuè punit eos paterfamilias & perdit, quia patres ipsorũ hanc sententiam expresserunt, quod patet ex illo: quia cum quæreret ab eis Christus;

Cum Dominus venerit vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt ei: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Et per istos agricolas gentiles intelliguntur, quia Dominus à se elongauit Iudæos, & elegit gentiles. quia reddiderunt ei fructum bonorum operum. Ideo de Iudæis dicit Dominus, Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.* Qui offerunt nomini meo sacrificium mundũ. De hoc etiam prophetauit Moyses Deut. 28. *Erunt gentes in capite, & populus incredulus in cauda.* Et de perditione ipsorum dixit Isa. 65. *Interficiet te Dominus Deus* (Israel) *& seruos suos vocabit nomine alio.* vbi per seruos intelligit gentiles, de quibus dicit idem c. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt venerunt tibi.* Et paulo post: *Filij extranei ædificabunt muros tuos, & principes eorum seruient tibi.* Sic habent Biblia Arabica.

Reprobati Iudæi, & gentiles electi à Deo.

Sacrificium mundum.

Sed qui sunt isti filij extranei, qui venerunt ad domum Dei nisi gentes, qui seruiendo idolis erant extranei. De *illis* etiam dicit Isa. 65. *Gentes quas nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current.* Et Ierem. 3. *Congregabuntur omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem, & non ambulabunt vltra in prauitate cordium suorum.* Item capite tertio decimo. *Ad te venient omnes gentes ab extremis finibus terræ, & dicent,* scilicet ad Iudæos, *non hæreditabunt patres nisi mendacium & iniquitatem.* Et Zacharias 8. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Venient gentes multæ de locis multis, & dicet vir ad vicinum suum: Vadamus, & quæramus Dominum Deum exercituum in bono.* Ecce quod gentes Domino vineæ fructũ in tempore suo reddiderunt. Sed Iudæi in obstinatia permanserunt. Ideo dixit eis Christus; *Nunquid legistis in Scripturis.* scilicet Ps. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, &c.* fuit enim ad literam quidam lapis ad ædificationem templi, qui tamen congruè nusquam locari potuit. Sed consumato opere locatus est sursum in angulo congruè, vt omnes mirarentur. Iste lapis figurabat Christum, qui Dan. 2. dicitur. *Lapis, qui percussit statuam factus est mons magnus, & repleuit vniuersam terram.* Quod intelligitur de Christo secundum expositores Hebraicos & Latinos, *quem reprobauerunt ædificantes,* id est sacerdotes Iudæorum & doctores ad quorũ spectabat officiũ, ædificare in moribus & fide populum. Sed hic *factus est in caput anguli* constituens vnam Ecclesiam ex gentibus & Iudæis, cuius ipse est caput. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Quia fideles, qui ex Iudæis crediderunt in Christum, admirati fuerunt, quando viderunt Spiritũ sanctum dari in signo visibili Cornelio, & alijs sanctis gentibus qui erant cum eo, Act. 10. Ideo dixit Dominus Iudæis: *Auferetur à vobis regnũ & dabitur genti facienti fructus eius.* Vbi per regnum intelligit seipsum. Iuxta illud Lucæ 16. *Ecce regnum Dei intra vos est.* Vel intelligit regnũ cœlorum, quod ablatum est à Iudæis, *& datũ est gentibus, qui veniunt ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Deo Abraham in regno cœlorũ,* quod probat Christus. *Qui ceciderit super lapidem, confringetur: super quem autem ceciderit, conteret eum.* Gentiles ceciderunt super lapidem, & fracti sunt, & tamen ad pœnitentiã surrexerunt. Sed lapis cecidit super Iudæos, quod vsq; hodie ex obstinatia & superbia contriti non sunt, & surgere noluerunt. *Cum autem audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis dixit, & diceret. Quærentes eum tenere timuerunt turbas, quia sicut prophetam habuerunt eum.* Hic conclude sermonem.

Filij extranei gentiles.

Christus lapis angularis.

SECVNDO exponitur *spiritualiter*, vt videlicet hæc vinea est sancta Ecclesia, quam plantauit paterfamilias abiecta synagoga, sicut figuratur Esther 1. Vbi legitur, quod *Assuerus tertio anno Imperii sui, fecit grande conuiuium cunctis principibus, & suis pueris. Die autem septima mandauit rex pro Vasthi regina, vt ostenderet cunctis principibus & populis suis pulchritudinem suam. Quæ renuit, & ad regis imperium quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus rex, & nimio furore succensus, interrogauit sapientes.* qui dixerunt. *Non solum regem læsit regina, sed omnes principes & populos.* Propterea *nequaquam vltra Vasthi regina ingrediatur ad regem.* Sicque fuit abiecta, sed Esther pulcherrima pro ipsa electa. I Expositio Euangelij spiritualis. Vinea est Ecclesia.

MORALITER. Assuerus interpretatur beatus, & significat Christum, qui tempore gratiæ, quod significatur per tertium annum, fecit grande conuiuium, quando instituit corporis & sanguinis sui salutiferum Sacramentum, sicut habetur Matth. 26. Principibus, id est suis Apostolis, & pueris id est, suis fidelibus. Assuer⁹ figura Christi.

Ad hoc conuiuium missis ministris suis vocat Vasthi, quæ interpretatur consummatio, & significat synagogam, quæ spreuit & voluit venire. Ideo Esther, quæ interpretatur præparata in tempore, significans Ecclesiam, est electa, & synagoga propter superbiam suam est abiecta. De hoc dicit pulchrè Hugo in soliloq. de arrha animæ: Rex summi regis filius venit in hunc mundum, quem ipse creauerat, desponsare sibi vxorem, dilectam, vnicam, vxorem regalem, nuptijs dignam. Sed quia hūc Iudæa, quasi in forma serui apparentem, recipere noluit aut contempsit, abiecta est, & missi sunt ministri regis, Apostoli videlicet, per vniuersum mundum congregare animas & adducere ad ciuitatem regis, id est, ad sanctam Ecclesiam in qua Deus est, & mansio mulierum vel reginarum, id est sanctarum animarum fœcundat & generat, non ad seruitutem, sed ad regni filios. Vasthi figura synagogæ

Ecce qualiter Ecclesia per patremfamilias Deum, est electa & plantata. Ista vinea sancta Ecclesia habet vitem pretiosam, scilicet CHRISTVM, quia dicit Ioan. 15. *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.* & Eccles. 24. dicit. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Sed palmites huius vitis sunt omnes sancti & deuoti homines, qui assimilantur palmitibus propter quinq; rationes. Vitis Ecclesiæ Christus. Sancti homines cur palmitibus similes.

PRIMO ratione *nutritionis*, quia palmites à vite nutrimentum suscipiunt, & ideo tamdiu viuunt, quamdiu viti vniti permanent. Nam nutrimentum, quod à vite suscipiunt, sibi quantum est necesse, recipiunt & retinent. Quod verò superfluit, in materiam germinis, frondis, floris, & fructus transmittunt. Sic sancti homines quamdiu per gratiam vel charitatem Christo vniti sunt, viuunt, & spirituales fructus vitæ ferunt. Iuxta illud verbum Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Et iterum: *Ego sum vitis vera: vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* I. Ratione nutritionis.

SECVNDO ratione *insertionis*, quia vnus surculus palmitis siue insertus in alio palmite siue vite, & fructificat per insertionem, & possunt fieri vuæ diuersi coloris. quia dum inseritur vitis viti, fit insertio in tribus ramis præcedentibus ab vno ramo ipsius vitis, & cum in vni surculo insertionis colorem rubeum apposueris, & cum alij blauium, & cum tertio croceum, singuli palmites ex prædictis procedentes ramis, tales vuas faciunt, quales appositi sunt colores: & similiter potest fieri in alijs plantis modo suo. Sicut igitur palmites inuicem incorporantur per insertio- II. Insertionis.

 nem,

nem, ita in fide CHRISTI debemus vniri inuicem, & incorporari per dilectionem. Iuxta illud Ephes. 3. *In charitate radicati & fundati.* Et ibidem: *Ambulate in dilectione.* Et 1. Petr. 4. *Ante omnia autem mutuam charitatem continuam in vobismetipsis habentes:* & tunc vnusquisque faciet diuersorum colorum fructus. quia quilibet participat merita singulorum. Ideo petijt Dauid Psalm. 118. *Particeps ego sum (Deus) omnium timentium te.*

III. Protectionis.

TERTIO ratione *protectionis*, quia secundum Isidorum lib. 17. Palmites pampini folia sunt, quibus fructus vitis ab ardore & frigore & alijs iniurijs proteguntur. Hi pampini sunt virtutes, quæ nos defendunt ab ardore prosperitatis, & à frigore aduersitatis. Nam in prosperitate ardet luxuria & gula, & in aduersitate homo frigescit per inuidiam & acediam. Sed luxuriam protegit pampinus abstinentiæ, ab inuidia pampinus charitatis, & ab acedia pampinus, id est, folium protegit spei. quia spes præmij multum sollicitat & confortat. Nam dicit Seneca lib. de moribus: Spes præmij solatium est laboris. Et sicut quilibet pampinus secundum Ambrosium in hexameron debet esse intercisus, vt solis calorem ad maturitatem admittat fructus. Sic quilibet virtuosus, ad hoc, vt sit eius virtus completa, id est, vt faciat opus meritorium, oportet quod admittat calorem solis, id est, amorem charitatis vel Christi, sine quo nullum opus est meritorium, & nulla virtus charitatis perfecta. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

IV. Colligationis.

QVARTO ratione *colligationis*. Nam palmites quidam de se vincula emittunt, quibus arboribus se connectunt, quorum adminiculo turbinibus ventisque resistunt, vt suos fructus melius sustinere possint. Multum enim à principio sunt graciles, ideo huiusmodi retinaculis indigent, quousq; fiant foliorum beneficio fortiores. Similiter illi qui sunt imbecilliores & imperitiores, quibusdam obedientiæ vel familiaritatis & disciplinæ vinculis alligare & coniungere oportet, vt sustententur ab eis & proficiant eorum exemplo, & protegantur eorum auxilio à turbinibus tribulationum, & ventis tentationum, quousque gratiæ beneficio ipsi efficiantur liberi à peccato.

Clauiculi palmitum obedio & disciplina.

V. Putationis.

QINTO ratione *putationis*. Quia secundum Magistrum lib. 18. proprietatum, palmites graciles & tenues, citius oportet putare, validas autem nouissimè. Et quanto palmes est maturior, tanto plus est putandum, quia sic palmites magis se dilatant & fructificant: Et si diu putati non fuerint, degenerant, & in labruscæ speciem se commutant.

Palmites cogitationũ & actuum nostrorum putandi.

MORALITER. Homines qui volunt proficere & in meritis delectari, & non degenerare à iustitia aut effici peccatores, debent cogitatus suos, qui significantur per palmites & actus suos, sæpè cum cultello aut gladio linguæ, per confessionem putare & purgare. Quia Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Et sicut palmes semel saltem in anno putari debet, sic semel singulis annis ex præcepto Ecclesiæ tenetur homo cõfiteri, & vineam conscientiæ suæ putare, sicut præcipitur Extra de pœnit. & remiss. c. Omnis vtriusq; sexus, cum ad annos discretionis peruenerit, omnia solus sua peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs suis viribus studeat adimplere. *Et subdit pœnam:* Alioquin viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Semel ad minimum in anno tenetur quilibet confiteri.

Istam

Istam vineam circumdedit paterfamilias sepè, per quam intelligit custodiam angelicam. Ipsi enim Angeli sunt milites CHRISTI qui Ecclesiam eius custodiunt de quibus Iob. 15. *Nunquid est numerus militum Dei!* Sicut enim est in curia regis terrestris, aliqui milites regi astant, & ei seruiunt; Alij regis hostes expugnant, & propellunt: Alij ciuitates & castra custodiunt. Sic etiam rex cœlestis in sua curia disposuit seu disponit militiam Angelorum, vt aliqui coram eo astent & ei seruiant, vt Cherubin & Seraphim, qui quotidiè ipsum laudant Isa. 6. dicentes; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:* Alij contra dæmones pugnant, Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone:* Alij custodiunt prouincias, sicut Principatus: Alij ciuitates, & loca spiritualia, vt Archangeli: Alij personas singulares, vt Angeli, sicut dicit Magister libro 2. distinctione 12. capite 1. Illud SCIENDVM quod Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita vt quisq; electorum habeat angelum ad sui profectum atq. custodiam specialiter deputatum. Pœna in negligentes consiteri. Officia Angelorum diuersa.

K

Sed per torcular, quod fodit in Ecclesia, est accipienda. *Vno modo* generatio malorum, qui torquent persecutionibus suis bonos, sicut dicitur 3. q. 1. c. Nulli dubium, quia boni à malis semper persequuntur & tribulantur. Propter quod oportet nos humiliari sub potenti manu Dei, vt liberet nos in tempore tribulationis. Ideo dicit B. Augustinus. Homines mali quasi torcularia sunt. Sicut enim torcularibus vua premitur, & oliua, vt vinum & oleum reponatur. Ita per malitiam hominum malorum, boni multis tribulationibus fatigantur, vt animæ eorum tanquam oleum & vinum recondi in æterna beatitudine mereantur. Hæc August. Nonne torcularia bonorũ fuerunt isti, de quibus habes suprà Dominica IV. in aduentu sermone I. K. S. Nero, Adrianus, Maximianus, & Diocletianus? & sic de alijs. Ibidem vide de ipsis. Torcular sunt improbi.

Alio modo per torcular significatur sancta crux, in qua Christus sic manibus Iudæorum & Gentilium fuit conculcatus & compressus, quod totus sanguis à toto corpore eius exiuit. Christus igitur figuratus est per botrum, quem duo viri portabant in vecte de terra promissionis, Num. 13. Ipse etiam fuit vua illa benedicta de vite virginea nata, qui dicit Eccl. 24. *Ego quasi vitis.* Ista quidem vua primum alba, sine omni peccato nata fuit & concepta, sed postea in cruce facta fuit rubea, propter sanguinis sui pretiosi effusionem. Ecce iste botrus & vua pressus est in crucis torculari; quia rubeum vinum sanguinis sacri de se fudit, & vestimentum suum rubricauit. Propter quod quærebant Angeli, Isaiæ 64. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Respondit: *Torcular calcaui solus: de gentibus non est vir mecum.* Sed per turrim huius vineæ intelligitur ipsa fides, quæ est quasi turris fortitudinis à facie inimici. Torcular etiam crux Christi. Turris fides est.

Est autem triplex inimicus nos impugnans, vt dicit Hugo de S. Victore: Tres sunt, qui mouent contra nos bellum: diabolus, caro, & mundus. *Diabolus* ducit contra nos agmina vitiorum; *Caro* malorum desideriorum; *Mundus* prospera & aduersa. Contra hos omnes est prima virtus pugnans fides. Iuxta illud dictum Prudentij: Tres inimici nostri.

Prima petit campum dubia sub sorte duellum,
Pugnatura Fides.

Vel dic, quod fideles Christiani impugnantur aliquando per aduersa, interdum per prospera. Per *prospera* impugnantur à carne, diabolo, mundoque. Caro nititur trahere ad delectabilia & varias concupiscentias, sicut figuratum est Genes. 1. vbi

dicit

dicit Dominus: *Producat terra quadrupedia, reptilia, & bestias: secundum genus suum.* Sed tamen talia sub hominis imperio constituit dicens: *Præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Per terram intellige carnem primorum parentum peccato infectam. Talis enim producit ex sua corruptione concupiscentias fœdas: sed in potestate hominis est illa respuere, & super illa dominari, quia dicit Aristoteles in Ethicis. Nos sumus domini nostrarum operationum, à principio vsq; ad finem. Debet enim fidelis dominari carni per sui ipsius macerationem, sicut Apostolus fecit 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.*

Fides pugnat contra diuitias & honores.

Mundus verò nititur trahere ad terrenas diuitias; sed diabolus ad honores. Sed fides pugnat contra diuitias per voluntariam paupertatem, & contra honores per humilitatem. Sicut patet de Moyse, de quo Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis.* Et sic negauit honores & diuitias: *magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*, id est, prosperitatem Ægyptiorum. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium, id est paupertatem, & vituperium, pro fide Christi venturi sustinere.

De ista etiam turri fidei, Christiani defendunt se contra aduersa, à Deo siue diabolo immissa, à mundo siue carne. Dicitur enim Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc, & faciet ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Illud fundamentum petrosum est fides Christi, secundum illud 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est.* Quod est solus Christus IESVS vel fides ipsius. Et qui super hoc fundamento se fundat, non timet pluuiam aduersitatis, nec flumina persecutionis tyrannorum, nec ventum tentationis dæmonum, sicut beatus Martinus, qui occurrente sibi dæmone dixit: *Dominus mihi adiutor: Non timebo quid faciet mihi homo.*

Moralis expositio.

Triplex Dei familia.

Hostiæ diuisio in Missa quid denotet.

TERTIO exponitur MORALITER, vt per patremfamilias Deus intelligatur. qui triplicem familiam habere dignoscitur. *Prima* est omnium electorum adhuc in mundo militantium. Ex quo patet. *quod militia est vita hominis super terram*, Iob. 7. *Secunda* est omnium purgandorum in pœnis degentium. *Tertia* est cunctorum beatorum in cœlo iam triumphantium. Hæc Hugo in suo compendio lib. 6. cap. 13. Hanc triplicem familiam designat sacerdos in Missa, quando hostiam principaliter in duas partes diuidit, propter duplicem statum prædestinatorum, scilicet æternæ gloriæ & temporalis miseriæ. Sed vnam particulam postea subdiuidit, quæ remanet in sinistra, quia *alii* prædestinati purgantur in igne purgatorij: *alii* verò adhuc pugnant in mundo instabili; medietas in dextera manens, ponitur super patenam: quæ significat bonos in patria, & tenent illam claritatem & æternalitatem, cui nulla impuritas, nulla falsitas, nulla instabilitas potest admisceri, & quia vniformem statum tenent mente, affectu, & desiderio, & vna beatitudine perfruuntur, ideo illa pars non diuiditur. *Alii verò* duo status diuiduntur per certum & dubium. Certi namq; sunt in purgatorio existentes de beatitudine sua, sed valde puniti sunt & afflicti: quia *spes, quæ differtur, affligit animam.* Prouerb. 13. vbi dicit Glossa ordinaria: Nimirum quamdiu differtur spes æternorum, affliguntur animæ fidelium, vel pro dilatione

tione bonorum, vel illatione malorum: & vbi venerunt ad aliud, quod desiderabant, facile obliuiscuntur quod sustinuerunt.

Sed hi, qui in mundo sunt, valdè dubij sunt, quia *nesciunt, an odio vel amore digni sunt*. Eccles. 9. Et ideo partes in sub diuisione sunt, quarum vna remanet in sinistra, & ponitur ad primam mediatem hostiæ supra patenam, propter certitudinem, quam habent illi in purgatorio, vt cum purgati fuerint, statim beatis coniungantur. *Alia vero* in dextera retinetur, & super eam fit ter signum crucis super os calicis & sanguinis, & dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum*, & sic in sanguinem mittitur, quod significat existentes in vita præsenti, qui adhuc egent gratia & merito passionis Christi, quæ processerunt ex effusione sanguinis Christi immaculati, iuxta illud ad Hebr. 9. *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo viuenti, emandabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*. id est, à peccatis, quæ mortificant animam, scilicet morte culpæ & gehennæ, ad seruiendum Deo viuenti.

De iam dictis sunt hæc: Media pro viuis offertur: altera pro sanctis: tertia pro redimendis. Hæc similiter B. Thom, part. 3. quæst. 83. art. 5. Idem dicit B. Augustinus quod pars in calicem missa significat illos in præsenti vita, qui adhuc sanguine inuoluuntur peccatorum, & dicunt cum propheta, Ps. 50. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ*. Quamuis alij dicant, quod pars, quam sacerdos in calice abscondit, & in vino consecrato im̃ergit, significat illam partem, quæ est in cœlis, quæ ab omnibus pœnalitatibus est libera, & torrente diuinæ voluptatis inebriatur, Iuxta illud Ps. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabit eos*.

Sic habes de triplici familia huius patrisfamilias, qui inquam plantauit vineam. L
Per quam ad præsens intellige quamlibet fidelem animam, quia secundum Chrysostomum super Matt. de vinea nascuntur gemmæ, vulgariter Rebaug/de gemmis flores, de floribus vuæ, de vuis vinum elicitur. Sic *Primo*, de anima hominis iusti nascuntur bonæ cogitationes, tanquam gemmæ. Sicut enim gemmæ sunt principia omnium fructuum, sic cogitationes bonæ sunt principia omnium fructuum bonorũ operum. Priusquam enim aliquid boni facit homo, illud cogitando pertractat. Sed tamen illud principium à nobis habere non possumus, sed à Deo, iuxta illud Apostoli 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis?* quasi diceret, licet aliquid agam per liberum arbitrium, non tamen liberum arbitrium est causa sufficiens boni operis; sed diuina motio: & sic liberum arbitrium saluat, cum dicit *à nobis*: & gratiam Dei commendat, cum dicit; *quasi ex nobis*, & sic tollitur duplex error: Vnus illorum, qui dixerunt liberum arbitrium nihil agere in meritorio opere, sed totum esse à Deo, quare non esse ieiunandum. ALIVS est error Pelagij dicentis, quod inchoatio boni operis est à nobis: consummatio autem à Deo, quæ tollitur per hoc, quod dicitur; in bona cogitatione Deus operatur. Hæc Lyra.

[Margin: Vinea quælibet fidelis anima. — *I.* Bonæ cogitat oẽs initium sunt bonorum operum. — Errores hæreticorũ de libero arbitrio.]

Ideo dicit Augustinus super Psalmos. Non potest fieri, vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes, facta enim de cogitatione procedunt. Non enim potest quisquam aliquid boni facere, aut ad aliquid faciendum membra mouere, nisi præcesserit iussio cogitationis. Ideò benè dictum est, quod de anima iusti hominis nascuntur primò cogitationes, tanquam gemmæ, quia malis non dant locum. Sicut legitur in Vitis patrum lib. 2. cap. 165. Quidam dixerunt ad Syluanum: per quam

viam adeptus esset tantam prudentiam? Respondit. Nunquam dimisi cogitationes malas morari in corde meo, quę Deum prouocarent ad iram.

II. *Secundò*, sicut de gemmis nascuntur flores sic de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates, quæ sunt apud DEVM suaues velut odoriferi flores. Et sic homines bonas habentes voluntates, dicere possunt illud 2. Corint. 2. *Christi bonus odor sumus.*

III. *Tertiò*, sicut ex floribus nascuntur vuæ, sic ex bonis voluntatibus operationes bonæ, quia dicit Bernardus: Bona voluntas in animo, est origio omnium bonorũ, & mater omnium virtutum. Sic econtra mala voluntas, est mater omnium vitiorum. Ideo custos animæ suæ valdè sollicitus esse debet, circa custodiam voluntatis suæ.

Bona voluntas mater virtutum.

IV. *Quartò*, sicut de vuis vinum elicitur, sic de bonis operibus etiam in præsenti & in futuro, magnum gaudium generatur. quia dicit Glossa super illud Psalm. 18. *In custodiendis illis retributio multa*, non tantum in futuro reddetur pro eis præmium, sed etiam ex eorum custodia in præsenti magnum gaudium acquiritur. Vel dic, quod hæc vinea, pœnitens videlicet anima, producit gemmas in contritione, flores in deliberatione, maturitatemque vuæ in operis consummatione. Cuius vinum soli Deo propinatur, quia *soli Deo honor & gloria*, ad Rom. 10. Vel, hæc vinea deuota anima *primò* crescit in bona voluntate, *secundò* floret in bona operatione, *tertio* maturescit in perfectione, *quartò* vinum exprimit in bonorum operum prosecutione. Et hoc figuratum est Genes. 50. de somno pincernæ, de quo supra Dominica I. in aduentu sermone 1. A M.

Hanc quidem animam, velut electam vineam, iste paterfamilias in corpore humano plantauit; *Primò* ideo, vt opera sua Deus perficeret. Fecerat enim Deus creaturam purè corporalem, sicut cœlum & terram, Genes. 1. *In principio fecit Deus cœlum & terram. Deinde* fecit purè spiritualem, sicut Angelos, quia dicit Beda, quem allegat Magister lib. 2. dist. 2. cap. 6. Hoc cœlum superius, quod à volubilitate mundi secretum est, id est, diuisum, mox vt creatum est, sanctis Angelis repletum est. Et similiter dicitur cap. 3. Creauit Deus creaturam corporalem & spiritualem simul, ne in vniuerso opere Dei aliquid incompletum remaneret.

Cur Deus vineam animę plantauit.

Secundò ideo animam in corpore plantauit, vt ipsa per corpus multa merita & virtutes acquireret. Vnde Plato in Timæo. Ad hoc anima coniuncta est corpori, vt venetur scientias, & virtutes. Et si cum magno ornatu venerit, benignè recipietur à suo creatore: Si autem non, relegabitur ad inferna.

Est tamen NOTANDVM. Quædam enim sunt, in quibus anima sine corpore mereri potest; sicut in diligendo DEVM, in commemorando DEVM, & in cognoscendo: immò sæpè anima in corpore à talibus impeditur. quia dicitur Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur*, id est, in quantum est corruptibile, *aggrauat animam*. ALIA etiam sunt, in quibus anima non potest mereri, nisi in corpore & per corpus. Sicut in ieiunando, eleemosynas dando, peregrinationes faciendo, & martyrium sustinendo.

Animà quomodo sine corpore mereatur.

Tertiò, vt homo maiorem gloriam perciperet. Si enim anima fuisset separata, glorificata esset tantum in contemplatione Deitatis, non in corpore in visione humanitatis. Et hoc est quod dicit August. in lib. de spiritu & anima: Duo sunt in homine sensus;

sus: scilicet interior, quoad animam, quo reficitur in contemplatione diuinitatis; & exterior scilicet quoad corpus, quo reficitur in contemplatione humanitatis.

Circum istam etiam vineam fecit Deus sepem, scilicet Angelorum custodiam. quælibet enim anima habet vnum Angelum ad sui custodiam deputatum; & hoc in quadruplici statu: Videlicet dum *est in vtero*, ne à diabolo suffocetur: dum est *egressus ab vtero*, ne ab baptismo impediatur: dum *est viuens in mundo*, ne de fide tentetur, vel ne in confessione impediatur: post mortem, *ne diaboli laqueis capiatur*, & ab eis in æternas pœnas ducatur. Istæ sunt viæ, quas anima facit in quibus eam Angelus custodit, iuxta illud Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Ideo Dominus Matth. 18. dicit: *Angeli eorum semper vident faciem patris eorum.* Super quo dicit Magister lib. 2. dist. 11. cap. 1. Angelos dicit eorum esse, quibus ad custodiam deputati sunt. Super quem locum Hieronymus tradit, vnamquamq; animam ab exordio natiuitatis habere, Angelum ad sui custodiam deputatum, inquiens: Ista magna est dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. Et iste quidem Angelus eripit hominem sibi commissum à potestate dæmonum, iuxta illud Ps. 33. *Immittit*, id est, immissionem faciet, *Angelos Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

M
Spes, angelorum custodia,
Viæ in quibus angelus animam custodit.

Item iste paterfamilias fodit in hac vinea torcular, per quod intellige conscientiam continuè torquentem animam peccatricem. De qua dicit Isidorus; Nulla pœna grauior malâ conscientiâ. Vis autem nunquã tristis? esse semper benè viue. *Idem sic dicit:* Omnia homo fugere potest præter cor suum, vbi enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit. Cui consonat Glossa super illud Ps. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum*: vbi lectum vocat cõscientiam, quæ quibusdã est quies: quibusdam tormentum. Et Bernardus: Laborat & quiescit anima in conscientia. Quia conscientia *alia bona, & non tranquilla:* eorum scilicet, qui iam conuersi ad Dominũ, recogitant, & annos in amaritudine ducunt. *Alia tranquilla, & non bona*: eorum videlicet, qui spe peccãt, & dicunt in corde suo, quod Deus non requiret *Alia nec bona, nec tranquilla*: eorum scilicet, qui in multitudine peccatorum desperant. *Alia tranquilla*, eorum videlicet, qui carnem spiritui subdiderunt, qui cum his qui oderunt pacem, sunt pacifici. Hæc Bernardus.

Torcular conscientia remordens.
Conscientia quadruplex.

Istam igitur vineam sic plantatam sæpè circumdatam, &c. tradidit paterfamilias agricolis. Est autem duplex agricola. scilicet singularis & generalis. *Singularis* est quilibet, cui tradidit Dominus animam. Ideo illam debet putare, cultello pœnitentiæ & confessionis. quia dicit Ambrosius in hexameron: Vinea præcisa fructificat, semiputata frondescit, neglecta luxuriat. Sic vinea animæ nostræ ab omnibus peccatis præcisa, fructificat per bona opera, sicut de hoc dicit Chrysosto. super Matth. Anima sancta scilicet, quæ est totaliter purgata, hortus conclusus esse intelligitur. quia contemnendo humanam laudem in bonis, quæ facit bona intentione, se circũsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit; Sed semiputata vinea, est anima negligenter & semiplenè à vitijs purgata. Et hæc quidem frondescit, quia talis habet multa folia verborum & paucos fructus operum virtuosorum. Ideo à Deõ maledicetur, sicut ficulnea, quæ solum habebat folia, & non fructus, cui maledixit Dominus dicens: *Nunquam ex te nascatur fructus in æternum: & arefacta est continuo.* Matth. 21.

Agricola duplex.
I. Singularis.
Semiputata vinea quæ?

Vinea neglecta. Labrusca quid denotet.

Vinea verò neglecta, id est anima à nullo peccato purgata luxuriat in palmites siluestres, & ideo non fert dulces vuas, id est, opera Deo grata, sed labruscas, scilicet opera Deo odiosa & ingrata. Sicut conqueritur Dominus Psal. 5. *Exspectaui vt facerет vuas, & fecit labruscas.* Est enim labrusca vitis agrestis, quæ in terræ marginibus nascitur. Et inde labrusca dicta à labris, id est extremitatibus terræ. Sic exponit Isidorus etymologiarum 17. Ergo labrusca quasi in labris crescens, & significat adulterina & terrena peccata, quæ facit peccator, cum negligit se per confessionem expurgare. Quia dicit Gregorius. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.

II. Generalis agricola Prædicator quilibet.

Sed *generalis* agricola est quilibet prædicator vel prælatus, quibus Dominus tradidit hanc vineam humanæ animæ ad custodiendum & colendum. Debet ergo quilibet curatus, plebanus, aut sacerdos videre, ne vinea animæ sibi commissa, degeneret in labruscas, id est, ne faciat iniquitates manifestas, de quibus iudicat Ecclesia quod sibi videtur. Debet item Prælatus putare animas sibi commissas, per cultellum asperæ correctionis. Quia dicit Augustinus ad Vincentium Donatistam, & ponitur. 5. quæst. 5. c. Non omnis. Meliora sunt vulnera amici, scilicet corrigentis, quam voluntaria oscula inimici, scilicet corrigere negligentis. *Et subdit:* Melius est cum seueritate diligere, quàm cum leuitate decipere. Et certè nisi corrigant subditos, ipsi damnantur, teste Isidoro lib. 3. de summo bono: Sacerdotes propter iniquitatem populorum damnantur, si scilicet ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant.

Sacerdotes sibi caueant à periculo. Agricola homo debet cōducere quatuor fossores.

PRIMVS igitur agricola, scilicet homo quilibet, ad fodiendum vineam animæ suæ debet conducere quatuor fossores. PRIMVS est pudor, qui terram cordis mollificat ad pœnitentiam. Debet tamen primo peccatum odisse, vt deinde possit illud erubescere. Quia dicit Richardus de sancto Victore: Disce primùm peccatum odisse, & tunc incipies illud veraciter erubescere. Ille pudor verus esse cognoscitur, quem vitiorum odium præcedit, alioquin si in peccato deprehenderis, non te credo erubescere culpam, sed infamiam. Non enim descendit verecundia talis tam ab ipso peccato, quàm diffamiæ detrimento. Hæc ille.

I. Pudor. Verus pudor quis?

II. Dolor.

SECVNDVS fossor est dolor, scilicet quod doleat se tantum bonum, scilicet Deum offendisse. Quia talis dolor cor mollificatum scindit vomere contritionis, iuxta illud Ioelis 2. *Scindite corda vestra; & non vestimenta.* Et maximè habet iste fossor suum effectū in contritione. Quia, vt dicit Petrus Lombar. in 4. dist. 17. Contritio sic definitur: Et dolor voluntariè assumptus pro peccatis, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. De hoc suprà infrà Octauam Epiphaniæ sermone 3. L. Q.

Doloris effectus contritio.

Vtrū dolor de peccatis debeat esse sensibilis.

Sed diceres: Nunquid dolor debet esse sensibilis? *Dicit* Magister in 4. dist. 17. cum Chrysostomo: Vnumquodq; per quascunq; causas nascitur, per easdem dissoluitur, vt Extra de regula iuris. Cum igitur peccatum sufficienter per actum voluntatis possit nasci, sufficienter etiam per solum actum voluntatis scilicet per displicentiam & dolorem, quantum est ex parte nostra, potest tolli. Et cum huiusmodi dolorem habere, sit in potestate nostra, non autem habere dolorem sensibilem, ideo Deus non requirit dolorem sensibilem de contritionis necessitate, sed de eius perfectione. Ideo dicit Hostien & idē Petrus in dist. vbi suprà, de peccatis in cōmuni, in quantū sunt offensa Dei, debet esse maior dolor de maiori peccato habitualiter nō actua-

actualiter: ſicut etiam in ſpeciali debet eſſe maior dolor de maiori peccato, eo quod habet maiorem rationem doloris. Dolor quidem ſenſibilis, ſcilicet pœnalitatis, conueniens eſt, vt ſit maior. quia maiori offenſæ maior pœna debetur. Concordat & Thomas ibidem.

TERTIVS foſſor eſt timor, qui omnes lapides, id eſt, omnia peccata, quæ in corde per contritionem ſciſſo inuenit, extra proijcit & expellit, Eccleſ. 1. *Timor Domini*, id eſt, initialis, & filialis, *expellit peccatum*. ſcilicet tanquam ſibi contrarium, eo quod annexus eſt caritati. *Et ſubdit* Sapiens: *Nam qui ſine timore eſt*, ſcilicet Dei, *non poterit iuſtificari*: quia dicit Gloſſa: Primum quod pertinet ad iuſtificationem ſiue ad iuſtitiam, eſt eſſe ſubditum Deo, ſicut ſuo ſuperiori, quod facit timor. *III.* Timor.

QVARTVS foſſor eſt amor Dei, qui omnes palmites infructuoſos, ad radicem vitis ſubortas, eradicat, & euellit. Etiã intellige per palmites infructuoſos amores mundanos, qui ſunt infructuoſi, quos amor totaliter eradicat à corde humano, iuxta illud Auguſtini. Qui biberit de fluuio paradiſi, cuius vna gutta maior eſt Oceano, reſtat vt in eo ſitis mundi penitus extinguatur. *IV.* Amor Dei. Amor mundanus, palmet infructuoſus.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ, ſiue Oculi.

Sermo primus.

Eſtote imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut Chriſtus dilexit nos, ad Eph. 5.

DICIT Ariſtoteles lib. 9. animalium, & Gregorius, quod aquila irreuerberata acie ſolis inſpicit claritatem, vt nec oculi eius lacrymentur, & idem docet filios ſuos, ducendo eos verſus radios ſolis, vt ſolem diſcant clarius intueri. N

MORALITER. Per aquilam ad præſens intelligo Paulum Apoſtolum. Quia ſicut aquila inſpicit claritatem ſolis corporalis, ita beatus Paulus adhuc exiſtens, mortalis, vidit claritatem ſolis ſpiritualis. quia dicit beatus Auguſtinus de videndo Dominum, quod Paulus in raptu vidit diuinam eſſentiam. De quo raptu etiam ipſe dicit 2. Cor. 12. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit: raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum*, ſcilicet empyreum; *Et audiuit*, Gloſſa id eſt, vidit, quia ponitur auditus pro viſu, vidit inquam *arcana, quæ non licet homini loqui*. Et quia beatus Paulus Apoſtolus velut aquila adeo clarè verum ſolem Dominum noſtrum intuitus eſt, & in tota vita ſua eſt ipſum imitatus. Ideo vult vt filij ſui ſpirituales quos in fide genuit, ſimile faciant, ſcilicet Chriſtum verum Deum in ſuis exemplis inſpiciendo, cum dicit; *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi*. Et quaſi diceret: Ex quo eſtis filij chariſſimi Dei, propter imaginem glorificationis, ad quam finaliter obtinendam facti eſtis. Et quia ſic eſt, qui patrem multum diligit, ipſum etiam imitatur in omni conuerſatione morum, in lenitate mentis atque hone- Paulus Apoſtolus aquila

honestate vitæ. Ideo *imitatores Dei estote.* quæ fuerunt verba præsentis Epistolæ, vestræ præposita charitati. In quibus quidem verbis principaliter ad duo nos exhortatur. *Primò* ad dilectionem Dei & proximorum: ibi, *Ambulate. Secundo*, ad declinationem vitiorum, ibi; *Fornicatio.*

Dilectio cur assimiletur calci viuæ.

I.

PRIMO igitur hortatur ad dilectionem Dei & proximorum, cum dicit; *Ambulate in dilectione.* Vbi NOTA. Dilectio assimilatur calci viuæ, propter tria. *Primo* propter igneitatem. quia dicit Magister lib. 16. propriet. Licet calx vel cæmentum actu est frigidum, intus tamen feruorem habet in occulto. Ideo aqua superfusa, statim ignis erumpit latens. Et dicit Augustinus lib. de Trinitate: quod hoc valde mirabile accidit; quod calx ex aqua accenditur, ex qua omnis ignis extinguitur. Oleo verò calx extinguitur, quo omnis ignis nutritur.

MORALITER exponendo hoc, dicendum sic est de dilectione vera. Hæc quidem licet ab exteriori videtur esse frigida, eo quòd signis exterioribus non ostenditur, quia interdū non est necesse; tamen habet viui amoris ignem in intimis cordis. Quia dicit Sapiens Prou. 17. *Omni tempore diligit*, tàm aduersitatis, quàm prosperitatis, *qui amicus est.* Glossa ordinaria dicit: Qui Deum verè amat, omni tempore custodit eius amorem, nec in angustia passionis deserit, quem in pacis tranquillitate confessus est. Hæc Glossa. Nam sicut calce aqua perfusa statim ignis erumpit latens, sic superueniente aqua alicuius tribulationis, vel angustiæ, aut necessitatis, tunc statim ignis interior veri amoris erumpit, & exterius se in opere ostendit. Quia Sapiens dicit: *Fraternitas in angustia probatur*, Prou. 17. Quia ignis veræ dilectionis & aduersitatis magis accenditur, iuxta illud, quod dicit Valerius Maximus in Polycrate: *Sinceræ* fidei amoris amici, præcipue in aduersis cognoscuntur.

Exemplum, quod veri amici in aduersitate cognoscuntur.

De hoc ponit exemplum valde notabile Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 20. part. 2. Quidam iuuenis sagax ingenio diues valde, nuntios suos per diuersas mundi partes mercationis caussa destinauit. Quidam autem ex eis in partibus Orientis, repererunt gentilem quendam in omnibus copijs & rebus mundi ditissimum liberalem in omnibus & fidelem. Quid plura? Nuntiant illi se talem habere dominū iuuenem. Vadunt itaque & redeunt, munera ex parte Domini sui gentili deferunt; referuntque maiora iuueni Christiano. Exinde iuuenis in tantum amore & admiratione accenditur, quod properat cum magno comitatu & muneribus in Orientem videre gentilem. Venientem itaque gentilis cum magna gloria suscepit, & expertus est hominem honestum moribus, sagacem ingenio, & præ omnibus liberalem, secumque illum tenuit non paruo tempore, nec paruis expensis. Qui cum ad patriam deliberaret redire, eum ad incomparabiles thesauros introduxit: de quibus cum nihil recipere vellet, tandem ostendit illi septem puellas virgines in conclaui, nobilissimas genere, & pulcherrimas in decore, quas secundum ritum suum ducere proponebat tempore opportuno, & dixit ei: Ex his tibi vnam elige in vxorem. Nec mora, iuuenis suprà modum animo captus & oculis, vnam elegit præstantiorem moribus & decore. Cui gentilis: Optionem dedi tibi, & tu mihi præ omnibus dilectissimam elegisti. Et tu quidem vt sapiens experieris, quid dederim tibi, & ego vt minus sapiens propter te quid dimiserim, percunctabor. Hæc dicens, statim tradidit condigna munuscula, & eam dedit Christiano. At ille in propria veniens, sponsam suam in maxima gloria baptizatam, accepit vxorem, & mulierem miræ virtutis inuenit.

Ipse

Ipse autem auctus gloria & diuitijs, in virum creuit maximum ciuitatis. Gentilis autem frequenter reuoluens, quid in dicta iuuencula perdidisset, grauari cœpit animo, vltra quàm dici potest, & paulatim præ tristitia contabuit in eo species atque sensus. De die igitur in diem, de anno in annum, de tempore in tempus, decrescens in rebus, cum nihil curaret, quæ haberet, tandem, ad extremam veniens miseriam, exul de patria, quasi infatuatus, pulsus est ab amicis. Qui dum quid ageret, ignoraret; incidit cordi eius visitare amicum, pro quo ista pertulerat, nec posse eum credere futurum sui immemorem, & deniq; tanti piaculi contemptorem. Venit igitur ad locum vbi ille morabatur; pulsauit ad portam quondam amici sui. Dixit ei vnus; quis esset? Respondit: amicus. Et nuntius neglexit verbum, nec intromissus est. Quo in facto gentilis contristatus in mortem, vespere veniente super vastum Ecclesiæ atrium se proiecit. Intempestæ ergo noctis silentio, quidam latrunculus cuidam insidiatus transeunti, coram gentili hominem occidit, clamq; discessit. Mane facto inuētus est homo occisus, & iuxta eum gentilis ignotus capitur. Et congregatis nobilibus & populo ciuitatis captus offertur, & imponitur illi factū. Qui cum desperatione fractus esset, homicidium non negauit. Ipse verò iuuenis quondam amicus eius stans diutius stupefactus, contemplatus est hominem & cognouit, statimq; prosiliens cum ille duceretur ad mortē, clamauit. Innocens est ille: ego sum qui factum feci. Nec mora, cum maximo clamore & mœrore populi iste procumberet decollandus; ille qui reuera homicidium fecerat, prouidentia diuina contristatus, tam nobilem & innocentem hominem deperire, in medium prosiliens exclamauit. Innocentes ambo, & primus & secundus: ego sum nequissimus ille, qui factum feci. Mox iudex & proceres ciuitatis mirabiliter stupefacti, simul capiunt dictos tres, & factum diligentius perscrutantes; cum veritatem per omnia cognouissent, innocentes absoluunt, & ipsum reū præ admiratione piaculi, dimiserunt. Christianus verò ille obuijs manibus, & osculis amicum suscepit, & ad fidem inuitauit, & ille annuens baptizatus est, accepitque vxorem nobilem consobrinam amici, & cum eo dimidietatem bonorum, quæ habebat partitus est. Ecce quod verum est, quod amici principaliter in aduersis cognoscuntur.

Sed oleo consolationis & prosperitatis, calx dilectionis quasi extingui videtur, quia homini in prosperitate posito, non est necessarium, magna signa vel obsequia dilectionis ostendere. Sicut de hoc dicit Valerius vbi supra. Non decet hominem amico in prosperitate posito, magna dilectionis obsequia ostendere, ne forte dicat, quod propter illius prosperitatem ipsum diligat.

SECVNDO, dilectio assimilatur calci propter vnitatem, quia lapis lapidi non benè coniūgitur, nisi ei calce media vniatur. Nam ex calce cum admixtione arenæ & aquę fit cæmentum, cum quo lapides ad inuicem strictius vniuntur. Qualis autem debeat esse arena, quæ calci est admiscenda, docet Petrus de crescentia de rurali cōmodo, li. 1. ca. 11. Arena, inquit, quæ manu apprehensa odit stridoriū, vel respersa nihil sordis reliquit in paño lineo candido, egregia est & vtilis fabricanti. *Et subdit.* Duabus arenę partibus, calcis vna miscenda est. quia si æquali mensura miscentur, erit fortissimum cæmentum inde mixtum. Et dicit Palladius quod rufa est omnibus melior. II. Similitudo dilectionis cum calce.

MORALITER homo homini non verè sociatur; nisi ei dilectione mediante vniatur, Quæ quidem dilectio si cum arena patientiæ, quæ sub aquis tribulationum inue- Similitudo

inuenitur, & cum aquis ſapientiæ admiſceatur, cæmentum & glutinum perfectæ faciet vnitatis. Nam inter quos charitatis dilectio, cum patientia & ſapientia viget, ibi perfecta vnio & iucunda ſocietas adeſt, vt dicit Anſelmus lib. 2. cap. 9. Et de hoc exponitur illud Pſalm. 132. *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Et dicit Iſidorus, illa calix melior eſt & vtilior, quæ ex lapide albo & duro generatur. Sic illa dilectio vera eſt & vtilis amicitia, quæ ex animo puro & vero generatur. Quia dicit Philoſophus in Ethicis: Prauorum amicitia, ſi ſe non puro diligunt animo, non eſt amicitia vera. Et ſecundum Auguſtinum; Amicitia quæ diſcreti potuit, nunquam amicitia vera fuit: quia amicitia debet eſſe firma.

Vera dilectio, quæ?

III. Propter vtilitatem. Virtus calcis oleo mixta.

TERTIO propter vtilitatem. quia dicit Conſtantinus & Plinius in ſpecul. natural. Calix mixta cum oleo, puſtulas & vulnera iuuat, & vulnerum inciſiones benè conſolidat, ſuperfluam carnem corrodit, nec creſcere permittit. Sic etiam dilectio mixta cum oleo miſericordiæ, & pietate, ſanat puſtulas ſuperbiæ, ſicut in Nabuchodonoſor, qui ſuperbiuit contra Deum, Danielis 4. cui aït Daniel. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates miſericordiis pauperum.* Item ſanat vulnera animæ, & non ſinit ea per peccata putrefieri. Qui enim ex vera dilectione impartitur alicui miſericorditer eleemoſynam, in anima mundus erit, iuxta illud Luc. 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ideo hortatur hic Apoſtolus: *Ambulate in dilectione,* quaſi diceret, non ſolum cordium, ſed etiam exhibitione operum. Quia ſecundum Gregorium in homilia. Signum dilectionis eſt exhibitio operis *Ambulate in dilectione, ſicut Chriſtus vos dilexit, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Quaſi diceret: Sic ambulate, vt ſimilem dilectionem Chriſto rependatis.

Quantum ad SECVNDVM, hortatur ad declinationem certorum vitiorum, cum dicit: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, non nominetur in vobis, &c.*

O Fornicatio & luxuria cur ſimilis ſulphuri.

PRIMVM igitur peccatum, quod hic Apoſtolus hortatur declinare, eſt *fornicatio.* Per quam intelligit ſimplicem fornicationem & luxuriam, quæ fit inter ſolutos: & aſſimilatur ſulphuri propter tria: PRIMO propter ardorem, nam ſecundum Iſidorum ſulphur eſt vena terrea, ariditatis & igneitatis multum habens in ſua compoſitione. propter quod dicitur ſulphur quaſi ſolum vrens. Sic etiam fornicatio eſt carnis terreſtris vitium & corruptela, quæ habet multum igneitatis, ſicut patuit Dominica ſuprà in Septuageſima ſerm. 1. P. T. Et ſecundũ Iſidorum ſulphur eſt calidum in quarto gradu; ſic fornicatio eſt calida in quarto gradu, quia fornicatio eſt quartum vitium, cui ardor & calor appropriatur.

I. Propter ardore.

1. Ardor auaritiæ.

Primus gradus eſt ardor auaritiæ, quæ habendi appetitum inſatiabiliter accendit. *Ipſa eſt ignis, qui nunquam dicit ſufficit,* Prouerb. 30. Ideo comparatur monti Ætnæ, qui eſt mons in Sicilia inſula, ex quo erumpit continuè ignis cum ſulphure, vt in gehenna, ſicut dicit Iſidorus lib. 14. c. 7. Sic etiam auaritia nunquam extinguitur. Ideo dicit Boëtius lib. 2. metro. 5.

Sed ſæuior ignibus Ætnæ

Feruens amor ardet habendi. De qua ſtatim infra.

2. Ardor iræ.

Secundus gradus eſt ardor iræ, quæ ſecundum Philoſophum eſt accenſio ſanguinis circa cor.

Tertius

Tertius gradus est ardor gulæ quæ multum attingit ardorem. Tum quia delectationem cibi & potus appetitus acuit & accendit, tum quia gulæ satietas libidinem inflammat. Quia dicit Terentius: quod sine Cerere & Baccho friget Venus, id est, per abstinentiam ceruisiæ, vini, aut etiam cibi luxuria refrigescit. 3. Ardor gulæ.

Quartus gradus est ardor luxuriæ, qui est quasi ignis consumens omnem virtutẽ, Iob. 31. *Ignis est vsq, ad consumationem deuorans.* 4. Ardor luxuriæ.

SECVNDO propter fœtorem. Nam aquæ per venas sulphureas transeuntes, ex igne sulphuris contrahunt calorem & fœtorem. MORALITER. Aquæ sulphureæ sunt personæ luxuriosæ, quæ ex ipso sulphure, id est, ex infectione luxuriæ contrahunt calorem in cogitatione, saporem in dilectione, & fœtorem plerumque & infamiæ publicationem. Quia de fornicatoribus exponitur illud Isaiæ 34. *De cadaueribus eorum ascendit fœtor.* Et iste fœtor interdum à viris spiritualibus sentitur. Quia quidam scholaris præsentiam scorti in domo sua, ex fœtore eius cognoscebat. Et quidam Diaconus sentiebat, cum fornicatus fuerat, vt dicit Gulielmus. De hoc quære plura suprà, Dominica II. post Epiphaniam sermon. 2. O. A. II. Propter fœtorem. Luxuriosi fœtent.

TERTIO propter colorem. quia sulphur quandoque est album, purum clarum, & subtile: aliquando fœculentum & spissum: interdum verò mediocre. Sic opus carnale cum inter limites matrimonij & rationis continetur, tunc est *album.* quia famam non denigrat: *Purum,* quia mentem non fœdat: *clarum:* quia rationem non obscurat: *subtile*, quia ratio carnem regulat, & non sequitur appetitum delectationis, sed sinceritatem intentionis. III. Propter colorem.

Sed si fiat extra matrimonium, tunc est *fœculentum* per immundiciam operum; *grossum* per inordinatam delectationem; & *spissum* per nimiam frequentationem vel mentis hebetationem. Quando verò fit inter coniuges, sed non debito modo, vel debita moderatione, tunc quoddam mediocre participat de vtroque. Nam in quantum in matrimonio, sic est inexcusabile magis & minus, secundum quod plus vel minus recedit ab ordine rationis, vt dicit Anselmus lib. 2. ca. 20. Si autem est extra matrimonium, est omninò inexcusabile & damnosum, quia canon Meretrices, 23. q. 4. dicit. Ad meretrices, accedere prohibet Dominus Leuit. 18. Deut. 13. *Non erit meretrix de filiabus Israël.*

Sed dices. Si Dominus prohibuit meretrices, quare leges permittunt eas: *Respondet* Nicolaus de Lyra super Gen. c. 38. Lex humana permittit meretrices, in quantũ non punit talem fornicationem. quia non potest omnia punire, sed aliqua rationabiliter dimittit Dei iudicio punienda. Obiectio Responsio.

SECVNDVM peccatum dicitur *immundicia.* Per quam intelligitur quæcumque immundicia luxuriæ, quæcumque modo fiat, siue fiat secundum naturam, vt adulterium, stuprum, incestus: siue contra naturam, vt Sodomia, mollities, & coitus cum iumentis. Ideo dicit NOTANTER, *omnis immundicia.* PRIMO igitur de adulterio est sciendum, quod illud diuiditur in duas species: in *simplex* adulterium, scilicet cum vxoratus peccat cum soluta, vel econuerso: & adulterium *duplex*, scilicet cum vxoratus peccat cum vxore alterius coniugati. Sed qualitercumque fit, graue est peccatum. quod *primò* patet, per hoc quod in veteri lege morte puniebatur. Leuit. 20. *Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum vxore proximi sui, morte moriatur. Secundò*, patet per hoc 2. Reg. 11. Cum Dauid adulterium Vitanda immunditia. Adulterium Eius grauitas.

perpetrasset, dixit ei Dominus per Nathan prophetam, *Non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum, eo quòd despexisti me, & tuleris vxorem Vriæ. Tertio* patet ex hoc, quia sequuntur ex eo exhereditationes filiorũ, Eccles. 23. *Omnis mulier relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio.* Sequuntur etiam inde homicidia, sicut patet de Dauid, qui post adulterium fecit occidi fidelem militum suum. 2. Reg. 11. Sequitur etiam inde incestus, vt cum aliquis cognoscit filiam patris sui, vel eius vxorẽ, ignorans quis sit pater eius. *Quarto* sequitur maledictio, quod per hoc Num. 5. patet: *Si declinasti à viro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cum altero viro: his maledictionibus subiacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo suo: putrescere faciet femur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur.*

Stuprum. Eius grauitas.

SECVNDO dicendum est de stupro. Vbi NOTA: stuprum est virginum illicita defloratio, quando non præcedente coniugali compactione vtriusq; voluntate virgo corrumpitur vt 36. q. 1. c. Lex. Cuius peccati magnitudo ostenditur *primo* in hoc quod Sichem filius Emor, qui Dinam filiam Iacob deflorauit, interfectus est cum patre suo & toto populo vrbis suæ, Genes. 34. Refertur etiam in Vitis patrum lib. 4. c. 27. & idem allegat Gregorius in dialogis. Quidam curialis sabbato Paschæ puellam quandam violauit. Cumque manè surrexisset, reatus sui conscius, cœpit trepidare & Ecclesiam ingredi, quia si tanto non iret die ad Ecclesiam, erubescebat homines. Si verò iret, timebat iudicium Dei, quod immundo spiritui traderetur vexandus. Vicit autem humana verecundia, & ad Ecclesiam perrexit. Cumque in illa Missarum celebritate nihil mali sibi contigisset, lætus exiuit, & per sex dies securus, æstimans quod suum scelus Dominus non vidisset, aut visum vindicare remisisset. Die autem septima subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, cunctis videntibus de sepulchro eius flamma exiuit, & tam diu ossa eius cremauit, quousq; omne os, & terra quæ in tumulum collecta erat, defossa videretur. Et dicit Gregorius. Quod pensandum est, quid anima viuens aut sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio insensibilia ossa cremantur.

Stupratoris vltio diuina.

Secundo ostenditur per hoc quia talis aufert virginitatem, cui debetur fructus centesimus, coniugatis tricesimus, viduis solum sexagesimus. Satis enim ille deteriorat terram, qui facit vt non possit reddere, nisi sexagesimum vel tricesimum fructum, cum prius redderet centesimum. Item qui deflorat virginem, est occasio multarum fornicationum, quas ipsa facit postea. Sicut ille, qui prius rumpit clausuram alicuius vineæ, occasio est damni illius, quod faciunt qui postea intrant, qui aliter non intrassent.

P

Incestus. Grauitas ei⁹ patet.

TERTIO de *incestu* dicendum. Est autem incestus consanguineorum, vel affinium abusus, vt dicit 36. q. 1. §. Cum ergo. Incestum comittit, qui sponsam fratris sui, licet ab eo incognitam duxerit in vxorem, vt dicit Greg. 27. q. 2. c. Si quis vxorem.
1. Cuius quidem magnitudo peccati patet per hoc: *Primo*, postquam enim Dominus prohibuit incestum & vitium contra naturam, Leuit. 18. ait: *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus istis quidpiam, peribit de medio populi sui. Secundo* per hoc, quod
2. Apostolus tradidit sathanæ cruciandum illum fornicatorem, qui cum nouerca sua
3. peccauerat, 1. Cor. 5. *Tertio* per hoc, quod Amnon, qui sororem suam corruperat, interfectus fuit à fratre suo Absolon, vt patet 2 Reg. 13. Refert etiam Circulius de Antiocho rege scelesto, qui propriam filiam cognouit, quòd eum vltio diuina persecuta est, & per fulmen combustus fuit.

QVAR-

QVARTO dicendum esset de peccatis Sodomiticis & contra naturam. Sed de his ad præsens supersedeo, ne piæ aures offendantur. Sodomia.

TERTIVM peccatum, quod hic Apostolus hortatur declinandum, est auaritia. Hæc reddit homines insatiabiles & crudeles, tam ad extraneos, quàm ad domesticos. Cuius exemplum est in auibus prædę, in quibus reputantur auari, effectu vel affectu. Rapaces enim aues, (vt dicit Aristot. lib. 4. animalium) solitudinem diligunt, & cum aliquo socio habitare non possunt; Sic etiam est de auaris. Sicut enim charitas quærit communicationem & societatem, ita auaritia solitudinem & proprietatem. Vult enim cupidus omnia solus habere, ideo suspectum habet cum socio manere, nam possessio temporalium mater est dissensionum, sicut patet Genes. 13 de Abraham & Loth. Quorum substantia erat multa nimis. ideo rixa facta est inter pastores eorũ. Et dicit Glossa, quod causa rixæ fuit, quia tàm iste, quàm ille volebat præoccupare meliora pascua, & aquas; Et sicut aues prædæ pullos cum volare possunt, à se pellunt, & secum habitare non permittunt: Sic multi auari etiam suos domesticos & filios abijciunt, & graue sibi reputant, quod eis expensas impendant.

Vitanda auaritia.

Possessio temporaliũ mater est dissensionis.

Simile.

Item auari similes sunt gryphonibus, qui vt dicit Isidorus lib. 14. c. 3. custodiunt montes, in quibus sunt gemmæ pretiosæ, nec eas inde auferre permittunt. Propter hanc causam rarus est illuc hominum aggressus vel accessus. Nam viuos homines deglutiunt, & equitem armatum cum equo rapiunt, vt dicit Glossa super Deut. 14. Sed tamen de gemmis illis, quas sic custodiunt, ipsi per se nullam vtilitatem sumunt: Sic est de auaris quibusdam, qui thesauros ita cupidè custodiunt, vt si quis eis vel modicum quid auferret, ipsum, si possent, viuum deglutirent. Ad tales auaros diuites, pauperes accedere non possunt, quia turpiter eos repellunt, vt patuit supra Dominica in Sexagesima sermon. 2. R. L. de Petro thesaurario. Ideo timent pauperes accedere.

Auari similes gryphonibus.

Sed tamen de his, quæ auari ita tenaciter possident, etiam per se expendere non audent; sed alij post eos, de ipsorum diuitijs gaudent, quos tamen ignorant, Iuxta illud Psal. 38. *Thesaurizat & ignorat, cui congregabit ea.* Ideo de tali dicitur Ecclesiast. 5. *Qui amat diuitias,* eo modo quo auarus, *fructum,* id est, vtilitatem *non capiet ex eis.* Quia auaritia non permittit eum vti. Et hoc vanitas est. Ideo auaritia est detestanda, quia reddit hominem stultum, sicut patet de illo, de quo Lucæ 12 qui horrea sua ampliauerat: cui dictum est voce diuina; *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem congregasti, cuius erunt?* Ideo dicitur Prou. 1. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam & stulti ea quæ sibi sunt noxia?*

Auaritia reddit hominẽ stultum.

QVARTVM peccatum est *turpitudo,* quæ secundum Glossam consistit in amplexibus mulierum, & vagis oculis aut impudicis. De amplexu aut tactu mulierum dicit Sapiens Eccles. 26. *Qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem.* De hoc Prouer. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* quasi diceret, non. *Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus cùm tetigerit eam.* Ideo legitur in Vitis patrum de quodam fratre qui volens transire flumen, manus suas inuoluit in pallio. Sicq; matrem suam vltra portauit. Interrogatus ab ea cur hoc fecisset? Respondit: Corpus mulieris ignis est, & eo ipso, quod contingebam te, memoria mihi de alijs mulieribus veniebat.

Vitanda turpitudo.

Exemplum.

Visus mulierum periculosus. De visu mulierum, quod est nociuus, habemus in multis locis scripturæ, Gen. 34. de Sichem, *qui vidit Dinam, & rapuit eam.* Et in eodem lib. c. 39. dicitur, *quod iniecit oculos domina in Ioseph, & ait: Dormi mecum.* Et 2. Reg. 11. *Dauid vidit Bethsabee ex aduerso lauantem se. Erat enim mulier pulchra valde.* Et subiungitur: *Missis nuntijs tulit eam.* Ideo consulit Sapiens, Eccles. 9. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore eius.* Et iterum: *Auerte faciem tuam à muliere compta.* Et iterum: *Ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.*

Vitandum stultiloquiū. QVINTVM peccatum, quod tangit hic Apostolus, est *stultiloquium.* Quod consistit in verbis blandis & sollicitatorijs, ad alliciendum mulieres, & è conuerso, Isa. 32. *Stultus fatua loquetur.* Sed hoc valde timendum est, quia sermo mulieris, cum qua stultus loquitur, est quasi rete. Quia dicitur Prou. 7. *Irretiuit eum sermonibus multis.* Eccles. 9. dicitur; *Eloquium illius quasi ignis exardescit.*

Vitāda scurrilitas. SEXTVM peccatum est *scurrilitas*, quæ risum solet mouere; & consistit in verbis iocosis, prouocantibus ad risum. Sicut faciunt ioculatores, vbi suprà. Scurræ sunt velut capræ vel Simiæ, cum quibus ludit diabolus, & homines excitat ad risum. Capra autem animal fœtidum est: Simia animal deforme. Sic tales valde fœtidi sunt & deformes. Ipsi etiam scurræ sunt fures damnosissimi. quia tempus quo nihil pretiosius in vita ista, inter transitoria hominibus furantur. Ideo de risu, quem ipsi faciunt, dicit Ecclesiastes cap. 2. *Risum reputaui errorem.* quia est velut quidam nuntius, stultitiam cordis exterioris hominis insinuans. Eccles. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enuntiat de illo.* Ideo dicit Apostolus Ephes. 5. *Aut scurrilitas quæ ad rem,* id est, ad realem vtilitatem, *non pertinet, sed magis gratiarum actio,* finit homo in præsenti vita. De hoc habes suprà Dominica IV. post Epiphaniam serm. 1. P. H. Tunc ponit causam, quare illa peccata sunt vitanda, & non nominanda in nobis, dicens: Ephes. 5. *Hoc scitote intelligentes: quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei &c.*

DE EADEM DOMINICA OCVLI.

Sermo secundus, super Euangelium.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Lucæ 11.

HÆc est laudabilis consuetudo quod seruus quilibet habens bonum dominum, mitem, verbisque suauem, seruit illi diligenter: & si contigerit, quod seruus iste ab hoste capitur & tenetur, Dominus, si fidelis erga seruum, expugnat hostem istum ipsum liberando. quia dicit Sapiens Eccl. 33. *Si est tibi seruus* (fidelis) *sit tibi quasi anima tua. quasi fratrem sic eum tracta.*

MORALITER, quilibet homo est seruus ad seruiendum Deo creatus, sicut probat Magister Petrus Lombardus lib. 2. dist. 1. c. 5. sic dicens: Si quæritur, ad quid creata sit rationalis creatura, scilicet homo? Respondetur: ad laudandum Deum, & ad serui-

seruiendum ei; ad fruendum eo, in quibus proficit ipsa creatura, non Deus. Et hoc lucidius declarat ibidem: Factus est, inquit, Angelus siue homo propter Deum, non quia creator Deus summè bonus vtriusque, scilicet Angeli & hominis, indiguerit officio; quia bonorum nostrorum non eget: sed vt seruiret ei, & frueretur eo cui seruire regnare est. In hoc enim proficit seruiens; non ille, cui seruitur. Iste quidem seruus scilicet homo, habet bonum Dominum, mitem, verbisq; suauem. De bonitate cuius dicit Psalm. 118. *Bonus es tu, &c.* Et Christus Matth. 17. *Vnus est bonus Deus.* Et Lucæ 19. *Nemo bonus nisi solus Deus.* De mititate & misericordia dicit Ioel. 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ.* Sed de suauitate dicit Psalmus 33. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et quia adeo est bonus, mitis, & suauis, ideo ei debet homo diligenter fideliterq; seruire, secundum illud Psal. 2. *Seruite Domino in timore.* Homo ad quid creatus

Sed contingit multoties, quod hostis antiquus, qui insidiatur saluti hominum, capit hominem & tenet. Dicit enim Anselmus. lib. 10. cap. 21. quod diabolus similis est mulieri volenti capere muscas, quæ linit ollam intrinsecus lacte, & tunc muscæ intrant: & cum multitudo intrauerit, includit eas & succendit. Sic diabolus delectionem peccati offert, & capit per consensum peccati, & captum ligat per consuetudinem: deinde in ignem inferni trahit. Sed quia *fidelis est Dominus*, secundum Psalmum 144. *in omnibus verbis suis*, ideo pugnat pro homine, ipsum ab hoste diabolo liberando; Sicut ostendit in isto, quem à diabolo, qui eum mutum fecerat, & in laude seruitioq; Dei impedierat, misericorditer liberauit. De quo dicit Euangelium: *Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* In quibus verbis duo breuiter describuntur: *Primò*, malitia diaboli insidiantis: *Secundò*, clementia Dei liberantis.

Q

Malitia diaboli insidiatur.

I.

Paruulis ne baptizētur.

Quantum ad PRIMVM describitur malitia diaboli insidiantis in hoc quod hominem possedit. Circa quod NOTA, malitia diaboli insidiatur. PRIMO mundum ingredientibus, vt pueris, ne baptizentur. Dicunt naturales, quod cerui quando persequuntur, habent in consuetudine, quod fugiunt ad fluuium, & resumptis viribus ex aquæ frigiditate, euadunt venatores. Ideo mos est venatorum, semper aditum aquæ eis impedire, vt sic facilius possint capi & occidi.

MORALITER. Cerui persequuntur. & ad aquæ fluuium fugientes sunt pueri mundum ingressi, contra persecutionem dæmonum aquam baptismi exspectantes, vt in ea vires animæ resumant. Dicit enim Archidiaconus Guido in Rosario; quod ex peccato primorum parentum fuit caro corrupta, & illam carnis corruptionem transmiserunt ad posteros, & quotidiè transmittunt patres in filios, vt habetur 14. q. 4. c. Iam itaq;. Cum igitur animæ carni corruptæ coniungantur; quandam infirmitatem contrahunt, quæ fomes nuncupatur, vt 15. q. 1. §. Vt itaque. Sed hic fomes in aqua baptismi debilitatur: quia dicit Magister lib. 4. distinct. 4. de baptizato, quod gratia adiutrix est, & omnis virtus in ea augetur, vt verè nouus homo tunc dici possit, fomesque peccati amplius in ea debilitatur. Idcirco mos est dæmonum, qui sunt venatores animarum, semper impedire & præcludere viam, ne homo veniat ad baptismi aquam. quia scit dæmon dixisse Christum, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex spiritu & aqua, non potest introire in regnum Dei.* Et similiter nouerunt illud Augustini de fide ad Petrum. & ponitur de consecrat. dist. 4. Firmissimè tene, paruulos, qui in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, vel de matribus nati siue sa-

cramento baptismi, de hoc seculo transierunt, æterno (damni, quod vocant) supplicio puniendos. quia etsi peccatum propriæ actionis non habuerint, originale tamen peccatum conceptione contraxerunt. Et sicut paruuli, qui sine baptismo moriuntur, numero infidelium adscribuntur, ita etiam qui baptizantur, vocantur fideles.

II. Diabolus insidiantur proficientibus. SECVNDO, insidiantur dæmones in mundo proficientibus, scilicet iustis & bonis, plùs quam peccatoribus. quia dicit Phisiologus: Lupus non venatur circa locum, vbi nutrit catulos suos, sed venatur à remotis. Quod sic moralizat Anselmus lib. 2. cap. 39. loca, vbi nutriuntur catuli luporum, sunt quasi corda malorum, vbi nutriuntur delectationes & cogitationes peccatorum. Ibi ergo diabolus non venatur, quia eis non insidiatur, nec eos tentare cupit. quod probat Gregorius 33. moralium. Illos diabolus pulsare negligit, quos quieto iure se possidere sentit. Sed loca quasi ab ipso remota, sunt corda iustorum, qui ei contradicunt. Ideo tales persequitur, eisq; insidiatur, & molestat. De hoc dicit Gregorius vbi supra. Hostis noster in hac vita nos positos, quanto magis sibi rebellare percipit, aut conspicit, tanto amplius expugnare contendit.

1. Tentat dæmon prædicantes. Circa quod NOTANDVM, quod iusti in mundo proficientes, sunt in multiplici differentia meritorum. Quidam enim sunt prædicantes, aut orantes, cæteri studentes; reliqui verò operantes. PRIMIS igitur, qui sunt prædicantes, insidiantur dæmones, sicut legitur in Thoma Cantipratensi lib. 2. Apum, cap. 57. part. 48 Magister Iordanus multos literatos clericos ad ordinem Bononiæ recepit, & multi ex eis grauissimis dæmonum impulsibus tentabantur; & cum propter hoc Magister mira orationum instantia repugnaret, vna die, dæmon libera voce locutus est ei; Facias, inquit, cessare fratres tuos à prædicationibus, & confessionibus hominum audiendis. & ego cessare faciam socios meos ab omnimoda tentatione fratrum & luctu. Consensit mox Magister ad tempus, & effectum mox consecutus est sponsionis. Nec multi post hoc dies effluxerant Magistro oranti dictum est voce diuina. Quid est, quod voluisti facere, vt inires pactum cum morte? Orent fratres pro tempore, & pro tempore studeant proximorum instructionibus & salute, & proculdubio puræ & vigilantis orationis instantia, tentationes dæmonum repellent. Nec mora. Vbi hoc Magister in Capitulo fratribus indicauit & illi mandata eius miro spiritus feruore complerent, virtus dæmonum eneruata est, & fratres in communi omnes mira alacritate mentis, ab omnibus tentationibus quieuerunt.

2. Tentat dæmon orãtes. Mira historia. SECVNDO, orantes similiter à diabolo tentantur. Refert Thomas Cantipratensis in apiario vbi suprà part. 8. Vidimus in villa Niuellæ virginem Deo dignam, de qua verissimè narrabatur, quod mortuis parẽtibus, in domo fratris militis relicta est. Pro Cistertiensium autem ordine diu laborans, nec tamen ad effectum perducere valens, fortiter proposuit, & in animo statuit secundum posse suum, etiam in seculo ordinem seruare. Incessit ergo sine lineis, obseruauit ieiunia, silentium tenuit, caruit carnibus, hora matutinarum surrexit, Ecclesiam intrauit, horas regulares exsoluit. Contingit autem, vt ea ignorante mortuum defuncti cuiusdam corpus vespere ad Ecclesiam deferretur, & solum in feretro relinqueretur. Surgens ergo media nocte virgo quam diximus, Ecclesiam intrauit, inuenitque mortuum quidem: sed parum aut nihil timuit. resedit: horas incepit. Hoc vt vidit diabolus, inuidit &

corpus

corpus mortui intrans, loculum primò mouit. Virgo igitur se consignans, constanter ait & inclamat diabolo: Quiesce miserrimè, quiesce; quia nihil poteris contra me. Mox diabolus surgens cum corpore: Verè, inquit, nunc potero contra te, & meas iniurias à te passas frequentius vindicabo. Hoc vt illa vidit, imperterrito corde baculum cum infixa cruce ambabus manibus rapuit, & in capite mortuum feriens ad terram proiecit, & sic fideli audacia dœmonem effugauit. Diu ergo Virgo Christi, & cum maxima angustia laborauit, vt cadauer deiectum in feretro relocaret; sed frustra, quia non potuit. Veniens autem manè presbyter cum custode, miratur deiectum corpus, & vulneratum in capite. Quærit, quid actum sit? Fatetur Virgo cum lacrymis, rogat obnixius releuari corpus: Negat ille, dicens: potius visurum populum, & per gestam rem excitandum in laudem CHRISTI. Mox turbata Virgo CHRISTI, vbi presbyterum inuincibilem & inexorabilem vidit, vanam gloriam & erubescentiam reformidans, domum fratris, & cognationem, & patriam dereliquit, nec vnquam ad eam reuersa post hoc fuit.

Ecce, quod diabolus insidiatur orantibus. quia scit, quod oratio valet contra omnem tentationem. Sicut ruta dicitur valere contra omnem punctionem. Dicit enim Plin. in spec. natur. lib. 20. cap. 27. Succo rutæ iniuncti à scorpionibus & araneis, vespibus, & apibus non punguntur. *Rutæ vis naturalis.*

MORALITER punctio scorpionis, qui ante lingit, & retro pungit, dici potest tentatio carnis. quæ primò delectat, sed postea cruciat. Sed punctiones aranearum, quæ muscas insidiose capiunt, sunt tentationes dœmonum, qui insidiose capiunt animas. Puncturæ vero vespium & apum sunt impugnationes mundi, siue aduersitates, quas faciunt apes, quæ mel faciunt & aculeum infigunt: à quibus omnibus defenditur anima deuota per continuam orationem, vt dicit Anselmus lib. 3. cap. 48. Ideo diabolus insidiando orationibus, nititur eam impedire. *Ruta spiritualis est cōtinua oratio*

TERTIIS etiam, qui sunt studentes, dœmones insidiantur. sicut probat idem Thomas Cantiprat. cap. vbi suprà, part. 33. Frater quidam post matutinas in cella residere voluit, vt studeret, & mox vt oculos obiecit libro, dormitabat. Cumq; sæpius reluctaretur, nec præualeret, impatiens dixit sibi; Quid est, quod tibi præter solitum præualet somnus? Et mox diabolus ad eum. Nondum clausæ sunt portæ. Et ille: Quomodo, inquit, claudentur? Cui dœmon. A vertice vsq; ad pectus ab aure vsque in aurem. Et in hoc crucis mysterium denotauit, qua videlicet diabolo insidianti studentibus est reluctandum. Simile propemodum legitur de fratre Alberto Magno, cui Diabolus Parisijs apparuit in specie cuiusdam fratris, vt eum à studio reuocaret. sed mox virtute crucis discessit. *3. Dæmon tētat studētes. Exemplum.*

QVARTOS, qui sunt aliàs benè operantes, illudit diabolus: sicut probat Thō. Cantipratensis in Apiario, lib. 2. ca. 57. part. 29. Quidam fratres in Acconensi ciuitate extra claustrum sedentes, super mare prope littus nebula conscendebat, qua post paullulum depulsa, apparuit super mare. mons magnus, altus atque diffusus, & supra montem structura in modum castri, ambitu murorum, turribus & pallatijs decenter locatis; & ab ipso castro vsque ad littus pons ingens protensus, per quem pedites & equites diuersæ figuræ ascendere & descendere videbantur. Cum igitur fratres aliquamdiu tali spectaculo attoniti tenerentur, dixit Prouincialis nomine Henricus, fratribus; Surgamus fratres, & eamus ad orationem. Illudit enim diabolus oculis. *4. Diabolus tētat benè operantes.*

lis nostris, vt curiositate teneat nos, & ab opere DEI torpeamus. Sic etiam illusit illi, de quo dicit Euangelium, quem mutum fecerat, & cui visum obturauerat, vt eum ab operibus bonis impediret. quem tamen Dominus benigniter à dæmonio liberauit.

5. *Dæmon illudit peccatoribus spiritualiter.* *Dæmon imitatur catum* VLTERIVS est sciendum, quod licet diabolus non insidietur peccatoribus corporaliter, tamen illudit spiritualiter. Rectè PRIMO facit sicut catus, qui cum cœpit murem, primo cum eo ludit: sed finito ludo, eum occidit & comedit: Sic etiam facit diabolus peccatori. Cum enim ipsum post consensum ceperit, ludit cum eo, ostendendo peccatum esse leue, & quod Deus est misericors, & quod est impossibile hominem non peccare. & quod possit faciliter pœnitere, & huiusmodi. Et postquam luserit cum eo, sic trahendo ad opus, spiritualiter occidit, & per prauam consuetudinem comedit, sic eum incorporando. Hæc Anselmus lib. 2. cap. 59.

Dæmon facit homines mutos ad laudandum Deum. SECVNDO, diabolus facit peccatoribus sicut magi oculis fecerunt infidelium, quia sicut legitur in legenda sancti Matthæi, quod Zaroes & Arphaxat fecerunt homines cœcos & mutos. Sic diabolus excœcat homines peccatores per iniquitatem, Sap. 2. *Excœcauit eos malitia eorum.*

Et facit eos mutos *Primo*, in laudis DEI cessatione. Sicut enim dictum est suprà, quòd homo est creatus ad laudandum DEVM; quia secundum Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine*, &c. Idcirco debet quilibet homo laudare DEVM, sicut Dauid Psalm. 33. ***Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.***

Sic etiam laudauit deuotus Amandus in horol. Sapi. lib. 2. cap. 5. Si (quod absit) voluntatis tuæ beneplacitum esset, & laudis præconium in hoc consisteret, quod anima à corpore exsuta aut ignem purgatorium, aut certè inferni supplicium in pœnam suorum criminum recipere deberet, nihil de laude Domini mei vellem diminuere, sed prompto animo vellem, si tamen possem, omnium negligentias hominũ supplere, & omnem irreuerentiam à seculo tibi exhibitam, emendare. Sic etiam facere deberent boni Christiani, & nomen laudare Domini, & dicere cum eodem Amando ibidem. O amantissima sapientia, bonitas æterna, te deprecor, vt omni mane diluculo, cum à te surrexero, & oculos aperuero, simul quoq; cor meum in laude tua aperiatur. Sed (heu) miseri peccatores sunt quasi muti, Deum non laudantes. Ideo timendum, est quod verificetur de ipsis hoc verbum, quod scribit Egesippus Hieron. lib. 4. Qui non laudat Deum, à quo habet viuere, & sensum, & motum, tormentis se perpetuis mancipabit cruciandum.

Sed sunt nonnulli, qui non solum Deum non laudant, sed etiam eum blasphemant. vt cum aliqui sunt irati, vindicare se volentes de Deo, aliqua membra nominant, quæ nominanda non sunt: vel aliqua turpia dicunt de ipso, quæ non sunt dicenda. Et valdè certe miseri sunt blasphemi, qui propterea specialiter linguam acceperunt, vt Deum laudarent: qui tamen Deum non laudant, sed eum blasphemant. *Maledicere patri vel matri, quid?* De quibus dicit Sapiens: ***Qui maledixerit patri vel matri, exstinguetur lumen eius in medijs tenebris.*** Prouerb. 12. Glossa dicit: patri maledicit blasphemus, cum Domino maledicit: Matri maledicit, qui virginem Mariam, quæ est mater nostra benedicta, maledicit: Et ideo lux in medijs tenebris ei exstinguetur. quia in peccatis suis morietur.

De

De hoc etiam refert Cæsarius lib. 7. dialog. cap. 44. de duobus lusoribus: cum vni eorum male succederet, fortunæ alterius inuidens, vt furori suo satisfaceret, in Deum cœpit euomere verba cõtumeliosa. Quem socius ex spiritu maligno inflammatum compescere incepit, dicens: Sile. Si enim tu nescis benedicere, noli Deo maledicere. At ille Deum statim blasphemans, & similiter eius matrem Mariam: Cum in matris eius iniurias prorumperet, vox desuper audita est. Meam iniuriam quocunque modo sustinui; matris autem meæ contumeliam nequaquam tolerabo. Moxque super ipsam tabulam vulnere visibili miserabiliter percussus, spumans exspirauit. Blasphemus B. Virginis punitus.

Secundò, facit diabolus mutos peccatores in proximi scandalizatione. Quilibet enim homo tenetur proximum ædificatorijs verbis meliorare, & non scandalizare. Quia dicit Apostolus 2. Cor. 4. *Sine offensa*, id est scandalo, *estote*. Et 2. Corint. 6. *Nemini dantes vllam offensionem*, id est, scandalum verbo & exemplo. Et Tullius moralis sic inquit: Diabolus facit peccatores mutos ad proximũ corrigendũ.

Nulli vbi tu fueris, præbeas exempla malorum:
Ne condemneris pro peccatis aliorum.

Quasi diceret, magis debes proximum meliorare, quàm scandalizare. Qui autem sic verbis, vel factis scandala inferunt; & ædificationes proximorum dimittunt, & muti existunt, dicetur de quolibet illud Psalm. 37. *Sicut mutus non aperiens os suum.*

Tertiò, diabolus facit peccatorem mutum in peccatorum confessione. Nam similis est lupo, qui vt dicunt experti rustici, hominem raucum & mutum facit. Et idẽ probat Ambrosius in hexameron, dicens: Homo vocem perdit, si primò eum lupus viderit: sed si lupum homo ante conspexerit, audaciam ille perdit, & caudam deponit. Et ratio est, quare ex intuitu lupi homines raucescunt. Dicit enim Aristoteles in problematibus; Lupus est animal valdè frigidum, & maximè friget in cerebro. Ideo habet caput graue. Ergo cum videt hominem, spiritus visiuus debilitatus, adeo proprietatem suam homini imprimit, vt sua frigiditate pectus constringendo, vbi sunt instrumenta vocalia, hominem efficiat raucum. 5 Dæmon facit hominẽ mutum ad fatenda peccata.

MORALITER, Tunc lupus hominem videndo præuenit, quando homo astutias dæmonis non cognoscit, & sic ipsum fallaciter raucũ & mutum facit, quod confiteri peccata non possit; Et tunc dicere potest cum Ps. 38. *Obmutui, & silui a bonis, & dolor meus renouatus est.* Ideò legitur, quod cuidam Eremitæ quadam vice occurrerunt tres dæmones, qui interrogauit eos, quomodo vocarentur? *Primus* dixit: Ego vocor claudens cor, vt quãdo aliquis audita prædicatione confiteri vellet, tunc ego claudo ei cor, quod pro peccatis suspirare non potest. quia scriptum est Ezech. 18. *Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Alter* dixit: ego vocor claudens os, & hoc facio, quando aliquis vult confiteri, & Dominum nostrum euadere, ego tunc claudo ei os, ne possit confiteri. *Tertius* inquit: ego vocor claudens bursam, quod homo iniustas res restituere non possit, nec de iustis bonis eleemosynas facere; & ita vniti sumus, quod vnus iuuat alterum, in quantum potest. Idcirco debet peccator antespicere fallaciam diaboli, vt sic ipse perdat suam audaciam. Quando enim homo cognoscit, quod Exemplum. Claudẽs cor. Claudẽs os. Claudens bursam.

diabolus in damnationem eius laborat, tunc eum confitendo præueniat, ne ipsum diabolus mutum à confessione faciat. sicut iste, de quo refert Viridarius in sermone.

Exemplum. Cuidam Eremitæ Dominus dedit donum cognoscendi hominum corda. Hic quadam vice veniebat ad Ecclesiam, vbi sacerdotes audiebant confessionem. Et vidit, quod homines intrabant nigri Ecclesiam, quos dæmones cum iubilo comitabantur: Angeli verò custodes tristes à remotis ibant. Et cum redirent à confessione, tunc dæmones tristabantur, & angeli læti accedebant. Et inter alios vnum aspexit, quem dæmones ligata ad collum catena ducebant cum magno gaudio, & angelus eius erat à remotis. Hic accedens cum alijs ad confessionem, nigrior effectus est, & dæmones eum fortius ligauerunt. Hoc videns Eremita, accessit ad illum hominem, & visa sibi enarrauit. At ille perterritus dixit: Ego dominum in multis offendi, & magnum crimen demũ zelaui. Et cum cognouisset fallaciam diaboli, confessus est postmodum peccatum illud, & alia. Et sic dæmones confusi abierunt, & Angeli eum cum gaudio susceperunt.

Ex iam dictis audiuit dilectio vestra, quomodo diabolus homines obmutescere facit, vt videlicet Deum non laudent, proximum non ædificent, nec in confessione se accusent. Idcirco necesse est, vt Iesus dæmonium eijciat ab homine, vt laudem Dei loquatur, proximus ædificetur, & peccatum huiusque occultatum publicetur. Quia dicit S. Augustinus super Ps. 66. Confitere homo peccator homini peccatori: elige quod vis; si confessus fueris, lates: non confessus damnaberis.

Confessus non debet iterare peccata perpetrata. Et est NOTANDVM, quod postquam homo est à peccato per confessionem liberatus, non debet iterato in peccatum recidiuare. *Primò*, propter tardiorem euigilationem. quia dicit Alpharabius in commento. Cumq; quis ex somno euigilans rursum obdormierit, constat, quod tunc profundiorem somnum facit, & tardius euigilabit: Sic cum aliquis à somno vigilans peccatorum, recidiuauerit peccatum, constat ipsum grauius deliquisse, & tardius resurrexisse. Iuxta illud Gregorij in quadam homilia: Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquam possit surgere ad rectitudinem; etiamsi conatur, tunc labitur, quia vbi sponte diu subsistit, ibi cum surgere voluerit, cadet.

I.

II. *Secundò*, propter fortiorem retentionem. Peccator enim recidiuans fortius à diabolo tenetur Sicut enim miles castrum, quod semel perdidit, si postea recuperat, fortius munit, & tenet, & custodit. Sic & diabolus hoc sacro tempore Quadragesimali multos per confessionem perdit. si eos recuperat per recidiuationem, fortius tenet eos, & custodit, quia dicit Euangelium; quod *vadit & assumit sibi septem spiritus nequiores se*, id est, peccata mortalia, qui ingressi in hominem in peccata recidiuantem, habitant ibi. *& sunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*

III. *Tertiò*, propter certiorem damnationem. Dicit enim Philaretus in tractatu de iudicijs febrium. Qui à morbo conualescens surrexerit, denuoque inciderit in ipsum morbum, proculdubio morietur. Idem ait Auicenna lib. 6. Raro vidi eos, qui post crisin morbo iterato inciderint, aliquando conualescere. Et ratio huius est. nam præcedente morbo natura debilitata nimium est: adueniente morbo altero resistere minime potest. Sic, qui à peccato surrexerit, & ad peccatum redit, mors scilicet æterna animæ imminebit. Sicut figuratum est 2. Regum 16. Semei, qui erat de cognatione Saul, Dauid maledixit, & mittebat lapides contra eum & seruos suos.

Allegoria perpulchra.

Hic

Hic Semei mortuo Dauid humiliatus est corā Salomone filio eius, & misericordiam consecutus est. Cui Salomon: *Vade in Hierusalem, & adifica domum, & habita ibi: & non ingredieris inde huc atq; illuc. Quacunq; enim die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Et placuit sermo Semei, & ædificauit sibi domum, vt præceperat sibi Salomon, & habitauit ibi. *Et factum est post annos tres, vt fugerent serui eius ab Achis filium Maacha regem Geth; Surrexitq; Semei, & strauit asinum suum, iuitq; in Geth, requirere seruos suos, & reduxit eos. Nunciatum est autem Salomoni, quod isset Semei in Geth de Hierusalem, qui iussit Ioiadæ filio Banaiæ, vt percuteret eum: qui percussit eum, & mortuus est.* 3. Reg. 2.

MORALITER Semei interpretatur, audit me, & significat peccatorem, qui deberet audire vocem Domini, siue prædicatoris, sed non facit. sicut ille, qui dicit Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus*, sed maledicit Dauid, qui interpretatur aspectu desiderabilis, significans Christum, cui peccator per opera mortalia contradicit, iaciens contra eum lapides peccatorum. Et tamen valde notabile est, quod Dauid ex humilitate Semei lacrymantem in gratiam suam suscepit, nec ipsum occidit, sicut habetur antè in die Cinerū, S.T. Sic Christus humiliter pœnitentes, & de peccatis suis dolentes, recipit misericorditer in suam gratiam. Quia dicit Richardus de S. Victore: Sumā Dei dilectio est, effundere ex se imbrē suæ pietatis & misericordiæ. Et August. in sermone quodā: Deus omnia potest præter hoc, quod non potest non misereri peccatori, qui ad se conuertitur. Sed Salomon hic interpretatur pacificans susceptos, & significat sacerdotem confessorem, qui scilicet pacificat susceptum à Christo, scilicet peccatorem, præcipiens illi domum facere in Hierusalem, quæ interpretatur pacis visio, vel timor perfectus, quia debet per veram pœnitentiam habitare in pacis visione, & in perfecto timore, & inde non recedere per recidiuationem in peccata, iuxta illud Eccl. 21. *Fili peccasti*, scilicet ex fragilitate humana, *non adiicias iterum*: id est, peccatum peccato, *sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Sed hoc præceptum peccator multoties contemnit, & ab Hierusalem, id est, pace, quam habuit cum Deo, exit, cum in peccata iterum cadit, & tunc à Ioiada, qui interpretatur Domini cogitatio, occiditur. Salomonis interpretatio.

Quare dicit Sixtus Papa: Qui post peractam pœnitentiā denuo admiserit ipsam culpam mortem incidit sempiternam: quod intellige pro illo tempore, quo nō pœnitet. Si autem pœnitet iterum verè, post recidiuationem, mortem quam meruit, euadet. Quia dicit Magister lib. 4. dist. 14. de recidiuante: Mortificatur illius pœnitentia, & alia anteacta bona: & per consequens non sortientur mercedem, quam meruerunt, & quam haberent, si peccatum non succederet. Sed si de peccato succedenti pœnitentia agitur, & pœnitentia, quæ præcessit, & alia bona ante acta reuiuiscunt, sed illa tantum, quæ ex caritate prodierunt. Illa enim sola viua sunt; quæ in caritate fiunt. Ideoq; si per sequentia peccata mortificantur bona opera, per subsequentem pœnitentiam reuiuiscere possunt.

TERTIO & VLTIMO, dæmones insidiantur de hac vita egredientibus. Quia si possunt, faciunt in fine homines Deo inimicos, & corpus occidunt. Ideo assimilantur Cerastæ serpenti, qui secundum Isidorum lib. 12. in semitis insidiosè manens insidiatur equo, vt mordeat vngulas equi. Et sicut dicit Glossa super Genes. 49. Cerastes serpens speciem habet reguli; tantæ perniciei, quod si eius venenum Dœmones insidiantur morientib⁹.

tantum vngulam equi tangat, equum & equitem cito perimit. Ideo vbi nostra Biblia habent. *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita:* dicit alia litera; *sicut Regulus in locato:* Iste serpens est diabolus, qui occultis modis insidiatur homini. Est enim homo similis equiti, cuius equus est corpus. De quo Dauid in Ps. 32. *Fallax equus ad salutem.* Sessor autem est spiritus: vngula autem, quæ est finis corporis, significat diem mortis, in quo, si potest, diabolus venenum nequitiæ suæ immittere conatur; & equum, id est, corpus, & equitem, id est, spiritum, vel animam ad æternum interitum inducit, nisi homo præmunitus eius nequitiæ resistat.

Canonicus regularis à B. Virgine de risu in morte corripitur.

Refert Cantipratens. li 2. cap. 50. part. 9. Garnerus, quidam Canonicus regularis in monasterio sancti Ioannis in Vineis apud Suessionem in Gallia, vir miræ sanctitatis & innocentiæ, ante mortem infirmitate grauissima laborabat. Et ecce diabolus immisit menti eius præsumptuosæ exultationis tripudium, ita, quod lingua & facies eius tanto iubilo resultaret, vt omnes circumstantes eum crederent iam cœlestem gloriam intueri, & ideo in magno gaudio eius exitum exspectabant. Solus autem quidam Walterus, cognomento paruus, magnus tamen merito sanctitatis, de huiusmodi morientis tripudio tristabatur. Cumque iam moriens agonizare inciperet, per spatium temporis ab illa exultatione refractus, flere cœpit vberrimè. Quidam autem frater quærit caussam post tantam exultationem tristitiæ. Cui ille: Facias, inquit, mihi Conuentum totaliter conuenire. Nec mora, factum est vt rogauit, & mox omnibus dixit: Heu carissimi, vidistis in me suggerente diabolo, vanæ & præsumptuosæ exultationis audaciam? Sed non permisit me periclitari misericordiæ mater & Domina, quæ me redarguit ab ineptæ vanitatis lætitia, & admonuit potius, cum spei moderamine in Dei timore diem vltimum exspectare. Vos autem fratres carissimi, rogate DEVM, vt mihi de ista noxa & alijs multis ignoscat, & iudicet me non secundum opera mea, sed secundum suam misericordiam saluet me. Mox, vt hæc verba compleuit, & omnes respondissent, Amen. Resolutis in fletum oculis, exspirauit. &c.

FERIA QVARTA POST OCVLI.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi. Exodi 20. & est transumptiuè, Matth. 15. in præsenti Euangelio.

T

NOTA. Magister lib. 17. proprietatum dicit: Radix est principium omnium arborum & herbarum. Nam nulla arbor, neque herba cresceret, vbi radix non esset. Sicut videmus, cum radix læsa fuerit, herba non crescit, sed arescit. Sed ratio est, quia de radice procedit, id est, ascendit humor in herbam, aut arborem, eamq; viridem conseruat. quo deficiente arescit & decrescit.

MORALITER. Per radicem intelligitur parentela carnalis. Sed per herbam intellige filios. quia sicut radix est principium herbæ, eo, quòd dat ei esse; sic etiam

etiam pater & mater carnalis est principium filiorum. Nam filij non essent, si parentes prius non fuissent. Et sicut radix nutrit herbas & arbores, sic parentes nutriunt suas proles. Ideo dicit Philosophus 8. Ethic. Pater tria beneficia dat filio. Est enim caussa essendi in generando, caussa nutriendi in educando, & caussa disciplinæ in informando. Semperque merito filij debent honorare parentes & amare, sicut herbę amant radices.

Sed est valde NOTABILE, quod radix dirigit nutrimentum herbis, & quod eas honorat folijs pulchris, floribus, & fructibus, interdum pretiosis. quæ tamen herbæ non dant nutrimentum, nec humorem radicibus suis. Sic etiam parentes disponunt nutrimenta filijs. & mundi honores, qui tamen filij non rehonorant suos parentes. Quia dicit Chrysost. homilia. 22. Sicut humor ex radicibus ascendit in herbam, & transmutatur in semen, sic caritas de parentibus ascendit in filios, & sic non reuertitur de filijs ad parentes, tanquam de herba ad radicem. Vt igitur filij cohortentur ècontra ad honorem amoremque parentum, dedit Dominus eis mandatum dicens. *Honora patrem tuum, &c.* Et ad hoc addit præmium, *vt sis longæuus super terram.*

Pro quo NOTANDVM. quod sicut triplicem habemus patrem, scilicet supernaturalem, spiritualem, & carnalem: sic etiam triplicem matrem. quæ omnes hic à Domino iubentur honorari. Triplex pater & mater.

PRIMVS pater est Deus gloriosus de quo Matt. 6. *Pater noster, qui es in cœlis.* Hunc patrem honorare debes primo grates ei referendo. ad quod incitant octo. I. Deus honorandus gratiarum actione.

Primum, admonitio sanctorum, secundum illud ad Colos. 3. *Gratias agentes Deo nostro Patri.* Et c. 4. ibidem: *Orationi instate, vigilantes in gratiarum actione.* 1.

Secundum est exhortatio creaturarum. Audimus enim, principaliter tempore veris & æstatis, quod auiculæ, sicut Philomelæ, grates referunt creatori suo, dulciter cantando cum auroram & DEI beneficium sentiunt. Et est valdè absurdum, quod ibi obmutescat rationalis creatura, vbi iubilat & plaudit irrationalis. Ideò dicit deuotus Amandus in horologio Sapien. lib. 2. c. 5. Videmus plerumque inter dulcisonas nemoris auiculas, & cincinnantes Philomelas, coruos quoque crocitantes, in hoc modico, quod acceperunt, creatori suo subseruientes. Sic & ego quoque peccator cum sim, tantum ad manus habeo precamen reddere, in quantum possum Dominũ meum laudando & glorificando in æternum. Siquidem de Deo aliud dulcius canere nescio, nisi hoc, videlicet; *Quoniam suauis Dominus vniuersis.* 2. Psalm. 144.

Tertium est tempus, in quo sumus. De his tribus etiam habes supra Dominica quarta post Epiphaniam, Serm. 1. P. H. 3.

Quartum est, quod gratiarum actio, est exercitium, quod in cœlo exercetur, iuxta illud Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Hoc canticum erit gratiarum actio, Isa. 51. *Gaudium & exultationem inueniet in ea. gratiarum actio, & vox laudis.* Ideò bonum est assuescere huic operationi, quam in futuro exercebimus: bonum est addiscere officium, quod tamdiu facere oportebit. 4.

Quintum est vtilitas multiplex eorum, quæ ex hoc opere sequuntur. PRIMA, quod hominem in tribulatione conseruat: vt patet de tribus pueris Dani. 3. qui in fornace positi gratias agebant, ab igne non sunt læsi. Secundum, quod dicitur ibidem: *Nec illos omnino tetigit ignis, nec quicquam molestia intulit.* SECVNDA, diuinam largitatem pro- 5. Vtilitas gratiarum actionis. I. In tribulatione cõseruat.

II. Diuinam largitatem prouocat. prouocat ad dandum, iuxta illud Prou. 11. *Anima, quæ benedicit, impinguatur.* Et Bernardus: Ad locum, vnde exeunt flumina gratiarum, reuertuntur iterum, vt fluant.

6. Vnguentum quo caput Ecclesiæ vngitur. *Sextum* est, quod operatio hæc multum placet Deo: quia gratiarum actio est quasi vngentum, quo caput Ecclesiæ vngitur. Sicut figuratũ est in Magdalena caput Christi vngente, Matth. 26. Marc. 14. Ideò dicit Bernardus: Bonum est vnguentum contritionis, quod de recordatione peccatorum efficitur: melius autem est vngentum deuotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei.

7. *Septimum* est magnitudo grossitiei, quæ gratiarum actioni est contraria, & est rusticitas magna. Sicut enim magna rusticitas esset, si is qui amisisset vasculum vini, gratias non ageret ei, qui ei redderet: quantò magis Deo, qui incessanter præbuit nobis dona bona. Ideo dicit Gregorius: Dignum est semper gratias agere, quia Deus nunquam cessat benefacere. Et B. Augustin. lib. soliloq. Ecce Domine gratias ago, ne sim ingratus tibi; liberator meus es tu, quoniam liberasti me.

8. Ingratitudinis multiplex malum. *Octauum* est multiplex malum, quod prouenit ex ingratitudine. PRIMVM est, quod bona ista à Deo accepta auferri facit. Vnde super illud Rom. 1. *Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificarunt; aut gratias egerunt.* Dicit Augustin. Vltra ea, quæ Deus dederat homini, quanta dedisset, si ingratus non fuisset? Iuxta illud Gregorij: Non est dignus dandis, qui non agit gratias de datis. Et Bernardus: Ingratitudo est ventus vrens & exsiccans fontem largitatis, & rorem misericordiæ fluentis gratiæ.

I. Aufert bona accepta. II. Addit pœnas homini. SECVNDVM est, quod non priuat hominem bonis solum, imo etiam pœnas addit. Quia Ezechias punitus est de ingratitudine. Cum enim Dominus dedisset ei triumphum incredibilem, & percussisset centum octuaginta quinque millia in castris Sennacherib. licet secundum Iosephum cum populo hostias immolasset; non tamen dignè gratias egit, & canticum non cantauit; sicut in huiusmodi triumphis patres cõsueuerant. Ideo ægrotauit vsq; ad mortem, vt habetur 4. Reg. 20. & 38.

II. Deus honorandus, omnia nostra in eius laudem referendo. SECVNDO, debemus honorare patrem cœlestem, omnes actiones & cogitationes in sui laudem referendo. Ad quod hortatur Apostolus ad Colos. 3. cap. *Omnia, quæcunque facitis, in verbo vel opere, omnia in nomine Domini facite.* Et ponitur 26. q. 2. c. Non licet. Qui enim in suis actibus intendit ostensionem propriam, vel complacentiam humanam, magnam Deo iniuriam irrogat. Exemplum de illo, qui arborem fructiferam plantatam in horto alicuius viri per violentiam surripit, & in horto proprio reponit. Nam arbor fructifera, est bona voluntas per diuinam gratiam irrigata & fundata, quæ tot fructus producit, quot actus bonos & meritorios elicit. Quam tunc de horto Dei euellimus, & in hortum diaboli transplantamus, quando de actibus virtuosis & alijs donis nobis diuinitus concessis superbimus, & nobis ipsis adscribimus, vel per ipsorum cognitionem Deo laudes debitas non reddimus. Contra, quod Apostolus 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* quasi diceret: nihil. *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quasi diceret: Non est actio superbiendi de illis, sed magis humiliandi, & grates reddendi.

V

III. Honorãdus Deus dilectione super omnia. TERTIO, debemus honorare ipsum super omnia, eum præ omnibus diligendo. Et ad hoc nos incitat: *Primo,* si consideremus, à quibus vinculis Deus nos redemit. Tot enim vinculis quilibet ligatur, quot peccatis irretitur, iuxta illud Prou. 5. *Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum vnusquisque constringetur.* Et

1. sunt

sunt adeo fortia vincula ista, quod etiam per mortem quandoque soluuntur. Ideò non parum gratus esse debet Deo, & ipsum honorare, quem ab his vinculis dignatus est misericorditer liberare. Ideo Dauid in Psalm. 115. *Dirupisti vincula mea: & tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Secundo, si consideremus hæc, & quanta nobis Deus dimisit. Pro quolibet enim mortali peccato nobis dimisso, rei eramus mortis æternæ, Ezech: 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur,* scilicet æternaliter, nisi Deus per suam misericordiam peccatum nobis dimisisset. Si enim si quis esset reus mortis temporalis, quæ momentanea est, & cum quis liberum dimitteret, pro dimissione illius paratus esset ei seruire, & eum honorare tota vita sua; Quid ergo faciemus pro dimissione mortis æternæ? Nunquid Deum pro illo honoremus? Certe vtique. Ideo dicit Augustinus, cui dictum est: Nauiga, ne moreris. & si piger fueris, leuat te. Iubet Deus, vt in æternum viuamus, & ne obedire negligamus. 2.

Tertio, si perpendimus ad quantam dignitatem DEVS nos elegit, scilicet ad vitam immaculatam, & ad regnum cœlorum. quia dixit Genes. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.* 3.

QVARTO, Deum honorare debemus, saltem semel in anno ipsum ad cor nostrum inuitare debemus. Quia dicitur Apocal. 3. *Ecce ego sto ad ostium*, scilicet cordis humilis, *& pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi* ianuam, *introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Ecce rex regum, & Dominus dominantium pulsat ad ostium cordis. Surge igitur, & aperi; & dic tanto hospiti, Genes. 24. *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas?* Tunc autem tanto hospiti aperis, quando eum ex statuto Ecclesiæ, Extra de pœnit. & remissio. c. Omnis vtriusque sexus. semel in anno in suo sacramento sumis. sicut faciunt boni Christiani ad futurum festum Paschæ. Ex quo patet, quod Deum inhonorant, qui ipsum in suo sacramento, ad minus semel in anno, ad hospitium cordis sui non inuitant. Illis enim dicit Dominus Ioan. 8. *Ego honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me.* IV. Deus honorandus saltē semel anno communicando.

QVINTO, honorare debemus Domini corpus, cum ipsum corpus suum eleuatur in Missa, adorando. Quia dicitur, Extra de celebrat, missæ. & diui. offic. c. Sacræ cum olim. Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, vt cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinent. Et dicit Glossa, flexis genibus dicendo illam vel consimilem orationem: Salue lux mundi, verbum patris, vera hostia, caro viua, deitas integra, verus homo. V. Christus in Missa adorādus.

SEXTO honorare debemus Deum, ipsum salutando. Cum enim ante imaginem Dei transimus, salutare debemus Deum. quia necesse est. Legitur enim, quod quędam sanctimonialis dum salutaret ante imaginem B. Virginis Mariæ ipsam Mariam, per Aue Maria, dixit imago pueri, quem tenebat in sinu: Matrem meam salutas: quare etiam me non salutas? Respondit puella: Quibus verbis salutabimus te, Domine mi? Ait imago pueri, sic me salutabis: Aue benigne DEVS. Ideo dicit Tullius moralis: VI. Honorādus Deus in imaginibus. Christus per imaginē salutandi respondit.

Effigiem Christi dum transis, semper honora:
Non tamen effigiem, sed quid designat, adora. Effigies Christi qualiter honoranda.

Sunt

Suntècontra quidam, qui imaginem Christi non adorant, nec honorant, sed magis inhonorant. sicut refert Cæsarius in dialogorum li. 10. cap. 19. Tempore discordiæ inter Othonem & Philippum in oratorium S. Goari Confessoris, prouinciales se suaque transtulerunt. Quo cognito Wernerus de Boulant. vir potens & diues cum ad expugnandum illud arietes machinasque applicuisset, nec tamen profecisset, illi qui deintus erant, imaginem crucifixi ligneam contra hostes in quandam fenestram posuerunt, sperantes, quod propter illius venerationem loco parcerent. Quidam verò de balistarijs non curans de Cruce, immo locanti illam indignans, telum misit, & sacram imaginem in brachio profundè satis vulnerauit. Mox mirum in modum antiqua renouantur miracula, & ad instar venæ humanæ, sanguis de loco vulneris cœpit stillare. & adhuc vulnus, sanguis, & sagitta illic ostenduntur. Timore igitur tanti miraculi, postea prædictus Wernerus, qui cum exercitu Ecclesiam inuaserat, cruce signatus est, & pœnitentiam egit. Et dicit Cæsarius: Semel adhuc mortalis in terris crucifixus est, atque lanceatus, & tamen modo quotidiè sedens ad dexteram Patris, se crucifigi conqueritur, dicens: Et me crucifixistis tota die. Ideò dicit; *Honora patrem tuum*, scilicet cœlestem modis, quibus suprà. Et subdit, *& matrem tuam*.

Miraculum circa sacram imaginem crucifixi.

X

Hæc est Mater Virgo Maria, & benedicta mater misericordiæ, & totius consolationis nostræ. De qua dicit Anselmus: Mater misericordiæ, nunquam misericordiam suam continuit aut continet, nec continebit in æternum: omnibus sinum misericordiæ suæ aperit, & de plenitudine eius accipiunt vniuersi. Ipsa etiam de se dicit Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & timoris, & sanctæ spei.* Hæc enim mater est honoranda.

Cur B. Virgo honoranda nobis.

I. Quia habet iubendi auctoritatem.

PRIMO, propter iubendi auctoritatem. Si enim domina mundi, quæ habet auctoritatem iubendi quicquid voluerit, à populo suo honoratur; Multo magis est MARIA honoranda, quæ habet auctoritatem in cœlo & in terra: quod dicitur Eccles. 24. *In Hierusalem potestas mea.* Et quia habet potestatem tantam, quod quicquid vult, confestim fit. Quia dicit Christus filius suus 3. Reg. 2. *Pete à me, quid vis: non enim fas est, vt à te auertam faciem meam.* Refert Cæsarius in dialog. lib. 7. cap. 2. In quadam Ecclesia dum sacerdos celebraret, & populus astaret, imago Dei genitricis sudare cœpit, vt astantes notarent & mirarentur: atque ipsæ sudorum guttæ peplis matronarum extergerentur. Nutu Dei obsessus eadem hora adfuit, requisitus de causa, respondit: Quid statis admirantes? Filius Mariæ manum extenderat ad feriendum; quam si ipsa non tenuisset, mundus iam minimè subsisteret. Ecce hæc est causa sudoris. Audientes homines verba stupenda, contriti sunt. Ecce auctoritas Mariæ.

Exemplum de placato per ipsam Deo.

II. Quia redamat cultores.

SECVNDO, propter diligendi sinceritatem. Sicut enim mater ex necessitate naturalis affectionis inclinatur ad filij dilectionem, ita B. Virgo Maria ex indita benignitate inclinatur ad nostrum amorem. quia dicitur 2. Regum. 18. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Propter hoc Christus in morte videtur matrem discipulo commendasse, vt cuilibet matrē ipsam diligenti, in suæ mortis articulo piam ac propitiam exhiberet, nos ab incursu dæmonum protegendo. Sic fecit cuidam laico, qui rurali opere erat deditus, & alijs mundanis studijs occupatus, qui dum prauis actibus esset irretibus, etiam dum terram araret, quantum poterat, vicinis surripiebat, & metas

Exemplum de deuoto B. Virginis cultore.

metas suas transgrediens iugeribus suis terram aliorum furtiuè sociabat. Hic tamen sanctam Dei genitricem Virginem Mariam honorabat; & in mente habebat, & plerumque eam deuotè salutabat. Iste igitur cum esset defunctus, conuenerunt dœmones animam eius se capere confidentes: Adfuerunt etiam Angeli, qui protulerunt pauca ab eo bona facta: cœperunt etiã dœmones innumerabilia mala afferre. Cumque ob hoc exultantes se vicisse putarent, intulit vnus ex Angelis, quod cum magna deuotione salutare solitus esset sanctam genitricem Virginem Mariam. Hoc audientes relicta hominis anima, recesserunt ab eo confusi, sicque est excepta à perpetua damnatione.

TERTIO, propter compatiendi fidelitatem. Ipsa enim compatitur peccatoribus damnandis, & intercedit pro eis. Sicut illa pia mater, 3. Reg. 4. quæ videns, quod filius suus mori debuisset & diuidi, compatiens ei, ait: *Date huic infantem viuum, & nolite interficere eum. Econtrario illa altera dicebat: diuidatur. Respondit rex Salomon & ait: dato huic infantem viuum. Hæc est enim mater eius.* Hoc est enim verbum Christi respondentis matri suæ pro peccatoribus roganti, vt dicat suis Angelis: Date hunc damnandum matri meæ, quæ materna pietate pro ipso petiuit, & non moriatur morte æterna. Sicut factum est de illo, de quo legitur; Quod fuit quidam solo nomine religiosus, & omnia, quæ ad religionem spectabant, durus & negligens perfecit. Consueuit tamen B. Virginem honorare, & semel per diem dicere centum Aue Maria. Hic prædictus in extrema hora ductus est in extasim, & dœmones eum summo iudici pręsentabant petentes sententiã, vt eis tanquam proprius adiudicaretur. DEVS enim sciens peccata sua multiplicia, dixit eum fore damnandũ. Interea venit B. Virgo Maria afferens schedulas, in quibus continebantur omnia Aue Maria, petens à filio suo, vt ad iudicium procederet. Dœmones verò attulerunt multos libros peccatorum, & vtriusq; partis libri ponebantur in statera, sed peccata præponderabant. Tunc B. Virgo Maria videns se nihil proficere, filio suo deuotissimè supplicabat, dicens; Recordare dilecte fili mi, quod de mea substantia receperis substantiam visibilem & palpabilem. Da mihi vnam guttam tui sanguinis fusam pro peccatoribus in passione. Et ille: Impossibile est, inquit, tibi aliquid denegare. Verumtamen scias, quod vna gutta sanguinis mei præponderat omnibus peccatis totius mundi. Accipe itaque, quod petisti. Quam accipiens posuit ad stateram, & omnia prædicta peccata religiosi quasi fauillam præponderabat. Tunc dœmones discedentes confusi clamabant dicentes: Nimis misericors est ista Domina Christianis. Vnde semper deficimus, quoties se de conflictu intromittit. Reducta est igitur anima ad corpus, & ipse postea conualescens, omnia narrauit, & factus est bonus monachus & saluatus. Propter hæc tria est mater nostra benedicta, Virgo perpetuè honoranda. Hic potes concludere, si tibi videbitur expedire.

III. Quia commiseratur peccatoribus.

Exemplum. De efficacia salutationis angelicæ.

SECVNDVS pater, scilicet spiritualis, est sacerdos, qui est honorandus propter tria. PRIMO propter necessitatem. quia multum necessarius est sacerdos octo de causis. *Primo*, propter reconciliationem, quia ipsi debent placare Deum. Nam de quolibet sacerdote dicitur Eccles. 44. *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sicut figuratum est de Aaron. Num. 16. vbi legitur, quod cum irasceretur Dominus populo, *dixit Moyses ad Aaron. Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: Iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.*

Y Pater spiritualis honorãdus.

I. Propter necessitatem. 1. Quia placat Deum.

desauit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, offerens thimiama; & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Ideo dicitur 1. q. 1. Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata illorum comedunt. quia suis precibus ea delent & consumunt. Et dicit Glossator Bartholomæus Brixiensis: Solus Deus delet pœnas, id est, peccati reatum. Sacerdos pœnam infligendam pro peccato orationibus minuit, propter quod delere dicitur. Hæc Glossa. Si enim sacerdos voluerit placare Deum, necesse est, vt placeat. quia dicitur 3. q. 7. c. In grauibus. Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. per Gregorium. Placere autem Deo non potest, qui carnalia amat, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt.* De illis verò, qui nondum reconciliati sunt Deo, & volunt alios reconciliare, dicit Bernard. Væ igitur filijs iræ, qui nondum reconciliati, reconciliationis alienæ negotium quasi gens, quæ iustitiam fecerit, apprehendunt.

2. Quia vicarius Dei.

Secunda causa, quia ipsi loco Dei sunt, ideo viuere debent, vt Deus. scilicet spiritualiter & non carnaliter quia DEVS *spiritus est*, Ioan. 4. Qui enim inter sacerdotes sic castè viuit, assimilatur filio hominis. de quo Apoca. 1. *Vidit Ioannes similem filio hominis, praecinctum ad mamillas zona aurea.* vbi dicit Glossa, similis filio hominis est Vicarius Christi, qui zonam auream continentiæ debet habere, si à subditis vult honorari.

3. Quia angelicum officium habet.

Tertia, quia ipsi angelicum officium habent, eidem seruientes Domino, cui & angeli. Ideo puritatem Angelicam habere debent. Quia Malach. 2. dicitur de sacerdote, *Angelus Domini exercituum est.* Ideo dicitur Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos.*

4. Quia generat spirituales filios.

Quarta est, quia ipsi attinent spirituali generationi, quæ sancta est & munda. ideo non decet eos intendere carnali, quæ immunda est, nec expedit eos habere filios carnales, ne dum sollicitudo & amor ipsorum diuiditur ad eos, minuatur ad filios spirituales. Ioannes enim Euangelista magnam sollicitudinem & dilectionem habebat ad filios spirituales, quia non habebat carnales. Ideo dicit in secunda eius Canonica: *Maiorem autem horum non habeo gratiam*, quasi diceret: Non est mihi gloriosius audire, quàm, vt audiam filios meos ambulare in veritate.

5. Quia sancta tractat.

Quinta est, quia ipsi contractant sancta. Ideo oportet eos sanctos esse, quantum ad carnis mundiciam. Ideo dixit sacerdos ad Dauid 1. Reg. 21: *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum: si pueri mundi sunt, maximè à mulieribus, manducent.* Et possunt esse verba sanctæ Ecclesiæ, quæ habet panem sanctum corpus Christi, quem non manducent sacerdotes nisi sint mundi. quia dicitur de ipsis Leuit. 21. *Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Et ibidem dicitur: *Homo qui habuerit maculam non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Vbi dicit Glossa. Macula valde turpis est luxuria. *Hanc maculam dedit Salomon in gloria sua.* Eccles. 47. Item Leuit. 22. *Homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ sanctificata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quare primo Paralip. 15. dicitur: *Sanctificati sunt Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini.* Et Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

6. Quia debet mundare alios.

Sexta, quia oportet eos mundare alios, ideo oportet eos esse valde mundos. Nam Eccles. 24. dicitur, *Ab immundo quid mundabitur?* quasi diceret, nihil. Idcirco dicitur

tur Neemiæ 12. *Mundati sunt sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum.* Et 2. Paralip. 29. dicitur de Leuitis: *Sanctificamini & mundate domum Domini.* Item 1. Machab. 4. *Elegit Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Domini, & mundauerunt sancta.*

Septima, quod ipsi habent sponsam nobilissimam, scilicet sapientiam. Iuxta illud: *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui mihi eam sponsam accipere, & amator factus sum formæ illius*, Sap. 8. Et vt facilius sponsa, vel concubina, scilicet prudentia capi possit, ideo dicit Sapiens ad quemlibet sacerdotem Prou. 7. *Prudentiam voca amicam tuam, vt te custodiat à muliere extranea.* Et B. Hieronymus ad Rusticum monachum, de consecrat. dist. vlt. c. Nunquam. Ama, inquit, scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis. 7. Quia desposauit sibi sapientiam.

Octaua, est, quia ipsi sunt ministri Altissimi. Ideo debent esse mundi; iuxta illud Psal. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Item NOTA, quod continentia siue castitas sacerdotalis alectorio lapidi pretioso comparatur, vt dicit Holkot super lib. Sap. lect. 183. propter quatuor. *Primo*, quia ille lapis non generatur nisi in Gallis castratis. *Secundo*, extinguit sitim. *Tertio*, reddit hominem honorabilem. *Quarto*, disertum & oratorem, vt dicit Marbodus de lapidibus. c. 3. sic castitas non inuenitur nisi in his, qui se refrænant à carnalibus desiderijs, propter meritum vitæ æternæ. Iuxta illud Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui semetipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Hæc virtus extinguit sitim fornicationis, & carnis infectę illicitas cōcupiscentias, atque carnalis desiderij. Hæc virtus facit hominem honorabilē, sicut incontinentia facit hominem confusibilem, Iudith. 14. *Vna mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor*, quasi diceret, secundum Holkot, si sacerdotes volunt à populo honorari debent castitatem seruare. *Et addit:* Hæc virtus reddit hominem disertum, id est, acceptum & eloquentem in loquendo, tam in oratione, quàm in prędicatione. Et per oppositum sacerdotes infames de incontinentia, non sunt digni orare, vel prædicare. Hæc ille. Z 8. Quia est minister Altissimi. Sacerdotalis castitas alectorio lapidi cur cōparetur.

Et est NOTANDVM vlterius. Dictum est suprà, quod sacerdotes habent Angelicum officium, & similes sunt Angelis. Vnde, vt dicit Robertus Holkot, vbi suprà; Angeli habent quatuor conditiones, in quibus conuenit eos imitari. PRIMO, Angeli sunt immateriales, siue substantiæ separatæ: Spiritus enim sunt, carnē & ossa non habent, & tales debent esse sacerdotes per continentiam, etiam vt motus passionū non sequantur. In cuius figura dicitur de Nathan, Ecclesi. 47. *Et surrexit Nathan Propheta, & quasi adeps separatus est à carne.* In cuius etiam figura dictum est Petro, *caro & sanguis non reuelabit tibi*, Matth. 16. Et de talibus probis sacerdotibus dicitur in Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* In quibus debent sacerdotes esse similes angelis. I. Angeli immateriales.

SECVNDO, Angeli sunt intellectuales, pleni scientia & veritate: & sic sacerdotes Dei debent pollere scientia Sacræ scripturæ. Ideo dicitur Extra de Magistris c. Quia à nonnullis. &c. ne aliquid exigant pro tali dote. Et quod Magister semper in metropoli habeatur, qui doceat sacerdotes omnes, tàm cathedralis Ecclesiæ, quàm alterius, in quibus suppetunt facultates; doctorem habeant in Grammatica, qui Clericos Ecclesiæ gratis instruat, & etiam alios iuxtà posse. Hæc est sententia illius decretalis. Sed in illa, eodem titulo, c. Quoniam Ecclesia. & cap. Quanto Gallicana, scilicet dicitur, quod Magistri debent institui per singulas Ecclesias Cathedrales, II. Angeli intellectuales.

les, & eis beneficia aſſignari, vt pauperes gratis doceant & informent. Et ideo ſignanter dicitur Aggæi 2. *Interroga ſacerdotes legem.* Super quod verbum dicit Hieronymus. Conſidera ſacerdotum eſſe officium, de lege interrogatos reſpondere, ſi ſacerdos eſt, ſciat legem Domini: ſi ignorat legem Domini, ipſe ſe arguit non eſſe ſacerdotem Domini. Malach. 2. *Labia ſacerdotu cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. quia Angelus Domini exercituum eſt.*

III. Angeli motores orbiũ.

TERTIO. Angeli ſunt motores orbium, à quibus cauſatur & generatur, quicquid inter corpora procedit ad eſſe. Sic ſacerdotum officium eſſe deberet mouere nobiles & potentes, quorum virtute reguntur ſubditi, ad cultum Dei. De hoc habetur figura Ioan. 5. *de Angelo, qui deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua, & qui primus deſcendiſſet in piſcinam poſt aquæ motionem, ſanus fiebat.* Piſcina multæ aquæ, eſt perſona multæ potentiæ. In hanc deſcendit ſacerdos vel curatus, quando eius conſcientiam examinat de delicijs; mouet aquam, quando limitat eius potentiam ad regulas iuris diuini.

IV. Angeli rectores hominũ & cuſtodes ſanctorum.

QVARTO, Angeli ſunt rectores hominum, & cuſtodes ſecundum ſanctos. Et eodem modo ſacerdotes & curati, qui pro ſubditorum animabus habent coram Deo reſpondere; quia in Pſal. 90. dicitur; *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Quatuor genera malorũ Angelorum.

Sed iam pro dolor, his diebus verificatur nimis dictum beati Iob cap. 4. *Ecce, qui ſeruiunt ei*, ſcilicet Deo, *non ſunt ſtabiles: & in angelis ſuis reperit prauitatem.* Sunt enim quidam de modernis ſacerdotibus Angeli Satanæ per diſcordiam; Angeli apoſtatæ per ſuperbiam; Angeli incubi per luxuriam; Angeli abyſſi per auaritiam.

I. Angeli Satanæ.

PRIMI ſunt Angeli Satanæ per diſcordiam. Satan enim interpretatur aduerſarius, & tales de omni iurgio, & aduerſitate, & diſcordia ſe intromittunt. Conſpirant prælia, ingrediuntur pugnas, & exercent latrocinia, vt vix ſit in memore comitiua latronum quæ non habeat conſortium ſacerdotum. Iſti ſunt ſimiles ſacerdotibus Baal, de quibus 3. Reg. 18. dicitur, quod incidebant ſe cultris, & lanceolis vſq; ad protractionem ſanguinis. Dæmones enim multum delectantur in effuſione ſanguinis humani. Quilibet talis figuratur per Angelum, de quo Prou. 16. *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

II. Angeli apoſtaſiæ.

SECVNDI ſacerdotes ſunt angeli apoſtatæ per ſuperbiam, iuxta illud Eccl. 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.* Et hi ſunt ſimiles ſacerdotibus Dagon, de quibus 1. Reg. 5. dicitur; *quod non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon.* Templi limen, ſuper quod calcatur, perfectionem deſignat humilitatis, ſuper quod ſtabiliter ſtant viri ſancti. Iſtud limen non calcant ſacerdotes ambitioſi & ſuperbi, qui ad prælationes maiores altioresq; dignitates aſpirant, continuè adulantur regibus & principibus, & eos infatuant, ac finaliter decipiunt. Sic deceptus fuit rex Antiochus, 1. Machab. 1.

III. Angeli incubi.

TERTIO, ſacerdotes moderni ſunt angeli incubi per luxuriam. Incubi vel incubones ſecundum Iſidorum 8. Etymol. cap. vlt. in fine, à Romanis dicuntur Fauni: ſunt etiam vt creditur, dæmones corpora ſibi iungentes, & ſic mulieribus ſe immiſcentes. Et ſic dæmones incubi dicuntur nonnunquam generare gigantes: Ita ſacerdotes propter vehementiam voluptatis, communiter groſſas, pingues, aut corpu-

corpulentas habent concubinas. Hi possunt dici sacerdotes. Priapi vel Beelphegor. Interpretatur autem Beelphegor, simulacrum ignominiæ, & repræsentat Priapum, quem Latini dicebant Deum hortorum. Fuit enim Priapus de Lampasco ciuitate Hellesponti, quem propter magnitudinem membri virilis expulsum de Lampasco in numerum Deorum Græci lubrici transtulerunt, secundum Isidorum lib. 8. Etymol. c. 11. Hunc vilissimum Deum excolunt nunc nostri sacerdotes moderni, discipuli illius maligni Angeli, de quo legitur Paulus dixisse 2. Cor. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, vt me colaphizet.*

QVARTI sacerdotes sunt Angeli Abyssi per auaritiam. Terra namque ad abyssum dicitur per auaritiam pertinere, id est, ad infernum. Vnde sacerdotes terrenis dediti, lucris videlicet & mercationibus, angeli abyssi dici possunt, imitatores illius Angeli, de quo Apocal. 9. *Locustæ super se habebunt regulum. Angelum abyssi.* Tales enim fuerunt sacerdotes Belis, quorum vestigia non nisi per cineres sunt comperta, & ideo iustè trucidati. Dan. 14. Sic istorum facta post mortem corporis erunt nota, & ipsi pro demeritis punientur perpetua pœna ab illo, *qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos ad tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari.* 2. Petr. 2. Non sic autem boni sacerdotes, de quibus dicitur Isa. 61. *Vos sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri.* Hucusq; Holkot vbi suprà. IV. Angeli abyssi.

Sed hoc inserui potius à sacerdotibus legendum, quàm populo prædicandum; qui hæc audientes de sacerdotibus, scandalizantur verius, quàm meliorantur. Nam prudens prædicator semper videre debet, vt populum suis prædicationibus ædificet, & non scandalizet.

SECVNDO, sacerdotes spirituales sunt honorandi propter puritatem. Vbi NOTA; puritas decet eos quinq; de causis. *Prima,* quia ipsi sunt oculi Ecclesiæ, de quibus Psalm. 87. *Oculi mei languerunt præ inopia,* scilicet luminis. Quod exponit Glossa de discipulis, qui fuerunt maiores ministri Christi. Sed macula in oculo maximè est noxia: macula autem in cæteris membris, si ea deturpat, non tamen reddit ea inutilia. Possunt enim exercere sua officia multi maculatis pedibus, vt qui rectè incedunt. Macula verò in oculo eum inutilem reddit, nec ad sacerdotium promoueri, poterit, quia dicitur Extra de cor. vlt. c. De tua. Qui habet maculã in oculo, quæ generat deformitatem, nec ius nec consuetudo admittit. Item modicum pulueris visum oculi impedit, iuxta illud Gregorij: Nequaquam in membro maculam purè considerat oculus, quem puluis grauat. Sic sacerdotes, qui habent in se maculam impuritatis, considerare non possunt maculas subditorum. A II. Sacerdos honorãdus propter puritatem. 1. Quia sunt oculi Ecclesiæ.

Secunda, quia sunt, vt speculum Ecclesiæ, quod laici inspiciunt. Ideo possunt dicere illud 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo.* Sicut de Christo, Sap. 7. dicitur. *Quod est speculum sine macula,* in quo purè lucet Christi imago. Si enim macula fuerit in speculo, illam videt, qui in eo faciem quærit habere. Sic si fuerit macula in ministris Christi & Ecclesiæ, ad eam respiciet populus, & secundum eam se maculabit. 2. Sunt speculum Ecclesiæ.

Tertia, quia sunt vasa electionis Regi regum, & Domini dominantium. Act. 9. dicitur de quolibet: *Vas electionis est mihi iste.* Modica igitur macula in scypho regis, vinum infusum abominabile reddit, & inutile, quantum ad potum regis. Sic sapientia in multis propter maculam vitæ, abominabilis redditur Deo & hominibus, iuxta 3. Sunt vasa electionis. Simile.

 illud

illud Gregorij; cuius vita despicitur, restat, vt eius doctrina vel prædicatio contemnatur. Sed hæc vasa electionis hodiè mutantur in vasa immunditiæ, secundum illud Oseæ 8. *Factus est Israël in nationibus quasi vas immundum.* Causa huius impuritatis in magna parte est negligentia circa custodiam oris. Num. 19. *Vas quod non habet operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.*

4. Purgant alios.

Quartò quia habent purgare alios, ideò oportet eos esse mundos, iuxta illud Gregorij in Registro. & ponitur 1. q. 1. Necesse est, vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæq; deterius inquinet, si sordida sequens lutum tenet, sicut scriptum est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isa. 53. Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interiora, id est, spiritualia & cœlestia perducendas, in conuersationis suæ exemplo suscipiunt. Et per vasa Domini intelligit animas subditorum; quia Dominus in eis sedet, vt habetur 21. quæst. 4. cap. Nec Nabuchodonosor.

Vasa Domini sunt animę subditorum.

5. Sunt ministri altissimi.

Quintò. quia sunt ministri altissimi, qui sicut ipse purus est, sic & ipse sacerdos purus esse debet, vt dicere possit, cum Psal. 17. *Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.*

B

III. Sacerdos honorandus propter bonitatem.

TERTIO sunt honorandi propter bonitatem. quæ bonitas multum congruit sacerdotibus. quia vt dicit Chrysostomus: quem allegat Holkot super lib. Sapien. lect. 183. quod sacerdotes sunt in grege, sicut stomachus in corpore. Quemadmodum medicus quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere festinat: quia si stomachus sanus & bonus fuerit, totum corpus validum est: Si autem malus & dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum & bonum fuerit, tota floret Ecclesia. Si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est & infirma. *Et subdit:* Stomachus accipiens cibum excoquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit. Sic sacerdotes accipiunt scientiam sermonis, per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes & medidantes apud se, vniuerso populo subministrant. Si autem stomachus cibum retinet, & non impartitur alijs membris, est signum indigestibilitatis, quam consequitur morborum diuersitas, & fortè mors vltimatè. Sic est de his, qui retinent doctrinam & sapientiam non alijs impartiendo. *Et infrà:* Sicut in corpore si membrum aliquod fuerit infirmum, non omnino languet stomachus. Si autem stomachus languet, omnia membra inueniuntur infirma. Sic si aliquis peccauerit Christianorum, non omnino peccant & sacerdotes. Si autem sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum.

Idcirco boni sacerdotes multum sunt honorandi: quia vt dicit Gregorius in Registro, cap. 8. Et ponitur 2. q. 5. cap. Habet. Sacerdos honoratur in persona Dei, cuius minister est. Et ibidem ad Mauritium in Epistola, & ponitur 11. q. 1. cap. Sacerdotibus. Quid, inquit igitur mirum, si illos pietas vestra dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos etiam ipse quidem appellat Deus?

IV. Sacerdos honorandus propter dignitatem.

QVARTO, sacerdotes sunt honorandi propter dignitatem. Multū enim digni sunt, quia regum & principum patres & magistri exsistunt. sicut dicit Greg. 96. dist. cap. Quis dubitet. Sacerdotes Christi, regum & principū omniumq; fidelium patres magistros censeri? Nonnè ergo miserabilis insanies esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus

ſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare,& iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolum in terris, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe?

Et de dignitate ſacerdotali dicit Bernard. O veneranda dignitas ſacerdotum intra quorum manus, velut in vtero Virginis, filius Dei incarnatur. quod per vos Pater,& Filius, & Spiritus S. operatur. Super hoc tam inſigni priuilegio veſtro cœlum ſtupet, miratur terra, horret infernus, cõtremiſcit diabolus, veneratur Angelica creatura: quod vno atq; eodem momento Deus ipſe, qui præſidet in cœlo, manibus veſtris eſt in ſacrificio: O verè venerabilium ſanctitudo manuum. O felix exercitium. O verè mundi gaudium. vbi ima ſummis coniunguntur, cum Chriſtus tractat Chriſtum, ſcilicet ſacerdos Dei filium, cuius deliciç eſt eſſe cum filijs hominum. Ideo idem B. Bernardus. O quantam, inquit, dignitatem contulit Deus ſacerdotibus. Prætulit enim eos omnibus regibus & principibus terræ: prætulit etiam ordinem hunc ſacerdotalem omnibus hominibus; imo, vt vlterius loquar, prætulit eum Angelis & Archangelis, Thronis & principatibus, Dominationibus, & omnibus angelicis choris & ordinibus. Sentẽtia aurea de dignitate Sacerdotali.

Ideo dicere poteſt quilibet ſacerdos cum B. Gregorio: Ille qui creauit me, creare mihi dedit ſe: Qui me creauit ſine me, creatur mediante me. Quid ergo retribuam Domino, pro tam ſingulari dono, ſcilicet ſacerdotio, quod eſt datum optimum & perfectum donum? Quid dicam? neſcio. niſi duo minuta, ſcilicet corpus & animam, corpus in ſeruitium, animam in laudem eius. Hæc ille.

Cum ergo tantæ dignitatis ſit ſacerdos, quod creator ſit ſui creatoris, ipſum damnari inconueniens eſt. Quia ipſe Deus requieſcit in corde digni ſacerdotis, iuxta illud Bernardi: Sicut in Eccleſia requieſcunt reliquiæ ſanctorum, quorum animæ ſunt in cœlis; ſic ipſe Deus requieſcit in corde digni ſacerdotis. Quia ipſe dicit per Auguſt: Elegi & prælegi cor ſacerdotis mihi in habitaculum meæ manſionis, tanquam in vaſe vitreo. Licet vitrum ſit de vili materia, tamen ſplendidius argento & auro eſt: Sic ſacerdos eſt dignior & maior coram Deo, Regibus & Principibus mundi in ſua dignitate, ergo honorandi ſunt ſacerdotes, quibus Dominus tantam in mundo præ omnibus hominibus gratiam contulit & honorem.

C

Diceres. Multi ſunt ſacerdotes praui & mali, qui honore non ſunt digni, iuxta illud Ariſt. 4. Ethicor. Prauus non eſt honore dignus. *Ad hoc dico*, quod (heu) multi ſunt mali clerici, & peccatores, quorum primus ego ſum. Quia dicit B. Auguſtinus: de fide ad Petrum. cap. vlt. Firmiſſimè teneas, ac nullatenus dubites, in omni profeſſione tam clericorum, quàm laicorum; tam ſecularium, quàm religioſorum malos eſſe cum bonis. Ibidem diſt. 47. c. Quantumlibet viget diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare, id eſt, arroganter attribuere. vulgariter zuaignen/ audeo, vt domus mea melior ſit arca Noë, vbi inter octo homines, vnus, ſcilicet Cham, reprobus eſt inuentus. quaſi diceret. Non mirum, ſi inter ſacerdotes adeo multos ſint aliqui indigni & mali. Et iſti ſecundum perſonam non ſunt honorandi, ſed tamen ſecundum dignitatem ſacerdotalis officij, honorandi ſunt. quia & Chriſtus malos honorauit, cum ad eos leproſos deſtinauit, dicens: *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Lucæ 17. Et ponitur 1. q. 1. Nonné. Et per Auguſtinum lib. de baptiſmo. Obiectioni occurrit de multitudine malorum ſacerdotum. Mali plerũq; cum bonis.

Similiter legitur. Act. 23. quod B. Paulus dixit; *Stans in concilio Iudæorum: Viri fratres,*

fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsq; in hodiernum diem. Quod audiens *princeps sacerdotum*, quod se iustificauit, vt dicit Glossa, & hic vocabatur *Ananias, præcepit astantibus sibi percutere os eius*, Glossa, per hoc insinuans, quod falsum dicebat. *Tunc Paulus dixit: percutiet te Deus, paries dealbate.* quasi diceret: Habes tantum apparentiam iustitiæ, & non existentiam. Quia *sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?* Tunc, *qui astabant, dicebant: Summum sacerdotem Dei maledicis?* quasi dicerent; si non esset aliud crimen, ex hoc solo incurrisses grauem pœnam. *Dixit autem Paulus* se excusando. *Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum.* quasi diceret, si sciuissem, licet malum, tamen eum honorassem. *Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Et tantum de honore patrum spiritualium, scilicet sacerdotum. Ideo dicit, *honora patrem.*

D Et subdit: *Et matrem.* Et hæc est sancta mater Ecclesia, quæ est mater omnium in Christo renatorum: Quia generat omnes filios regni, quos mater carnalis generauit in terra. propter, quod dicit Dominus Ioan. 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ideo sancta Ecclesia tanquam mater nostra spiritualis est honoranda. quia ibi est locus Dei & porta cœli. Genes. 28. *Quàm terribilis est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Non enim legitur Christum in vita sua tantam iram & zelum ostendisse, quantam ostendit, cum vidit quod templo non exhibebatur debita reuerentia & honor, Ioann 2. Matth. 21. quando fecit flagellum, & vendentes & ementes expulit dicens: *Scriptum est*, Isa. 57. *Domus mea: domus orationis est.* Tunc impletum est illud Psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* & Marc. 11. legitur, quod non sinebat, vt quisnam transferret vas per templum. Et Apostolus 1. Cor. 3. ponit pœnam horum, qui Ecclesiam inhonorant, dicens: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* De hoc etiam refert Seneca de Pompeio: Quod postquam illi, qui cum eo erant, prophanauerunt templum, & stabulauerunt equos in porticu templi, nunquam postea pugnauit, quin vinceretur, qui prius fuit fortunatissimus. Et Theodorus volens spoliare templum diuinitus est flagellatus, vt patet 2. Machab. 3.

Cur spiritualis honoranda est sancta Ecclesia.

Refert etiam Cæsarius lib. 8. dialogorum cap. 26. Quodam tempore inter duas cognationes militum inimicitiæ ortæ sunt, vt se inuicem caperent & occiderent. Die igitur quadam cum plures vnius partis conuenirent in Ecclesia cuiusdam villæ, quæ Westupe dicitur, aduersæ parti per quandam vetulam proditi sunt. Dederat enim eis signum dicens; Quotiens intrauerint, totiens nolam traham. Quod cum fecisset, Ecclesiam cum multitudine ingressi, armati super inermes irruerunt. Quo viso, illi arreptis sacris imaginibus, gladijs opposuerunt, sperantes sibi illarum beneficio parci debere. Percussores verò nullam sacro loco exhibentes reuerentiam, nullumq; sacris imaginibus honorem, ita hostium cruorem sitiebant, vt imagines istas mutilarent. Ipsi verò crucifixo brachia præciderunt, & octo milites in Ecclesia trucidauerunt. quod sacrilegium satis durè vindicatum est. Nam infra breue tempus, ab occisorum consanguineis, occidentium innumerosa multitudo sic gladijs deleta est, vt vix duo superessent. Vetula verò, quæ illos prodiderat, tempore messis nimio calore aëris suffocata est, Ecce quomodo Apostoli dictum in illis verificatum est; *Qui violauerit templum, disperdet illum Deus.* Ideo hortatur quemlibet Christi fidelem, Tullius moralis.

Contemnentes sacras imagines Christi, puniti.

Eccle-

Ecclesiam clerumq; Dei decorare labora:
Et pro posse tuo laudes vtriusq; decora.

TERTIVS pater similiter & mater est carnalis, & istis debemus honorem exhibere dicit Holkot super lib. Sap. lect. 139. PRIMO, in vitæ necessarijs supportando. Et hoc docemur exemplis irrationalium auium. E Quomodo honorandi parentes carnales.

Primum exemplum ponit Aristot. Ambrosius similiter & Basilius in hexamerõ, de auibus Coruini generis, qui pascunt pullos in iuuentute sua, vt iuuenes pascant parentes suos in senectute sua. Et quando debilitantur, in humeris suis ferunt eos iuniores. Mira igitur talium animalium pietas. I. Coruini.

Secundum exemplum ponit Solinus in libro de miraculis mundi. Eximia Ciconiæ inest pietas. Nam quantum temporis expendunt in fœtibus educendis, tantum ipsæ à pullis suis vice reciproca nutriuntur. Ciconiæ.

Tertium est de cornicibus. De quibus habes suprà Dominica III. post Epiphaniam, Sermone 1. S.D. Hanc naturam cornicis plenius narrat Ambros. in hexamer. de opere quintæ diei cap. 35. Hæc auis depositi patris artus per longæuum senectutis tempus plumarum tegumento alarumq; remigio nudatos, circumstantesq; soboles pennis fouet proprijs. Et quid dicam? Collato cibo pascit: quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atq; inde subleuantes senem fulcro alarum suarum, ad volandum exerceant, vt in pristinos vsus iam desueta reducant pij patris membra. Ideo Romanorum vsu pia auis vocabatur. Hæc Ambrosius. Cornix.

Quartum exemplum de vpupa est, de qua dicunt Philosophi, cum senuerit, vt videre non possit, pulli eius euellunt ei pennas inualidas, & liniunt oculos quibusdam herbarum succis, & suis eam fouent sub alis, donec recrescant plumæ, & sic renouata perfectè volat, & clarè videt. Vpupa.

Quintum exemplum narrat Albertus de aue, quæ dicitur rithes. cuius pulli cum ad volatum sunt roborati, cibant parentes in senio, faciuntq; eos in nidis suis viuere absq; labore. Rithes.

De *Primò* igitur exemplo auium cornici generis sumere debent filij hoc, vt pascant parentes suos pauperes in senectute, & ducant eos, cum sint viribus destituti, iuxta illud Eccl. 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, si defecerit sensu, veniam da illi: & non spernas illum in tua virtute.* De *secundo* sumere debēt hanc doctrinam, vt saltem tantam curam circa parentes expendant, quandam parentes circa ipsos in custodiendo, in nutriendo expenderunt; & vtinam saltem septem annos circa parentũ curam expendere vellent, sicut ipsi ad septem annos ab aqua & igne custodire tenentur, vt dicit Holkot. De *tertio* exemplo sumant hoc documentum, quod parentes nudos proprijs indumentis induant, si aliàs non habent. proprio victu & labore nutriant. sicut fecit Focas Faber, qui laborando quotidiè patri suo duos denarios tribuebat, vt dicitur in gestis Romanorum. Vel in fulcro brachiorum suorum eos infirmos & debiles subleuent, & ad nidum, sicuti oporteat eos adiuuent. De *quarto* exemplo hoc teneant, quod à parentibus suis senibus, vel infirmis, molestias, quantum possunt, submoueant, curas necessarias eorum infirmitatibus adhibeant, obsequijs proprijs eis seruiant, nec eos deserant, quousq; eos viderint suis obsequijs vel auxilijs non indigere. Sic fecit illa pia filia, de qua narrat Valerius in Polycrate.

I. Parentes senes à filijs alēdi, vestiendi, fouendi. II. III. IV.

Pietas filiæ in matrem.

Cum quædam mulier nobilis ob quoddam flagitium fuisset morti adiudicata, noluit eam iudex publica morte punire, propter honorem parentum, sed inclusa est, vt ibi fame periret in carcere. Filia verò eius, quæ erat nupta, de licentia iudicis eam quotidie in carcere visitauit. Prius tamen diligenter perscrutabatur, ne aliqua comestibilia illi deferret. Illa vero extracto vbere singulis diebus de lacte proprio matrem alebat. Cùm verò iudex miraretur, quod tanto tempore superuiueret, repertum est, quid fiebat. Tunc iudex pietate totus motus, matrem suam filiæ condonauit. Ecce, quod impleuit dictum Sapientis Eccl. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris.* Quia ab illa recepit nutrimentum lactis, voluit ei sua quoq; vbera piè impartiri, & gemitum eius remouere.

Impius in patrem filius.

De quo exemplo habent hoc filij, vt cum sunt in diuitijs parentum roborati, parentes suos senes in domibus suis quiescere faciant, eisq; in necessarijs absq; eorum labore prouideant. Sic non fecit ille impius filius, de quo refert Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 7. part. 4. Erat, inquit, in Nortmanniæ partibus vir admodum diues, sed ignobilis. Hic filium vnicum & dilectum habuit, quem educauerat delicatè ad robur viri. Conuenit ergo patrem miles quidam nobilis cum amicis, dicens: Filia est nobis, decora nimis & prudens per quam si tibi placuerit, posteritas tua exaltari poterit, & iuuari. Hanc filio tuo dabimus in vxorem, hoc tamen medio vt secedas possessionibus vniuersis, & filius tibi, & matri, quamdiu vixeritis, abundantissimè prouidebit. Hoc patre audiente, & hærente sub dubio, ab amicis tandem compulsus est, etsi mente pauidus, cedere cunctis bonis. Peractis ergo nuptijs, filius & vxor eius anno quidem primo honorauerunt parentes, & victum copiosum ministrauerunt. Sed in secundo anno minus, & tertio verecundius, quàm decebat. Quarto igitur anno, suggerente vxore, filius parentibus suis domunculam paruam, in opposito domus suæ constituit, vt minus esset indecentia senum iuuenibus onerosa; ibique eis secretius insufficienter necessaria ministrarent. Pertulit ergo senex pater ibidem, cum vxore decrepita non modicam egestatem, & vix interdum audebant domum filij intrare. Sed per clientulum mandauerunt ei, quibus poterant non carere. Vna autem dierum accidit, vt mater ex opposito domus suæ visa auca infixa veru in domo filij, diceret viro suo seni: Me fœminam magis decet paucis contentam esse: Tu autem vadas ad domum filij, & saltem semel esurientem facies animam de auca, quam ibidem vidi esui præparatam. Hoc audito, senex innixus baculo ad domum filij properauit. Sed mox, vt eum filius vidit, aucam ab igne retraxit, & clam abscondit, statimque obuius patri, quid quæreret inquisiuit. Et mox factum pater notans, dissimulauit, ad domum suaq; remeauit. Filius autem puellæ præcepit, vt cito aucam ad ignem reponeret. Nec mora. vbi puella aucam in thalamo vidit, bufonem maximum aucæ pectori inuenit adhærentem. Et ea clamante, accurrit dominus iunior. Qui viso bufone excutere eum violenter instituit. Buso ab auca resiliens, faciei adeo fortiter filij adhæsit, vt nulla arte, vel consilio deponi atque excuti posset, sed sic multis annis hominis nequitiam puniuit inhærendo. Et erat illud supremi stuporis miraculum, vt si quando monstri illius pars aliqua tangebatur lac si perçuteretur in corde, ita homo sensibiliter lædebatur. Contritus ergo adijt diœcesanum Episcopum, & cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, vt per omnes fines Nortmanniæ & Galliæ ciuitates facie cir-

Punitio diuina horrenda.

cum-

cumiret reuelata, & vbiq; narraret populis euentum rei, vt per hoc exemplum sumerent filij parentes suos honorandi, & discerent quàm periculosum & nociuum est, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filijs impenderunt. Ab hoc tamen monstro sanctorum quorundam precibus est misericorditer liberatus.

Ideo Chrysostomus exponens illud Ioan. 19. *Mulier, ecce filius tuus*, dicit: Docet Christus, vsque ad vltimam respirationem parentum diligentiam habere. Quia cum alijs mulieribus astantibus nihil dixit; docet nos aliquid impendere parentibus. Et B. Ambrosius: super illud Matth. 15. *Honora patrem & matrem*, dicit: Primus gradus pietatis est iste, vt quos Auctores tibi voluit esse Deus honoris, obsequijs obtineas, non contumelijs. Multum enim colenda est pietas parentum. Vnde Arist. 9. Ethicorum docet; quod parentibus debemus subuenire nutrimento. & debemus eis honorem, quemadmodum Dijs, propter maxima beneficia generandi & nutriendi. Et ibidem etiam docet; Quod in honoribus, quos debemus Dijs & parentibus, non est nobis possibile reddere æquiualens secundum dignitatem beneficiorum ab eis receptorum, cum dicit; Dijs & parentibus non potest reddi æquiualens. Et ideo secundum antiquos tam honor exhibendus Deo, quàm honor exhibendus parentibus pietas dicebatur. De hoc Tullius in sua Rhetorica: Pietas est, quam sanguini debemus, patriæ, quæ beneuolum effectum, & diligentem nobis tribuit cultum. *Parentibus non potest reddi æquiualens.*

SECVNDO, patrem carnalem aut matrem honorare debemus ita, quod Christo tamen contraria repudiemus. Exempli gratia, si in his, quæ ad vitæ perfectionem, & Christi imitationem pertinent, pater voluerit, aut mater filium impedire, sicut de ingrediendo religionem, de vouendo continentiam, & huiusmodi, quæ ad consilia perfectionis noscuntur pertinere, filius non solum debet non obedire, sed eius iussa repudiare, iuxta doctrinam Christi Saluatoris, Matth. 10. *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam.* Et in eodem: *Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non est me dignus.* Super quo verbo dicit Hieronymus: Si necessitas venerit, vt amor parentum, siue filiorum amori Dei contrarietur, & non possit vtrumque seruari, odium in suos, pietas in Deum seruanda est. Potissima enim cautela diaboli est, homines ab amore religionis retrahere per amorem parentum. In cuius figuram, sicut dicunt Hieronymus & Chrysostomus: Cum Dominus esset occupatus in officio prædicandi, suggerit ei quidam Matth. 12. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi:* insidias Christo intendens, vt spirituali opere carnem & sanguinem anteferret. Super quem locum expressius loquens Chrysostomus, sic dicit: Dum Christus persuaderet populo, quod esset filius Dei, diabolus procurauit aduentum matris, vt turbis videntibus parentes carnales, diuinitatis eius obscuraret naturam. Et ideo, qui vult fugere à mundo, non debet hoc parentibus nec amicis carnalibus indicare. *Figura*, Genes. 31. Iacob cum vellet fugere in patriam suam, auunculum & socerum suum noluit de fuga præmonere. Et Iudicum 14. Dum Samson leonem occidit in frusta, & postea de ore leonis comedit mel, neutrum patri vel matri voluit indicare.

F

II. *Filij non debẽt obedire parẽtibus in ijs, quæ Deo contraria sunt.*

Et ideo de ista materia Hieronymus in quadam Epistola scribit. Licet in pollo tuo paruulus dependeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus, vbera, quibus te mater nutrierat, ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, per

Notãda sententia Hieronymi.

per calcatam perge matrem: ficcis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est in hac re te esse crudelem.

III. Filij debent meminisse parentum. TERTIO, parentes carnales honorare debemus æternis memorijs, cogitando, ne simus, quamdiu habemus esse, ingrati illis, per quos nobis Deus dedit esse. Ideo dicit Sapiens; *Memento patris tui & matris tuæ*, Eccles. 23. Sed de filijs ingratis communiter modo videmus, quod quantumcunque chari fuerint, postquam parentes ex seculo migrauerunt, & quantumcunque eis diuitias copiosas reliquerunt, post tres dies à sepultura peractos, obliuioni perpetuæ recommendant, falsum quendam dolorem in habitu nigro, & vultu luctuoso prætendunt, & cordis lætitiam cooperiunt tristitia simulata. Talis fuit illa Gellia, de qua refert Martialis lib. 1. Epigram. 30.

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem:
Si quis adest, iussæ prosiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit.
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Vult dicere, quod ista Gellia quando fuit sola, in nullo doluit mortem patris. Quàm citò verò perpendit, quòd aliquis eam videret, statim violentas lacrymas fudit. Similiter dicit Poëta de Gellia; Nullus dolet veraciter, qui vult de suo dolore laudari. Sed dolet iste verè, qui sine teste dolet.

IV. Filij debent obedire parentibus. Inobedientes filij puniuntur. QVARTO, parentes carnales honorare debemus in debitis rebus obediendo exemplo Christi, qui obediens fuit parentibus suis. Lucæ 2. Qui autem inobedientes sunt filij, triplici hasta cum Absalone 2. Regum. 18. vulnerantur. *Prima* est rerum temporalium subtractio. *Secunda* est vitæ abbreuiatio, quia de talibus dicit Ps. 72. *Perierunt propter iniquitatem suam.* *Tertia* est animæ condemnatio. quia dicitur Deut. 21. De filio contumace, qui non audiuit patris vel matris imperium, quod ducebatur ad seniores ciuitatis, & ad mortem condemnabatur.

Patris ius prælationis in filios. Sed diceres: Nunquid filij tenentur parentibus, per omnia obedire? *Respondet* S. Thomas 2. 2. q. 9. Quod tantum ad illa extendit se debitum obedientiæ, ad quæ extendit se ius prælationis. Pater enim habet ius prælationis in filios in duobus.

I. *Primo*, quantum ad domesticam conseruationē. quia paterfamilias est in domo, sicut rex in regno: Et ideo sicut subditi regis tenentur regi obedire in his, quæ spectant ad gubernationem regni, ita filij & alij domestici tenentur patrifamilias obedire in his, quæ pertinent ad dispositionem domus.

II. *Secundò*, pater habet ius prælationis super filium in his, quæ pertinent ad morum disciplinam, debet enim pater filium disciplina informare. Subdit Aristot. 8. Ethicorum. Et ideo in istis duobus tenentur filij obedire patri, & non alijs.

FERIA SEXTA POST OCVLI.

Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Si autem biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Ioan. 4.

DICVNT

DIcvnt naturales: Venenum expellitur mediante aqua, quia ceruus hausto serpente, nisi citius attingat aquam, moritur sine mora. Dicit enim Glossa super illud Psal. 61. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Ceruus senio grauatus excrescentibus pilis ac cornibus, explorato serpente, ipsum naribus haurit. Quo hausto veneno æstuat. Idcirco aquam fontis ad bibendum ardentissimè desiderat. Currit igitur quærendo fluuium purissimum, & bibit se replendo aqua, & sic vincit venenum & euomit. G Veneno peccatum assimilatur. Cerui industria.

MORALITER. Per venenum intellige peccatum. quia dicit Anselmus cap. 94. Sicut venenum dicitur, eo quod per venas vadat ad cor; sic peccatum per venas cogitationis aut delectationis transit ad consensum cordis: Vel, quod per venas, id est, per sensus corporis subintrat in arcana mentis, secundum illud Hieremiam 9. *Ascendit mors per fenestras nostras: ingressa est domos vestras.* Item sicut venenum non lædit, nisi quãdo sanguinem tangit, sic non lædit venenum peruersæ cogitationis, si non admiscetur sanguis delectationis. Quia de quibusdam dixit Oseas cap. 4. *Sanguis sanguinem tetigit.* quia post delectationem cogitationis, sequitur in illis delectatio operis. Item sicut venenum omne frigidum existit, sic omne peccatum mortale frigidum existit, cum calorem charitatis exterminat, Iuxta illud Matth. 24. & Rom. 5. *Vbi superauit delictum, seu iniquitas, refrixit charitas multorum.* Istud quidem venenum peccati, expellitur ab anima mediante aqua diuinæ gratiæ, aut veræ pœnitentiæ. Venenũ quãdo lædat. Venenum peccati pœnitentia expellitur.

Idcirco homo, qui ad instar cerui hausit serpentem, diabolicis scilicet suggestionibus acquiescendo, & noxias delectationes sibi scilicet per peccatum incorporando, veneno tunc æstuat, quando transacta delectatione, fœditatem peccati considerat. Quare tunc debet currere ad fontem misericordiæ Christum cum Dauid, qui ait Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum.* & debet cum eo reconciliari per pœnitentiæ sacramentum. Quia pœnitentia est aqua salutaris fluens à fonte vitę Christo, qui facit hominem salire in vitam æternam Iuxta verbum Christi. *Aquam quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quæ sunt verba Euangelij hodierni. Hoc Euangelium facit mentionem de triplici aqua. *Prima*, sitim accendit, ibi: *Omnis qui bibit. Secunda*, eam extinguit, ibi; *Qui autem. Tertia*, sursum ascendit, ibi; *Aquam, quam ego dabo.*

PRIMA igitur aqua sitim accendit, & tangitur ibi; *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet in æternum.* Vbi NOTA, quod hæc aqua est multiplex. PRIMA est temporalis auaritiæ, de qua intelligitur illud verbum, *Omnis qui bibit &c.* quia auaritia sitim non satiat, sed accendit. Et istius sunt multæ causæ. *Prima*, quia animam Dei capacem, nihilominus Deo implere potest. Vnde cum orbis terrarum sit ante Dominum quasi guttæ roris ante lucem, ideo nec cor hominis potest repleri, secundum illud Sap. 11. *Non sufficiunt cor replere vnius hominis. Secunda* causa, quia cupiditas infinita est, sed pecunia quantumcumq; magna, finita. Iuxta illud Senecæ, Naturalia desideria infinita sunt, ex falsa opinione nascentia. *Tertia* quia auaritia est quasi ignis ardens, qui nunquam saturatur. Prou. 30. *Ignis nunquam dicit, sufficit.* Ignis non extinguitur ex appositione lignorum siccorum, sed augetur. *Secundum enim ligna siluæ sic ignis exardescit*, vt dicit Sapiens Eccles. 28. Sic cupiditas non extinguitur ex appositione diuitiarum, sed augetur, Iuxta illud Iuuenalis in 4. I. Aqua auaritiæ sitim nõ extinguit, sed accẽdit. 1. 2. 3.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Ideo dicit Bernardus; Qui biberit ex aqua temporalis auaritiæ, sitiet iterum.

II. SECUNDA aqua, quæ sitim non extinguit, est secularis astutia, de qua 1. Cor. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Scriptum est enim 1. Cor. 3. *Comprehendam sapientes in astutia sua*, vt dicit Robertus Holkot super libro Sap. lect. 138. Admodum aquæ dat apparentiam quantitatis, excellentiam sublimitatis, & insolentiam mutabilitatis.

Aqua astutiæ secularis

1. *Primo* astutia secularis dat apparentiam quantitatis. Nam illud, quod per aquam videtur, grandius apparet, quàm est in sua propria quantitate. Vnde Ptolomæus: Quod in aqua ponitur, videtur maius. Et Seneca de naturalibus quæstionibus lib. 1. dicit. Omnia per aquam iudicantibus longè videntur esse maiora. *Et citò pòst:* Sidera ampliora per nubem aspicienti videntur. quia acies nostra in humido labitur, nec apprehendere fideliter, quod vult, potest.

Sic MORALITER. Quantumcunque aliquis fuerit modicus secundum mundum, sine pulchritudine & fortitudine corporis, sine diuitijs sine genere, sine parentibus, sine aqua sapientiæ, si astutia seculari operiatur, grandescit & apparebit magnus. Similiter addiscat iura ciuilia, ornet se legib. & statutis regum, statim apparebit nobilissimæ quantitatis, quia illa faciunt eum crescere in diuitijs, familia, & thesauris, & tamen non est maior in rei veritate apud Deum, sed minor. Iuxta illud Gregorij in 5. moral. Paruulus est, qui terrena diligit; magnus, qui cælestia concupiscit. Vnde quamuis appareant magni, nobiles, & iocundi apud seculares seculariter iudicantes, sunt tamen in diuino conspectu & iudicio conscientiæ propriæ parui, ignobiles, & dolore pleni, Iuxta illud Iob 26. *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis*, id est, qui mundi iudicio magni dicuntur.

2. *Secundo* astutia dat excellentiam sublimitatis. Aqua enim naturaliter quærit terræ supereminere & dominari, & aliter non quiescit aqua naturaliter: quia totus appetitus eius naturalis est supraponi immediatè & prædominari terræ. Isto modo MORALITER: astutia secularis ad nullum alium finem tendit, nisi ad volandum in honoribus, & ad acquirendum dominium terrenorum. In cuius figuram aqua produxit aues Genes. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento.* Astutia enim secularis super genera hominum producit reptilia, scilicet eos, qui sunt agricultores & mercatores, falsi artifices, & huiusmodi, quorum tota conuersatio est in terra. Vel, volatilia sunt nobiles supplantatores pauperum, falsi mercatores, vsurarij solemnes, & Clerici simoniaci, & praui nobilium consiliarij. ideo acquirunt bona sublimia, & gradus, & dignitates in Ecclesia, Iuxta illud Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublimi à terra.*

Finis astutiæ secularis.

TERTIA aqua dat insolentiam mutabilitatis. Vnde omnes insulares & maritimi inconstantes sunt, & insolentes nimis: sicut patet de ipsis nautis, qui communiter versantur in aquis. Tales enim regulantur per Lunam, quæ est domina aquarum. Luna autem est velocissimi motus, & plures circumuolutiones facit circa terram, quàm quicumque alius planetarum. Et sic MORALITER astutia secularis reddit homines mutabiles, varios, & versipelles ad modum vulpis, quæ nunquam recto, sed curuo itinere ingreditur. De ista enim astutia dicitur Ierem. 15. *Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Baculus, quantumcumque rectus sit, si

vna

vna eius medietas profundatur in aqua, videtur tortuosus: Sic isti falsi supplantatores, quantumcumque fuerit causa hominis iusta, per eorum astutiam, & astutam versutiam faciunt apparere iniustam. Et hi sunt, à quibus iurgia & lites, & iniqua mendacia oriuntur, Prouerbior. 17. *Qui dimittit aquam*, id est, qui astutia seculari sine regula bonæ conscientiæ vtitur, *caput est iurgiorum*, id est, principalis causa est litis inter homines mundiales. De hac etiam aqua mundiali exponitur illud, *Omnis qui biberit, &c.*

TERTIA aqua est carnalis luxuriæ, de qua similiter verificatur hoc verbum. Quod quanto plus exercetur, tanto magis desideratur. quia dicit Sapiens Prou. 30. *Tria sunt insatiabilia: infernus, os vuluæ*, scilicet mulieris incontinentis, *& terra*, Sed tamen luxuria tria mala facit, vt dicit Robertus super librum Sapient. lect. 22. PRIMO effæminat vigorem. In signum istius, dum Samson dormiuit in sinu Dalilæ, strenuitate solita fuit spoliatus, Iudicum 16. Vide historiam Dominica Reminiscere, Sermone 2. V. X. Sic quicumque dormit in sinu Dalilę, id est, qui se confert negligenter voluptatibus, voluptuosæ vitæ spoliatur vigore. Fingit enim Ouidius lib. 15. Metamor. de fonte Salmacis quod talis erat virtutis, quod sexum abstulit viro, qui se balneauerat in illo. Isto modo euenit de voluptate: Et ideo si homo militaris se balneat in delicijs & voluptatibus, effæminabitur, & animositatem amittit. Ideo narrat Valerius in Polycrate lib. 1. quod Cornelius Scipio missus in Hispaniam, eo tempore, quo castra intrauit, edixit, vt omnia, quæ causa voluptatis essent comparata, auferrentur. Vnde simul & semel duo millia scortorum leguntur abijsse ab exercitu Romanorum.

H III. Aqua luxuriæ sitim etiam magis accendit. Luxuriæ tria mala. I. Effæminat vires.

Et est NOTANDVM quòd nobilissimi principes, qui non bellis vel armis vinci potuerunt, per luxuriam ceciderunt. Sicut narrat Valerius lib. 9. c. 1. de Hannibale duce Carthaginensi, quem mulier quædam perniciosè Romanis tradidit occidendum. Vnde Ouidius de arte amandi fingit, quòd mars, qui Deus est bellantium, captus sit cum Venere vxore Vulcani inuisibilibus catenis, & omnibus Dijs cœlestibus in derisionem ostensus. Cui historiæ alludens Valerius ad Ruffum de vxore non ducenda, dicit sic: Mars qui Deus bellantium dici meruit triumphorum familiari frequentia, in quibus expedit maximè prompta strenuitas, nihil sibi metuens à Vulcano ligatus est cum Venere inuisibilibus catenis, sensibilibus tamen. Hoc autem & ad applausum Satyrorum, & derisum cœlestis curiæ. Vult dicere: quòd Vulcanus fecit catenas inuisibiles, & posuit eas in lecto Veneris, quibus cum Mars intrasset lectum Veneris captus est & detentus, donec tota curia cœlestis eum conspexisset. Et ideo de talibus dicitur Iob. 36. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effæminatos.* Exemplum de Holoferne, qui ardebat in amore Iudith, vt eiusdem 13.

SECVNDO, carnalis luxuria accumulat dolorem: quia naturaliter post voluptatem sequitur pœnitentia. Sicut probat Venerabilis Boëtius libr. 3. de consol. prosa. 7. Quid de corporis voluptatibus loquar? Vide de hoc suprà Dominica infra octauam Epiphaniæ L. D. Et Dominica infra octauam Natiuitatis Christi, I. Y. In huius etiam figuram fingit Ouid. 10. Metamor. quòd virgo quædam nomine Myrrha patris desiderauit incestum, & desideratum perpetrauit, adiuuante nutrice; Tandem cum per illato lumine à patre cognita, eamqs pater vellet occidere, noctis beneficio

II. Auget dolorem.

elapsa in Arabiam profugit, ibiq; fletu, suspirijs, & gemitibus in arborem sui nominis est conuersa, quæ adhuc guttas amarissimas, quasi lacrymas, de se fundit in signũ, quòd voluptatem illicitam corporis perpetuus sequitur dolor mentis.

III. Obfuscat mentis decorem. TERTIO verò voluptas mentis obfuscat decorem. quod patet de Salomone 3. Regum 11. qui femora sua inclinauit mulieribus, & dedit maculam in gloriam suam. Cui in historia Valerius ad Ruffum sic alludit. Sol omnium Salomon, thesaurus deliciarum Domini, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum obfuscatus attramento, lucem nominis sui, odorem famæ suæ, gloriam domus suæ, amore mulierum amisit, & postremo coram Baal & Ecclesiastico dono* mutatus est in membrum Zabuli, id est, ex concionatore Dei mutatus est in membrum diaboli.

*aliàs, ex Ecclesiaste Domini.

Aqua sitim extinguens triplex. SECVNDA aqua sitim expellit seu extinguit, & est triplex. PRIMA est pœnitentia regularis. Aqua enim tria operatur. PRIMO lauat sordida; sicut patuit suprà Dominica III. Aduentus sermon. 1. & Inuocauit sermon. 2. V. M. Isto modo pœnitentia abluit sordes peccatorum, quantumcumque fuerint enormia. In cuius figura dictum est Naaman leproso, quarto Regum quinto. *Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua atq; mundaberis.* Quod exponit Nicolaus de Lyra: Per Naamã leprosum intelligitur peccator infectus mortalibus peccatis. qui audita per prædicatorem misericordia Dei contritionem accipit, ad pœnitentiam veram procedit, & lauatur septies in Iordane, id est, lacrymis pœnitentię, quæ significatur per Iordanem, qui interpretatur riuus iudicij, & lauatur ideo septies propter septem peccata mortalia, & sic se lauando ad mentis munditiam restauratur. Ideo dicit Dominus Ezech. 16. *Laui te aqua munda, & mundaui sanguinem tuum*, id est, peccatum, quod ex carne & sanguine ortum habet. Iuxta illud Ezech. 17. *Quid nequius, quam quod excogitat caro & sanguis.*

I. Pœnitentię. 1. Lauat sordida.

Iordani significatio.

2. Flectit rigida. SECVNDO aqua flectit rigida; sic pœnitentia corda superba domat, & insolentia flectit ad obedientiam, sicut patet de superbo Nabuchodonosor Dan. 4. de quo suprà Dominica I. Aduentu sermone 1. A. G. Contingit enim de peccatoribus sicut de corallo, de quo dicunt naturales, quod quam diu est in aqua, crescit & augetur ad modum plantæ, quàm citò extrahitur, rigescit in lapidem, iuxta illud Ouidij Metamor. lib. 15.

Sic & corallum quo primo contigit auras.
Tempore durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Et ita multi, dum sunt inter sanctos viros, pœnitentiæ datos, crescunt, & molles attractabilesque fiunt: qui extra pœnitentiam positi, inuenirentur rigidi & rebelles. Ideo dicitur Eccles. 24. *Dixi, rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.*

3. Coquit cruda. TERTIO aqua coquit cruda cum adiutorio ignis, quod enim crudum est digestioni contrarium, fit per decoctionem in aqua conueniens corporis nutrimentum. Isti quidem incorporari non possunt corpori Christi mystico, propter suam cruditatem & insipiditatem, donec in aquis pœnitentiæ decocti fuerint. Iuxta illud Ezech. 24. *Consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent.* Quod sic intelligitur, *Consumentur carnes*, id est, carnales affectiones, *& coquetur vniuersa compositio*, id est ornatus superfluus ad modestiam reducetur; *& ossa tabescent*, id est, rigidæ & rebelles voluptates ad humanitatem & obedientiam reducentur. Hæc Robertus lect. 138.

Ista

Istà aqua regularis pœnitentiæ exstinguit sitim temporalis auaritiæ, sicut patet in Matthæo & Zachæo, qui penitus auaritijs temporalibus inhærebant. De Matthæo dicitur, Matth. 9. de Zachæo Lucæ 19. Postquam autem ad pœnitentiam venerunt, sitis illa inordinata totaliter in eis fuit exstincta, quia Matthæus omnia dimisit, & Christum secutus est: Zachæus ait: *Ecce Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus*, &c. Virtus aquę regularis pœnitentiæ.

SECVNDA aqua quæ exstinguit sitim, est aqua sapientiæ salutaris, de qua Eccles. 15. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Vbi NOTA, sapientia assimilatur aquæ propter tria: vt tangit Robertus Holkot lect. 138. Primo propter eius facilem commutationem. Aqua enim facile secundum ea, quæ sibi approximantur, se conformat. Vnde Amb. in hexam. lib. 3. Aqua rigorem frigoris commutat, vt inter vaparantia ferueat, inter vmbrosa frigescat, sole repercussa exæstuet, niuibus irrigata glaciali humore calescat. Isto modo sapientia moralis, quæ hominem docet conuersari sine querela, in medio nationis prauæ & peruersæ, salua semper honestate vitæ, in veritate conscientiæ nouit se omnibus conformare, cum quibus viuit, iuxta illud, quod scribit Augustinus ad Hieronymum dist. 2. c. Illa autem. Sic dicens: Quod non contra fidem, nec contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur, societate seruandum est. *Et subdit* Augustinus, Mater mea Mediolanum mea secuta, inuenit Ecclesiam sabbato non ieiunantem, cœpit fluctuare quid ageret! tunc ego consului de hac re Ambrosium. At ille ait: Cum Romam venio, ieiuno sabbato: cum Mediolani sum: non sic. Et tu ad quamcumque forte Ecclesiam veneris, eius morem serua. Et dicit Bartholomæus Brixiensis in Glossa, quod argumentum est, quod viatores tenentur sequi consuetudinem loci, ad quem veniunt. De hoc etiam dicit Sallustius super Albertum: A II. Aqua sapientiæ.

Consulo, quisquis eris, qui pacis fœdera quæris,
Consonus esto lupis, cum quibus esse cupis.

Nec tamen hoc inconstantiæ imputandum est, sed prudentiæ. quia dicit Cato.

Constans & lenis, vt res expostulat esto. Tempori & loco cedendum.
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Cui consonat Martianus de formula vitæ honestæ cap. 1. Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris. Et vt rerum aut temporum varietas exigit, ita te accomodes ipsi, nec te in aliquo mutes, sed magis aptes: sicut manus eadem est, & cũ in palmam extenditur, & cum in pugnam restringitur. Hæc ille. Ita aqua salutaris sapientiæ traditur in scriptura sacra, de petra altissima, videlicet Christo, de quo emanauit. quia Christus moribus bonorum se conformauit. Et sicut dicit Auicenna, Aqua, quæ descendit ab alto, maior est ceteris paribus: Ita sapientia & discretio viuendi deriuata à Christo, melior est nobis doctrina quacunque alia. quia dicit Sapiens Eccl. 1. *Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis.*

QVARTO propter eius naturalem humectationem. Dicit enim Ambrosius de opere tertij diei: Quod aqua est alitrix omnium virgultorum, diuersos singulis vsus ministrans. Isto modo sapientiæ & doctrinæ Sacræ scripturæ dant singulis alimentum iuxta suæ conditionis necessitatem. Quod figuratum est Genes. 24. Cum seruus Abrahæ venisset in domum Bathuelis, *dedit paleas & fœnum camelis.* Panis autem oblatus est seruo. Bathuel enim interpretatur castus Deo, & significat Prælatum vel IV.

 prædica-

prædicatorem, cui competit castitas, vt suprà sermone præcedenti. X. Y. Hic debet apponere iumentis id est, rudibus, fœnum & paleas, id est, expositiones eorum capacitati cognitas, grossaq; documenta, quæ capere possunt. Sed seruus Dei debet intelligentibus subtilia prædicare, secundum illud Apostoli 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et ibidem cap. 3. *Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis.* Non enim poteratis scilicet intelligere altiora.

Intelligentibus subtilia prædicanda.

Ex his patet quod sacra Scriptura & salutaris sapientia dat singulis, prout capere possunt alimentum, vt faciant fructum operum tempore opportuno, iuxta illud Psalm. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum est*, &c. Et Nota, quod aqua pluuialis valet omnibus piscibus & plantis terræ plus quàm aqua fluuialis, vel fontis; & plus per illam crescunt arbores, & nihil benè crescit nisi benè imbibatur aqua.

Aqua pluuialis.

Moraliter. Aqua pluuialis, quę de cælo descendit est doctrina moralis sacrę Scripturæ, de qua Deutro. 32. *Concrescat vt pluuia doctrina mea* &c. Ista plus confert piscibus & plantis, id est, hominibus in mundo habitantibus, conuersantibus, & crescentibus, quàm quæcumque doctrina quantumcumque moralis, à Philosophis adinuente. De hac dicit Psalm. 22. *Super aquam refectionis educauit me.* Nam aquæ sacræ scripturæ non solum potant bibentes, sed etiam reficiunt. Ideo inter religiosos in refectorio legi solet, vt non solum ventres cibo, sed etiam reficiant mentes Dei verbo. Ita aqua mutatur in vinum per preces Mariæ. quia nisi ipsa gratiam docendi impetrare dignaretur, insipidum appareret, quicquid ab homine profertur. In cuius figura, non nisi ad Mariæ instantiam, Christus in nuptijs aquam in vinum commutauit, Ioannis 2.

Tertio, propter eius figuralem repræsentationem. In aqua enim clara & non turbida, sed quieta species rerum abiectarum apparet, sicut probat Boëtius lib. 1. metro. vult. dicens:

Si mare voluens, Turbidus Auster, Misceat æstum,
Vitrea dudum, Parq; serenis, Vnda diebus,
Mox resoluto, Sordida cœno, Visibus obstat.

Vult dicere: Sicut aqua maris clara manente ad modum vitri, visus eam potest penetrare, & videre ea, quæ sunt sub aqua: Si autem turbatur per ventum, tunc obstat visui dispergendo radios visuales, ne valeant perfectè cognoscere rem sub aqua. Ideo aqua tenet quasi vicem speculi ad vsum pauperum, iuxta illud Ecclesi. 27. *In aqua resplendet vultus prospicientium.* Isto modo sacra Scriptura seu etiam Dei verbum homini ostendit, qualis est in moribus. quia dicit Gregorius 2. moral. Scriptura mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa nobis videatur. Ibi etiam fœda, ibi & pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus. Ista igitur aqua salutaris sapientiæ exstingit sitim secularis astutiæ. Qui enim sapiens est in Christo, non cupit astutus apparere mundo. Quia dicit Augustinus. Quis est in mundo? ad te venit qui fecit mundum, vt eripiat te de mundo. Si forte aliqua delectatione te retinet mundus, semper vis esse in mundo.

III. Aqua extinguens

Tertia aqua quæ exstinguit sitim, est aqua lacrymæ. Vnde aqua assimilatur lacrymis propter tria, vt dicit Anselmus lib. 1. cap. 46. Primo, quia aqua est lasso-rum

rum confortatiua. nam vt omnes homines & omnia iumenta, dum calore æstuant in æstate, si aquam coactè vel spontè transeant, mox se excutiunt, & resumptis viribus auidius cibum sumunt, & fortiora ad opera redeunt; Sic lacrymæ spirituales mirabili modo lassos & laborantes confortant, & vires perditas in animas reportant. Et anima quantumcumque demersa, miro modo confortatur his aquis balneata. Et dicitur NOTANTER, lachrymæ spirituales, quia lacrymæ à Spiritu sancto veniunt. Quia dicitur Roman. 8. quod *ipse spiritus*, scilicet sanctus, *postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Ideo dicit Leo Papa in sermone quodam: Ab ipso Spiritu sancto lacrymæ sunt pœnitentiales.

Tres sunt lacrymæ. 1. Confortat lassos.

SECVNDO aqua est durorum mollificatiua. Nam panis bis coctus, qui est natura durissimus, in aqua positus mollis efficitur; Sic anima compuncta in lacrymis posita, Dei sæuitatem emollit ad parcendum, & ad miserendum flectit. Vnde dicit Bernardus quod lacryma vincit inuincibilem, & superat omnipotentem. Ideo legitur 2. Regum 3. quod Abner volens reconciliari Dauid misit nuncios, vt contraherent cum illo amicitias. Cui Dauid: *Non videbis faciem meam, nisi adduxeris mihi Michol.*

2. Dura mollificat.

Hanc figuram exponit MORALITER Nicolaus de Lyra dicens: Hic Abner gerit figuram & typum peccatoris, sed Dauid figuram Christi. Peccator igitur mittit nuncios orationum ad Christum, vt amicitias eius habeat: sed nisi adduxerit peccator Michol, quæ interpretatur aqua ex omnibus, & significat lacrymas veræ pœnitentiæ, quæ de peccatis omnibus debet esse, non poterit faciem Dei videre. Et sicut Abner gratiosè fuit acceptus, quando Michol adduxit secum, & magnum conuiuium ei fecit; sic Christus verè lacrymantem & pœnitentem suscipit, & eum Sacramento Eucharistiæ reficit. Iuxta illud Lucæ 15. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Hinc dicit Bernardus: O lacryma humilis tua est potentia, tuum regnum: ante tribunal iudicis, sola intrare non vereris. Si vacua intras, vacua non redibis: sed quicquid petieris, hoc obtinebis. Accusantibus ignotis silentium imponis, & non est, qui te prohibeat accedere.

Abner figura peccatoris.

TERTIO aqua est castrorum ædificatiua. Nam Babylonia fortissima dicitur fuisse non tantum, quia muris altissimis & fortissimis cingeretur, sed quia vndiq. fluuijs vallaretur, vt suprà Dominica Inuocauit sermone 2. T. D. Quia nullus locus potest esse fortis, vbi aqua deficit; sicut patet de Bethulia. Iudith. 7. Sic lacrymæ pœnitentium mirabiliter protegunt contra impetus tentationum, scilicet diaboli, iuxta illud Psalm. 73. *Tu contribulasti capita Draconum in aquis*, scilicet lacrymarum. Ista quidem aqua lacryma spiritualis exstinguit sitim luxuriæ carnalis, sicut patet hoc exemplo in Vitis patrum de quadam muliere vanissima, quæ cum per ciuitatem nimia ambitione procederet, quidam sanctus Episcopus eam vidit, & ad terram corruit, & amarissimè flere cœpit. Et cum interrogaretur, cur fleret? Respondit: Ideo fleo, quod ista mulier plus est sollicita placere mundo, quam ego Deo. Cum igitur Episcopus domum redijsset, pro ea orauit. Cuius preces Dominus exaudiuit, & sequenti nocte visum est sibi, quod quædam cornicula veniret ad se, quam ipse accipiens in aquam demersit, & mox in columbā candidā versa fuit. Sequenti ergo mane illa tota in lacrymis resoluta, ad pedes Episcopi ꝓcidit, & quæ prius peccādo nigerrima fuit.

3. Aedificat castra.

Exemplum quod lacrymæ extinguunt peccata.

ma fuit, postea cum lacrymis baptizata facta est candida. Ideo dicit de lacryma Eccles. 3. *Ignem ardentem exstinguit aqua*, id est, ardorem carnalis voluptatis exstinguunt lacrymæ.

DOMINICA IN MEDIO QVADRAGESIMÆ,

Lætare dicta.

Sermo primus.

Eijce ancillam & filium eius. Ita scribitur originaliter Genes. 21. & transumptiuè ad Gal. 4. in Epist. hodierna.

CONSVETVDO est in hac Dominica puerorum, quod mortem expellunt. Figmentum enim mortis de stramine aut alia re faciunt, & illud extra ciuitates eijciunt, & postea in aquas proijciunt & submergunt. Et licet hoc factum ad euasionem mortis temporalis nihil conferat, tamen aliquid fiendum in hominibus significat.

Peccatum mortale morti comparatur.

MORALITER enim per mortem intellige peccatum mortale, propter hæc quæ ponit Robertus Holkot super lib. Sapient. lect. 12. scilicet propter consimilem defectum, qui est talis. *Primò* corpus dissipatur & destruitur; *secundò* infirmatur: *tertiò* moritur: *quartò* portatur extra domum: *quintò* sepelitur: *sextò* à vermibus con-
1. sumitur. Sic anima *primò* dissipatur & destruitur per tentationem & cogitationem
2. de peccato. *Secundo* infirmatur per comitantem delectationem in sensualitate. *Ter-*
3. *tio* moritur per consensum. *Quarto* absportatur de domo, & elongatur ab homini-
4. bus per culpæ suæ abominationem & diffamationem apud homines: *Quinto* sepe-
5. litur per malam consuetudinem. Sicut enim lapis vel terra, onerat corpus & deprimit ne resurgat: Sic etiam illa mala consuetudo quasi quædam moles est grauissima, opprimens & incitans hominem ad exspectandum in peccato. De hoc Augustinus lib. 8. confessionum, cap. 5. Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur &
6. tenetur etiam inuitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur. *Sexto* corpus mortuum à vermibus consumitur. Sic mens priuata gratia, à verme conscientiæ desperationis & impœnitentiæ finalis corroditur & mordetur: Ideo dicit Apostolus ad Roma. 5. *Stipendium peccati mors.* Et iterum: *Peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, & hæc dicitur mors spiritualis, de qua Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.*

Hanc mortem spiritualem expellere debent homines à ciuitate cordis, & hoc moraliter significatur in pueris, qui sic mortem expellunt, vt & nos ipsi iam adulti mortem animæ expellamus, & Dei adiutorio in profundum aquæ proijciamus. Quia dicit per deuotum Amandum in horol. Sapientiæ lib. 1. cap. 4. Ego sum frater tuus, sponsus tuus, paratus misereri & tegere peccata tua, & proijcere ea in profundum maris, & sic remittere, quasi nunquam fuissent; dummodo conuerti, & de cætero cauere volueris.

Et hoc est, quod pueri figmentum mortis proijciunt in aquam: quia puer IESVS propter

propter puritatem suæ sanctissimæ vitæ & innocentiæ, proiecit omnia peccata nostra, quæ nobis æternam mortem generant, in profundum maris, ea minimè in nobis puniendo. Idcirco in verbo proposito, quoad sensum moralem, hortatur nos Apostolus, vt peccata mortalia cum eorum filiabus eijciamus de corde nostro, cum dicit: *Eijce ancillam & filium eius*. Quia peccata mortalia dicuntur ancillæ quia ancillari & seruire faciunt nos diabolo. Iuxta illud Hiere. 3. *Seruietis*, scilicet in peccatis, *Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte*. Propterea, tu homo, in tempore gratiæ eijce ancillam, id est, quodlibet peccatum mortale. Peccata mortalia sunt ancillæ.

Circa quod NOTANDVM. PRIMA ancilla est superbia, quæ meritò ponitur primo loco propter tria. quia est inter vitia magis generosa nascendo, magis animosa in uadendo, magis cautelosa in alliciendo, vt dicit Robertus lect. 63. 1. Ancilla superbia est.

PRIMO igitur est magis generosa nascendo, quia est spiritualis inter angelicos spiritus adiumenta, vt dixi suprà in Sexagesima, sermone 2. Q. T. Et ideo nobiles mentes nimis impedit. Sicut testatur Hieronymus in quadam Epistola. Superbia natione cœlestis sublimium appetit mentes, & quasi ad proprios reuolans ortus, appetit gloriam & puritatem hominum irrumpere, quæ de gloria & puritate Angelorum erupit. Vt quos inuenit participes naturæ, faciat consortes ruinæ. Sic tamen fatua est, quod Deum nescit redire, iuxta illud Hugonis lib. de anima. Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor, qua via inde deciderit, illuc postea redire non potuit.

SECVNDO, superbia est magis animosa inuadendo, quia non parcit loco, nec tempori, nec personæ, nec statui. Quod enim non parcit loco, patet. quia quanto locus solennior, tanto superbia pronior & promptior in congregationibus, in prædicationibus, in quibusque locis, publicis negotijs statim superbia se intermiscet. Quia in Ecclesia in loco sacro valde lucratur. Quia vtriusq; sexus personæ in ornatu, in gestu in Ecclesia maximè, vbi contritioni & humilitati se dare deberent, ostensioni & superbiæ magis student, quam deuotioni. *Secundo*, non parcit personæ. Christum enim spiritus superbiæ inuasit, Matth. 4. Angelum primum, hominem primum, & vnumquemque etiam sanctum. Quia dicit Hieronymus in Epist. Difficilius arrogantia quàm auro & gemnis caremus. Vnde Augustinus in Epistola ad Dioscorum. Vitia cetera in peccatis, superbia verò in rectis factis cauenda est: ne illa quæ laudabiliter facta sunt, laudis cupiditate amittantur. Idem August. in regula: Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. *Tertio* non parcit tempori; immo quanto dies sanctior, in Natali, in festo Paschæ, & huiusmodi, tanto magis infestat spiritus superbiæ hominem, Minus tamen de nocte, quam de die. Amat enim lucem. *Quarto* non parcit statui. quia omnes inuadit. Senes cum iunioribus, religiosos cum secularibus, diuites cum pauperibus, subiectos cum superioribus, *vt non sit qui se abscondat à calore eius*, Psal. 18. Tum n. non bene pugnamus, cum cuncta subiecta putamus, quæ tamen post modicum nos infestant, eò quod superbia restat. 2. 3. 4.

TERTIO, superbia est magis cautelosa in alliciendo. Facile enim est declinare gulam, & deuitare luxuriam, fugere homicidium, & grossa peccata. Nam sicut sagittarius si percusserit bestiam in corpore, scilicet in pede, vel in dorso, non est securus de ea; sed si in corde percusserit eam, est securus: Ita diabolus maximam securitatem se reputat habere de homine, quando ipsum percutit in corde per superbiam. De hac

sagitta superbiæ intelligitur illud 4. Regum 2. *Egressa est sagitta per cor regis statimq́; corruit.* Et illud Hiere. 49. *Arrogantia tua decepit te & superbia cordis tui.* Omnis enim superbus habet Deum aduersarium: quia odibilis est Deo & hominibus superbia. Idcirco dicitur Metricè:

Actibus & verbis homo ac quicumque superbis,
Hoc retine verbum: frangit Deus omne superbum.

Cur fugienda superbia. Ista quidem ancilla est è ciuitate cordis eijcienda.

I. Quia defraudat hominem. *Primo* ideo, quia hominem defraudauit, de quo dicit Augustinus superbia meretur illudi. Nam omnes hæreses, & omnes alij periculosi errores, ex superbia veniunt. quia Glossa super illud Hierem. 49. *Arrogantia tua*, dicit: Omnis hæreticus arrogans. Quia superbia facit hominem hæreticum, vel arrogantia.

II. Excæcat hominem. *Secundo* hominem excæcat, secundum illud Apoc. 3. *Dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & nudus, & pauper, & cæcus.* Quis quæso teneret ancillam, quæ eum faceret miserum, nudum, cæcum? & hoc facit hæc ancilla superbia. Quia dicit Dominus, Ioan. 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Vbi dicit Gloss. interlin. Qui non vident, sunt humiles cæci, & qui vident sunt sapientes superbi. Ergo Christus venit, vt humiles cæci illuminarentur, & superbi sapientes excæcarentur.

III. Superbia infatuat. *Tertio* superbia infatuat. quia dicit Bernardus. Omnis superbia stultitia, quanquam non omnis stultitia superbia. Vnde super illud Roma. 1. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*, dicit Augustinus. Si dicendo te sapientem, stultus es, dic te esse stultum, vt sapiens fias. Si ergo vis sapiens reputari, eijce superbiam, & amplectere humilitatem. Quia dicit Sapiens Prouerb. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia.*

L. Filiæ superbiæ è corde eijciendæ. Hæc turpis mater superbia turpes habet filias secundum Bernardum, quas etiam hic hortatur Apostolus eijci à domo cordis. *Prima* est curiositas, vt dixi suprà Feria

I. Curiositas multiplex. IV. Inuocauit sermone 2. V. C. D. De hac dicit sanctus Thomas 2. 2. q. 172. Curiositas est vitium circa inordinatum cogitationis appetitum, & hoc potest contingere

1. sex modis esse malum. *Primo*, in quantum aliquis volens inquirere veritatem superbit. quæ tamen cognitio de se bona est: fit autem mala ratione intentionis.

2. *Secundo*, quando homo cogitatione veritatis vtitur ad peccandum. *Tertio*, in quan-

3. tum per studium minus vtile retrahitur à studio, quod ei ex necessitate incumbit. Si verbigratia aliquis legeret libros Poëtarum, sacram Theologiam omittendo. Quia beatus Hieronymus eo quod legerit libros Ciceronis, ad tribunal Christi ductus est,

4. & ibidem grauiter verberatus, vt habetur 37. dist. c. Legimus. *Quarto*, in quantum homo studet discere, à quo non licet. Sicut qui futura à dæmonibus scrutatur.

5. *Quinto*, in quantum appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non ad debitum

6. finem referendo, scilicet ad Dei cognitionem. *Sexto*, in quantum aliquis studet ad cognoscendum veritatem, supra ingenij sui facultatem. Contra quod dicit Sapiens: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris*, Eccles. 3.

II. Leuitas mentis. SECVNDA filia est mentis leuitas. quæ secundum Bernardum ex hoc perpenditur, quod homo habet omnium rerum vicissitudines. nunc pauca, nunc modica: nunc multa, nunc inania; nunc risu, nunc luctu plena, semper tamen irrationabilia iudicat verba. Contra has leuitates legitur de purgatorio beati Patricij, quod quidam

erat habens vulnera & plagas ibidem receptas semper retentas in tota vita sua, & erat semper in maxima pœnitentia. Hic quando vidit aliquem iuuenem immoderatè ridentem, vel alias se leuiter habentem, exclamauit frequenter dicens: O si scires, quàm acerba pœna datur leuitatibus istis, tu fortassis mores tuos leues corrigeres, & in melius emendares.

TERTIA est inepta lætitia. quæ est, cum quis exterius per gestus malos ostendit se gaudiosum. Contra quem dicit Fortunatus in quadam homilia: Omnis, qui soli huius vitæ lætitiæ innititur, ipse à lætitia supernorum æternaliter sequestratur, id est, diuiditur. Et hæc lætitia, secundum Bernardum deprehenditur his indicijs: Cum in lingua est scurrilitas, in fronte hilaritas, in vultu varietas apparet, in incessu pronus, ad iocum facilis, & promptus in risu. Et talis similis est vesicæ turgidæ vento, puncto perforatæ exiguo; quæ si stringitur, crepitat & crebros sonus reddit, vento non statim, sed strictim egrediente. Sic ventus vanitatis in talibus non liberè valens egredi, per cachinnos emittitur. III. Inepta lætitia. Indicia lætitiæ ineptæ.

QVARTA filia est iactantia in multiloquio: & deprehenditur his indicijs. Qui enim in isto gradu est, omne quod sentit, effundit: præuenit interrogantem: non quærenti respondet: ipse quærit, ipse dissoluit, & verba collocutoris imperfecta præscindit: laudat vigilias, commendat ieiunia: super omnia orationes exaltat. si ad alia sermo conuertitur, in his quanto assuetior, tanto loquacior inuenitur. Hæc Bernardus. De hac plura, suprà sexta feria post diem Cinerum sermone 2. S. T. IV. Iactantia.

QVINTA filia est singularitas, & est, cum quis in suis operibus & factis solus vult apparere sapiens, & ob hoc singularem vitam eligit. Perpenditur autem his indicijs iste gradus: Qui enim in isto gradu est, blanditur sibi magis de vno ieiunio, quam cæteri prudentes faciant, si sex diebus ieiunassent, & commodior videtur sibi vna oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia vnius noctis. Dolet aliquem sibi pallidiorem, & minus comedentem. Pallorem suum & maciem magis æstimat, & cætera quæ potest videre, speculatur. Ad omnia sua strenus, ad communia piger, vigilat in lecto, & dormit in choro aut Ecclesia, vt dicit Bernardus. V. Singularitas.

SEXTA filia dicitur arrogantia, cum quis sibi vsurpat, quod statui suo non conuenit, & sic perpenditur. Qui in hoc gradu est, de se solo plus quàm alijs credit, vt non solum verbo aut operum ostentatione, suam præferat religionem, sed intimo cordis affectu credit se omnibus sanctiorem, & quicquid de se laudatum agnouerit, non ignorantiæ aut beneuolentię laudatoris, sed suis meritis adscribit. Hæc Bernardus. VI. Arrogantia.

SEPTIMA est præsumptio, & cognoscitur sic secundum Bernardum. Qui est in hoc gradu, conuenientibus in consilium primus residet: non vocatus accedit: non iussus se intromittit: deordinat ordinata; reficit refecta: quicquid ipse non fecerit aut ordinauerit, nec rectè factum nec pulchrè ordinatum æstimat. Qui etiam hoc vitio laborat, videtur sibi quod omnia solus faciat, & supportet. Et tales sunt similes Baldenio depicto vel sculpto, qui collo, humeris & brachijs, & facie prominens, totam fabricam cum onerosa fatigatione se simulat supportare; & tamen fabrica staret æquè fortiter, si totum illud idolum deleretur, vel tolleretur. VII. Pręsumptio.

Tales

Tales etiam similes sunt alienato à mente, qui semper stans sub dio, nullo modo intrare voluit domum, nec sedere, nec bibere vel comedere. Requisitus quare hoc faceret. Respondit? Quia ipse supportabat totum cœlum, & si ad horam dimisisset, cœlum casurum esset. Ita est de nonnullis nimis præsumptuosis, vt dicit Robertus Holkot lect. 166. qui inflati seculari scientia, reputant se supportare totã Ecclesiam scientia & discretione, quam se habere præsumunt. Quorum cuilibet dicitur Isa. 47. *Sapientia tua, & scientia tua te decipit.*

M Præsumptionis stultitia. Sed NOTA quod præsumentium fatuitas perpenditur ex tribus. PRIMO per comparationem imbecillitatis nostræ, ad fortitudinem hostium nostrorum. Nos enim sumus quasi locustæ gigantibus infernalibus comparati, qui sunt hostes nostri valde fortes. Ergo fatuus est, qui de seipso præsumit sine Deo istos etiam gigantes vincere,

I. sicut probat Origenes super Nume. 21. vbi agitur de exploratoribus missis à Moyse, dicens: Vult Dominus Deus res mirabiles facere, vult de locustis facere gigantes: & de his, qui in terra sunt, nequitias vincere scelestas.

II. SECVNDO exemplis virorum fortium, qui corruerunt. Nam Dauid præsumenter dixit Psalm. 29. *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum.* Et tamen postea motus est de coniugali potestate in adulterium, proditionem, & homicidium, dum Bethsabee cognouit, & virum eius Vriam fidelem suum militem interficiendum misit, vt dicitur 2. Regum. 11. Ideo dicit Glossa: Dauid cadente nemo superbiat. Multos enim legimus in sacris scripturis in monte præsumptionis corruisse. Ideo fugiendus est mons multum iste. Quia dicit Augustinus: Multum infrenis est, qui illuc ire contendit, vbi multos corruisse conspicit. In montem istum ascenderunt, qui operantur iniquitatem.

III. TERTIO propter experientiam propriæ fragilitatis. Adeo enim sumus imbecilles, quod leuem cogitationem superare non possumus, modicum verbum sustinere non valemus. Quare ergo temeritate magna aliquid præsumimus, qui modica non possumus? Iuxta illud Apostoli 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis.* Si igitur non sufficit homo ad benè cogitandum, quod est minimum, ad bona opera quomodo sufficiet, & ad alia? Ideo dicit Sapiens Prouerb. 14. *Sapiens timet & declinat à malo stultus transilit & confidit.*

VIII. Peccatorum defensio. OCTAVA filia est peccatorum defensio dicit enim Bernardus. Multis modis fiunt excusationes in peccatis. Aut n. dicit, qui se excusat, non feci, aut confitens ait; benè feci; vel si malè, non multum malum; Aut si multum malè, non mala intentione feci. Si autem de illa conuincitur, aliena nititur excusare suasione. Sicut de hoc habetur figura Genes. 3. De Adam, qui se excusauit per Euam dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi. Et cum Deus dixisset ad mulierum: Quare hoc fecisti? dixit, Serpens decepit me, & comedi.*

IX. Dissimulata confessio. NONA filia est dissimulata confessio. Et quomodo hoc fiat Bernardus ostendit, dicens: Sicut vasa figuli probat fornax, ita tribulatione verè pœnitens discernitur. Qui enim veraciter pœnitet, labores pœnitentiæ non abhorret. Sic simulatam confessionem faciens, si vel leui contumelia aut exigua increpatus fuerit, iam humilitatem simulare non potest, sed murmurat, frendit, irascitur. Quanta putas tunc fit confusio in corde superbi, cum fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur? Tandem notatur ab hominibus, & iudicatur ab hominibus, eoque vehementius

tius homines indignantur, quod conspiciunt falsum, quicquid de eo opinabantur. Tunc opus est Prælato, vt eo minus illi parcendum putet, quo magis offendit.

DECIMA est rebellio. Hanc filiam desponsauit principaliter ipsa superbia Iudęis, qui valde proni erant ad rebellandum Moysi, & alijs suis Prælatis, Numer. 20. Vbi dicitur: *Conuenerunt filij Israel aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Vtinam perijssemus inter fratres nostros coram Domino. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, nec ficum gignit, nec vineam, nec malogranata. Quibus Moyses dixit: Audite rebelles & increduli. Nunquid de petra hac poterimus vobis aquam eijcere?* quasi diceret, cum adiutorio Dei. Et hi qui rebelles erant, ideo terram promissionis non intrauerunt, sed in deserto mortui sunt. Et timendum est valde, quod adhuc multi inter Christianos habent hanc filiam superbiæ in vxorem, qui Prælatis suis non obediunt. Et hi habent timere quod cum Iudæis terram promissionis vitæ æternæ, quæ fluit lacte diuinitatis, & melle humanitatis Christi, minimè subintrabunt. Quia de illis, qui rebelliosè murmurant contra Prę-latos, dicit Gregorius: Regnum cœlorum nemo qui murmurat accipit: nemo qui accipit, murmurare potest. Hæc Gregorius. Quoniam cum intrant terram promissionis, quid aliud restat, nisi vt cum Dathan & Abyron, qui semper rebelles erant, in infernum viui descendant? Num. 16.

X. Rebellio.

Pœna rebellium.

VNDECIMA filia est libertas peccandi. quia cum homo nullum timet, sed Prælatis rebellat, nec etiam aliquos veretur, quanto tunc est securior, tanto liberius sua desideria adimplere delectatur.

XI. Libertas peccandi.

DVODECIMA est, consuetudo peccandi, & hæc, vt dicit Robertus Holkot lect. 177. magnam habet violentiam inclinandi voluntatem ad se. Et ideo sicut optimum est assuefieri ad bonas consuetudines & virtuosas, ita periculosum est & pessimum, assuefieri peccatis. Vnde narrat Valerius lib. 6. capit. 2. in fine. Quod Thraces, cum acerbissima execratione vti volunt aduersus eos, quos vehementer oderunt, optant, vt mala consuetudine delectentur.

XII. Consuetudo peccādi.

De malitia verò peruersæ consuetudinis loquitur Augustinus 8. lib. confessio. cap. 5. & de seipso dicit, quàm difficilis erat ad conuertendum ad fidem dicens: Ligatus eram non ferro alieno, sed ferro meæ voluntatis. Velle enim meum tenebat inimicus, & inde catena ferrea constrinxerat. Quippe ex voluntate peruersa est libido facta, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas. Hæc ille. Et metrista:

Qui non assuescit virtuti, dum iuuenescit,
A vitijs nescit desistere quando senescit.

In huius figura saluator faciliter suscitauit puellam in domo & iuuenem delatum extra portam. Sed Lazarum quatriduanum in monumento cum gemitu, lacrymis, & clamore. Ioan. 11. Quod opponens Augustinus super Matth. 15. homilia, dicit: Moles imposita sepulchro vis est directa consuetudinis, qua premitur ita, vt nec resurgere, nec respirare permittatur. Dictus est autem quatriduanus; reuera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quodam progressu venit anima. *Primo* est quasi scintillatio delectationis in corde: *Secundo* consensio in voluntate: *Tertio* factū: *Quarto* consuetudo. Hæc ille. Hæ sunt duodecim filiæ superbiæ secundum Bernardum.

Lazarus cur quatriduanus dictus.

SECVNDA ancilla est inuidia, quæ immediatè nascitur ex superbia; Et describitur N

II. Ancilla est inuidia. ab Augustino; Inuidia est odium alienæ felicitatis. Et est quidem eijcienda è corde hominis propter tria, quæ ponit Robertus super lib. Sap. lect. 30. PRIMO, quia est intoxicatiua veritatis & charitatis. Nam si illa non esset, quilibet de bono alterius gauderet, & de malo non gauderet, sed doleret. quia hoc est proprium charitati. Ideo Augustinus dicit super Ioan. Tolle inuidiam, & tuum est, quod habeo. Item: Tolle inuidiam, & meum est, quod habes. Et Glossa super illud Isa. 45. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras.* Sic dicit: Venenum, quod est vita serpentum, est mors hominum & econtra, humor aqueus, id est, saliua est vita hominis, & mors serpentis. Isto modo vita hominis boni & virtuosi, est mors inuido. Et quod bono viro est mors vel damnum, est vita inuido.

I. Inuidia, toxicum est caritatis.

II. Ostium iniquitatis. SECVNDO inuidia est ostium iniquitatis. Per hanc enim intrauit mors in mundum, iuxta illud Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*, id est mediante inuidia diaboli. quia diabolus ex inuidia tentando mortem intulit. Per hanc occisus est Abel à Cain Genes. 4. Iacob tribulatus ab Esau. 27. Ioseph à fratribus venditus Genes. 37. & à Iudæis Christus crucifixus, Matt. 27. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.* Et ostium illud nullus potest vitare, iuxta illud Senecæ, libro de moribus. & si nullos inimicos fecit tibi iniuria, multos tamen fecit inuidia.

III. Putredo sanitatis. Inuidia nihil iustius. TERTIO est putredo sanitatis, iuxta illud Prouerb. 14. *Vita carnium, sanitas cordis putredo ossium inuidia.* Hoc tamen iustissimum vitium est. quia est in suum auctorem reciproca. Et ideo dicit Hugo de sancto Victore: Iustius inuidia nihil est, quia protinus ipsum auctorem punit, excruciatque. Et Basilius in hexameron. Sicut, inquit, rubigo ferrum, sic inuidia animam, de qua nascitur, corrumpit. Et ideo maximam iniuriam faceret Deus inuido, si poneret eum in cœlo: quia ibi est summa felicitas in proximo, & per consequens summum nocumentum foret inuido: & ideo erit in inferno, vbi nihil videbit, cui inuidere possit.

Filiæ inuidiæ. 1. Odium. Hæc ancilla mala multas habet filias & filios. *Prima* est odium. de qua dicetur infra Dominica II. post Trinitatem. *Secunda* filia est detractio, quæ bona aliorum denigrat. Sed contra illud vitium debemus nos disponere.

2. Detractio. PRIMO, ne ipsum aliqualiter faciamus, iuxta illud Iacobi 4. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri suo, detrahit legi.* Cui consonat Hieronymus in Epistola 13. Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si ceteros laceres. Accusamus sæpe quod ipsi facimus, & contra nosmetipsos districti in vitia nostra inuehimur, muti de eloquentibus iudicantes. De istis etiam detractoribus loquitur Bernardus super Cant. serm. 23. Omnis qui detrahit, primum quod perdit est, quia facit seipsum vacuum charitate. Detractor enim quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahitur, veniat in odium vel contemptum illis, apud quos detrahitur. *Et infra:* Vnus loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamē vnum illud verbum, dum in vno momento audientiū aures inficit, animas interficit. Hæc ille. Omnes enim discordiæ,

Detractoris intentio.

Origo discordiarum. (vt dicit Robertus lect. 10.) lites & odia, quæ sunt in mundo, fere habent originē vel argumentum ad minus per detractores & per ipsam linguam, quæ multos cognouit, & disperdit de gente in gentē. In cuius figura fingunt Poetæ, quod Cadmus rex Græcorum seminauit in terrā dentes serpentum, ex quibus succreuerunt milites armati, qui statim in se irruentes acerrimè conflixerūt & se mutuo peremerūt, vt dicit Ouid. lib. 3. Metamor. Isto modo detractor seminat dentes serpentinos, id est, verba venenosa

nosa detractionis inter illos, qui deberent esse amici. Qui quidem dentes statim crescunt in milites armatos. Quia verba detractorum concepta in cordibus hominum, ad effectus hostilitatis & inimicitiæ procedunt. Ille seminator est septimum eorum, quæ odit Deus, Prou. 6. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius*. Et subdit, enumerando ea. *Oculos sublimes; linguam mendacem; manus effundentes innoxium sanguinem; cor machinans cogitationes pessimas; pedes veloces ad currendum in malum: proferentem mendacia testem fallacem; septimum est. Et eum qui seminant discordias inter fratres.* Non enim legimus, quod aliquod vitium Deus expressius odiat vel persequatur, quàm detractationem, iuxta illud Roma 1. *Detractores Deo odibiles.* Et Deus ipsemet ait Psal. 100. *Detrahentem secretè proximo suo, hunc persequebar.*

De hoc vitio Greg. 9. moral. super illud Iob 19. *Quare me persequimini sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Sciendum, inquit, est, quod qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus satiantur. Vnde per Salomonem Prou. 23. dicitur: *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum pœna mox subditur: *Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.* Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ se inebriant. Symbolum verò dare est, sicut vnusquisque hospitum solet pro parte sua, conferre cibos ad vescendum. Ita in confabulatione detractionis verba conferre, est symbolum habere. Sed vacantes potibus & dantes symbolum consumentur. quia sicut scriptum est. *Omnis detractor eradicabitur.* Hæc Gregorius. Carnes ad vescendum conferre, quid? Symbolum dare quid?

II. Non audiendus detractor.

SECVNDO prouidendum est, ne detractionem faciliter audiamus. quia dicit Bernardus super Can. serm. 63. Porro detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facile dixerim. Abominabile est audire, vel conferre cum homine, cuius dentes sunt corrupti, vel stomachus repletur fœtidis vel malis humoribus. Quia talis habet anhelitum nimis grauem. Et dicunt Naturales, quod omnes bestiæ, quæ vescuntur crudis carnibus, habent ora fœtentia & abominabilia. Et certè multò magis deberent nobis esse fœtentia & abominabilia ora detrahentium, iuxta illud Prou. 24. *Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor.*

III. Non timendus detractor.

TERTIO cauendum est, ne detractionem pusillanimiter timeamus. Multi n. propter eloquia detractorũ à bono proposito retardantur: & hoc est valde fatuũ imo secundum doctrinam Greg. 6. moral. c. 17. Detractiones hominũ despiciendo & contẽnendo superare debemus. Expedit n. nobis scire, quod aliqui nobis detrahant. Vnde Greg. 22. c. 12. Sed inter hæc sciendũ ne immoderatis laudibus efferamur, plerũq; miro rectoris nostri moderamine detractionibus lacerari permittimur. vt cum vox laudãtis nos eleuat, lingua detrahentis humiliet. Et eadẽ sententia ponitur transumptiuè 6. q. 1. c. sunt plurimi. *Tertia* filia inuidiæ est susurratio. quæ nihil aliud est quã discordiæ seminatio inter amicos. Et dicit Thom. 2. 2. q. 74. susurratio grauius est peccatum quam detractio. Hoc probat sic: Tanto enim aliquod nocumentũ grauius est, quanto bonũ mitius est, vel melius, q̃ tollit. Melior autẽ amicitia est quam fama, quę tollitur per detractionẽ. igitur grauius punitur. Sicut patet de illis duobus, qui semp discordias inter amicos faciebãt. de quibus supra Dominica I. octa. Nat. Christi, K L. 3. Susurratio. O

Quarta filia est damnatio. quæ est bona alterius peruertere, & propria mala non memorari. *Quinta* est ingratitudo. quæ est de acceptis beneficijs Deo gratias non agere. 4. Damnatio.

5. Ingratitudo. Peccatorum ingratitudo varia. agere. Circa quod NOTANDVM. Robertus Holkot super lib Sap. lect. 186. dicit: Ingrati sunt peccatores multipliciter. *Quidam* n. doni Dei non recogitant: *quidam* verò de suis beneficijs non honorant eum: *quidam* ei sua beneficia exprobrant: *quidam* verò contra eum per sua beneficia pugnant. PRIMI sunt ingrati satis, qui nunquam ponderant præconcessa, sed semper aspiciunt ad habenda: & non quid receperint de

I. præterito, sed quod recepturi sunt prospiciunt de futuro. Et hæc est prima ac potissima ingratitudo. Sicut dicit Seneca in l. 3. de beneficijs fere in principio. Prima verò omnium ac potissima causa ingratitudinis est, quod nouis semper cupiditatibus occupari, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus; Non in illud quod nobis

II. est, sed in id, quod petimus, intenti sumus. SECVNDI sunt ingrati, qui Deum de beneficijs suis inhonorant, similes porcis, qui glandes quotidie comedentes, nunquam ad arborem oculos erigunt, cuius fructu incessanter depascuntur. Contra quos Arist. 5. Ethico. cap. 8. ostendit, quòd famulatu proportionabili cōmanent & cohabitant boni ciues, & illi qui non possunt consimilia retribuere, saltem gratiarum actionem sponte faciunt de exhibitis beneficijs, vt retributio sit. Hoc enim proprium est gra-

Gratiarum actio. tiæ. Est n. gratiarum actio quædam retributio, & quoddam sacramentum in eo, qui non potest retribuere ad valorem rei collatæ. Oportet enim quod faciat gratiarum actiones, & ei seruiat in recompensationem collati beneficij. Ideo dicit Hermes Trismegistus in libro suo, qui dicitur Logostyleos, in fine. Quod non est conueniens Deo Thus vel Myrrham incendere, & sic eum adorare, si non, inquit gratias agentes adoremus. Hæ enim sunt summæ incensiones, cum gratiarum actiones Deo aguntur à mortalibus. Sed timendum est quod iam nimis verificetur prophetia Apostoli 2. ad Tim. 3. *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Et erunt homines seipsos amantes, & ingrati.*

III. TERTII sunt ingrati, qui Deum de beneficijs suis exprobrant, vt sunt hi, qui iurāt super vulnera Christi. quæ tamen nullatenus suscepisset, nisi ad hoc eum charitas coēgisset. De his dicit Sapiens Eccl. 29. *Pascet & potabit ingratos, & adhuc amara audiet.*

IV. QVARTI sunt ingrati, qui contra Deum per beneficia sua pugnant; qui donis Dei ad peccandū vtuntur. *Aliqui* abundat diuitijs à Deo concessis, vt necessitatibus pauperum succurrant, & hi sunt præcipuè pauperum oppressores. *Alij* fortitudine corporis sui vigent, vt Deo per pœnitentiam seruiant, & hi specialiter in seruitijs dæmonum vires suas consumunt. Sicut sunt rixosi, prędones, & latrones. *Nonnulli* vigent ingenio naturali, quo Deum colere, & se, & alios regere deberent: & isti fraudibus & dolis intenti circumueniunt proximos. deseruientes diabolo & non Deo. Contra quos Gregorius 32. moral. super illud Iob. 40. *Huic montes herbas fuerunt*, dicit sic: Dum reprobi de donis, id est, adiumentis diuinitus acceptis nequaquam recta, sed praua cogitant, quid aliud faciunt, nisi suis contra Deum donis pugnant? Quam sententiam dicit expressius in homilia quadam super illud; *Cum audieritis prælia & seditiones.* Omnia, inquit, quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum culpæ conuertimus. Tranquillitatem quippe pacis humanæ ad vsum conuertimus securitatis vanę, peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ, salutem corporum in vsum redigimus vitiorum, sobrietatis abundantiam ad voluptatis intorsimus peruersitatem, Hæc Gregorius. Refert Valerius lib. 2. c. 1. Apud Athenienses conuictus libertus de ingratitudine aduersus patronum, vitæ libertate exuebatur per hac verba: Abi, & esto

esto seruus: quia liber esse non scisti. Et Seneca lib. 4. cap. 37. de beneficijs narrat: Quod quidam miles naufragus littor est appulsus, & in hospitio cuiusdã per triginta dies refocillatus. Tandem licentiam accipiens, ait: Gratias tibi referam, si Imperatorem meum me videre continget. Veniens enim ad Philippum regem Macedonum, prædia illius, apud quem fuerat hospitatus, poposcit: annuit Philippus. Vir igitur de suis expulsus, non vt iners vel rusticus iniuriam tacitus tulit, sed ad curiam Imperatoris accessit, & ingratitudinem militis exposuit. Philippus hoc audiens, iussit vt improbissimo militi & ingratissimo hospiti, stigmata infigerentur, quæ eius ingratitudinem perpetuò testarentur: & hospiti omnia redderentur. Exemplum punitæ ingratitudinis ab Imperatore.

Sexta filia est subsannatio vel derisio. Vbi Nota, derisio quatuor mala facit, vt dicit Robertus lect. 60. Ostendit stultitiam, suspendit amicitiam, offendit iustitiam, & intendit malitiam. Derisio.

Primo ostendit stultitiam, quia qui deridet hominẽ similem sibi pro defectu quocumq; naturali vel morali, ignorat propriam fragilitatem. Potest enim fieri derisibilis de consimili, si Deus permittat. Vnde Gregorius 25. moral. c. 7 Quid sumus hodie, nouimus: quid autem post paululum esse possumus, nescimus. Hi n. quos despicimus tarde possunt incipere, & tamẽ vitam nostram feruentioribus studijs anteire. Timendum itaq; est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. quamuis stare iam non nouit, qui non stantem nouit irridere. Hæc Gregorius: Et ideo aduertat quilibet illud Iob 11. *Cum ceteros irriseris, tu a nullo confutaberis?* quasi diceret, constat quod sic. Quia Prou. 3. dicitur de Deo: *Illusores ipse deludet.* *Secundo* suspendit amicitiã. Est n. frequenter causa contentionis & discordiæ. Ideo dicitur Prouerb. 22. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq́ causæ & contumeliæ.* *Tertio* offendit iustitiam Facit enim derisor alteri, quod sibi nollet fieri. quare sustinebit supplicia, Prou. 19. *Parata sunt derisoribus supplicia & mallei percutientes stultorum corporibus.* *Quarto* intendit malitiam. Incipit n. à ludo, & sub specie ludi intendit in honestatem proximi & sic committit mendacium facti. Iere. 9. *Omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit. & veritatem non loquetur.* Et ideo contra derisores dat scriptura quatuor minas Dicit n. quod non sunt arguendi de iniquitate: Non sunt instruendi de fatuitate: sunt eijciendi de societate: & sunt deridendi à Dei maiestate. De primo dicitur Prou. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientẽ & diliget te.* De secundo, Prou. 14. *Quærit derisor sapientiam, & non inuenit.* De tertio Prou. 22. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium: cessabuntq́ causa & contumelia.* De quo in Psal 58. *Tu Domine deridebis eos.* Effectus derisionis.

Tertia ancilla est ira, quæ secundum Augustinum est vlciscendi libido, & hæc est de corde eijcienda. quia facit iniuriam Deo, & proximo, & proprio subiecto, impediendo aspectum rationis & intelligentiæ. Deo n. conuenit ratione potentiæ culpas iudicialiter vindicare, bonos spiritualiter inhabitare, & eis liberaliter bona sua legare. Sed contra ista iniuriatur iracundus Deo in omnibus. P III. Ira, ancilla tertia, eijcienda, eiusque incommodæ.

1. Primo aufert Deo vindictam. quia ita est deordinatus appetitus vindictæ. Et Deus dicit Deut. 32. & ad Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam*, Deus n. duo sibi retinuit, gloriam & vindictam; Alterum superbus, alterum aufert iracundus. De gloria dicit Isa. 48. *Gloriam meam alteri non dabo.*

2. *Secundo* iracundus Deo iniuriatur; quia expellit eum à quiete suæ habitationis.

 Quia

Quia in Psalm. 75. dicitur. *In pace factus est locus eius.* Ira autem perturbat pacem & destruit, iuxta illud Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas.* Domum enim quæ tota die tremeret & moueretur, nullus magnus Dominus libenter inhabitaret. Sic Christus secundum Psalmum 95. *Est magnus Dominus & laudabilis nimis*, non habitat in domo cordis, quod semper tremit & mouetur per iram.

3. *Tertio* Deo iniuriatur impediendo, ne legatum stare possit. Legat enim Deum pacem hominibus Ioan. 14. *Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis.* Et quia dicunt iura 13. q. 2. c. Oblationes, vbi vult quod legata defunctorum sunt seruanda: & si quis non seruauerit, est tanquam infidelis ab Ecclesia eijciendus & excommunicandus. Sed quia iracundus impedit testamentum Christi, ideo tanquam excommunicatus est ab Ecclesia eijciendus. Ideo dicitur Prouerb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso.*

II. SECVNDO principaliter ira subtrahit proximo affectum debitæ beneuolentiæ. Teneor n. proximo saluare famam & personam, & cõtra ista iratus compellit ad nocendũ proximo in substantia deprædando, in fama diffamando, in persona trucidando. Ideo dicitur Eccl. 27. *Ira & furor vtraq; execrabilia.* Quia Eccl. 21. *Obiurgatio & ira annullabunt substantiam.* Dicit n. Arist. lib. 3. de animalibus, quod apis, cum eijcit aculeum, moritur. Ita est MORALITER de iracundo. Dummodo n. exercet malitiam suam erga proximũ, verbo vel opere lædendo, in substantia, persona, vel fama. Primo interficit spiritualiter seipsum, sicut testatur Iob 5. *Virum stultũ interficiet iracundia.*

TERTIO ira proprio subiecto subtrahit & destruit tria bona. Destruit honestatem corporalis dispositionis. Impedit potestatem naturalis rationis; minuit quantitatem vitalis durationis. PRIMO igitur destruit honestatem corporalis dispositionis. Quan-

I. Damna ex ira prouenientia.

tumcunq; n. persona sit pulchra, ira tamen subuertit oculos, genæ fiunt nimis rubeę, vel nimis pallidæ: gestus est tremulus, lingua cespitat, & totus homo dehonestatur. De hoc loquitur Seneca 2. de ira. Nam, inquit, irati facies turbatior, ora pulcherrima, fœdat, toruos vultus ex trãquillissimis reddit, linquit decor omnis iratos. *Et sequitur*: Qualẽ putas esse animum, cuius imago tam fœda est? Ideo dixit quidam Philosophus quod profuit iratis aspexisse speculum, vt imago repercussa ostendat homini suã deformitatem. Idem lib. 3. de ira. Nulla facies feræ, quantumcũq; agitetur, est ira turpis, sicut hominis ira flagrantis. Narrant fabulæ ꝙ Minerua aliquãdo delectata est in musica tibiarũ. Cum ergo semel inflaret tibias iuxta quendam fluuium, vidit buccas suas turpiter tumescẽtes statim fistulas abiecit. Minerua est Dea sapientię, & sapiẽtes sunt aliquando indignantis naturæ, iuxta illud Eccl. *In multa sapientia, multa est indignatio.* Contingit ergo, quod aliquis sapiens quandoq; per motum iracundiæ tangitur; sed statim si est sapiens, considerat indecẽtiam sui status, & alias deformitates sibi cauet.

II. Impedit rationem.

SECVNDO impedit potentiam naturalis rationis, iuxta illud Catonis. *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Et ideo diabolus facit sicut astutus piscator, qui antequam vult decipere, faciliter pisces, turbat aquam, & tũc est securus quod pisces non possunt videre rete suũ. Eodem modo diabolus in cõgregatione quacunq; immittit per aliquam iracundiã turbationem in totam congregationem, quæ significatur per aquam Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi:* & tunc ducit eos ad peccata & malitias excogitandas, sicut sibi placet, & totam congregationem reddit turbatã. Dicit n. Arist. in 5. Topic. quod irascibilis non imperat rationali, nisi cum fuerit peruersa anima hominis

minis. Et ita est, quando peruersa fuerit anima irascibilis, dominatur & nunquã aliàs. Dicit n. Arist. 1. Elench. quod est cautela specialis sophistæ, vt videlicet socium suũ prouocet ad iram, quia ira impedit animum. Iste sophista est diabolus Eccl. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*. Item dicit Arist. 1. de animalibus c. 2. quod ista tria coniunguntur: Ira, insipientia, & indocilitas. Et ponit exemplum de apro agresti, & ita est MORALITER. Iracundus nunquam benè docebitur. Ideo dicit Sapiens: *Ne velox sis ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit*. Eccl. 7.

TERTIO ira minuit quantitatem vitalis durationis. Animalia enim excessiuè cholerica, sunt naturaliter breuis vitæ, sicut maximè patet de cane. Et hoc est quod dicitur Eccles. 30. *Zelus*, id est inuidia, *& iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducunt*. Vnde antiqui dixerunt iram breuem insaniam secundum Arist. 3. lib. de anima. Est igitur cauenda ira, quia multa mala facit, est namq; similis Onychino, cui malæ proprietates attribuuntur in lapidario, c. 9. & secundum Dioscorum. Nam si cum zona in collo portetur, vel in manu gestetur, tristitiam excitat, timorem multiplicat, & animum ad lites & ad rixas suscitat. Hæc gemma venit de India & Arabia, & nullam virtutem bonam dicitur habere, & designat merito iracundiam, quæ ad nihil vtilis est: si portetur in corde, vel gestetur per manum in opere, tristitiam excitant. Nam si iracundus non potest se vindicare, tristatur; commouet rixas & lites. Ideo dicitur Prou. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti, vtroq; grauior*. Vnde Seneca lib. 3. de ira assimilat iram pestilentiæ, & dicit: Sicut contra pestilentiam nulla bona dispositio valet, ita nec contra iram vlla compositio morum: sed tam mores bonos, quam malos carpit & lacessit. Sed tamen sicut in lapidario dicitur, contra malitiam prædictæ gemmæ, inuenitur virtus alterius lapidis, qui vocatur Sardius in cuius præsentia non potest onyx nocere. MORALITER ista secunda gemma designat patientiam, quæ resistit iræ Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram*. Et ita patienter debet quis iniurias sustinere. Quia dicit Seneca lib. 3. de ira: Si amicus est, qui offendit, fecit quod voluit: si inimicus, fecit quod debuit. Hactenus Robertus Holkot in lib. Sap. lect. 126. Hæc ancilla inquam nullas habet filias.

III. Ira abbreuiat vitam.

Ira breuis insania.

PRIMA est impatientia. Et hæc habet se sicut galina in domo, quæ continuo vadit clamando nisi emittatur, non tacet. Sic etiam impatientia quamdiu est in domo cordis, nisi eijciatur, non tacet. Similis est etiam auiculæ inclusæ in cauea, quæ licet satis habeat ad comedendũ non tamen contentatur, sed ad quodlibet foramen trahit caput suum, cupiens exire: Sic & impatientia nullo modo contentatur, quamdiu est in caue cordis. Quia dicitur Prou. 7. *Garrula & vaga quietis impatiẽs, nec valens in domo consistere pedibus suis*. Ideo est de corde eijcienda. In cuius figura legitur Gen. 16. Cum Sara corripuisset Ager ancillã suam, ipsa impatiens facta est, propterea de domo eius petijt eam eijcere, Gen. 22. *Eijce ancillã* &c. Sara interpretatur Oriens, & significat rationẽ. Sed Agar interpretatur aduena, significans impatientiã, quæ est velut aduena in domo rationis, & semper spernit correctionem. Ideo petit ratio Abraham qui interpretatur pater videns, & significat Christum, qui omnia videt, vt eijciat eam de corde, patientiam pro eo assumendo. Quia dicit Psal. 61. *Verumtamẽ Deo subiecta est anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*.

Q Iræ filiæ. I. Impatiẽtia.

Saræ & Agar interpretatio.

SECVNDA filia est discordia. hæc est velut ignis infernalis, templum animæ violans, aut accendens. Dicunt n. iura de sent. excom c. Tua nos, & c. Conquesti, & 11. q. 3. c. Cũ aliquis. Omnis incẽdiarius Ecclesiarũ, ciuitatẽ, vel spacij priuilegiati in circuitu

II. Discordia.

cuitu Ecclesiæ, est excommunicatus ipso iure maiori. Idem tenet Raymundus & Gulielmus. Et ex quo sunt excōmunicati tales incendiarij; ideo à consortio fideliū sunt separandi: & non absoluuntur nisi damno restituto, & iuramento præstito, quod vlterius ignem non apponant, vt patet 33. q. vlt. c. Pessimam. Si ergo per excommunicationem excluduntur à consortio fidelium qui incendunt Ecclesiam, vel templum sanctorum; multò excluduntur magis à sanctorum consortio, qui accendunt igne discordiæ templum animæ spirituale, de quo Psal. 73. *Incenderunt igne sanctuarium tuum.* Et merito à sanctorum consortio excluduntur, quia dicit Beda super Lucam, & ponitur 11. q. 3. c. abijt. Iudas discordiæ peste societatem fraternitatis commaculauit, Deum qui charitas est, tanquam reum prodidit.

Pœna accendentis ignem discordiæ.

III. Rixa.

TERTIA filia dicitur rixa, quæ tunc fit quando homo ex propria autoritate vult se vindicare. quod tamen est iniustum secundum iura tam diuina, quam humana. Et ratio est, quia secundum Robertum Holkot lect. 181. nullus bonus iudex durante offensa potest per se vindicare reum, nec iustè quod iustum est, impedire. Similiter nullus potest esse iudex suiipsius. Vnde Tullius in oratione. Nemo, inquit, fere est, qui sui periculi iudex, non sibi se æquiorem, quàm reo præbeat. Hinc Christus dure satis Iacobum & Ioannem increpauit, Lucæ 9. quod ignem de cœlo petere volebant in vltionem iniuriæ, quando Samaritani Christum recipere recusabant, dicens ad eos: *Cuius spiritus estis? Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* In quo nobis datur intelligi, quod non semper in eos, qui peccauerunt, est exercenda vindicta. Sicut notatur 23. q. 8. c. Quod Christus. Ratio autem, quare suam iniuriam benè iudicat patet per exemplum: quando nubes interponitur inter solem & oculum nostrum, ex motu sine tremore causato in nube media, apparet nobis sol tremore, & dicunt simplices solem trepidare. Et causa huius deceptionis est tremor medij, per quod fit visio.

Isto modo MORALITER quando homo considerat iniuriam sibi illatam, durante offensa siue rancore, & in sensualitate considerat iustitiam suam per medium tremulum & nubilosum, tunc necessariò erat in iudicando. Hæc igitur vindicta est nobis sub pœna grauissima interdicta, scilicet, quod si non remiserimus proximo, remissionem non consequamur à Deo. Matth. 18. Vnde remittere iniuriam, & non petere vindictam, magnum genus eleemosynæ reputatur. Sicut de hoc dicit Cæsarius in dialogo admonitione secunda: Qui captiuos redimere, & pauperes pascere, & vestire non valet, contra nullum hominem odium in corde reseruet, & inimicis non solum malum pro malo non reddat, sed etiam eos diligat, & pro eis orare non desinat, certus de promissione Dei vel misericordia, liberà conscientià ante tribunal Christi dicere potest; Da Domine, quia dedi: dimitte quia dimisi. Hæc ille.

IV. Contumelia.

QVARTA filia est contumelia, quæ secundum sanctum Thom. 2. 2. q. 73. importat dehonorationem alicuius per verba, siue per facta; vt si aliquis dicat ad aliquem sic; Tu es fur vel raptor: & sic de alijs mentiendo. Et hoc est peccatum mortale non minus, quàm furtum vel rapina. Ideo est eijcienda, vt dicit Ansel. lib. 10. c. 41 Lingua contumeliosa flagello assimilatur, secundum illud Iob 5. *A flagello linguæ absconderis.* Quod exponit Gregorius: Flagellum linguæ est exprobratio illicitæ contumeliæ. Flagello n. linguæ bonos feriunt, qui eorum opera irrident & persequuntur. Sancta ergo anima à flagello absconditur, quia dum in hoc mundo honorem laudi. non quærit, nec cōtumelias detractationis sentit, immunis est à dehonoratione, & es

QVIN-

QVINTA filia est iniuria: & est verbo, vel facto alicui iniustè facere. Et tripliciter fit alicui, vt dixi suprà Dominica II. post Epipha. serm. 1. N. K. *V.* Iniuria.

SEXTA filia est propria malitia; & est qua quis damnum alterius molitur. *VI.* Propria malitia.

SEPTIMA est furor; quæ est intemperata tempestas, animi rationem prohibentis de quo Psal. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* *VII.* Furor.

OCTAVA est clamor: & est voluntas se vindicans, exaltando vocem per vituperium, veniens ad aures aliorum. *VIII.* Clamor.

R

NONA est blasphemia. Et secundũ Augustinum est quando aliquis attribuit Deo, quod Dei non est; vel quando negatur de Deo, quod ipsius est; vel quando aliquis sibi vsurpat, quod Dei est. Vel secundum alios: Blasphemia est verbum in contumeliam Dei prolatum, vt cum aliquis iratus, vindicare se volens de Deo, aliqua membra de ipso nominat, quæ nominanda non sunt. Tales impuniti non manebunt. Dicit enim Anselmus libro similitudinum ca 4. quod blasphemantes Deum, vel sanctos suos, similes sunt cornicibus. Dicit namque auctor proprietatum libr. 12. Cornix est aquilæ, & alijs prædæ auibus importuna. Nam aquilam quam tangere formidat, garritu & volatu insequitur & infestat, & de suo improperio commodum non reportat. Postquam enim aliquamdiu aquilam insequitur, ab eo interdum rostro percutitur aut interficitur, quando ei plus debito appropinquat. Sic etiam blasphemi nefarij Deum & sanctos, quos factis lædere non possunt, maledicis nituntur impetere verbis, quos aquila Christus postquam diu insaniam per patientiam tolerauit, nonnunquam in corpore monstruosis infirmitatibus percutit; & tandem si non pœnitent, æternæ mortis supplicio eos affligit & occidit. Quia de blasphemantibus Deum legitur, quod multotiens eorum facies præposteratæ sunt. *IX.* Blasphemia. Blasphemãtes similes cornicibus.

Refert etiam Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, c. 49. part. 9. Fuit in quadam villa Campaniæ Iudæus quidam, qui cum Christiano sacra nocte parasceues in tesserarum ludo consedit. Cumq; Iudæus multam pecuniam perdidisset, & ex hoc impatientius turbaretur, tandem in Christum retorquens iniuriam, blasphemauit. Et mox cum ad iactandum hasardum tessaras collegisset, manus eius cum tesseris fuit contracta. Qui reprobo furore succensus, cum ipsa contracta manu lusorem percutere niteretur, iterato in Christum & matrem eius benedictam blasphemiam suam euomens, statim euersis terribiter oculis cecidit, & expirauit. Christianus vero collusor ipsius, pauore nimio in amentiam versus elanguit, & vitam miseram dira morte finiuit. Ecce qualiter aquila Christus percutit garrulos & impios blasphemantes hic temporaliter, & post æternaliter, quia dicitur Matth. 12. Spiritus blasphemiæ non remittetur id est, vix & difficulter. Punitio diuina blasphemi lusoris.

Est tamen NOTANDVM. S. Thom. 2. 2. q. 13. & quædam Glossa super Isa. 18. dicit; quod blasphemia etiam ex surreptione prolata absq; deliberatione, potest esse peccatum mortale. quamuis potest etiam aliquando esse veniale. Nam cum aliquis subito ex aliqua passione in verba malignantia prorumpit, quorum significationem non considerat, tum est veniale peccatum: sed quando aduenit hæc blasphemia ex consideratione significati verborum, tunc non excusatur à peccato mortali. Sicut ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit iuxta se sedentem. Blasphemia quando peccatum mortale aut veniale.

DECIMA filia iræ, est homicidium. De qua patebit infra Dominica II. post Trinitatis serm. 1. *X.* Homicidiũ.

IV. Eijcienda acedia ancilla QVARTA ancilla eijcienda, est acedia, quæ est similis morsui rabidi canis. Vnde qui mordentur à cane rabido, terribilia somniant, & timent in somno, irascuntur sine causa, fiunt stupidi, omnes respiciunt, & à nullo respici volunt, & passione inualescente, omnem potum respuunt, aquã timent & latrant vt canes, & ita timidi fiunt, vt timore cadant. Tales citò moriuntur, nisi eis citius succurratur.

Acedi canis rabidus. MORALITER. Ille mordetur à cane rabido, qui tentatur ab acediæ vitio. Et tales somniant terribilia, & timent sine causa, quia ea quæ facilia sunt, difficilia æstimant, & idcirco sine causa persequi formidant. Somniant enim aliquid terribile, & timent, vbi nullum periculum imminet quia illud quod per somnum cernitur, non vera res est, sed imago rei existit. Est enim somnium prout Philosophus dicit, phantasma aliquod extrinsecus apparens in somno: Phantasma autem est similitudo rei imaginatæ, & non ipsa res. Talis est etiam acidiosus homo. Cumque ei occurrerit aliquid laboriosum faciendum, deficiens spiritu quasi stupidus fit. Alios etiam laborantes intuetur, & ipse piger existens, tamen piger videri vel reputari non patitur, & ipsa acidiæ passione inualescente omnem potum salutiferũ doctrinæ renuit, aquam pœnitentiæ timet, & refugit & præ tædio vitæ; vt canis latrat, quia in omnibus impatiens semper conqueritur & murmurat: Ad spiritualia autem & virtuosa acediosi ita timidi fiunt, vt pusillanimes fiant: & omnia timentes in desperationem cadunt. Propter quod dimissa diuina gratia, citius moriuntur in anima, nisi eis adhibeatur spirituale remedium. Ideo refert Arnoldus Monachus. Quidam tentabatur acedia, quoties erat ad matutinum surgentum, statim ex quadam pusillanimitate & timore vigiliarum sudore perfundebatur, putans hoc esse ex infirmitate, iacebat, & vestibus se operiebat. Nocte quadam surgentibus ceteris ad signum nolarum, festinantibusque ad diuinum officium, cum ille surgere tentaret, & iterum veniente acedia reclinaret se, (voluit enim Dominus ei per aliquod remedium occurrere) audiuit sub lecto vocem incognitam clarè sibi dicentem: Noli surgere: noli sudorem tuum interrumpere. Tunc primum sentiens se à diabolo illusum, per vitium acediæ, à fantastico sudore se excussit, nec postea tantum corpori consensit.

Phantasma quid?

Acedia facit hominẽ nimis timidũ.

§ Filiæ acediæ. I. Negligentia. Hæc ancilla pigra multas habet filias. PRIMA est negligentia. quæ est primordialis causa omnis pœnæ tàm in angelo, quam in homine, vt dicit Robertus lect. 37. Si enim homo vel angelus à Deo creatus in gratia, benè fuisset vsus naturalibus & gratuitis sibi donis datis, nunquam apparuisset angelo hoc deordinatum, vt Dei excellentiam appetiuisset, nec vnquam primi parentes dictis & persuasionibus serpentis acquieuissent, sed quia neglexerunt gratijs vti sibi datis, permissi sunt cadere in errorem per peccatum negligentiæ; & de errore negligentiæ in peccatũ superbiæ & inobedientiæ. Ideo hortatur Apostolus 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.*

Fabula Argi centoculi. ET NOTA, quod diabolus præcipuè curat negligentiam in litteratis, vt animã ipsorum recipiat. De hoc refert Ouidius in Metamor. lib. 1. circa finem quod Argos fuit quidam pastor, & habuit centum oculos: & tamen non habuit nisi vnam vaccam nuper transformatam in virginem custodiendam. Mercurius finxit se pastorem caprarum, & accessit ad locum, vbi Argus iste pascebat vaccam, & fistulabat ita iucundè & gratiose, quod Argus eum rogabat, vt placeret ei manere cum capris suis in pascuis illis: secum Mercurius annuit dicens: quia ideo veni. Sederunt igitur simul. Mercurius de nouo incepit fistulare, ita dulciter, quod aliqui oculi ipsius Argi dormitare cœperunt: adhuc alijs respicientibus ad vaccã. Tandem ita ineffabiliter dul-

citer

citer & benè fistulauit, quod omnes centum oculi dormitauerunt, & statim perrexit Mercurius & caput eius cum oculis amputauit, & vaccam secum abduxit.

MORALITER. Clericus litteratus est quasi Argus habes centum oculos, id est, centum considerationes, vel multas cautelas, & non habet nisi vnam vaccam custodire, id est, vnam conscientiam vel animam. Iste fuit Virgo dum retinuit innocentiæ puritatem. Sed transformata est in bestialem voluptatem, propter quod dicitur. Isa. 7. *Nutriet homo vaccam*. Et Oseæ.4 *Sicut vaccà lasciuiens declinauit Israel*. Mercurius verò, id est, medius currens est diabolus, qui *circumit terram*. Iob. 1. & *quærit quem deuoret*, 1. Pet. 5. Et fistulat ita suauiter per strepitum lasciuiæ mundialis, & per adulationes amicorum quod iste Argos obdormit per negligentiam vsque ad mortem, & tunc aufert illi caput: quia separat ab eo Christum, qui est caput Ecclesiæ, & miseram vaccam ducit ad gehennam. De negligentia dicam plura infra Dominica XX. post Trinitatis super illo verbo Matth. 22. *At illi neglexerunt*. Argus spiritualiter est clericus.

SECVNDA filia dicitur tepiditas, & est paruus amor boni. Et hæc cū matre sua acedia est velociter eijcienda, quia multa mala facit *Primo* quia Deo vomitum prouocat, Apoc. 3 *Quia tepidus es, nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*. Glossa: tunc tepidus euomitur, cum in deteriora labi permittitur, vel impœnitens moritur. *Secundo* fiduciam tentandi diabolo præstat. De multis enim vitijs tentat diabolus hominem tepidum, de quibus non auderet hominem feruentem tentare & laboriosum: quia videmus quod ollæ feruenti muscæ non insident. Ideo hortatur B. Hieron. Rusticum Monachum: Facito semper aliquid operis, vt semper te inueniat diabolus occupatum. *Tertio* reddit hominem quasi impotentem. quia qui valde fortes sunt, non possunt sextam partem pœnitentiæ facere, quam facit vetula: Et hoc fecit tepiditas. Quia habent paruum desiderium agendi pœnitentiam sicut dicit Bernardus. Forsitan ideo non possumus, quia non multum volumus. II. Tepiditas. 1. 2. Homo tepidus varijs tētationibus exponitur. 3.

TERTIA filia est mollities, quæ est impatientia rei duræ, de qua Prouerb. 18. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*. Glos. dicit: mollis est, qui duris, id est tribulationibus succumbit. Vnde quando in opere inchoato aliquid durum occurrerit, ipse ab opere desistit: & talis est frater sua opera dissipantis, id est, ac si ea dissiparet. Hæc etiam à corde est eijcienda. quia est quædam cultura, in qua diabolus quiescit in homine. homo enim mollis est, velut homo niueus. qui ad ignē tribulationis liquescit, & ad nihilum redigitur. Et ad hoc vt citius eijciatur, summū remedium est ignis Spiritus sancti, qui lutea consolidat. III. Mollities.

QVARTA est somnolentia, quæ est eijcienda propter tria. *Primum* est hostilitas crudelis rebellionis. Homines enim exeuntes in bellum, non possunt somno securè vacare. Nos autem sumus quotidie in multis bellis, iuxta illud Psal. 55. *Multi bellantes aduersum me*. Ecce ergo necesse habemus vigilare. Grues n. vt dicit Aristot. lib. animaliū, vigilias inter se diuidunt, & illa, quæ vigilare debet, lapidem tenet in pedibus, vt si illa dormiat, per casum lapidis excitetur. Si autem auis insensata quæ vigilare non tenetur, sic sibi prouidet contra somnum; multò magis nos contra somnū nō solum corporis, sed & peccati, cautelam continuā adhibere debemus, iuxta illud 1. Pet. 5. *Sobrij estote & vigilate*. Et benè præmittit sobrietatem. quia ebrietatem sequitur necessario multus somnus *Secundum* est, vtilitas fidelis administrationis. Nos enim sumus sicut serui vigilantes de nocte, *exspectantes aduentum Domini sui de nuptiis redeuntis*. IV. Somnolentia & cur fugienda. 1. 2.

Nuptię spirituales. SPIRITUALITER nuptię sunt in cœlo ineffabilis gaudij, de sacro sancta vnione diuinitatis infinitæ cum natura humana. De his nuptijs Dominus noster venturus est in die iudicij, descensurus ad totum mundum finaliter iudicandum. Et ideo dixit Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Et Luc. 12. *Vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit & pulsauerit, statim aperiant ei*. Et: *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes*. Et licet omnes vigilare debemus, maximè tamen Prælati, quorum curæ animę commissæ sunt. In cuius signum, cum Dominus discipulos dormientes inuenisset, specialius ceteris increpauit Petrum, dicens: *Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?* Marc. 14. Matth. 26. *Tertia causa* quare somnolentiam vitare debemus & instanter vigilare, est debilitas terrestris inhabitationis. Homo enim, qui iaceret in domo ruinosa ex omni parte debili, & simul cum hoc sciret, quod aliquis exterius quotidie suffoderet muros ad eum occidendum, non daret se somno, si saltem esset prudens, sed sobrie vigilaret.

Prælatis maxime vigilandum.

3.

MORALITER domus animæ, est corpus luteum vel terreum, Iob. 4. *Habitant domus luteas, vel terrenum fundamentum habent & consumentur velut à tinea*. Fossor enim est mors, quæ indefessè nititur perfodere domum nostram, vt furetur animam cum peccatis si possit, vel pœnis debitis pro peccatis. Vnde Bernardus super illud Matth. 24. *Si* inquit, *sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sinceret perfodi domum suam*. Sed timendum est, quod de nobis sit sicut de pueris recenter natis, de quibus dicit Aristoteles de somno & vigilia, quod pueri quando nascuntur, dormiunt, & habent oculos clausos propter consuetudinem in matrice. Sic etiam est de multis, in quibus tamdiu inualuit consuetudo dormiendi, negligentiæ, pigritiæ, & acediæ, quod vigilare non possunt.

V. Otiositas. QVINTA filia est otiositas. & hæc est eijcienda. quia dicitur Extra de renun. c. Nisi cum pridē. Otiositas & voluptas sunt arma antiqui hostis, & ideo est eijcienda, quia facit hominem stultum, iuxta illud Prou. 12. *Qui operatur terram, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est*. *Primus* gradus stultitiæ est, vitam suam negligere, ei necessaria non quærere. *Secundus* gradus est, vitam suam indefensam hostibus exponere. *Tertius* gradus est, hostes qui eum interiment, pascere. Hos tres gradus stultitiæ habet, qui sectatur otium. ideo non dicitur stultus, vel stultior, sed stultissimus. Vitæ enim futuræ, quæ æterna est, non prouidet; sed hostibus suis exponit, scilicet vitijs & dæmonibus quia otia vitia nutriunt, iuxta illud:

Stultitia sequentis otium.

Otia dant vitia, fugiant ergo procul illa.

VI. Dilatio. SEXTA est dilatio, quæ multum nocet, iuxta illud Metristæ.

Et nocet, & nocuit semper differre parumper.

Est autem duplex dilatio. *Vna* est confessionis: & *alia* conuersionis. Sed confessio acceleranda est propter quinque, quæ posui supra sermone III. Dominicæ primæ post Epiphaniam, T.

Cur conuersio acceleranda. Sed ad conuersionem accelerandam & peccatum dimittendum mouet. PRIMO, multiplex bonum, quod inde prouenit. Dicitur enim Threno. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua*. PRIMVM igitur bonum est, quod homo hic diutius DEO seruit, de quo dicit Gregorius; Seruire DEO, regnare est, SECVNDVM bonum, quod homo securus viuit, iuxta illud Prou. 15. *Secura mens*

1.

2.

quasi

quasi iuge conuiuim. Ideò dicit Seneca: Pulchrum est ante mortem conuiuare. TERTIUM bonum quod gratius est seruitium eorum DEO, qui citius ad DEUM conuertuntur. Illi enim de principio & optimo vitæ suæ, quasi de flore & vigore Deo offerunt. Qui autem tardè volunt conuerti, quasi fæces Deo reseruant. qui timere habent, ne de fæcibus iræ Domini bibant. de qua dicitur in Ps. 74. *Fax domini non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ*: QUARTUM bonum est, quod certus moritur certitudine spei de salute sua. non autem qui differt conuersionem in finem. De hoc vide suprà Augustinum Dominica infrà Octauam Epiphan. L. V. 3. 4.

SECUNDO, mouet ad conuersionem periculum malæ consuetudinis. Quia dicit Iob. 20. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*, scilicet vitia adolescentiæ, si homo in his perseuerat. Vitia autem sunt similia guttis, quæ ossa subintrant, quę vix curantur: quia talia vitia non relinquunt hominē, quamdiu homo viuit, iuxta illud Sapientis, *Adolescens iuxta viam suam graditur: & cum senuerit ab ea non recedet*, Prou. 22. & Iere. 13. *Si potest mutare Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Refertur enim in historijs Græcorum, quod Alexander carere non poterat incessu Leonidis Pædagogi sui, & vitijs quibus paruus fuit infectus.

TERTIO mouet hoc, quia conuersio dilata difficilior est, accelerata facilior. Quia dicit Poëta:

Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.

Et Beda super Lucam: Diabolus quantò diutius possidet, tantò difficilius dimittit. *Et iterum:* Quantò citius, tantò facilius diaboli dominium euitatur.

Sed NOTA de illis, qui differunt confiteri, donec ferè transeat Quadragesima sunt fatui dicendi. *Primo* per hoc, quia sunt homines præposteri. Illud enim volunt vltimo facere, quod Dominus vult primò fieri. Vult enim Dominus, vt illi, qui sibi seruiunt, incipiant à confessione iuxta illud Psalm. 146. *Præcinite Domino in confessione.* Et Prou. 18. *Iustus in principio accusator est sui. Secundò*, probatur eorum fatuitas per hoc, quod laborem septem septimanarum in magna parte amittunt pro labore vnius horæ, eo quod nolunt in principio Quadragesimæ confessionem peccatorum suorum facere, quæ in vna hora fieret. Plus enim valet ieiunium vnius diei post veram pœnitentiam, quàm valeat ieiunium totius Quadragesimæ illi, qui remanet in peccatis.

Differentes confessionē cur fatui. I. II.

SEPTIMA est tarditas, quæ est in opere inchoato. Sicut enim acediosus, differt opus iam inceptum consummare. Hanc etiam dissuadent multa. *Primum* est vitæ breuitas. Ideo dicit Sapiens: Eccli. 10. *Noli cunctari in tempore tribulationis & angustiæ. Secundum* est rerum velocitas, quæ cursim pertranseunt, Sap. 10. *Transierunt enim omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens. Tertium* est strenuitas, quam mali habent in his, quæ sibi sunt noxia. De quibus dicitur Prouerb. 2. *Pedes eorum ad malum currunt: festinant, vt effundant sanguinem.* Sed dicit Bernardus; Magna confusio: ardentius considerant seculares pernitiosa, quàm nos vtilia: & alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam.

VII. Tarditas quam dissuadet. I. II. III.

OCTAVA filia est imperfectio, vel inconsummatio, siue imperseuerantia. Hanc filiam acediæ ducunt in vxorem, qui rarò ducunt ad perfectionem opus alquod, quod inchoant. Sed est valdè nociua hæc inconsummatio. quia quasi perdita sunt

VIII. Incōsummatio quæ nociua.

cætera, quæ facta sunt, nisi finis sequatur. Parum enim prodest fundamentũ & parietes fecisse, si tectum non sequatur. Parũ etiam prodest per mare nauigando laborasse, si tunc nauis perierit, quando portui appropinquat, & proxima per leucam vna fuerit. De hoc dicitur Prou. 18. *Qui dissolutus est in opere, frater est opera sua dissipantis.*

IX. Remissio. NONA est remissio. Hanc filiam ducit peccator in vxorem, qui quotidie se sentit fieri deteriorem, De hac dicit Sapiens Eccl. 22. *Filia fatua in minoratione erit: sed bono qui habet pauper manet.* Prou. 10. *Egestatem operatur manus remissa.*

X. Dissolutio. DECIMA est dissolutio. Hanc tenet ille, qui inueniens difficultatem in sui regimine, se dimittit omnino absq; gubernatione. De quo dicitur Prouerb. 23. *Sicut dormiens erit in medio maris, & quasi sopitus gubernator commisso clauo.*

XI. Inaduertentia. VNDECIMA est inaduertentia, vulgariter Vnachtsamkeit. Hanc habent, qui debitam curam suorum non habent. Nam debet quilibet attendere, quod sapientia conseruandi non minus valet ad hoc, quod aliquis ditetur & abundet, quàm sapientia acquirendi, iuxta illud Poëticum;

Non minor est virtus quam quærere parta tueri.

Ideo dicit Catò:

Conserua potius, quæ iam sunt parta labore.

XII. Ignauia. Ignauorum aliquot genera. DVODECIMA dicitur ignauia. Hanc filiam associat ille sibi, qui potius eligit in miseria magna manere, quàm aliquantulum laboris subire. Et sunt aliquæ ignauiæ hic ponendæ. PRIMA, quod homo acediosus mauult carnes suas in paupertate attenuari & inopia, quàm labore proprio sibi acquirere, quod necessarium est. De hoc dicitur Eccles. 4. *Stultus comedit carnes suas, dicens: Melior est buccella, vel pugillus cum requie, quam plena vtraq; manus cum affectione animi, aut dolore.* SECVNDO, quod potius eligit fame perire, quam laborem poscendi subire. De hoc Prou. 26. *Abscondit piger manum sub ascella.* TERTIO, quod potius eligit illotis manibus manducare, quam in ablutione earum aliquantulum laborare. Sicut patet in eis, qui per totum annum immundi comedunt, quia manus suas, id est, opera sua per confessionem mundare nolunt.

XIII. Indeuotio. DECIMATERTIA est indeuotio, quæ est quædam ariditas spiritualis, quam qui habet, potest dicere cum Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et similiter potest dicere: Ab heri & nudius tertius inuasit me languor animæ, & hebetudo insolita: quædam superbia inuenta est in me, & DEVS declinet à seruo suo in ira. Ex quo patet, quod interdum prouenit ex superbia, quandoque prouenit ex defectu spiritualis cibi, iuxta illud Psalm. 101. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

XIV. Tristitia. DECIMAQVARTA est tristitia in diuino officio, de qua Prouerb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, sic tristitia viri nocet cordi.* Ideo subdit: *Tristitiam longe fac à te, multos enim occidit.*

XV. Tædiũ vitæ. DECIMAQVINTA est tædium vitæ, quod prouenit ex longa tristitia in diuino officio. Postquam enim aliquis tristitiam patitur, paullatim adeo corrumpitur, vt non solum ei displiceat Deo seruire, sed etiam viuere. Sicut legitur 3. Reg. 19. De Elia, qui *petiit animæ suæ, vt moreretur, proiecitq; se subter vnam iuniperum & obdormiuit.* Quandoq; etiam prouenit ex desiderio cœlestis patriæ, iuxta illud Gregorij sancti: Grauiter tolerant, quicquid non sonat illud, quod amant. Interdum prouenit ex consi-

consideratione, malorum, quibus mundus plenus est, iuxta illud Eccl. 2. *Tæduit me vitæ meæ: videntem mala vniuersa esse sub sole.* Nonnunquam accidit ex vehementia tribulationis. Ideo dixit Iob. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.*

VLTIMA est desperatio, quæ prouenit ex tristitia nimia, Prou. 15. *In mœrore animæ deiicitur spiritus.* Glossa, in profundum desperationis. Et Prou. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* scilicet ab humore gratiæ. Et hæc valde displicet Deo, iuxta illud Hieronym. super Psal. 108. Iudas magis offendit Christum in hoc, quod se suspendit, quam in hoc quod eum tradidit. XVI. Desperatio.

QVINTA ancilla, à corde eijcienda, est auaritia: & hæc assimilatur sanguisugæ. quæ secundum Isidorum lib. 12. habet os triangulare, & fistulam in ore cum qua sanguinem bibit, & cauda applicata sanguinem sugit. & cum nimium repleta fuerit, illum euomit, vt iterum sugere possit. Sic suo modo auaritia habet os triangulare, quia tres habet modos præcipuos male acquirendi: per rapinam, furtum, & vsuram, cuius fistula irreprehensibilis est cupiditas insatiabilis. Hæc sanguinem pauperum sugit. Sicut enim manifestè apparet in vsurarijs, qui omnes à vitæ necessarijs suos quãdoq; debitores expoliant & ex vsurario lucro cum repletam bursam habuerint, euomunt, id est, adhuc lucrum recipiunt vt dicit Anselmus lib. 5. cap. 10. De hoc satis dixi locis suis, vt inuenies in registro. Hęc ancilla mala, generat de se filias pessimas, summopere eijciendas. V. Eijcienda auaritia ancilla. Similis est sanguisugæ. Vsuræ fistula cupiditas insatiabilis.

PRIMA est simonia. Hanc desponsauit principaliter clericis, vt dicit Gregorius Nazianzenus. 1. q. 1. cap. Qui studet. Simonia est studiosa voluntas, emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. De simonia clericorum hic nihil dicam. Si autem voluerint de ea videre, videant Gulielm. in summa vitiorum Tractat. de auaritia. Sed de simonia laicorum legitur 4. Reg. 4. de Giezi, cuius historiam vide supra Dominica 2. post Epiphaniam, sermone 2. N. T. Sicut legitur 3. Reg. 13. de Ieroboam, qui vendidit sacerdotium, quia dicitur ibidem: *Quicunq; volebat, implebat manus Ieroboam, & fiebat sacerdos excelsorum:* Et propter *hoc domus eius, est euersa, & de superficie terræ deleta.* X Filiæ auaritiæ. I. Simonia.

Refert etiam Helinandus & Vincentius lib. 26. cap. 19. quod Henricus Imperator, tempore Conradi patris sui, à quodam clerico fistulam tulerat argenteam, pactus est ei Episcopatum, cum foret Imperator adultus repetenti palatium. Non multò post aspero morbo correptus decubuit, & morbo crescente, triduo exsensis, id est, insensibilis & mutus iacuit. Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio, pro vita eius Domino supplicabant. Conualescens acceptum Episcopum, quem propter fistulam fecerat, confestim deposuit, & est confessus se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse flammam in se per fistulam flare ioculantes: interim non iuuenem, sed senem aduenisse ferentem calicem aureum plenum, cuius visione & laticis aspersione exstinctos ardores euaserat. Punitio in Imperatore simonia.

SECVNDA filia est vsura: & hæc est desponsata ciuibus. Quia dicitur in Ps. 54. *Non defecit de plateis eius vsura & dolus.* Et hanc debent à se eijcere, & debent DEO fœnerari, iuxta illud Augustini: Miser homo, cur fœneraris homini? Fœnerare Deo: & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis? Et iam ideo est eijcienda, quia perdit animam. Omne enim, quod accipit vltra sortem, vltra animam accipit. Ideo dicitur in Psalm. 71. *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum,* id est, à pœna & culpa. II. Vsura. Vsura perdit animam.

culpa. Dicitur autem pœna vsura, quia pœna excedit culpam, cum peccatum momentaneum æternaliter puniatur. De vsura quære plura Dominica III. post Epiphaniam, sermone 1. O. H. Item Dominica Reminiscere. serm. 1. V. T.

III. Furtum. Vt Abbas Zenon vicit tentationem furti. TERTIA est furtum. quod est eiiciendum exemplo Zenonis Abbatis, de quo legitur in vitis patrum lib. 4. cap. 4. de continentia. §. 6. Hic enim quando proficiscebatur ad Palæstinam, fatigatus ex itinere, sedebat sub arbore. Erat autem in proximo ager cucumerum. Cogitauit autem ire corde suo, vt tolleret sibi ad reficiendum de ipsis cucumeribus. sed ècontra cogitauit, quod fures præcipientibus iudicibus in tormenta mittuntur. Oportet ergo me etiam probare si possim tormenta sustinere, quæ latrones patiuntur. Exurgens ergò eadem hora stetit in æstu quinque dies. fixitque corpus suum, & dixit cogitationibus; quia non possum sustinere tormenta, & ideo non oportet me furtum facere, sed magis exercere secundum consuetudinem & opera manuum mearum, & de laboribus meis me reficere.

IV. Mendacium. QVARTVM est mendacium. & illud est eijciendum. quia dicit sacra Scriptura, Eccles. 4. *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mendacium*. Glossa, faciem aduersus faciem suam accipit, qui veritate exclusa à corde suo, quæ est Dei similitudo, falsitatem, quæ est diaboli facies, assumit. Et Eccles. 7. *Noli amare mendacium.* Et Prouer. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Et Glossa dicit: Si aliquis os suum apertum haberet muscis, & alijs rebus immundis, quæcunque vellent intrare, ibi permitteret nidificare, os eius abominabile esset hominibus. Sic os mendax abominabile est Deo, cum immunditia mendacij plus displiceat DEO, quàm immunditia muscarum, vel consimilium rerum immundarum. De mendacio quære plura suprà post Inuocauit, Feria IV. quatuor temporum. V. B. Et infrà Feria IV. post Iudica. Serm. I.

V. Periurium, & cur fugiendum. QVINTA filia periurium dicitur. & hæc est eijcienda propter multa mala. *Primò*, quia periurus manum mundat diabolo, qua ipse tangit Euangelium, vel qua tangit manum illius, qui iurat; & donec ipse pœniteat de periurio illo, manus illa diaboli est. *Secundò*, quia periurus est fur vel sacrilegus. Contrectat enim rem alienam

1. inuito Domino, & sacram rem. quia nomen Domini sanctum in vanum assumit, cō-
2. tra illud Exodi 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertiò*, quia ipse est falsarius.
3. Si quis enim sigillo alicuius domini sibi commisso, ad confirmandam aliquam veritatem, vteretur ad aliquod falsum confirmandum, falsarius iudicaretur. Et si hoc faceret de sigillo Domini Papæ, esset excommunicatus ipso iure, vt patet extra de crimin. falsi c. Ad falsariorum. Nec etiam potest absolui ab Episcopo suo. Sic cum Dominus permisit hominibus, vt assumant nomen suum ad confirmationem veritatis, si vtantur ad falsitatem, falsarij sunt quoad Deum, & excommunicati excommunicatione illa, quæ habetur 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum Iesum Christum,*
4. *anathema sit*. *Quartò*, periurus peior est his, qui sunt in inferno. Quia cum in *nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum*, ad Philip. 2. Ille qui periurat in nomine IESV, quomodo flectit genua? Hæc Gulielmus in summa vitiorum.

VI. Rapina. SEXTA est rapina. de qua vide suprà Dominica IV. in Aduentum I. A. & Dominica III. post Epiphaniam, sermone 1. D. E.

VII. Violentia. SEPTIMA est violentia, quæ fit nocendo alicui palam per maleficium. Sed qui sic

ſic violenter nocent pauperibus, habent timere illud dictum Caſſiodori in hiſtoria tripartita: Qui violentiã infert pauperi, inferetur & ei violentia à principe infernali.

OCTAVA filia eſt fraudulentia: & eſt deceptio, quæ fit in præſentia illius, qui decipitur, & tales fraudulenti aſſimilantur cuidam piſci, qui vocatur polipus, de quo dicit Ambroſius in hexameron, quod in Vaſorio littore petræ ſe alicui coniungit, & ita illi adhæret, quod tàm coloris quàm figuræ petræ ſimilitudinem quandam habet, vt ipſius ſaxi aliqua pars eſſe videatur. Vnde alij piſciculi decepti, dum ſub ipſo tanquam ſub lapide vel ſaxo latere volunt, poſtquam ingreſſi ſunt, quaſi quodam ſaxo eos polipus intercipit & includit, atq; incluſos deuorat & deglutit. Huic piſci aſſimilatur fraudulentus & nequam deceptor, qui alteri adhærens, eius mores & modum aſſumit, & ſe ei conformare ſtudet, vt de hoc magis confidat, & ſic ipſum facilius decipiat, & ſubſtantiam eius deuoret & imburſet. Et de talibus dicitur Matt. 7. *Venient ad vos in veſtimentis ouium: intrinſecus ſunt lupi rapaces.* VIII. Fraudulentia. Fraudulent⁹ polipo ſimilis

SEXTA ancilla eijcienda eſt gula. Et hæc aſſimilatur coriandro; PRIMO, quia ſemen coriandri; quod eſt calidum, in vino dulci datum homines ad luxuriam promtiores facit. Similiter gula per ſplendidum cibum, & dulcẽ potum vini, inclinat ad luxuriæ actum. De hoc Hieronymus in quodam ſermone: Semper ſaturati & inebriati laſciui ſunt. Idem: Venter mero æſtuans de facili ſpumat in libidinem. Idem diſt. 44. in principio dicit: Ventris namq; ingluuies ad luxuriam facile prouocat, & omne opus bonum diſſoluit. Vnde venter & genitalia ſibimet ſunt vicina: & ſic ex vicinitate membrorum confœderatio intelligitur vitiorum. Y VI. Eijcienda gula ancilla. Gula cur coriandri ſemini comparetur. I.

SECVNDÒ, ſi quis de coriandro nimium accipit, amentiam & phreneſim inducit. Similiter per ſuperfluitatem gulæ, quæ fit in potu per ebrietatem, homo efficitur phreneticus & amens. De hoc Petrus Rauennas in quodam ſermone dicit: Vbi regnat ebrietas, ratio conculcatur, intellectus obtunditur, conſilia deuiant, & iudicia ſubuertuntur. II. Fructus ebrietatis.

TERTIO, coriandrum cum ſuo ſemine canibus datum, linguam ipſorum medicinalem efficit venenoſam. Canes contra lupos latrantes, & medicinalem linguam habentes prædicatores ſunt, quibus gulæ vitium præcipuè eſt nociuum. Ideo dicit Apoſtolus 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* III.

QVARTO quia coriandrum in cibo ſumptum, calefacit, & ſomnum inducit. Sic etiam ad literam, gulæ vitium inducit corporis ſomnum, iuxta illud 3. Reg. 17. de Elia, qui comedit & bibit & rurſum obdormiuit. Vel etiam ad ſenſum moralem: Guloſi obdormiunt in peccatis, quia gula includit omnia peccata mortalia, vt ſuprà Dominica in Quinquageſima, Feria IV. R. N. IV.

Hæc turpis mater diſtortas habent filias. *Prima* eſt ſcurrilitas, quæ patuit ſuprà Dominica Oculi, ſermone 1. X. P. *Secunda* filia eſt ebrietas, quæ facit multa mala, de quibus habemus ſuprà Dominica Inuocauit, ſermone 2. T. R. Et de hac vide plura Dominica XX. poſt Trinitatis, ſermone 1. *Tertia* dicitur inſuſtinentia, cum ſtatutum tempus præuenitur in comedendo. de qua habemus ſuprà T. K. *Quarta* eſt immoderantia, quæ eſt ciborum nimius appetitus vel nimius exceſſus. De hac dicit Chryſoſt. de conſec. diſt. 5. c. Nihil enim ſufficientia nutrimentis, & ſoſpitatem ſimul procreat & voluptatem, id eſt, hilaritatem: abundantia verò morbum facit, & mole- Filię gulæ. 1. Scurrilitas 2. Ebrietas. 3. Præproperа comeſtio. 4. Intemperantia.

5. Prodigalitas. molestias ingerit, & ægritudinem generat. *Quinta* est prodigalitas, quam sequuntur multa.

PRIMVM est mendicitas. sicut patet de filio prodigo, *qui cupiebat ventrem suum replere siliquis, quas porci comedebant, & nemo illi dabat.* SECVNDVM est, quod aliquando incidit in manus vsurariorum, qui eum totum comedunt, iuxta illud Ps. 108. Prodig' araneæ similis. *Scrutetur venerator omnem substantiam eius.* TERTIVM est peccatum rapinæ. Frequenter enim aliena aufert, qui sua prodigè confert. Ideo similis est araneæ, quæ vt muscas capiat, texendo telas inutiles se euiscerat. QVARTVM malum est contemptus bonorum spiritualium. Quia Esau *primogenita sua dedit pro lenticula, & abiit paruipendens, quod primogenita sua vendidisset,* Gen. 25. Crapula. SEXTA est crapula & excessus in cibo, de qua Dominus Luc. 21. *Attendite, ne corpora vestra grauentur crapula.*

VII. Eijcienda luxuria ancilla. SEPTIMA & vltima ancilla eijcienda est luxuria. De hac satis dixi suprà in locis suis, vt in registro videbis. Et hæc habet sub se multas species. *Prima* est simplex fornicatio, quæ secundum Papiam dicitur à fornix, fornicis, & est arcus, vel incuruatura in pariete, vel in ædificio. quia in talibus locis meretrices prostituebantur. Est autem amor à legitimo connubio solutus & vagus, explendæ libidinis consectando licentiam. De qua Psalm. 72. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* *Secunda* est adulterium, & ipsius periculi magnitudo patet ex tribus; vt dicit Holkot in lib. Sapient. lect. 42.

Adulterij grauitas. I. PRIMO, ex legis antiquæ graui punitione. de qua Leuit. 2. *Si mœchatus fuerit,* &c. Vide suprà X. D. Grauis eius est pœna. vtraque persona digna morte efficitur. Et propter grauitatem huius peccati statim ponitur post prohibitionem furti; Sed tamen exsuperat omne furtum terrenæ substantiæ. quia quod aufert, cum sit creatura rationalis, melius est, quàm quæcunque terrena substantia. Ideo dicitur Prouerb. 6. *Non grandis est culpa,* scilicet respectu adulterij, *cum quis furatus fuerit. Furatur enim, vt esurientem impleat animam. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.*

II. SECVNDÒ, ex prolis peruersæ procreatione, quæ frequenter solet esse mala & inhonesta, tam propter parentum imitationem, quàm propter defectum castigationum: quia tales pueri vel dimittuntur cum matre, quæ non castigat filium: vel committuntur extraneis personis, quæ de moribus eorum nihil curant. Ideo fiunt insolentes, ingrati, degeneres, & vitiosi. Et hoc est, quod Anglis comminatur Bonifacius martyr scribens regi Anglorum, & ponitur in canone: dist. 56. c. Si gens Anglorum, sicut per istam prouinciam diuulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipsis paganis improperium nobis obijcitur, spretis legitimis nuptijs adulterando, & luxuriando ad modum Sodomiticæ gentis fœdam vitam duxerit. De tali commixtione meretricum existimandum est degeneres populos, & furẽtes, & ignobiles libidine fore procreandos, & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissimè nec in bello seculari fortem, nec in fide stabilẽ, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse nascituram; sicut alijs gentibus Hispaniæ, & Prouinciæ, & Burgundionum populis contigit quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec vindex talium criminum, vltrices pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Saracenos venire & seruire permisit.

III. TERTIO, patet huius vitij magnitudo ex datæ fidei violatione. Violatur enim fides

fides data coniugi in sacramento coniugij. Vnde mulier adultera peccat in virum dupliciter: fidem sibi frangendo, & falsos hæredes substituendo. Peccat etiam in prolem, quam damnificat, reddens eam ignobilem ad Ecclesiasticas dignitates. Eadem etiam secundum leges, ab omni prorsus beneficio excluditur, vt c. de natura lib. L. Aut licet. Peccat etiam in proximum, quem admittit. Nam frequenter de adulterio nascitur homicidium, & membrorum mutilatio, & huiusmodi. Vnde Dauid cum in adulterium cecidisset, pręcepit occidi fidelem militem suum Vriam, 2.Reg. 11. & Eccl. 23. *Omnis mulier relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit: & secundò virum suum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. Hæc in Ecclesiam adducetur*, &c. De his speciebus quære suprà Dominica oculi, X. D.

DE EADEM DOMINICA

LÆTARE.

Sermo secundus, in Euangelium.

Est puer vnus hic habens quinq; panes hordeaceos. Ioan. 6.

DIcit Aristot. in Epistola ad Alexandrum, & 7. Eth. Gaudium & delectatio necessaria sunt ad vitam, sicut sal ad cibum, si temperata sunt. Et principaliter necessaria sunt propter duo. [Gaudium vitæ humanæ cur necessarium.]

PRIMO, ad pectoris purgationem. quia dicit Philaretus in tractatu de natura morborum: Gaudium subtiliat spiritus, & alleuiat ipsum pectus. Ideo dicit ipse Constantinus: Risus & gaudium, vapores circa pectus collectos, sua concussione & motu soluunt, exscreando eijciunt. Exscreatis autem vaporibus, membra pectoralia purgantur. quia ex gaudio nimio totum corpus concutit ipsum pectus. Idcirco Ioannes Mesue de regimine sanitatis, persuadet tussientibus gaudium atq; risum, quia materia tussis compacta circa cor, tempore gaudij & risus soluitur & liquatur. [I. Quia purgat pectus.]

SECVNDO, propter somni causationem. Quia dicit Palæmon in libro de signis naturarum: Gaudium somnum dulcem causat & suauem. Cuius rationem ponit Auicenna, quod dulcis somnus causatur ex puritate sanguinis. Et quia gaudium depurat sanguinem, ergo &c. Et dixi NOTANTER, si delectatio & gaudium temperata sunt, quia gaudium intemperatum & vehemens hominem perimit. Iuxta illud, quod ponit Commentator super lib. de morte & vita. Velocius vitam exterminat gaudiū, quàm tristitia. Cuius ratio est, quia tempore vehementis gaudij sanguis totus diffunditur ad cor: ideo sæpissimè à sanguine suffocatur; vel quia tunc cor nimis delectatur, & calor ad exteriora transit, & à corde deficit, & sic mors interficit. Sicut refert Valerius in Polycrate. Cum cuidam mulieri mors filij absentis per errorem esset nunciata, dum illa mœrens sederet, subitò filius aduenit. Quem illa videns, in amplexum eius ruit, & mox exanimata corruit. [II. Causat somnum.]

MORALITER. Populus Christianus à die Cinerum vsq; hodie in tristitia pœnitentiæ fuit. Ideo ne ex tristitia deficeret, sancta mater Ecclesia diuersa gaudia consolatoria ei proponit. Nam dominus Apostolicus hodie ostendit rosam, propter quam Dominica ista vocatur Dominica Christi Rosa. & hoc triplici ratione.

Cur hæc Dominica dicatur Rosæ Dominica.

I. PRIMA est *literalis*, quam ponit Innocentius III. quia est quoddam consolatorium & refectorium, populis ex continuo ieiunio fatigatis. quia dicit Cato:

Interpone tuis interdum gaudia curis:

Ideo dictus Innocentius, ne populus per asperitatem Quadragesimalis abstinentiæ, sub continuo labore deficeret, in hac media Dominica rosæ, gaudium & solatium interponit, vt asperitas temperata melius sufferatur.

II. SECUNDA ratio est *spiritualis*. In ipsa enim rosa sunt tria. Est enim facta de auro: intus verò ponuntur duæ res aromaticæ. *Prima* est muscus, de quo vide suprà Feria IV. quatuor temporum Sermone 2. V. F. *Secunda* est balsamus ideoq; ista rosa significat Christum, in quo sunt tres substantiæ, scilicet caro incorrupta, quæ significatur per aurum; Anima omnium virtutum odore refecta, quam significat muscus; & diuinitas pretiosissima, quæ per balsamum figuratur. Ostendit ergo Papa populo hanc rosam significantem quasi diceret: Qui vult pœnitentiam Quadragesimalem leuiter ferre, debet rosam Christum in corde portare.

III. TERTIA ratio est *moralis*. quia per hoc datur intelligi, quod per ieiunium & orationem, spinæ vitiorum conuertuntur in rosas virtutum: ita, quod qui erat libidinosus, efficitur castus: qui erat superbus, erit humilis & mansuetus: qui prius erat gulosus, efficitur sobrius. Et non solum per rosam proponuntur fidelibus populis gaudiũ & delectatio & solatium, sed etiam per totum hodiernum officium, sicut patet per Introitum, Isa. vlt. *Lætare Hierusalem* Vt autem illud gaudium sit temporatum, ideo inter hæc gaudiosa canit etiam Ecclesia ipsa tractus, vt sic gaudium mœrore aliquali temperetur. Et non duntaxat dicitur Dominica de rosa sed etiam de panibus, eo quod Christus quinq; millia hominum de quinq; panibus satiauit. De quibus dicunt verba prælibata: *Est puer vnus hic.*

Puer, de quo euangelium prædicator est.

Circa quod NOTANDUM *primò*, per hunc puerum moraliter intelligi quemlibet prædicatorem, qui ad instar pueri debet esse purus & mundus. Quia dicit Magister lib. 4. dist. 27. debet habere spiritum, qui spiritibus immundis imperet, & malignum prius expellat de corde suo, quàm expellat de corde alieno, ne medicina, quam alijs facit, sibi non prosit, & dicatur ei illud Lucæ 4. *Medice, cura te ipsum*. Et B. August. 3. q. 7. c. Postulasti. & sequenti c. Inanis est doctrina, quam vita maculat impudica. Ergo sapiens medicus, scilicet spiritu & profectu, primum sciat vitia sua diluere, & postea in conscientia pura mores malos in melius conuertere. Deinde aliena peccata sollicitè studeat detegere & sanare. Hæc ille.

Prædicator debet habere quinque panes.

Iste quidem puer puritate vitæ quinque panes debet habere, quibus debet simplices reficere & souere. & sunt hi, vt dicit Holkot lection. 97. Quid credendum? duodecim fidei articuli. Quid faciendum? decem præcepta. Quid cauendum? vitia septem. Quid timendum? inferni supplicia. Quid appetendum? paradisi gaudia; Primus igitur panis, quo Prædicator debet reficere turbarum multitudinem, est quid credendum sit eis. videlicet duodecim articuli fidei. quia dicit Augustinus: lib. 1. de Trinitate cap. 7. Nec periculosius alicubi erratur, quàm in fide, nec laborio-

laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid fide reperitur. Idcirco, quoad præsens videtur mihi consonum, aliquid inseri de duodecim articulis fidei, vt illos prædicatores proponunt populo, quatenus videant, si contra aliquem horum delinquunt.

Vnde NOTANDVM. duodecim articuli fidei signantur per duodecim signa Zodiaci. Dicunt enim naturales & astronomi, quod firmamentum in duodecim signa distinguitur, secundum circulum Zodiaci. quia in duodecim partes diuiditur æquales quæ sunt duodecim signa, duodecim spatia, distincta, stellis notabilibus ab astronomis denotata. Et vnumquodque signum per triginta gradus distinguitur, & quilibet gradus per sexaginta minuta, & vocatur his nominibus; Aries, Taurus, Gemini, &c. A

MORALITER igitur sicut circulus Zodiaci, siue firmamenti distinguitur duodecim signis, ita fideles Ecclesię duodecim articulis. Et sicut omnia duodecim signa continentur in Zodiaco, qui dicitur circulus signorum, ita omnes duodecim articuli continentur in symbolo, quod dicitur Apostolorum: duodecim verò animalia, à quibus signa denominantur, representant duodecim Apostolos, qui symbolum ediderunt, vt dicit Anselmus lib. 1. c. 28.

Duodecim signa Zodiaci significant XII. Apostolos, & XII. fidei articulos.

Primum enim animal, à quo denominatur primum signum, est dictum, *Aries*. & significat Beatum Petrum, qui fuit dux Apostolorum, sicut aries est dux gregis ouium: & hic edidit primum articulum dicendo, *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*. In quo articulo ostendit diuinæ essentiæ vnitatem, iuxta illud Deuter. 6. *DEVS tuus vnus solus est*. Et Beatus Augustinus lib. 1. de Trinitate. quod vnus sit solus verus Deus. Hunc Deum debet quilibet amare, & ei adhærere, & eius membris incorporari. quia hoc est credere in Deũ, vt dicit Magister lib. 3. distinct. 23. Et dicit NOTANTER, *Patrem*, non intelligendo, quod solus pater est Deus. quia hæc oratio; *Solus Pater est Deus*, non est concedenda. quia dictio exclusiua addita vni relatiuo, aliud scilicet correlatiuum excludit. Ideo dicit Beatus Augustinus: lib. 6. de Trinitate. cap. 9. vbi dicit patrem Deum, & non solum patrem. Et dicit *omnipotentem*. In quo stat eius omnipotentia? Vide suprà IV. Feria Reminiscere. X.C.

Primi articuli auctor D Petrus Arieti cõparatus.

Contra hunc articulum peccant illi, qui dicunt Deum non esse. Vnde Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est DEVS*. Talis fuit ille, de quo legitur. In Hispania, quidam homo leuis mentis cum alijs colludebat taxillis, & in ludo pecuniam amisit. pro qua amissione cœpit Deum inuocare, vt sibi lucrum daret: & quanto plus inuocabat, tanto magis perdebat, & etiam vestes ludo exponebat. Amissis igitur omnibus, domum se contulit, quasi furibundus. Diffisus igitur de Deo, quod eum non exaudiret, armis se induit, quasi ad pugnam processurus, equum ascendit, & ad plateam iuit, vbi valentes viri multi erant congregati, & omnibus astantibus quasi amens dixit: Si aliquis amicus Dei est, qui dicat Deum aliquid esse, vadat & muniat se contra me pugnaturus. Ego eum prostratum superabo sine Deo. quia ego dico: Deum non esse Singuli verba tantæ insaniæ audierunt, & nullus ei tamquam amenti voluit respondere. Sed cui non respondit homo, respondit protinus Deus, qui vt flagellauit Pharaonem per muscas suæ potentiæ, sic misit muscam vnam, cum tamen esset tempus hyemis, quæ eum in facie sic inuasit, & sic inter galeam & faciem se opponens, aculeis suis acriter stimulauit & læsit, vt coactus galeam deponeret, &

Hæreses contra primum articulum fidei. HugariusMinorita serm. 10. in expositiõe Symb. quæ dicitur Gẽma fidei.

Blasphemi superbiam Deus musca elidit & confudit.

in terram mox abijceret. Ex tunc musca liberiorem habens aculeum & accessum ita eum pungebat, vt se manibus iuuare non valeret. Tandem ab equo decidit, & faciē versus terram firmans, vt posset se tueri à musca, quæ illum validius morsu infestabat quousq; publicè blasphemiam, quam in dominum protulerat, est confessus, & Deum habere esse æternum prædicauit.

II. SECVNDO, peccant contra hunc articulum, illi, qui dicunt plures esse Deos. Contra quos dicitur Exod. 20. *Non habebis Deos alienos &c.* Et text. de summa Trinitate & fide Catholica. c. Firmiter. dicit: quod vnus est solus verus Deus. Ipse enim est, qui ad verum cultum nos alliciens dicit: *Videte, quod ego sum solus, & non sit alius præter me.* Deuter. 32.

III. TERTIO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt inferiora esse ab angelo malo, vel à diabolo, vt corporalia; & superiora ac spiritualia tantum à Deo. Contra hunc errorem dicitur hic. *Creatorem cæli & terræ.* Et Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

IV. QVARTO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt Angelos Deo coæternos, & non ab eo creatos. Contra quos dicit Apostolus ad Rom. 6. *Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt.* Et Act. 14. dixerunt Paulus & Barnabas: *Conuertimini ad Dominum Deum verum, qui fecit cœlum & terram. & omnia quæ in eis sunt.* De hoc etiam sacrum concilium, c. Firmiter de summa Trinit. & fide Catholica. loquens de Deo, dicit: Qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis vtramque condidit ex nihilo creaturam, spiritualem & corporalem; angelicam videlicet & mundanam, ac demum humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.

II. Art auctor B. Andreas, Tauro comparatus

Secundum animal, à quo denominatur secundum signum, est *Taurus*, & significat B. Andream. Quia sicut Taurus vel bos habet circa socios suos eximiam pietatem, vt Isidorus lib. 12. Sic B. Andreas mitis fuit sicut canitur de ipso illud 1. Mach. vlt. *Vir iste in populo suo mitissimus apparuit.* Hic inquam secundum aliquos secundum articulum posuit; *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominū nostrum.* Et sic in fide credo in Christum Iesum Dominum nostrum, id est, fidem de ipso habeo. quod ipse sit Iesus, id est Saluator eorum, qui ei adhærent. Ideo ei adhæreo, quia fidem habeo, quod ipse sit Christus, id est, vnctus & benignus, & credo, quod ipse vnicus sit naturalis Dei filius, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et credo similiter, quod sit Deus noster, qui emit nos sanguine suo. 1. Cor. 6. *Emti sumus precio magno.*

Hæreses contra hunc secundum articulum.

I. Contra quem articulum peccant illi, qui dicunt Iesum duntaxat esse filium DEI adoptiuum, non naturalem Dei patris, neque æqualem, vt dixit Arrius, qui Iesum creaturam dixit, quod nullo modo est credendum nisi secundum humanitatem, vt dicit Magister lib. 3. dist. 11. allegans ibidem B. Augustinum libr. de Trinitate, qui dicit: Prohibemus creaturam esse Dei filium. Audimus enim in Euangelio secundum Marcum, cap. vlt. Dominum mandasse discipulis: *Prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Qui vniuersam creaturam dicit, nullam excipit. Et vbi sunt, qui creaturam scilicet puram Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Euangelium prædicari, & subiectus esset vanitati. Quia teste Apostolo ad Roman. 8. *Omnis creatura vanitati subiecta est.* Non igitur Christus creatura est, sed creator; quando docen-

docendæ creaturæ discipulis mandauit officium. & subdit ibidem cap. 11. Arij hæc fuisse perfidia legitur: vt Christum creaturam scilicet puram faceret. Ideò effusa sunt viscera Arij, atque crepuit medius, prostratus in faciem, & ea, quibus Christum negauit, fœda ora polluta sunt. Arrius.

SECVNDO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt Christum ante Mariam nō extitisse, sed ea exordium sumpsisse, & sic non esset Dei filius Patri coæternus. Contra quos dicit Athanasius in Symbolo: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.* Et ipsemet dicit Christus, Ioan. 8. *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* II.

TERTIO, peccant contra hunc articulum, qui Christum tantum vnam naturam, scilicet diuinam habuisse dicunt. Contra quos dicit Athanasius: *DEVS est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus.* III.

QVARTO peccant, qui dicunt Christum dissimilem Patri, Spiritum sanctum dissimilem Filio. Ex quo vnus istorum est quasi ab alio, & non èconuerso. Contra quos Athanasius vbi suprà: *Æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.* IV.

TERTIVM animal, à quo denominatur tertium signum cœleste, *Gemini* vocatur, & significat Iacobum maiorem, qui geminum dilectionem, Dei videlicet, & proximi dicitur habuisse, & composuit tertium articulum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Et dicit NOTANTER. Christum Dei filium de Spiritu sancto conceptum, propter maximam caritatem, ex qua incarnatio Christi facta est: ex quo Spiritus sanctus est amor Patris & Filij. Hæc est sententia B. Augustini in Enchiridio: Spiritus sanctus est caritas, & donum Dei Patris, & Filij. Et quia ineffabili caritate verbum Dei est caro factum, & ineffabili dono Dei filius sibi vniuit formam serui, & ideo quamuis sit totius Trinitatis opus incarnatio Christi, tamen ex ratione caritatis illa attribuitur Spiritui sancto, & appropriatur. B Tertij articuli auctor Iacobus Maior, Geminis comparatus.

Contra hunc articulum peccant PRIMO illi, qui dicunt Christum non verum corpus, sed phantasticum, vel cœleste assumpsisse, & sic in vterum Virginis descendisse, & eam tamquam habitaculum & non matrem eius fuisse. Et huius erroris initium fuit hæreticus Manichæus. Similiter Valentinus dixit, Christum nullum corpus de Virgine recepisse, sed per eam tanquam per fistulam transisse. Contra quos dicit sacra constitutio, de summa Trinitat. & fide Cathol. c. Firmiter. Quod Christus ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione verus homo factus est. Hæreses contra tertium Articulum. I. Manichæus. Valentinus.

SECVNDO, peccant contra hunc articulum qui Christum dicunt tantum carnem, & non animam assumpsisse, sed loco animæ esse verbum increatum. Huius enim erroris origo fuit Eunomius. Contra quem dicit de Christo sacra constitutio vbi suprà. Ex anima rationali & humana carne compositus. & Magister in lib. 3. distinct. 5. cap. 2. determinat, quod Dei filius assumpsit carnem & animam, sed carnē mediante anima. II. Eunomius.

TERTIO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt, quod natura humana transiuit in diuinam, & sic Christum solum in vna natura, scilicet diuina exsistere. Et huius erroris initium fuit Eutyches: Contra quos dicit sacra constitutio: Vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrat, per hoc damnans errorem III. Eutyches.

Nesto-

Nestorius. Nestorij hæretici Episcopi Constantinopolitani, & Eutychis iam dicti hæretici. Nestorius enim secundum duas in Christo naturas, posuit duas in Christo personas. Contra quem fecit Boetius librum de duabus naturis, & vna persona Christi. Et dicit Boetius, quod ipse Nestorius in hoc deceptus fuit, quia credidit idem esse naturã & personam. Ex hoc deuio venit error Eutychis, qui cum audiuit vnam personam in Christo, æstimauit tantum vnam naturam esse in Christo.

IV. QVARTO, peccant contra hunc articulum illi, qui dicunt Christum natum ex Maria Virgine per flatum Dei. Itaque dicunt ipsum in Virginem flasse, & de illo flatu concepisse, non intelligentes spiritum Dei esse tertiam personam in diuinis. Hunc

Saraceni. errorem inuenerunt Saraceni. Contra quos Ioan. 14. *Spiritus Deus est.*

V. QVINTO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt Christum nuptiali coitu in

Ebion. Maria per Ioseph conceptum, sicut dixerunt Ebionitæ. Et finaliter dixit Nestorius, Mariam nullo modo Dei genitricem appellandam, & designandum, quod hominẽ, & non Deum concepisset, vt dicit Damascenus lib. 3. c. 12. Contra Ebionitas habemus; Gabrielem Archangelum credimus diuinitus te esse affatum: vterum tuum de Spiritu sancto credimus impraegnatum. Erubescat Iudæus infelix, qui dicit Christũ ex Ioseph semine esse natum. Sed contra Nestorium; Virgo Deum & hominem genuisti, & post partum virgo inuiolata permansisti.

Quarti articuli auctor Ioannes. Cãcro assimilatus. QVARTVM animal à quo denominatur quartum cœleste signum est *Cancer*, & significat beatum Ioannem Euangelistam, qui volens nubere & vitam secularem eligere, vocatus à Domino in modum cancri retrocessit ad vitam spiritualem, & permansit in ea, vt dicit Hieronymus in prologo super Ioannem. Hic posuit quartum articulum, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*

Qui peccent in istum articulum. Contra hunc articulũ peccant PRIMO illi, qui dicunt Christum non verè passum, sed fuisse impassibilem, sicut impeccabilis fuit in humana natura. Contra quos dicit

I. Christus Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, factus obediens vsque ad mortem.* Et sacra constitutio de summa Trinitat. quæ etiam inquit; Pro salute generis humani in ligno crucis passus est, & mortuus.

II. SECVNDO peccant, qui dicunt Christum esse immortalem, sicut dicunt Iudæi. Si Christus fuit, mori non potuit. quia *nos ex lege audiuimus, quod Christus manet in æternum*, Ioan 12. Sed contra illos dicit Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et idem: *Sicut ouis ad occisionem ductus est.* Et Dan. 9. *Post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus*, scilicet quoad carnem. quia caro Deitati vnita mortua: sed in quantum Deus, mortem non sensit. Recedente enim anima à carne, mortua est Christi caro. Et quia caro mortua est, mortuus est Christus; & ita propter carnem vnitam verbo, mortua est caro. Ideo dicitur: mortuus est Christus: dicitur & homo mortuus est, imò & Deus dicitur mortuus. quia Christus est verus Deus. Et hæc est sententia Magist. lib. 3. dist. 21. c. 4. per totum. Diuinitas tamen cum ipsa sit verè vita, mortua non est, dicente B. Augustino contra Felicianum: Absit, quod Christus ita mortem sensit, vt in quantum in se vita est, vitam vnquam perdiderit. Si enim hoc ita esset, fons vitæ aruisset. Sicut ergo secundum vnam naturam, scilicet humanam patiebatur, & secundum aliam, scilicet diuinam non patiebatur; ita secundum vnam moriebatur, & secundum aliam non moriebatur. Propter quod Magister vbi suprà, dicit:

dicit: Sanè posse dici, quod mortuus est Deus, & non mortuus; passus est Dei filius, & non passus est.

TERTIO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt Christum non solũ propter homines, sed etiam propter dœmones redimendos passum. Et hic error adscribitur Origeni. Contra quos dicitur Isa. 9. *Puer natus est nobis*, scilicet hominibus. Et Apostolus ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra*. Et Isa. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum*. Et ibidem: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*. *III.* Origenes.

QVINTVM animal, à quo denominatur quintum signum cœleste est *Leo*, & significat Philippum, qui quasi Leo audax fuit in sua passione: & hic adiunxit quintũ articulum, *Descendit ad inferos*, cui concordat sacra constitutio, Descendit ad inferos. Hoc intelligendum est quoad animam, iuxta illud Psalm. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Quod verbum tractat Beatus Augustinus super Ioannem sic: Quis non est derelictus in inferno? Christus scilicet in anima sola, quis iacuit in sepulchro? Christus scilicet in carne sua. Anima ergo Christi ad infernum descendit. Caro autem in sepulchro requieuit. Quinti articuli auctor Philippus assimilatus Leoni.

Contra hunc articulum peccant. PRIMO illi, qui dicunt impios non in perpetuũ detineri in inferno, sicut dicit Origenes. Quia Deus propter suam magnam misericordiam non posset sustinere, quod creatura sua, quam non odit, sed diligit, æternaliter sit in pœna permansura. Contra quos dicit Dominus Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*. Qui peccent in hunc articulum. *I.*

SECVNDO, peccant contra hunc articulum illi, qui negant purgatorium. Dicunt enim, quod animæ, aut statim vadunt ad cœlum, aut ad infernum. Sed contra hos dicit Dominus, Matt. 12. *Qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, neq; in futuro*. Quod exponit Gregorius in dialogis; Hic datur intelligi, quasdam culpas in seculum seculi esse; quasdam verò in futuro posse relaxari. Sed quod potest relaxari, est veniale, & hoc in futuro nõ erit alibi, nisi in purgatorio. *II.*

TERTIO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt Christum ad infernum non descendisse, nec inde animas liberasse. Et hunc errorem inuenerunt quidam dicti Speronistæ. Contra quos dicit hîc fides, & similiter Apostolus Ephes. 4. *Descendit ad inferiores partes terræ*. Et Act. 2. *Quod Deus eum suscitauit, solutis doloribus inferni*. Per hoc volunt aliqui Dd. quod etiam Christus per descensum suũ animas de purgatorio liberauit. quia hoc verbum non potest intelligi de limbo patrum, quia ibi non fuit dolor, sed pœna damni tantum. Igitur de purgatorio intelligitur; de quo, vt dicit S. Thom. in 3. sent. dist. 22. propter redemptoris pœnitentiam poterant liberari. Rectè sicut promissus fuit & datus latroni introitus paradisi. Luc. 23. *III.* Speronistæ.

SEXTVM animal, quod denominat sextum signũ, dicitur *Virgo*, significans B. Thomam, qui secundum aliquos posuit sextum articulũ, id est, *Tertia die resurrexit a mortuis*. Quia *est primogenitus ex mortuis*, vt dicit ad Col. 1. id est, primus mortuorum ad immortalitatẽ resurgens, vt videlicet in capite Christo inchoaretur resurrectio gloriosa, quæ in nobis est futura. Ideo secundum Ambrosiũ ibidem in Glos. Sicut natus est CHRISTVS ante omnia de Deo, vt omnia crearet, sic iterum de Virgine natus primus homo resurrexit, vt quæ creauerat restauraret, vt semper sit primus & princeps. Propter, quod Christus ipse dixit: *Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in secula seculorum Amen*. Apoc. 1. C Sexti articuli auctor Thomas, Virgini comparatus.

Qui peccant in hunc articulum. Contra hunc articulum peccant, PRIMO illi, qui credunt Deum esse puram naturam, & apud inferos permansisse. Quorum error patet esse falsus ex præmissis.

I. II. SECVNDO, peccant contra hunc articulum illi, qui credunt animã mori cum corpore. Sed si hoc esset verum, tunc idem homo non posset resurgere. Sed contra illos dicit Dominus Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam aut non possunt occidere. &c.* Et Apoc. 1. dicitur; *Vidi animas interfectorum sub altari Dei. dicentes: Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?*

III. TERTIO peccant hi, qui non credunt resurrectionem, vt Sadducæi. quorum error patet ex prædictis: quia si Christus resurrexit, & nos resurgemus 1. Cor. 15.

Septimi articuli auctor Bartholomæus, Libræ comparatus. SEPTIMVM signum dicitur *Libra*, & significat B. Bartholomæum, qui omnia rectè librat. qui composuit septimum articulum, *Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram DEI patris omnipotentis.* De hac ascensione dicit Leo Papa homil. de ascensione: Ascensio CHRISTI nostra est protectio: vt quo præcessit gloria capitis, illuc spes tendat & corporis.

Qui peccant contra hunc articulum. Contra hunc articulum peccant Eutychiani, qui tantum vnam in Christo ponunt naturam, sed quia Christus in vtraq; , scilicet diuina & humana ascendit, igitur &c. Contra hunc etiam peccant, qui dixerunt vnam naturam scilicet humanam in Christo corruptã: & similiter illi, qui dicunt Christum non esse Deum. Sed ex quo ascendit cum natura diuina, patet eum esse verum Deum.

Articuli octaui auctor Thomas, scorpioni assimulatus. OCTAVVM animal dicitur esse *Scorpio*, quod pungit retro, & blanditur in facie, & significat Beatum Thomam, qui retro pupugit, quando ascendente Christo, ait Ioan. 20. *Nisi videro fixuram clauorum, non credam.* Sed ei in faciem tunc blanditus est, quando præsente Christo ad eum dixit; *Dominus meus & Deus meus.* Et iste, vt dicit Glossa super ea. Firmiter. posuit octauum articulum, id est, *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Quamuis fertur posuisse sextum; *Resurrexit a mortuis.* Alij dicunt: Philippum simul combinasse, *Descendit ad inferos: tertia Die resurrexit a mortuis.* De hoc articulo tamen non est magna vis: de quo vide suprà Dominica II. in Aduentu.

Qui peccant contra hunc articulum. Contra hunc articulum peccant PRIMO, dicentes iudicium iam esse factum, aut non esse futurum. Contra quos dicit sacra constitutio: Venturus in fine seculi iudicare viuos & mortuos.

I. II. SECVNDO peccant hi, qui negant corporum resurrectionem. Contra quos dicit NOTANTER, *iudicare viuos & mortuos.* Oportet enim quod resurgant mortui, si debeant iudicari. De hoc etiam dicit Iob. 19. *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. &c.* Et Isa. 26. *Viuent mortui tui Domine; interfecti mei resurgent.* Et Ezech. 37. *Ecce ego mitto in vos spiritum, & viuetis.* Et Dan. 13. *Multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt.*

III. TERTIO, peccant contra hunc articulum illi, qui dicunt animas perire cum corpore. Quales fuerunt illi, qui dixerunt Sap. 2. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ: non est refrigerium in fine hominis, & non est agnitus, qui sit reuersus ab inferis. quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Sed contra illos dicitur. Eccles. 12. *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat: & Spiritus redeat ad Deum, qui*

qui dedit illum. Spiritus enim bonorum cum corpore non peribit, sed ad dominum redibit. De quo etiam dicit Tullius in somnio Scipionis. Non est lugenda mors, quàm immortalitas consequitur. Et Mercurius: Animæ, inquit, post dissolutionem credere cogentur pœnis, quæ in vita noluerunt credere verbis.

QVARTO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt omnia ex necessitate euenire. Talis fuit quidam scholaris in Glossa. super c. Firmiter. qui cum circa hanc materiam studuisset, rogauit cum instantia socium, vt cum eo iret ad Magistros Theologiæ, qui volebant probare illis quod omnia venirent ex necessitate. Hic cum non posset aliter eius inquietudinem refrænare, respondit ei: Si verum est, quod dicis, quare me precibus inquietas? Si necesse est, vt tecum vadam, velis nolis tecum ibo: si necesse est, quod remaneam, pro nihilo me rogas, cum sit impossibile. Qui ad hanc responsionem cognouit errorem suum, & confessus religionem intrauit. *IV.*

QVINTO, peccant contra hunc articulum illi, qui dicunt Deum ex infinita misericordia omnem hominem, & angelum saluare. Contra quos dicitur in c. Firmiter. Et redditurus singulis secundum opera sua, tàm reprobis, quàm bonis. qui omnes proprijs suis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundum opera sua, siue bona, siue mala fuerint. Illi, scilicet mali, cum diabolo perpetuam pœnam: Isti, scilicet electi, cum Christo gloriam sempiternam. *V.*

NONVM animal est *Sagittarius*, à quo denominatur nonum signum, & significat B. Matthæum, qui misit tela duræ comminationis contra malos, vt habetur in suo Euangelio. Et hic posuit nonum articulum: *Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam.* vt habetur ex Glossa c. Firmiter. Quasi diceret: Credo, quod Spiritus ipse sanctus sit, Ecclesiaque sancta sit ab eo. Articuli noni auctor Matthæus, comparatus Sagittario.

Contra hunc articulum peccant PRIMO illi, qui dicunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere; & non à Filio. Et hic est error Græcorum. Contra quos dicit Athanasius in Symbolo: *Spiritus sanctus à Patre & Filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in Symbolo Nicæno canit Ecclesia; *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Qui peccant contra hunc articulum. *I.* Græci.

SECVNDO, qui dicunt Spiritum sanctum Patris & Filij seruum esse. sicut Macedoniani, qui negauerunt Spiritum sanctum esse DEVM. Cuius erroris auctor fuit Macedonius. Contra quos canit Ecclesia; *Qui cum Patre & Filio simul adoratur,* scilicet sicut Deus, ad quem solum spectat adoratio. *II.* Macedoniani.

TERTIO, peccant contra hunc articulum Pelagiani, qui dixerunt, quod homo, mediante suo libero arbitrio, sine gratia Spiritus sancti posset implere omnia diuina mandata, sicut recitat hunc errorem, Magister lib. 2. dist. 28. c. 7. Contra quem dicit Dominus Ioan. 15. *Sine me,* id est, sine gratia mea, *nihil potestis facere.* *III.*

QVARTO, peccant contra hoc, *Sanctam Ecclesiam Catholicam,* qui dicunt; Extra Ecclesiam vnumquemq; saluari in fide sua; vt Iudæos in fide sua: similiter & Gentiles. Contra quos dicit sacrum Concilium c. Firmiter. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluabitur. Pro illius Ecclesiæ vnitate sic orauit Christus; *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum,* Ioan. 17. De hac Ecclesia dicit sponsus Christus, Cant. 2. *Vna est columba mea, perfecta mea, electa mea, quam viderunt filiæ Sion,* id est, virtutes Angelicæ, *& beatissimã prædicauerunt.* *IV.*

Hæc

Hæc vniuersalis Ecclesiæ vnitas per arcam diluuij figuratur, de qua Genes. 6. 7. & 8. cap. quæ erat tantum vna, vnum habens Gubernatorē, scilicet Noë. Sic sancta Ecclesia est tantum vna, vnum habens gubernatorem, scilicet Christum summum Pontificem, vt patet in Extrauagante Bonifacij VIII. quæ incipit; Vnam sanctam Ecclesiā. Nam tempore diluuij extra arcam Noë nihil seruabatur; ita extra Ecclesiam non est salus.

X. art. auctor Iacobus minor & Simon Capricorno assimilatus.

DECIMVM animal est *Capricornus*, significans B. Iacobum minorem, qui addidit: *Sanctorum communionem*; Et Simon; *Remissionem peccatorum*. Hoc quidam ponunt sub vno articulo.

Contra hunc articulum peccant damnantes indulgentias Ecclesiæ, preces sanctorum, & suffragia mortuorum.

D

Pretium sanguinis Christi fuit maximi valoris.

Vbi NOTANDVM. Gulielmus de monte Laurino, dicit: quod pretium sanguinis Christi multum pretiosum est, vltra omnes res huius mundi, ita vt vna gutta pro redemptione nostra suffecisset; sed propter maiorem dilectionem, quam habuit erga nos Christus, superabundantem effudit sanguinem in circumcisione, in sanguineo sudore, in flagellatione, in spineæ coronæ impositione. modo quoties hoc factum fuit, semper erat meritorium apud Deum Patrem: Multum etiam promeruit ieiunādo, prædicando, castella visitando, &c. & omne bonum faciendo. Tale meritum Christi non cessit sibi ipsi, sed nobis in thesaurum sanctæ matris Ecclesiæ.

Thesaurus Ecclesię quadruplex.

Circa, quod vlterius NOTA: quatuor sunt thesauri sanctæ Ecclesiæ. *Primus* est Christi, de quo iam dictum est. *Secundus* est B. Virginis. Quia dicit Ignatius in quadam Epistola, quod Maria post passionem Christi multas sustinuit blasphemias à Iudæis, quas voluntariè sustinendo sine dubio multum promeruit. *Tertius* est Martyrum, qui sunt innumerabiles. *Quartus* est Confessorum, Virginum, & aliorum sanctorum, ex quorum omnium meritis, vt dicit Durandus in speculo, resultant indulgentiæ, & harum indulgentiarum thesaurorum Papa est dispensator *primus*, immediatè à Domino Deo cōstitutus. *Secundo*, Archiepiscopi. *Tertio*, Episcopi in suis diœcesibus. qui Archiepiscopi & Episcopi habent potestatem limitatam, vt de pœni. & remis. c. Quod autem consuluisti. Vbi dicitur, quod indulgentiæ non prosunt subditis, nisi proprij iudices illas concedant. Ideo dicit Bonifac. VIII. de pœn. & remis. lib. 6. Indulgentiæ, quæ ab vno, vel à pluribus Episcopis, in Ecclesiarum dedicationibus, vel alijs quibuscunque casibus conceduntur, vigorem non obtinent, si statutum excesserint Concilij generalis.

Papa dispensator indulgentiarum.

Sanctis in Ecclesia triumphante orāt pro nobis.

Sed de precibus sanctorum hoc tenendum, quod sancti, qui sunt in Ecclesia triūphante, orant Deum pro illis, qui adhuc sunt in Ecclesia militante. Nam & hic orauerunt in terris pro peccatoribus. sicut Beatus Andreas orauit pro quodam sene, Nicolao nomine, qui in peccato carnis vsque ad septuagesimum annum fuerat, & audiuit vocem de cœlo dicentem: Obtines Andrea pro sene. Et Beatus Iacobus cap. vlt. ait: *Orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Et 1. Ioan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem*, id est, excludendo finalem pœnitentiam, qua quis moritur in peccato mortali, *petat*, scilicet orando pro eo, *& dabitur ei vita*, scilicet gratiæ. Si igitur sancti orant pro peccatoribus in via, certè multò plus in patria: quia ibi magis feruent in caritate. Ideo

Sancti orant pro nobis.

Ideo dicit Iob. 5. *Voca, si est, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Glossa: rogans eum, vt oret pro te, quia vocare nostrum est humili prece deposcere Deum, vt dicit Bernardus. Ideo oramus; Sancta Maria ora pro nobis. Et qui oppositum huius sentit. Hęreticus est censendus. quia facit contra articulum, *Sanctorum communionem*, vt dicit sanctus Thomas super 4. sent. dist. 15.

De suffragijs autem mortuorum hæc teneas, quod tam suffragia eorum, qui sunt in patria, quàm horum, qui sunt adhuc in via prosint eis, qui in caritate decesserunt, cum sint amici Dei, & ratione status digni hoc beneficio. Habent enim Dei gratiam, & exspectant eius gloriam, adhærendo corpori Ecclesiæ tanquam membra se dignos effecerunt. Ideo dicitur 2. Machabæor. 12. *Sancta igitur & salubris est cogitatio*, &c. Et Eccl. 7. *Mortuo*, inquit, *non prohibeas gratiam.* Et 1. Cor. 7. *Si mortui non resurgunt, quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Et dicit Glossa, Baptizari pro mortuis, est facere pro illis opera, quæ habent purgare. Suffragia triumphantiũ & militantiũ prosunt mortuis.

Ex iam dictis patet error eorum, qui dicunt esse ridiculum hoc credere. Et indulgentiæ dantur sub hac forma: Quisquis porrexerit manum adiutricem pro fabrica Ecclesiæ, in Domino relaxamus tertiam, quartam, vel septimam partem iniunctæ pœnitentiæ. Forma indulgentiarum.

Dicent aliqui fortasse: Si remissio datur pro pecunia, ergo gratia erit venalis. Quibus respondendum est, quod Prælatus dans indulgentias, non intendit congregare pecuniam, sed augeri cultum DEI & gloriam: nec omnes, qui dant pro fabrica, merentur eas, sed solum illi, qui sunt contriti & confessi, & immunes à peccatis. Obiectio. Responsio.

Rursus Waldenses dicunt, sanctos non esse inuocandos, quia sancti ita coniuncti sunt Deo, quod non possunt miseriam nostram cognoscere. Et propter hoc sancti secundum eos, non sunt inuocandi. Sed quod sancti cognoscant pœnitentiam nostram, habetur Lucæ 15. *Gaudium est Angelis*, &c. Si ergo gaudent de pœnitentia, nostra sciunt, quia sciunt nos pœnitere. &c. Error VValdensium.

QVARTO, peccant contra hunc articulum, qui dicunt, quod nullus sacerdos habet potestatem ligandi & soluendi, sed solus gloriosus Deus, iuxta illud Isa. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates vestras.* *Respondetur* quod Deus soluit auctoritatiuè, sed sacerdos ministerialiter, vt dicit Magister lib. 4. dist. 18. Hanc potestatem quidem ligandi & soluendi Dominus concessit Apostolis, & eorum successoribus, Ioann. 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Matt. 16. *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Obiectio. Responsio.

VNDECIMVM signum est *Aquarius*, & significat B. Iudam Thaddæum, qui fudit aquam sapientiæ salutaris. Hic posuit vndecimum articulum, *Carnis resurrectionem.* Contra quem peccauerunt Sadducæi & eorum sequaces, qui negant resurrectionem, Matth. 22. Similiter isti, qui dicunt hominum corpora non resurgere: & illi, qui dicunt homines in alia carne resurrecturos, & animam de corpore in corpus transire sicut Pythagoras, quorum falsus error superius patuit. Item peccant contra hunc articulum, qui dicunt impios non resurgere, iuxta illud Psalm. 1. *Non resurgunt impii in iudicio.* Sed responde eis, quod non resurgunt ad eorum exaltationem, sed ad maiorem depressionem, quia tunc proijcientur cum corpore & ânima in foueam gehennæ. Contra hunc etiam articulum peccant illi, qui dicunt homines post resur- XI. articuli auctor est Thaddæus aquario assimulatus. Qui peccarint contra hunc artic. 1. 2. 3. 4.

rectionem comesturos, bibituros, & carnales delectationes habituros. Contra quos dicitur Matth. 22. quod tunc *erunt sicut Angeli Dei.*

XII. articuli auctor est Matthias, comparatus pisci.

DVODECIMVM animal est *Piscis*, significans duodecimum signum, & denotat B. Matthiam, qui semper vixit in aquis Scripturarum, eo quod fuit in lege doctissimus, qui conclusit vltimum articulum, *Et vitam æternam. Amen.*

Qui peccant contra eum.

Animæ iustorum quomodo Deū videbunt.

Contra hunc articulum peccant hi, qui dicunt, quod nulla anima ante iudicium videat diuinam essentiam clarè & apertè. Contra quos dicit Benedictus Papa: Animę iustorum hominum, post mortem Domini nostri Iesu Christi & passionem, viderūt, & vident, & videbunt diuinam essentiam, visione intuitiua; & etiam facilè creditur creaturam rationalem beatam, sine habitu medio diuinam essentiam visuram, diuinâ essentiâ immediatè se nudè, clarè & apertè ei ostendente. Quodq; sic videntes, eâdem diuinâ essentiâ perfruantur, id est, nec non ex tali visione & fruitione, eorum animæ, quæ iam decesserunt, sunt verè beatæ, & habent vitam æternam & requiem æternam; & etiam illorum, qui postea decedent cum eandem videbunt diuinam essentiam, ipsaq; perfruentur ante iudicium generale. Hæc ille.

Ecce iste est panis viuus fidelibus præponendus. Quid credendum? *Secundus* est quid faciendum, videlicet decem præcepta. De quibus vide suprà Feria IV. quatuor temporum post Inuocauit. *Tertius* panis est, quid cauēdum? scilicet septem vitia mortalia cum filiabus. vide suprà: *Eiice ancillam & filium eius.* *Quartus* panis, quid timendum? sunt scilicet inferni supplicia. De quibus vide suprà Dominica II. in Aduentu Sermone 1. D. H. Item Dominica in Saxagesima sermone 2. R. G. *Quintus* panis, quid appetendum? videlicet paradisi gaudia. Vide suprà septem occasiones gaudiorum paradisi cœlestis, Dominica II. Sermone 1. D. D.

DE EADEM DOMINICA LÆTARE.

Sermo tertius.

Est puer vnus hic qui habet. &c.

ALIO modo per puerum intelligitur MORALITER quilibet homo, qui debet habere mores puerorum.

E

I.

Quilibet homo debet esse paruꝰ per humilitatē.

Dicit Robertus Holkot super lib. Sap. lection. 119. quod in puero PRIMO inuenitur paruitas ad designandum. quod homo debet esse paruus per humilitatem contra superbiæ tumorem. Cum enim porta regni cælestis sit parua, & via, quæ ducit ad vitam, sit arcta, sic pauci eum inueniunt. Ideo volentes intrare oportet per humilitatem paruos fieri. quia dicitur Matthæi 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et rursum Lucæ 16. *Quicunque non acceperit regnum Dei, sicut puer, non introibit in illud.* Et dicit Robertus: Pretiosa ocularia solent crystallo parari propter duo. *Primo*, quia securè & honestè saluantur, & seruantur oculi à puluere, & ab alijs imminentibus malis. *Secundò*, quia tunc polito crystallo res visibiles bene manifestantur. Chrystallus enim dum fit transparens, species obiecti facilè

cilè transfunditur ad oculum, imò auget speciem, & facit eam apparere maioris quantitatis, quàm est.

Isto modo MORALITER. qui vult aliquas virtutes saluas custodire, occultet & operiat eas sub humilitate. Est enim humilitas sicut Chrystallus, quia seruat virtutes à puluere vanæ gloriæ, & à tactu siue palpitatione vanæ laudis humanæ, & facit eas apparere maioris quantitatis, quàm si per se starent sine humilitate. Per illud autem medium repræsentauit Virgo beata MARIA, suam virginitatem, pietatem, & caritatem, ita quod fuerunt omnia cooperta Crystallo humilitatis. Ideò dicitur Lucæ 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Per illud etiam medium repræsentauit quidam, nomine Constantinus, suam virtuosam operationem, de quo refert Gregorius lib. 1. dialogorum cap. 5. qui humilitatis signum ex contemptu sui ipsius demonstrauit. Erat enim vir Dei pusillus valdè, & exili forma atq; despecta; quem tamen multi propter eius sanctitatem videre cupiebant, & de multis prouincijs veniebant. Quadam die ex longinquo locò cum quidam rusticus venisset, cumque pro viro DEI inquireret, quisnam ille esset? tunc horà eadem stetit in ligneis gradibus, reficiens lampades. Hi autem, qui eum nouerant, rustico demonstrabant. Sed sicut stultæ mentis homines, meritum ex qualitate corporis pensantes, habuerunt eum paruulum atq; despectum. Videns rusticus ipsum hunc esse, cœpit omninò non credere in mente rustica hoc, quod audiebat & videbat. Cum autem ipsum esse, à pluribus fuisset attestatum, despexit eum & irrisit dicens: Ego verò eum grandem hominem credisti: iste autem de homine nihil habet. Quod vt vir Dei Constantius audiuit, lampades, quas reficiebat, protinus relinquens, concitò lœtus descendit atq; in eiusdem rustici amplexus ruit. eumq; ex nimio amore cõstringere cœpit brachijs & osculari; magnasq; gratias agere, quod de se talia iudicasset, dicens; Tu solus oculos apertos super me habuisti. Ecce qualiter per medium humilitatis, in alijs virtutibus suis magnus visus est & ostensus.

Humilitatis exemplũ insigne, Constantij Mansionarij.

SECVNDO, in puero inuenitur puritas. sic homo debet habere puritatem contra fœtorem luxuriæ. Vnde quanto maior dominus est; tanto honestatem maiorem in sua seruitute requirit, iuxta illud Ps. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Deus enim maximus est Dominus. Ideo ministros suos vult esse mundos & honestos. Cuius figuram legimus 1. Reg. 21. Cum Dauid venisset ad Achimelech in Nobe, & fames eos vrgeret vehementer, peteretq; ab eo panem pro se, & suis, in tanta necessitate: Respondit Sacerdos Achimelech, *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, manducent,* quasi diceret, Necessitas legem non habet, sed ipsa sibi facit legem, vt dicit Augustinus 1. q. 1. c. Remissionem. Si tamen immundi essent per luxuriam, nullo modo eis darem. Fœtet enim luxuria non solum in conspectu Dei & beatorum Angelorum, verum etiam coram aliquibus dæmonibus nobilis naturæ.

II. Quiuis debet imitari puerorũ puritatem.

Luxuria fœtet coram Deo, Angelis, & etiam dæmonibus. Exemplum.

Vir quidam necromanticus cum dœmonem more solito inuocasset, post longam exspectationem & carminum suorum iterationem, tandem astitit stans à longè, vestibus obturans nares suas. A quo cum coniurator quæreret, quare ita tardaret? & quare ita à remotis staret? respondit: Fœtor luxuriæ tuæ non permittit me accedere. Cognouerat enim meretricem suam. De talibus verificatur illud Ioël 2. De cadaueribus eorum ascendit fœtor.

TERTIO

III. Imitanda puerorum ſobrietas.

TERTIO, inuenitur in puero ſobrietas. ita in homine debet eſſe ſobrietas contra feruorem gulæ. Sicut enim puer quando indiget, comedit & bibit, ſed menſuram naturalis indigentiæ non excedit; ita boni homines, quantum naturæ ſufficit, capere debent, & tunc tàm ſanitatem, quàm ſumptus ſaluant. Figura huius legitur Dan. 1. Vbi Daniel, & ſocij ſui pueri nolebant comedere de cibis regis Nabuchodonoſor, nec bibere de vino eius, ſed comederunt legumina, Et biberunt aquam, & honeſtiores fuerunt cæteris pueris Chaldæorum. Ideo dicitur ibidem: *Poſt decem dies inuenti ſunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ aliis pueris, qui veſcebantur cibo regio, & pueris illis dedit Dominus ſcientiam & diſciplinam in omni ſapientia.* Ideo comparatur merito ſobrietas amethyſto, de quo dicitur in lapidario cap. 16. hic faciliter ſculpitur, & eſt contrarius ebrietati. Dicitur autem de iſto lapide, quod præſeruat equum geſtantem, à ceſpitatione & infirmitate.

Sobrietas cõparatur amethyſto.

MORALITER. Sobrietas facilis eſt ſculptu. quia ſobrij facillimè ſculpuntur, & docentur, & caſtigantur. Propter quod noluit Abigail mulier prudens arguere virum ſuum, cum eſſet ebrius, ſed vſque dum fuiſſet manè ſobrius, exſpectauit, 1. Regum 25. Similiter anima hominis eſt ſicut equeſter, & caro ſicut equus. Iſa. 31. *Equi eorum caro.* Iſtum igitur equum anima debet regere & ſeruare; interdum calcaribus caſtigationis vrgere. Si verò eques, id eſt, anima iſtam gemmam, id eſt, ſobrietatem portauerit, equus, id eſt, caro non perdet ſenſum, nec ceſpitabit in via morum, nec cadet per peccatum; immò & corporalem infirmitatem euadet. Quia dicit Chryſoſtomus: de conſ. diſt. 5. Nihil ſic iucundum eſt, ſicut cibus bene digeſtus, aut decoctus: nihil ſic ſenſuum acumen operatur: nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio. *Et infra*; Exceſſus verò ciborum, conſumit & putreſcere facit corpus humanum, & carnem macerat ægritudine diuturna, & tandem morte crudeli conſumit. Cui concordat Seneca 10. proclamationum: Ita ſubitò morimur, quia de mortibus viuimus. Quicquid volitat auium, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Hinc tam ſubitò morimur, quia mortuis nutrimur.

Anima hominis eques caro equus.

IV. Imitanda conformitas puerorum.

QVARTO, in puero inuenitur conformitas. Si enim flere vidit nutricem, ſtatim collacrymatur; & ſi viderit eam ridere, mox arridet. Sic homines boni, debent ſe cum nutrice ſancta matre Eccleſia conformare. Cum enim ipſa triſtatur in ieiunijs & afflictionibus, debent cum ea triſtari & ieiunare: Si autem ridet & gaudet, debent, vt boni pueri cum ipſa gaudere boni homines & deuoti, ad inſtar puerorum compati tribulatis, & cum proficientibus gaudere, iuxta illud Apoſtoli Roman. 12. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* & figurantur per pueros clamantes in templo, *Oſanna*, Matth. 21. quia ſoli pueri carent inuidiæ liuore: ideo digni ſunt Deum laudare.

V. Puerorũ iucũditas amplectenda.

QVINTO, in puero eſt iucunditas. Et hæc iucunditas facit eos mobiles, quod currunt & ambulant, & diſcurrunt, ludunt, & nunquam ſunt otioſi. Ideo dicit Conſtantinus lib. 6. medicinalium: Quies tædioſa eſt cunctis pueris & inſanis. Cuius ratio & cauſa eſt, validus æſtus caloris naturalis, & acritas in pueris, & calor in inſanis. Nam & ligati inſani plus inſaniunt, & pueri incluſi ſtulti fiunt, vt aſſerit Conſtantinus. Sic homines boni debent habere iucunditatem contra acediæ torporem, vt ſic ſint laborioſi, & ſolliciti, & ſemper in aliquo vtili occupati. In cuius fi-

guram

guram *Puer Samuel coram Domino ministrabat, statim cum esset ablactatus*, 1. Reg. 2.

Sexto, in puero est liberalitas. Puer enim libenter dat, quicquid habet. Sic in nobis debet liberalitas esse contra auaritiæ rigorem. Ideo dicit Ambrosius: distinct. 86. c. Non satis. Probanda est etiam liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere eos cognoscas. Melius est enim, vt tu ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alienis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitatis; non tamen, vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu potes conferre in opibus. *Et ibidem dicit*: Quod illis debemus esse liberales, qui iam non possunt sibi victum quærere. In signum istius, liberalis fuit IESVS quinque millibus hominum, qui iam non poterant necessaria quærere: quos quinque panibus, & duobus piscibus satiauit, vt dicit Euangelium hodiernum. VI. Imitandæ puerorum liberalitas.

Sic legitur de liberalitate Tobiæ, qui cum esset iunior omnibus de tribu sua in captiuitate, nihil tamen puerile gessit in opere, sed omnia, quæ habere poterat, captiuis fratribus, qui erant ex eius genere impartitus fuit, vt habetur, Tob. 1.

Septimo, in puero est tranquillitas. Nullum enim lædit: & si ipse læditur & offenditur, statim remittit. Vnde pro vno pomo reconciliatur, etiam si fuerit valde offensus. Isto modo homines boni debent esse tranquilli contra iracundiæ furorem, & remittere illis, qui in eos peccauerint, & non diu iram tenere. Vnde Aristoteles 9. Ethicor. cap. 13. distinguit tres species iracundorum. Quidam acuti, quidam amari, quidam difficiles. *Acuti* dicuntur, qui velociter irascuntur, & velociter quiescunt. Et illud est optimum, quod non retinent iram in corde celando, sed statim iram per aliqua signa manifestant, propter velocitatem motus iræ. Et ad istam speciem maximè disponuntur cholerici, propter subtilitatem caloris. *Amari* dicuntur, quorum ira diu perseuerat, & nunquam ostendunt, sed occultant. Et ideo sunt amarissimi in seipsis, & etiam ad alios: & indigent multo tempore ad hoc, vt digerant iram suam; & ad hanc iram maximè disponuntur Melancholici. *Difficiles* dicuntur, qui nunquam cessant ab ira concepta, donec fuerint vindicati. Istas tres species quilibet homo debet vincere per mansuetudinem & moderantiam rationis. *Primam* per modestiam, ne sit acutus: *Secundam* per mansuetudinem, ne sit amarus: *Tertiam* per pietatem, ne sit difficilis, & vt sit puer Deo gratus, de quo Oseæ 11. *Puer Israël & dilexi eum*. Iste inquam puer habet quinque panes. VII. Pax & tranquillitas puerorum imitanda. Iracundorum tres species. Acuti. Amari. Difficiles.

Primvs est pœnitentialis. Hic figuratus est per panem subcinericium, qui per somnum videbatur descendere in castra Madian, de quo Iudic. 7. legitur, quod narrabat aliquis somnium proximo suo, & in hunc modum referebat: *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere. Cumq; venisset ad tabernaculum, percussit illud atque subuertit, & terra funditus coæquauit.* F I. Panis pœnitentiæ.

Hoc exponit Anselmus lib. 7 cap. 24. & dicit ibi, tria esse attendenda: Primo, inquit, attendatur exemplum. quia quasi subcinericius panis ex hordeo quoad cocturam, id est, sub cinere coctus. In cinere autem intelligitur humilitas mentis proueniens ex memoria mortis, qua corpus hominis in cinerem redigitur, iuxta illud Eccles. 3. *De terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur.* Et Eccles. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Sub hoc enim cinere debet esse animus pœnitentis, & debet excoqui igne doloris, exemplo Iob, qui cap. 42. ait: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* 1.

Panis doloris. *uere.* Ista inquam pœnitentia panis videbatur quoad formam. Est enim panis doloris, quo reficitur animus pœnitentis. De quo dicit Psalmus 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Hic commemorat Psalmista duo: lacrymas & panes. Quia pœnitentia est aqua refectionis, & panis compunctionis, mediantibus quibus anima incipit viuere iustitiæ, quæ prius erat sub morte culpæ, iuxta illud Eccles. 29. *Initium vitæ hominis panis & aqua.* Panis doloris, & aqua lacrymationis.

Sed videbatur iste panis ex hordeo esse quoad materiam. Hordeum enim semen habet aridum, & asperum propter quod ab ariditate est dictum, & significat asperitatem pœnitentiæ, & ariditatem abstinentiæ; quæ debent esse exterius in carne, tàm ad satisfactionem, quàm ad vitiorum mortificationem, iuxta illud Colos. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Glossa; Mortificate per asperitatem vitæ, vt tamen natura ad seruiendum Deo conseruetur.

2\. SECVNDO, in hoc somno considera motum. Quia iste panis videbatur volui, & descendere in castra Madian. Vt verò ille panis rotatur & voluitur secundum omnes partes suas; Sic similiter nos secundum omnes partes volui debemus, videlicet ad obliuiscendum iniurias, & ad recolendum culpas: modò intellectus, vt non iudicet aliena, sed subtiliter discutiat propria: modò voluntas, vt detestetur culpam, & diligat iustitiam: modò debemus vertere oculos, vt non aspiciant vanitatem. Et simile fieri debet de omnibus alijs partibus & membris, iuxta illud Apostoli, Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem.* Sed quidam non sic faciunt; qui sunt similes Ephraim, de quo Oseæ 8. *Factus est Ephraim quasi panis subcinericius, qui non reseruatur.* Tales sunt, qui habent memoriam, & aliquando deplorant peccata, sed tamen non mutant opera.

Item iste panis videtur descendere in castra Madian. Madian interpretatur iniquitas. Vnde castra Madian sunt iniquitates, & arma diuersorum vitiorum. At panis pœnitentiæ descendit, cum animus dolens de peccatis discutit, & flendo in pœnitentiam se ponit. Vel dicitur, quod Madian interpretatur iudicium. Debet enim panis pœnitentiæ, id est, compunctus animus in castra Madian descendere, id est ad sua vitia iudicanda & pœnitenda. Iuxta illud 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus*, Glossa, conscientias nostras examinando & purgando, *non vtique dijudicaremur.* & Canon. de pœnitent. distinct. 1. cap. In actione dicit: Iudicet seipsum homo; voluntatem dum potest, mores conuertat in melius, ne cum ipse iam non poterit, præter voluntatem à Domino iudicetur. Super hoc dicit Glossa Bartholomæi Brixiensis: Ostendit, quis ordo sit seruandus in accipienda pœnitentia. *Primo* enim quis debet conteri: *deinde* se condemnare, & redarguere, & proponere in corde confiteri & satisfacere ad arbitrium Ecclesiæ, & postea venire ad sacerdotem, & ab eo accipere pœnitentiam.

Ordo in pœnitentia seruandus.

3\. Tabernaculum diaboli. TERTIO, considera effectum. quia cum peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit &c. Tabernaculum diaboli est cor peccatoris. Et hic panis pœnitentiæ percutit contritione, subuertit in confessione, & terræ coæquat in humili satisfactione. Ex his enim verbis Anselmi patet, qualiter de pane pœnitentiæ fiunt fragmenta contritionis, confessionis, & satisfactionis.

Sed

Sed roges, quamdiu iste panis pœnitentiæ comedendus est? *Respondeo*, quod omni die quamdiu viuimus, iuxta illud Deut. 10. *Septem diebus comedetis absque fermento.* vbi per septem dies intelligit, quod semper potest homo pœnitentiam agere, dum est in hoc tempore constitutus. quia omne tempus septem diebus voluitur. Quamdiu panis pœnitentiæ comedendus.

Per hoc excluditur error quorundam dicentium, quòd peccantibus post baptismum semel tantum vtilis est pœnitentia. Quorum errorem commemorat Augustinus, quem allegat Magister lib. 4. dist. 14. addens, quosdam alios dicere; quod frequens remissio ad peccatum est incitatio. Et dicunt; quis non semper peccaret, si semper redire posset? Dicunt etiam Deum incitatorem mali, si semper peccantibus vel pœnitentibus subueniat; & ei placere peccatum, quibus semper præsto est gratia. Sed dicit Augustinus. Errant hi, constat n. ei peccata multum displicere, qui semper præsto est ea destruere. Errores quidam reijciuntur circa pœnitentiã.

Ad errorem illū destruendum scribit Chrysostomus de reparatione lapsi, & allegatur à Magistro vbi suprà. Talis, inquit, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere & piè offeratur, etiam si ad summũ perueniat quis malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter, & complectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem reuocet statum, quodq; est adhuc præstantius & eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem quantulamcumq; & quamlibet breui tempore gestam, non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguam conuersionis perdere mercedem. Hæc Chrysostomus. Et declarat ibidem Magister hoc per exemplum. Dauid per pœnitentiam adulterij simul & homicidij veniam impetrauit, vt patet 2. Regum 12. quando dixit; *peccaui*, & propheta Nathan; *Transtulit*, inquit, *Dominus peccatum tuum.* Et tamen postea iterum grauiter deliquit in populi enumeratione, 2. Regum 24. quod populi multitudo prostrata ostendit. Illud autem mirabile quod angelo feriente plebem, se obtulit, dicens 1. Para. 21. *Grex iste quid fecit? fiat manus tua in me, & in domum patris mei.* Quo facto, statim sacrificio dignus iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus.

Si autem quis quæreret, Vnde istorum error ortum haberet? Huic *respondendum* est, quod ortum habuit ex his verbis Apostoli ad Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & lapsi, rursus renocari ad pœnitentiam.* Circa quod NOTA, quod triplex est genus pœnitentiæ. Origo erroris ex epistola ad Hebræos.

G

Est n. quædam pœnitentia *priuata* seu occulta, quæ in occulto fit pro peccatis occultis: Alia est *manifesta* pro manifestis peccatis: tertia est *solennis*, quæ in capite ieiunij incipitur. Hanc qui agunt ante fores Ecclesiæ, se repræsentant Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantur. De qua pœnitentia. dist. 50 cap. In capite *Prima* pœnitentia potest semper iterari. *Secunda* etiam potest, sed non ita frequenter. *Tertia verò* secundum antiqua iura non debet iterari, cuius rationem dat S. Thomas super 4. sent. ne vilescat & contemptibilis habeatur hominibus. Alicubi tamen est contraria consuetudo, & ibi potest iterari etiam solennis pœnitentia. Vbi autem consuetudo non est, iteranda non est. Et ille qui solenniter pœnitet, & iterum in horrendum peccatum est prolapsus, non relinquendus est, ne incidat in desperationem; nec claudendus est sibi locus pœnitentiæ priuatæ & publicæ, sed solennis non est ei imponenda. Triplex genus pœnitentiæ. Pœnitentia quando possit iterari.

Explicantur verba Apostoli ad Hebræ.

Ad auctoritatem Apoſtoli *dicendum*, quod baptiſmus cum pœnitentia iterandus non eſt. Vel ſic exponitur: Impoſſibile id eſt, difficile valde eſt hominem renouari, id eſt ad gratiam baptiſmi perditam peruenire. Et ponit exemplum Nicolaus de Lyra, ſicut dicimus de claudo, quia non poteſt ambulare qui malè & difficulter ambulat; ſic licet prædicti cadentes difficile reſurgant ad pœnitentiam, tamen eſt poſſibile ſimpliciter, quamdiu ſunt in via. Iuxta illud Ezech. 18. *Quacumque hora peccator ingemuerit, ſaluus erit.* Et de ſumma Trinitate & fide Catholica, dicit ſacra conſtitutio in c. Firmiter. Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poterit ſemper pœnitentiam reparari.

Panis pœnitentiæ ex qua materia conficiatur.

Sed quæret aliquis. Ex quibus farinis, vel ex quo iſte panis pœnitentiæ conficitur? *Reſpondeo*, ex tribus: *Vna* eſt tota amara; *alia* tota dulcis; *tertia* ex his mixta, ſcilicet dulcis & amara. Verus enim pœnitens debet habere timorem, amorem & ſpem. *Timor*. qui fit ex conſideratione æternæ pœnæ, eſt quaſi amara farina, quæ debet comedi in dolore. Vnde Ezech. 12. *Panem tuum in triſtitia comede.* Multum enim pœnitens debet timere & conturbari, quando de pœnis inferni horribiliter meditatur. Sicut Iob, qui ait cap. 21. *Quando recordatus fuero* pœnas inferni *pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.* Amor, qui fit ex conſideratione cœleſtis gloriæ, quam meretur quis ex actione pœnitentiæ, eſt dulcis farina, iuxta illud Pſalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Tertio* debet habere *ſpem* de venia, & iſta eſt dulcis farina & amara. Amara quidem, quando conſiderat multitudinem peccatorum, iuxta illud Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos* &c. Sed eſt dulcis, quando in uitam habet ſpem de venia obtinenda.

Amor cœleſtis gloriæ, dulcis farina

II. Panis eſt Euchariſticus.

SECVNDVS panis eſt ſacramentalis, de quo 1. Cor. 11. *Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* De hoc pane etiam dicit Dominus, Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Super quo dicit Ambroſius libro de ſacramento, & habetur de conſecrat. diſt. 2. c. Reuera. Iſta eſt autem eſca, quam accipitis. Iſte panis viuus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam adminiſtrat, & quicumque hunc manducauerit, viuet in æternum. Quia corpus Chriſti eſt iſte panis, formatus in vtero Virginis, de triplici farina, videlicet æternæ Deitatis, antiquæ humanitatis, & de anima nouiter creata. De hoc dicit Magiſter lib. 3. diſt. 2. cap. 2. Aſſumpſit Dei filius carnem & animam, ſed carnem mediante anima. *Et ibidem dicit:* Veriſſimè & abſque omni ambiguitate dicitur: ex quo Deus hominem aſſumpſit, totum aſſumpſit, ſimulque vniuit animam & carnem. Et allegat ibidem Auguſt. lib. de fide ad Petrum c. 15. dicens: Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine Deitate conceptam in vtero Virginis, priusquam ſuſciperetur à verbo, ſed ipſum verbum Deum ſuę carnis acceptione conceptum, ipſamq; carnem verbi incarnatione conceptam. Hæc ille.

Ex qua materia panis iſte formatus

Quo igne iſte panis coctus ſit.

Iſte igitur panis ſic formatus multiplici igne fuit decoctus & piſtus. *Primus* fuit ignis *amoris*, de quo Iere. 31. *In caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miſerans tui,* & Ioan. 14. *Maiorem caritatem nemo habet, &c. Secundus* eſt ignis *doloris*. quia dixerunt ſui tortores Sap. 2. *Contumelia & tormentis conteremus eum.* Ideo dixit Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Tertius* ignis eſt *paſſionis*. de quo Pſal. 16. *Igne me examinaſti, & non eſt in me inuenta iniquitas.* Iſtum panem accepit Ieſus, vt habetur Matth. 26. *benedixit, & dedit* primum *diſci-*

discipulis suis. Modo autem quotidie à sacerdotibus datur populis fidelibus ad manducandum, per quem animæ eorum decoquuntur sicut dicitur, de consec. distinct. 2. c. Non est iste panis, qui vadit in corpus, sed est panis vitæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Istius panis fragmenta sunt tres partes hostiæ fractæ, de qua fractione dicit Apostolus 1. Cor. 10. *Panem, quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* quasi diceret, sic. Quid autem illæ partes significent, dixi suprà Feria VI. Reminiscere X. B.

TERTIVS panis est doctrinalis; de quo dicitur Ecclesiast. 15. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Istum panem frangunt prædicatores & Doctores, & distribuunt auditoribus, & quanto plus tribunt, tanto plus fragmenta refluunt. Sicut patet figuratum in hodierno Euangelio, vbi saturatis quinq; millibus hominum, duodecim cophini superfuerunt fragmentorum. Idem patet Matth. 14. Hanc figuram adducit B. Augustinus 1. de doctrina Christiana c. 5. de quinq; panibus, similiter de septem panibus, declarans per eos doctrinam largiter impendendam, dicendo: Illi quinque & illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus. Quod vbi fieri cœperat, cophinos & sportas satiatis tot millibus hominum impleuerunt, ergo sicut panis, dum frangeretur, creuit; Sic etiam Doctor quando liberaliter impertitur donando, quod de dono recepit, multiplicatur & augetur sapientia in docente. Idem Augustinus vbi suprà. Non est, inquit, metuendum, quod dare desinat cetera, quando ea quæ data sunt, cœperimus extendere. *III. Panis est doctrinæ.*

ET NOTA: sicut enim Doctores debent dare largiter doctrinas suas, sic audientes non debent eas otiosè comedere. Sicut enim paterfamilias eijcit eum, qui panem otiosè comedit sic facit & Christus. Nam ille otiosè comedit, qui doctrinam, quam intelligit, non facit. Contra quod dicitur de sapiente muliere, Prou. 31. *Panem otiosa non comedit.* Istius panis quasi trium cophinorum sunt fragmenta, scilicet credendorum, fugiendorum, & agendorum documenta. *Otiosè panē comedens expellitur.*

QVARTVS panis est corporalis. De quo Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Sed pro isto pane non multum sudant. PRIMO vsurarij, sed in domo quietè sedent, & pecuniam ad vsuram dant aut exponunt. Sicq; sudores aliorum sine labore comedunt. Alij enim laborant, & ipsi in labores eorum intrant, vt communiter exponitur de ipsis illud Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Et sequitur: *Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate.* Vbi NOTA. Multiplici iniquitate operti sunt vsurarij. H *IV. Panis est corporeus. Qui nō multum pro hoc pane sudāt.* 1.

PRIMO, quia vendunt tempus, quod inter omnia transitoria maximè voluit Dominus esse commune omnibus hominibus, absq; personarum acceptione. Quamuis enim diues de his rebus plus habet quàm pauper, de solo tamen tempore non potest habere, nisi illud idem, quod pauper. Magna enim iniquitas est, cum Vsurarius pauperi vendit, quod omnibus commune exsistit. Ideo iusto Dei iudicio temporis indigentia frequenter punitur Vsurarius. *Quia viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Scriptum est enim Ezech. 7. *Qui vendit tempus, ad illud, quod vendidit*, scilicet tempus, *non reuertetur.* *Vsurarij qui multiplici iniquitate operti sunt. I.*

SECVNDA iniquitas, quod vendit illud, quod debet pauperi triplici lege, scilicet naturæ, Mosaica, & Euangelica. Lege *naturæ* debet diues pauperi mutuum, Exod. 23. dicitur: *Non tradas fratri tuo ad vsuram, sed alieno*; quæ duo vltima verba forte *II.*

Iudæi vſurarij appoſuerunt. quia dicit Nicolaus de Lyra, & communiter omnes alij Catholici Doctores, quod tradere ad vſuram alieno, nunquam fuit licitum. Quia vt dicit Philoſophus 5. Ethi. Illud eſt contra naturam. Hoc etiam dicit Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Vbi inter cætera dicit. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*, abſolutè dando & nihil vltra ſortem accipiendo. Quia definita iura æqui pollent vniuerſali legi. *Mutuum dantes, & nihil inde ſperantes.*

O, ſi nihil de mutuo debet ſperari, quid tunc de illis dicendum, qui comedunt, vel dant mutuum ad certum tempus, & recipiunt duplicatum? Verbi gratia, ſi concedunt alicui pauperi vnum modium ſiliginis, auenæ, aut hordei tempore ſuo ad ſeminandum, & in feſto Bartholomæi aut Michaelis recipiunt modios duos? Certè niſi illi reſtituant illud, quod vltra ſortem recipiunt, veniam peccatorum ſuorum conſequi non poſſunt, vt dixi ſuprà Dominica infra octa. Epiph. ſermo. 3. M. A. Et Dominica in Sexageſima ſermon. 2. T. I.

De hoc dicit Magiſt. lib. 4. diſtinct. 31. in fine. Demit quis iniuſtè alicui, quod reſtituere non valet vt oculum, vel vitam, aut huiuſmodi: Et ſi tamen pœnituerit peccati, cum amore ſatisfactionis condignæ veniam habet. Nec quiſpiam ſe putet, qui rem alienam indignè abſtulit, quam reddere poteſt, de illo peccato pœnitere, & veniam conſequi, niſi reſtituat ablatum. Quamdiu enim res inique ablata vel retenda non redditur, ſi reddi poteſt, non agitur pœnitentia, ſed fingitur.

III. TERTIA iniquitas. Quia toti curiæ cœleſti iniuriam facit. Nonne contumeliam facit ſancto, qui in die ei dedicato peccat mortaliter? & hoc facit Vſurarius, qui omni die vſuram comittit. Ideo deſtitutus eſt auxilio Dei & omnium ſanctorum Vnde ſi Deo quis diceret, Domine miſerere huius vſurarij. Deus poteſt reſpondere; Quomodo miſerebor eius qui in ipſa die, qua per aſſumptionem humanæ naturæ me fratrem eius feci, honori meo non pepercit, ac etiam ipſo die, quo pro latrocinio eius ſuſpenſus fui? Similiter ſiquis dicat ſancto Petro; Ora pro vſurario iſto; Petrus poteſt reſpondere; Omnes feſtiuitates meas violauit, nec in vlla honori meo pepercit. Sic dicere poteſt beata Virgo de quatuor feſtiuitatibus ſuis. Sic cū dicitur; Omnes ſancti orate pro vſurario iſto, poſſunt hi reſpondere: Vna feſtiuitas nobis in vno anno conſecrata eſt, hanc Vſurarius prophanauit, in qua nobis omnibus contumeliam irrogauit.

Vſurarius deſtituitur Dei & Sanctorum auxilio.

IV. QVARTA iniquitas. quod à fratre ſuo Chriſtiano vſuram accipit, quod Iudæus nō facit. Iudæus enim abſque vſura Iudæo accommodat.

2. SECVNDO pro iſto pane non multum ſudant adulatores mendaces, qui in domibus ſunt dominorum. qualis fuit Ariſtippus, de quo narrat Eudoxius in geſtis Romanorum, quod veniens aliquando ad Diogenem locupletem, paupertatem in dolio ducentem, cum videret eum olera lauantem, accedens ait; Tum cum ſapiens & Philoſophus ſis, ſi mihi credere & regibus ſeruire voluiſſes, non olera tua lauares, ſed in aula ſummi regis & principis mecum maneres. Cui reſpondit Diogenes: Si mihi credidiſſes, & mediocri paupertate vti ſcires, non oporteret regibus te adulando mentiri. De hoc pane Prou. 20. dicitur, *Suauis eſt homini*, Gloſſa, aduocato vel adulatori, *panis mendacij, & poſtea implebitur os eius calculo*, id eſt pœna æterna, vt dicit Paſchaſius, Nos autem non ſic; ſed benè adquiſitis reficiamus pauperes, iuxta illud Iſaiæ 58. *Frange eſurienti panem tuum.* Sunt enim eſurientes in mundo, de quibus dicitur

Adulatores mendaces.

Eſurientes in mundo, purgatorio & cœlo.

citur Tob. 4. *Panem tuum cum egenis & esurientibus comede.* Sunt esurientes in purgatorio, quibus etiam mittere debemus. Neemiæ 8. *Mittite partes eis qui sibi non parauerunt.* Et sunt esurientes in cœlo, quia de seipso dicit Dominus, Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Ideo ad honorem ipsorum eleemosynam oportet elargiri. Ideo dicit Gregorius: Ad tribuendum pigri cur estis? quoniam hoc, quod latenti in terra datis, sedenti in throno porrigitis. Sic ergo habes quasi trium sportarum fragmenta.

Qvintvs panis est æternalis de quo Lucæ 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hunc panem manducant sancti in mensa Christi, Lucæ 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Vbi *primo* tangitur ministrantis nobilitas; *cum dixit:* Ego scilicet *Rex Regũ & Dominus dominantium.* Apoca. 19. *Ego princeps pacis.* Isa. 9. *Dispono vobis*, non aliquis Angelus, non Petrus, neque aliquis sanctus. V. Panis beatitudinis.

Secundo notatur conuiuantium ordinabilitas, cum dicit: Dispono, id est in diuersis mensis pono, sicut figuratum est Genes. 43. Quod Ioseph princeps Ægypti iussit ministris suis ponere panes, quibus positis, seorsum fratres suos iuxta primogenita, & Ægyptios iussit collocari. Omnes tamen eodem cibo fratres & Ægyptios refecit. Sic Christus faciet suis fratribus dilectis. Nam seorsum locabit Patriarchas, seorsum Prophetas, & Apostolos, & sic de alijs, omnes tamen eundem cibum suæ diuinitatis comedent.

Tertio plena satietas; ibi; vt edatis & bibatis. Dicet enim eis Christus, Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, charissimi.* Ideo canitur in officio hodierno, & habetur Isa. vlt. *Lætare Ierusalem*, scilicet cœlestis, *& conuentum facite.*

Quarto tangitur mensæ nobilitas & dignitas: cum dicit: *Super mensam meam.* quia in eadem mensa sedebunt cum Deo, cuilibet sancto dici potest illud Eccles. 30. *Super mensam magnam sedisti*, & Psalm. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.*

Quinto ostenditur loci amœnitas, ibi; *In regno meo.* De quo Sap. 5. *Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini.*

FERIA QVARTA POST LÆTARE.

Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Isaiæ. 1.

DICIT Magister lib. propriet. 12. Ciconia habet multas proprietates: tamen quoad præsens sufficiunt nobis duæ. *Primo* quod est ad se purgandum ingeniosa, & ad digerendum vigorem veneni vigorosa. De primo dicit, quando ex multitudine ciborum sentit se grauatam, aquam marinam intra rostrum colligit, quam per aluum ad interiora fundit, quæ remolliendo cibi compacti duritiem, & mortificando, intestina superflua eijcit & expellit. I Ciconia proprietatis.

Mora-

MORALITER. Cibus grauans stomachum est peccatum onerans & angustians hominis animam, secundum illud Psal. 37. *Quasi onus graue grauata sunt super me.* Qui ergo mundari velit ab hoc cibo grauante, necesse est, vt aquam marinam habeat, id est, ita compungatur interius amarè, vt amaras lacrymas effundat. Quia dicit Augustinus: Vna lacryma de puro corde prolata, plus purgat, quàm decem anni in purgatorio. De lacrymis etiam dicit Rabanus, Lacrymæ humidæ sunt naturæ, vt sordes abluant, & perditum baptisma restituant: salsæ vt fluxum carnis restringant: Calidæ, vt frigus infidelitatis excutiant: & claræ, vt ad clarum pœnitentia fructum perducant. Hæc ille. Sed necesse est, vt aquam amaram in ore colligat, & in ventrem mentis transmittat vt videlicet etiam in mente super peccata sua doleat, & tunc per confessionem eijciat, & sic se purget. Quod hortatur Dominus in hoc thematis verbo, *Lauamini, & mundi estote.*

De lacrymis pœnitentiæ pulchra sententia Rabani.

Secundo ciconia est ad digerendum venenum vigorosa. Dicit enim Magister, vbi suprà: Quamuis enim venenosa comedat, vt ranas, serpentes, & huiusmodi: venenum tamen eius naturam non superat, nec immutat. quia vi caloris, qui in ea dominatur, virtus veneni exstinguitur.

Malæ cogitationes, sunt animalia venenosa.

MORALITER per animalia venenosa, vt serpentes, intelliguntur peruersæ cogitationes, quæ serpunt in mentem hominis & eum à Deo separare intendunt. quia dicitur Sap. 1. *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* Sed illos debet exstinguere & consumere homo cum deuotionis calore aut orationis. Quia dicit Augustinus cor nostrum est ager Domini. Excolamus ergo illum cœlestibus disciplinis, & non sinamus in agro tanti Imperatoris crescere Zizania, scilicet malarum cogitationum, sed cunctis floribus virtutum decoremus. De hoc dicunt verba prælibata: *Auferte malum cogitationum &c.* Et hortatur nos ad duo: *Primo*, ad mentium mundationem, ibi: *Lauamini, mundi estote. Secundo* ad vitiorum expulsionem, ibi: *Auferte malum cogitationum.* De primò NOTANDVM, Domini temporales diligunt mundos famulos, sic & Dominus omnium Iesus Christus. qui ait in Psal. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

Deus iungit famulos mūdos.

Munditiam efficiunt.

I. Verbū Dei.

Sunt autem multa quæ valent ad munditiam efficiendam. PRIMVM. Aqua sapientiæ salutaris, multum valeat ad munditiam: videlicet quod homo libenter audiat *verbum Dei*, vel quod libenter studeat in *Scriptura sacra*. De PRIMO dicit Ioan. 14. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Et eiusdem 17. dixit

1\. Christus ad patrem: *Sanctifica eos*, scilicet discipulos, *pater in veritate.* Sermo tuus veritas est. Dupliciter autem valet sermo DEI ad mundiciam. *Primo*, quia ostendit maculas cordis & secundum hoc dicitur speculum, vt suprà Dominica II. in aduentu sermon. 1. C. X. *Secundo*, dat aquam gratiarum, iuxta illud Prou. 13. *Doctrina bona dabit gloriam.* Figura huius est lauacrum, Exod. 38. quod habebat specula exterius, in quibus ingredientes tabernaculum, immunditiam suam videre poterant, & intus aquam, qua eam lauabant.

2\. Sapientiæ studium.

SECVNDO, scilicet sapientiæ studio, quæ etiam valet ad mundiciam, patet quia tollit otium, quod est occasio immundiciæ, iuxta illud Bernardi: Omnium tentationum & cogitationum malorum & inutilium, sentina est otium. Et Florista dicit:

Otia dant vitia: fugiant ergo procul illa.

Ideo

Ideo generat castitas bonas affectiones, iuxta illud Zacha. 9. *Vinum germinans Virgines*, id est, virginales affectiones. Quare dicitur distinctione 38. Sicut stellas cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes sacræ scripturæ, non obscurat humana iniquitas.

Quid tunc facere debent, qui legunt sacras scripturas, docet Hugo de instructione nouitiorum, dicens: Vos quidem fratres, qui scholam disciplinæ iam intrastis, in lectione prius debetis quærere, quod mores vestros ad virtutes instruatis, quam quod sensum acuatis ad subtilitatem, magisque velle informari præceptis scripturarum, quàm quæstionibus impediri. Ergo cum diuinas scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi sit dictum, ad excitandum in vobis amorem DEI, quasi ad contemptum sæculi. Quod ad cauendum inimicum, quod ad bonos affectus nutriendos, & ad praua desideria exstinguenda incitamentum habeat, quod citius ad compunctionis ardorem accendat, quod disciplinam in opere, quod humilitatem in cogitatione, quod obedientiam in præceptis, quod patientiam in aduersis habere docet, quod deniq; ad agenda bona, & mala cauenda doceat intellectum, Hæc ille. Legenti sacram Scripturam quid faciendum.

SECVNDVM, quod efficit mundiciam, est *contritio*. Ex qua fit aqua lacrymarum, quæ multum valet ad purgandum infirmitatem spiritualem peccatorum. Sed dicit Aristoteles libro problematum, parte 31. Quando plorantes lacrymas emittimus, lacrymæ sunt calidæ: quádo autem dolentes oculos ex aliqua infirmitate emittimus lacrymas, lacrymæ illæ sunt frigidæ. Et huius causam assignat talem. Indigestum est frigidum: digestum verò calidum. Dolentium vero oculos lacryma indigesta est, propter quod est frigida, & medici signum putant in ægroto magnæ & maximæ ægritudinis frigidos sudores: calidos autem è contrario alterationis. *Et huius subiungit causam.* Quando quidem fuerit superfluitas multa, non potest calidum interius eam digerere, quare necesse est frigidum esse: quando autem pauca est superfluitas, talis vincitur. Fiunt autem ex superfluitatibus ægritudines. II. Contritio. Lacrymæ cur calidæ, aut frigidæ.

MORALITER. Inter pœnitentes est diuersitas. Quia aliqui conteruntur ex infirmitate, ex charitate, & ex amore iustitiæ. Charitas autem ignis est, & ideo istorum lacrymæ sunt benè digestæ calore charitatis, & istorum sudores significant spirituales sanitates, quod scilicet anima sit purgata à peccatis. Et si istis aquis lacrymarum admiscetur cinis, scilicet memoria mortis temporalis vel æternæ, vel memoria Dominicæ mortis, fit lixiuium ad lauandum valde efficax, in quo bonum est quotidie lauare illum lectum, in quo tantus hospes debet iacere, Iesus Christus. Hanc ablutionem non dedignatur facere Dauid, licet sit rex: *Lauabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*. Psal. 6. Pœnitentiũ diuersitas.

Alij autem sunt pœnitentes, qui alterantur magis quàm conteruntur. Recogitant enim pœnam infernalem, quam peccando meruerunt, & exinde timorem concipiunt, quo timore dicti lacrymas frigidas & sudores frigidos faciunt, quia contritiones habent de peccatis timore pœnæ non amore iustitiæ, sicut pœnituit Antiochus 2. Mach. 9. *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecutus*: sic & isti non mundantur. Aliqui alterantur, non conterũtur.

TERTIVM est *confessio*, qua mundandum est templum spirituale: sicut figuratum est 1. Machab. 4. Iudas mundauit templum à gentibus coinquinatum. Iudas con- III. Confessio.

confitens interpretatur, & hic ait: *Ecce contriti sunt inimici nostri. Ascendamus nunc mundare sancta, & renouare.* Contritio enim de peccatis facit, quod ex auditu verbi Dei, Deum homo recipit. Ideo excitat confessionem peccatorum, quæ mundat & renouat mentes, vt intelligatur illud Psalm. 113. *Facta est Iudæa sanctificatio eius.* Ad hanc locutionem confessionis quemlibet immundum mittit Dominus, 4. Reg. 5. *Vade, & lauare septies in Iordane.* Glossa, lauat, qui humiliter septem criminalia peccata confitetur. De hac confessione loquitur Bernardus in Epistola ad quandam virginem: Ama, cui places: ama, vnde places: ama confessionem, ob quam amaris. Si affectas decorem, confessioni iungitur decor & pulchritudo, iuxta illud Ps. 103. *Confessionem & decorem induisti.* & in alio Psal. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Reuera vbi confessio, ibi pulchritudo & decor.

IV. Vita austeritas.

QVARTVM quod efficit *mundiciam* est vitæ austeritas tàm in victu, quam vestitu, sicut defricatio abstersio cum panno, valet ad mundiciam scyphi & scutellæ; sic vitæ asperitas valet ad mundiciam spiritualem: Sicut patet de Ioanne Matt. 3. qui habebat *vestimenta de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos eius. Esca eius erat locustæ & mel siluestre.* Ideo dicitur mundissimus exstitisse.

V. Eleemosynarũ largitio.

QVINTVM est *eleemosynarum largitio.* De hoc Lucæ 11. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

VI. Oratio.

SEXTVM est oratio. Lucæ 9. *Et facta est, dum oraret, species vultus eius, altera: & vestitus albus, & refulgens.* Mundicia enim orando acquiritur. Ideo orat Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.*

VII. Correctio.

SEPTIMVM est *correctio.* Qui enim immundiciam desiderat, correctionem non fugiat, sed acceptet. Vnde beatus Gregorius ait: Ille solus mundus erit, qui ante aduentum districti iudicis maculas mentis tergit. Sed sunt quidam, qui in aliena correctione, ex qua deberent contrahere mundiciam, potius contrahunt rubiginem, dum correctionem dedignantur, & deteriores fiunt. De quolibet tali dicit Psalm. 88. *Destruxisti eum ab emundatione.* Est tamen NOTANDVM quod cauere debet iustus corripiens à tribus, vt dicit Robertus lect. 180.

K.

PRIMO à consimili defectu. Vnde dicit Isidorus lib. 3. de summo bono cap. 33. Non debet aliena vitia corrigere, qui adhuc contagijs fuerit inuolutus. Improbum est enim corrigere quicquam in alio, cum adhuc reprehenditur aliquis in seipso. SECVNDO à spiritus impetu debet homo cauere, cum corripit. Quia quodlibet impetuose prolatum non amore, sed ab ira proficisci videtur. Nihil autem corrigit, quod ab amoris consistorio non procedit. De hoc August. super Epistolam ad Galat. Quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus non charitas corrigentis. Dilige igitur, & dic quicquid voles. TERTIO cauere debet corripiens contemptum aliorum. Semper cogitans, quod in simili capi possit. Vnde Augustinus in sermone Domini de monte lib. 2. cap. 3. Cogitemus cum aliquid nos reprehendunt necessitas cogit, verum tale sit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus, nos homines esse & habere potuisse: vel cum tale quid habuimus, & iam non habemus, tunc tangit nos memoria communis, fragilitatis, & sic correctio in aliquem non ex odio, sed misericordia procedat: & qui isto modo corrigit & punit delicta benedictionem Domini promeretur. In cuius figuram cum Moyses dixisset Leuitis, quod vnusquisq; gladium acciperet, vt fratrem & amicum occideret, qui vitulum conflatilem

tilem adorasset. Et cum ipsi mandato Moysi paruissent, dixit ad Leuitas Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio*, Exodi 32.

OCTAVVM est *tribulatio*, qua Dominus illos purgat, quos aurum & argentum reputat. De hoc dicit deuotus Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap. 13. Tribulatio rubiginem aufert peccatorum, incrementa præstat virtutum, & vbertatē confert gratiarū. Quid hoc thesauro pretiosius? Ipsa namq; peccata tollit, purgatoriū minuit, repellit tentationes, exstinguit carnalitates, spiritum renouat, spem roborat, vultum exhilarat & conscientiæ confert securitatē, & internorum gaudiorum continuam præstat vbertatem. Ideo gaudere debet homo, cum viderit se in igne tribulationis positum, iuxta illud Iacob. 1. *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis.* Ille enim qui in igne tribulationis exuritur, per impatientiam paleam se ostendit, non aurum, vel argentum. Ideoq; habet timeri illud Matth. 3. *Paleas autem comburet igne inexstinguibili.* Vnde Ambrosius super, *Beati immaculati.* Sicut aurum bonum igne non minuitur, ita homo bonus cum igne tribulationis aduritur, detrimentum non sentit, sed magis fulgor eius augetur. VIII. Tribulatio. Vtilitas tribulationis.

Quantum ad SECVNDVM, hortatur propheta ad vitiorum expulsionem, cū dicit: *Auferte malum.* Circa quod NOTA, quod quatuor sunt genera cogitationum. Sūt enim cogitationes malitiosæ cum animo nocendi, iuxta illud Ps. 51. *Quid gloriaris in malitia. &c. Tota die in iniustitiam cogitauit lingua tua.* Talis enim fuit cogitatio Saul. 1. Reg. 18. Vbi Saul cogitauit ipsum Dauid tradi in manum Philistinorum. Et similiter talis fuit cogitatio fratrum contra Ioseph, Genes. 37. *Qui cum vidissent procul eum, antequam accederet eos cogitauerunt eum occidere.* Talis etiam fuit cogitatio Iudæorum, Ioan. 11. *Ab illo die cogitauerunt interficere eum.* Quatuor genera cogitationum malarum. I.

SECVNDVM genus cogitationum malarum sunt cogitationes ambitiosæ. De quibus scribitur Luc. 11. *Intrauit cogitatio in eos quis eorum esset maior.* Vbi notat Petrus Blesensis in quadam Epistola ad clericos de capella Henrici regis dicens: Ambitiosa est quædam cogitatio simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus: Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Vtraq; omnia sperat, omnia credit. Sed magna dissimilitudo: Hæc, ad gloriam huius vitæ; illa, scilicet charitas, ad gloriam sine fine. *Et infra.* Omnes qui militant in castris ambitiosis, capti sunt amara morte, dexterosq; oculos amiserunt. Prosperitates enim sunt in acquisitione temporalium; iacturam verò vitæ, quæ præterit, & imminentia mortis æternæ supplicia non attendunt. *Et parum suprà in eadem epistola dicit:* Pro vanissima vanitate, militant hodie nostri curiales, in labore, ærumnis, videlicet vigilijs multis, periculis magnis, in periculis maris, periculis fluminum, periculis montium, periculis pontium, in falsis fratribus, in mortibus frequenter, confractione & lassitudine corporis, atque alijs vitæ discriminibus in quibus gloriam martyrij promererentur, si hoc pro Christi nomine sustinerent. Nunc autem martyres mundi sunt, seculi professores, discipuli diaboli, curiæ milites, & sic per multas tribulationes promerentur infernum. II. Cogitationes ambitiosæ.

TERTIVM genus malarum cogitationum, sunt cogitationes voluptuosæ. Genes. 8. *Sensus enim humani cordis & cogitatio prona est ad malum ab adolescentia sua,* III. Cogitationes voluptuosæ.

id est ex quo corrupta fuit in primis parentibus, certè modicum meliorata est in suis posteris. Albertus 2. lib. propriet. de causis elementorum, cap. 2. dicit: Si super scintillam exstinctæ candelæ, non tamen omnino morificatæ, sic scilicet quod aliqualis ignis remaneat, proijciatur tenuis puluis sulphuris candela reaccenditur.

Sic MORALITER quantumcunq; homo in se flammas voluptatis exstinxerit, semper tamen manet igniculus non mortificatus, hoc est fomes carnalis concupiscentiæ quæ in vita ista totaliter exstingui non potest. Sicut de hoc B. Augustinus in tractatu de verbis Apostoli dicit: Semper pugna est in corpore mortis huius, quia ipsa concupiscentia, in qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu viuimus. quotidie minui potest, finiri non potest. Ideo summoperè cauendum est, ne superproijcitur tenuis puluis sulphuris.

Sulphur designat luxuriam.

Sulphur calidum, fœtidum, & tenax est, & designat luxuriam; vt supra Dominica Oculi dixi, sermone 1. X. O. sed puluis tenuis huius sulphuris est cogitatio morosa de circumstantijs delectationum illius actus. Vnde Greg. super illud Iob. *Aspergatur in tabernacula eius sulphur*, 14. moralium dicit: Sulphur ignem nutrit, vt in se grauissimus fœtor sit: & ideo in eo peccatum carnis intelligimus. quod cum peruersis cogitationibus mentem implet, æterna incendia fouet. Vnde Dominus in Sodomis pluit ignem & sulphur. Cauendum enim est vnicuiq; pœnitenti de peccatis, ne de eis recordatiuas cogitationes admittat: Quia secundum Gregorium lib. 5. moral. sæpe mens ita in culpę recordatione concutitur, vt ad perpetrationem illius longè grauius quàm ante capta fuerat, vrgeatur. Ideo signanter dicitur, Deut 15. *Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio.*

Diabolus latrunculos imitatus.

Sicut enim paruulus latrunculus per fenestram immittitur, vt maioribus latronibus fores aperiat. Ita diabolus paruas cogitationes immittit; & si istæ per negligentiam admittuntur, trahunt mentem ad consensum. Diabolus autem perpendens aliquos sanctos viros nolle recipere suggestiones in grossa materia, sicut in opere exteriori, suadet eis saltem cogitare de illecebris, fingens non esse periculum in debilibus cogitationibus, fortissimas tamen delectationes immittit, & sic mentem ad consensum deducit. Et ideo statim summa vigilia & prudentia examinanda est cogitatio, quæ occurrit, & si est noxia vel immunda, expellenda est à corde, & præuenienda, ne fiat morosa.

Propter quod signanter dicitur Iere. 2. *Vsquequo morabuntur inde cogitationes noxiæ?* Quam auctoritatem tractans beatus Gregorius 17. moral. cap. 26. dicit: Non reprehendit, cur veniunt: sed cur morantur. Etenim in corde bono cogitationes illicitæ veniunt, sed morari prohibentur. Vnde Hieronymus ad Eustochium Virginem: Dum paruus est hostis, interfice illum; nequitia elidatur in semine. Iste laudatur: iste perditur. Beatus, qui statim vt cœperit cogitare, interficit cogitatus eius, & allidit ad petram. Et Cassiodorus exponens illud Psalmi 136. *Filia Babylonis misera.* Filia, inquit, Babylonis est caro, quæ confessionem peccatorum ingerit, cui compensatio digna datur: quia sicut concitat ad vitia, ita etiam repercussa subditur virtutibus. Vnde Psaltes subdit: *Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Quoniam carni retribuere bonum est, quæ etiam paruulos, qui nascuntur ex carne in malos motus, antequam crescant, retrahit, ne sint liberi

&

& allidant ad petram, id est Christum, vt confracti desperent. Cogitationes enim prauæ facilius dominium accipiunt, cum parui sunt, qui tentantur.

QVARTVM genus cogitationum malarum, sunt cogitationes infructuosæ & vanæ, quia sine fructu & vtilitate, de quibus in Psalm. 93. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et in Psalm. 145. *In illa die,* scilicet mortis, *peribunt omnes cogitationes eorum.* Vbi NOTANDVM, quod omnis cogitatio mundanorum, aut est de terrenorum prouidentia, vel est differentia pœnitentia: & vtraque perit in die mortis. Qualiter autem perit *prima* cogitatio, patet Lucæ 12. de diuite qui cogitauit *dilatare horrea.* Qualiter autem perit *secunda* cogitatio, expresse narratur 4. Regum 21. De Ammon filio Manasse, qui vitam malam cogitans patris sui, & misericordiam DEI sibi finaliter concessam, deliberauit, quod in peccatis more patris iuuentutem duceret, & postea finaliter, sicut pater fecerat pœniteret. Sed ista cogitatio perijt, quia in medio malitiæ suæ, à proprijs seruis interfectus est. De talibus præsumptuosis dicit Psalm. 20. *Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire.* Ideo istæ cogitationes malæ sunt à cordibus nostris auferendæ. — *IV. Cogitationes infructuosæ. Cogitationes sæcularium, quæ!*

Est q; NOTANDVM, quod cogitatio comparatur primo radici vt dicit Gregorius 12. moral. cap. 14. quod radix arbori, hoc vnicuique hominum sua cogitatio est. Quia sicut radix occultatur sub terra, sed in planta, folijs, & fructibus super terram manifestatur; sic cogitatio cordis sub terra latet in præsenti, sed in operatione patebit in futuro: Quando autem radix desiccatur, tota planta deficit. Sic secundum Gregorium 24. moral. cap. 8. Omnis iniquus prius in cogitationibus arescit, & postea à bonis actibus deficit. Et ideo sicut ille, qui vult arborem habere benè crescentem & fructiferam, summè, curare debet, quod radix non arescat per siccitatem: ita consimiliter qui vult seipsum fructiferum reddere in operibus fructuosis, caueat omnino, quod non sit aridus in cogitationibus suis, quia nihil ita seruat hominem in mente, nec ieiunium, nec cilicium, nec vigilia, sicut sancta cogitatio. Et sicut ista duo maximè humectant radicem, scilicet fimus & sanguis humanus, si calidus apponatur; Ista SPIRITVALITER radicem cordis nostri scilicet deuotam cogitationem, fœcundat mirabiliter fimus id est, memoria mortis & vilitas conditionis humanæ; & Christi passionis. Nam cogitatio de morte nostra & Christi passione, præcipuè in operibus bonis nos fœcundat. De *primò* Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.* De *secunda* 1. Pet. 4. *Sanguis Christi, qui pro nobis effusus est, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* — *L Cogitatio comparatur I. Radici. Sanctæ cogitationis vtilitas.*

SECVNDO cogitatio comparatur tineæ secundum Gregorium 11. moral. c. 21. Quia sicut tinea sine sonitu penetrat vestimenta, ita cogitatio transfigit mentem antequam perpendatur, Iob. 13. *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* — *II. Cogitatio comparatur tineæ.*

TERTIO comparatur ori secundum Greg. 23. moral. cap. 47. Os quippe cordis cogitatio est. Et quia omnis homo nititur os suum habere mundum, & summè cauet aliquid ponere fœtidum in ore suo. Sic & fiat de cogitationibus immundis, quia dicitur Prou. 3. *Omnis abominatio Domini, cogitationes malæ.* — *III. Ori.*

QVARTO pilis carnis comparatur cogitatio secundum Gregor. 5. moralium cap. — *IV. Pilis carnis.*

ca. 28. Vnde benè per Moysen dicitur, Num. 8. *Leuitæ radēt os & pilos carnis suæ.* Quia is qui in obsequium diuinum assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Vtinam sic esset modernis temporibus.

Et sic venit NOTANDVM, quanta sit fragilitas nostra, si comparamur Apostolis, qui primitiuæ Ecclesiæ præfuerunt. Apostolus enim quærit quasi pro mirabili, Rom. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi*, &c. Et enumerat omnes aduersitates, quasi diceret, nihil horum. Reuera multi clerici, qui successerunt in locum ipsorum, possunt respondere. Non mors, non gladius, sed *peruersæ* voluptuosæ *cogitationes separant nos à Deo*, Sap. 1. Non autem sic vos fratres charissimi, sed iuxta concilium Ierem. 18. *Reuertatur vnusquisq; a via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris.*

DE EADEM FERIA QVARTA POST LÆTARE.

Sermo secundus.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate. Ioan. 9.

SOL naturalis quamuis secundum Ambrosium in hexameron, est oculus mundi, & iucunditas diei, tamen aliquæ sunt aues, qui in ipsius lumine excæcantur, vt sunt noctuæ, nycticoraces, & bubones. Sed aliquas aues sol illuminat, & suo ortu lætificat, vt est aquila, & aliquę alię.

SPIRITVALITER, Christus est sol spiritualis, quia dicitur in hodierno Euangelio. *Quamdiu sum in mundo lux sum mundi.* Ex illius luminis claritate excæcati sunt Iudæi, non quod Christus eos excæcasset, sed ipsorum inuidia & malitia eos excæcauit, iuxta illud Sap. 1. *Excæcauit eos malitia eorum.* Ideo de ipsis intellige hoc dictum Boëtij li. 4. Prosa. 4. Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere. Similesq; auibus sunt quarum intuitū nox illuminat, dies verò cæcat. Nam quē Isaias ante aliquot annorum millia vidit & cognouit absentem, ipsi noluerunt videre pręsentem, sed blasphemauerunt eum dicentes, eum *obsessum* Lucæ 11. & *potatorem* Matt. 14. Et heri peccatorem, cum dixerunt: *Scimus, quod hic homo peccator est*, sed idem sol iustitiæ Christus Deus noster in suo claro lumine illuminauit alios multos, & eos lætificauit. Sicut patet spiritualiter & corporaliter, *Spiritualiter* illuminauit Petrum, qui verum solem Christum clarè inspexit dicens; Matt. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Et similiter Martham, quæ ait Ioan. 11. *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Sed *corporaliter* illuminauit hunc cæcum, de quo dicit Euangelium hodiernum.

Circa quod NOTANDVM. Robertus Holkot super lib. Sapientiæ, lect. 29. dicit. Omne peccatum est natum supernaturaliter ex cæcitate. Et declarat hoc per dictum prophetæ Sophoniæ 1. *Ambulauerunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Et subdit; Septem vitia capitalia, quæ septem inferunt cæcitates mentales, quibus correspondent septem corporales cæcitates quæ in sacra scriptura notantur.

M PRIMA enim membra excæcauit superbia, præ sua nimia claritate, iuxta illud
I. Eccl. 43. *Sol suis radiis effulgens obcæcat oculos.* Sol est pompa gloriæ mundialis, quę
Cæcitas multos hactenus excæcauit; sicut de hoc ponam aliqua exempla.

Primus

Primus est de Angelis cadentibus, qui ex superbia voluerunt se parificare Deo, vt dicit Magister lib. 2. distinctione 5. capite 2. Quia dicit Glossa ibidem: Lucifer igitur sicut vidit Deo alia subiecta, sic & ipse habere cupiuit alios angelos sibi subiectos. Ideo dicit Magister: Isti verò sunt excœcati non immissione malitiæ, sed defectione gratiæ deserti sunt. Quia secundum Glossam, Deus non concreauit seu condonauit eis malitiam. Et quia ex superbia sunt excœcati, ideo ceciderunt vt cæteri, Isa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Et Lucæ 9. *Vidi Sathanam vt fulgur de cœlo cadentem.*

mentis est superbiæ. Exempla excœcatorũ à superbia. 1. Angeli.

Secundum exemplum est de Adam & Eua, qui ex quadam elatione adeo excœcati fuerunt, cum dixit diabolus, Genes. 3. *Eritis sicut Dij*, quod verbum Domini non viderunt quando dixerat eis; *Quacumque hora comederitis ex eo ligno, morte moriemini*: sed de fructu comederunt, & velut cœci à voluptatis loco errauerunt. Sic adhuc multi errant ex superbia tanquam cœci, vt locum amœnissimum cœlestis paradisi amittant, vel salutem non inueniant. de quibus potest exponi illud Ps. 106. *Errauerunt in solitudine in inaquoso viam ciuitatis, habitaculi* scilicet cœlestis, *non inuenerunt.*

2. Adam & Eua.

Tertium exemplum est de Nabuchodonosor, quem sua superbia excœcauit, Daniel. 4. vt se tanquam bouem æstimaret, *& cum bobus fœnum comederet*, cum tamen in veritate bos non esset, vt suprà dixi Dominica III. in aduentu serm. 1. F. A.

3. Nabuchodonosor.

Quartum exemplum est de Nicanore, 2. Machab. 15. Qui excœcatus per superbiam potentiam suam potentiæ Dei quodamodo adæquauit. Nam cum Iudæi dicerent ei, *Deus potens est in cœlo, qui iussit diem septimum celebrare.* Respõdit: *Et ego potens sum in terra, qui iubeo arma sumi*, cum tamen potentiam suam non habuit à se, sed à Deo iuxta illud ad Rom. 13. *Non est potestas nisi a Deo.* Sed hoc cognoscere propter obstaculum superbiæ non potuit. Quia dicit Gregorius: Tumor mentis est obstaculum caritatis. Hæc quidem cœcitas figuratur per Pauli cœcitatem, de qua Act. 9. *Circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram, nihil videbat.* De hac cœcitate exponi potest illud Rom. 11. *Cæcitas ex parte contingit in Israel*, Israel interpretatur vir videns Deum & significat hominem donis naturæ & fortunæ præditum, vt sunt homines ingeniosi, speciosi, fortes & diuites. Hæc enim omnia superbiæ sunt materia. Quia dicit Augustinus in quadam epistola: Cetera vitia in peccatis, superbia verò etiam in rectis factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt in ipsius laudis cupiditate amittantur. Scribit Seneca in epist. 50. ad Lucilium, quod vxor sua quandam famulam habuit, quæ subitò facta cœca videre desijt. incredibilem rem tibi narro, sed veram. Nescit se esse cœcam sed subinde rogat pedagogum suum, vt migret de domo, in qua est. Dixit enim domũ tenebrosam esse. *Et subdit Seneca:* Hoc inquit, quod in illa ridemus omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cœci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumtuosus, sed vrbs ipsa magnas expensas exigit: Non est meum vitium quod iracundus sum; quod nondũ constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Quid nos ipsas decipimus: Non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est, & in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad salutem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Hæc Seneca. Hæc est etiam iniquitas Episcopi Loadiceæ, Cui dicitur Apoc. 3.

4. Nicanor.

Superbia in benè factis timenda.

Dicis,

Dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,

Collyrium contra cæcitatem superbiæ.

Sed contra hanc cæcitatem superbiæ fecit Deus bonum collyrium, quando ex saliua vel sputo terræ liniuit cæci oculos, & fecit eum sanum. Qui ergo voluerit spiritualem euadere cæcitatem superbiæ, sumat saliuam & terram. Saliua est dulcis, & significat dulce verbum; *Venite benedicti patris mei; percipite regnum.* Matt. 25. Quod Christus dicet humilibus. Terra autem est amara significans amarum verbum *Ite maledicti in ignem æternum.* quod ipse dicet superbis. Ex his duobus faciet sibi collyrium ponendo super superbiæ oculum, & tunc cæcitas expelletur: quia superbus humiliabitur, iuxta illud Isa. 2. *Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & super arrogantes: & humiliabitur.*

II. Cæcitas mentis est inuidia.

SECVNDA cæcitas est inuidia, quæ signatur per cæcitatem Heli, de quo 1. Reg. 2. *Caligauerunt oculi eius, & videre non poterat lucernam Domini, antequam extingueretur.* Fortè, sine læsione oculorum suorum, non poterat videre lucernam ardentem. Ad præsens igitur Heli interpretatur, vicinitas mea est, & significat Synagogam Iudæorum, qui fuerunt vicini Christo non solum per generationem, quia de ipsis fuit natus, sed etiam per missionem, quia eis missus fuit Matt. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Isti igitur Iudæi ad instar Heli non poterant videre lucernam Domini. Lucerna, inquã, Domini sunt eius opera clara, cum mortuos suscitauit, leprosos mundauit, & cæcos illuminauit. Hæc igitur opera Iudæi videre non poterant, sicut patet in Euangelio hodierno de Pharisæis, qui interrogauerunt cæcũ illuminatũ, quomodo vidisset? Respondit eis? *Lutũ posuit super oculos meos, & laui, & video.* At illi ex cæcitate inuidiæ dixerunt: *Non est hic homo ex Deo, quia sabbatum non custodit. Alij dicebant. Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Isto modo est de inuido, qui lucernam ardentẽ, de qua Matt. 5. *Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ vestrũ, qui in cælis est* videre non potest. Nam si videt personã aliquam gratiosè & virtuosè viuentem, corã Deo & bonis hominibus, statim læditur in corde suo per inuidiã. Sicut narratur de cupido & inuido simul iter agentibus, ad quos vox de cælo venit dicẽs: Petat vnusquisq; vestrũ quicquid voluerit, & habebit; sic tamen quod socius suus habebit duplũ. Controuersia fuit inter eos, quis eorum prius peteret? Tandem inuidus petijt, vt sibi vnus oculus erueretur, quatenus cupido duo eruerentur. De hoc suprà Dominica II. post Epiphaniæ, serm. 2. D. A. De talibus exponi potest illud Isa. 59. *Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absq; oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris.*

Exemplum inuidiæ.

N

III. Cæcitas iracundia.

TERTIA cæcitas est iracundia, de qua Psalm. 6. *Turbatus est à furore oculus meus,* Et Cato:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Hæc figuratur per cæcitatem Lamech, qui habens arcum, voluit sagittare, & putans se occidere feram pessimam, occidit hominem, sicut narrat Magister super Genes. cap. 8. Ita est iudicibus excæcatis per iram contra personam accusatam. Putant se occidere feram, id est, vindicare peccatum, & ira impediente occidunt hominem, aut personam. De talibus scribitur Ephes. 4. *Ignorantia est in illis, propter cæcitatem cordis eorum.* Et hoc manifestè patet de Pharisæis in Euangelio hodierno qui extra mentem sagittabant iaculum maledictionis, in personam cæci illuminati, putantes se

ſe peccatum vindicare. Dicit enim Euangelium, quod Phariſæi dixerunt ei: *Quomodo aperuit tibi oculos: Reſpondit: Iam dixi vobis, & audiſtis. quid iterum vultis audire? Nunquid vos vultis diſcipuli eius fieri? Maledixerunt ei dicentes: Tu diſcipulus eius ſis: nos autem diſcipuli Moyſi ſumus.* Et ſequitur infra, quod *eiecerunt eum extra ſynagogam.*

QVARTA cœcitas eſt acedia, & figuratur per cœcitatem Tobiæ, de quo legitur, quod *feſſus ex ſepultura mortuorum poſuit ſe infrà tectum & dormiendo excæcatus eſt, ex ſtercore hirundinum,* Tob. 2. Sed poſtea ex felle piſcis illuminatus eſt, Tob. 11. Sic etiam inuidia excœcat multos, qui ad ſpiritualia multos habent reſpectus. De quolibet tali illud exponi poteſt Zach. 11. *Oculus eius dexter tenebreſcens obſcurabitur,* ſcilicet quando ad ſpiritualia cœcus efficitur. Talis igitur debet facere collyrium ex felle piſcis, quo Tobiæ oculi ſunt illuminati & ſanati. IV. Cœcitas acedia.

SPIRITVALITER piſcis ille ſignificat Chriſtum, qui in craticula ſanctæ crucis fuit aſſatus, & multum amaricatus; Et hæc quidem amaritudo debet ſanare cœcitatem acediæ. Quia ſeruus non debet ſomnijs deliciari, cum videat Dominum amaritudinibus repleri, quia dicit Auguſtinus: Sub ſpinoſo capite non debet videri membrum delicatum. Collyrium acedia.

QVINTA cœcitas eſt cupiditas. Et hæc homines ſimiles facit talpis, quæ habent perpetuam cœcitatem, & ſunt ſemper in tenebris, vt dicit Iſidorus lib. 12. Et Ariſtot. lib. animalium. Omne inquit, animal generans ſibi ſimile habet oculos, præter talpam, quæ non habet apparentes. Sed ſi quis inciderit corium ſubtiliter, inueniet intus veſtigia latentium oculorum. Et putant aliqui, quod illud corrumpatur, quando incipit mori, & tunc incipit oculos habere. Sic cupidi dum hic viuunt, ſemper habent mentalem cœcitatem, fodientes ſicut talpa in terrenis. Et ſic ſemper pauperes ſunt ſecundum illud Senecæ in epiſtola 38. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Ideo figuratur ipſorum cœcitas per cœcitatem mendici, qui ſedebat ſecus viam mendicans, Lucæ 18. V. Cœcitas auaritia. Cupidi talpis ſimiles. Quis pauper cenſendus.

Sed valde NOTABILE eſt quod talpa incipit habere oculos poſt mortem. Sic cupidi & auari qui claudunt hic oculos, ne videant pauperes, in pœna inferni habent oculos patentes & videntes, quod patet de diuite Luc. 16. qui voluit audire pauperem Lazarum ad ianuam ſuam iacentem, nec ei micam panis dare. Hic *cum eſſet in tormentis cœpit oculos leuare, & videns Abraham ait: Pater Abraham miſerere mei,* ſed non meruit exaudiri. Nos autem non ſic, ſed ad ſimilitudinem accipitris cœcitatem à nobis tollamus.

Dicunt enim naturales: cum accipiter ſeneſcit, quærit quandam lactucam, quæ habet folia breuia & rotunda; quam herbam ſcalpendo attrahit & tangit ſuos oculos, & ſic eijcit cœcitatem. MORALITER ſuccus ſcilicet talis herbæ, quæ eſt amara, eſt acerbitas tribulationis, quam hic patiuntur pauperes; ſed tamen eſt breuis, quod ſignificant folia lactucæ breuia. Hęc quidem cœcitatem accipitrum id eſt, hominum rapidorum & auarorum fugat. Ideò dicitur Apocal. 3. *Collyrio,* id eſt, tribulationis aſperitate, quam videris habere egentes, *inunge oculos tuos, vt videas,* ſcilicet ſupplendo eorum tribulationes, aut defectus. Collyrium.

SEXTA cœcitas eſt gula, quæ frequenter excœcat ſpiritualiter & corporaliter, de qua Prou. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? Cui ſine cauſa, vulnera? cui ſub-* VI. Cœcitas gula.

fossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis. Hæc cœcitas significatur per cœcitatem cœci nati, de quo dicit præsens Euangelium. *Præteriens Iesus vidit cœcum à natiuitate.* Per hunc cœcum potest intelligi ille, qui excœcatus est ex longa peccandi consuetudine, qui si vult curari, debet exemplo lacertæ, quæ alias dicitur Saurus, mactari. Dicit enim Aristoteles 14. animalium, quod cum oculi eius præ senectute caligant, foramen intrat parietis, & contra solem oculos aperiens eius lucem tamdiu respicit, quousq; cæcitatem depellit.

Hoc naturale sic exponit Ansel. li. 5. cap. 19. dicens: quod lacerta caligans præ senectute, est quasi peccator cœcatus ex longa peccandi consuetudine, hic si vult lumen gratiæ accipere, oportet, quod intrat foramen parietis, id est amaritudinem pœnitentiæ, vel regularis obedientiæ, & vt ibi oculos mentis, id est intellectum per orationem & affectum, per deuotionem ad solem scilicet Christum aperiat, quousq; cæcitas mentis depellatur, & lumen cœlestis gratiæ sibi redonetur. quia dicitur Isa. 35. *Tunc aperientur oculi cœcorum.*

VII. Cœcitas luxuria. Septima cœcitas est luxuria, id est amor in voluptatibus, qui aufert homini iudicium rationis iuxta illud Metristæ: *Omnis amans cœcus, non est amor arbiter æquus.* Et secundum Greg. 21. moral. Cœcitas mentis est filia luxuriæ. Et metrice dicitur: Mens excœcatur, quæ luxuriæ famulatur. Hęc autem figuratur per cœcitatem Samsonis, Iudicum 16. quem Dalila decepit, & Philisthyni tradidit ad excœcandum. Vide historiam suprà Dominica Reminiscere serm. 2. V. X. *Moraliter* Dalila interpretatur paupercula, & significat luxuriam, quæ ideo dicitur paupercula, eo quod pauperes facit. Aufert enim bona spiritualia & corporalia, quia dicitur Prou. 29. *Qui nutrit scortum, perdit substantiam.* Sicut patet Luc. 15. de filio prodigo, qui *viuendo luxuriosè substantiam suam dissipauit*, & ad tantam venit paupertatem, quod ventrem suum cum siliquis replere desiderauit. Hæc igitur decepit filios multos, quia de ipsa dicitur Prou. 7. *Multos vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea.* Et tradidit eos in manus Philisthijm, qui interpretantur ceciderunt, significantes dæmones, qui de cœlo ceciderunt, qui eos excœcant.

Sodomitæ excœcati. Isto modo excœcati fuerunt Sodomitæ, qui vim fecerunt domui Loth, vt angelis abuti possint qui in forma hominum apud ipsum erant hospitati, Genes. 18. Hoc etiam modo excœcatus fuit Salomon, qui fuit sapientissimus, & adeo per mulieres infatuatus, vt tēpla Dijs ipsarum construeret, 3. Reg. 11. vbi dicitur; *Auerterunt mulieres cor eius.* Glossa, ab amore Dei, & ab obseruantia præceptorum. *Et cum esset senex,* scilicet post quinquaginta annos ætatis suæ, vt dicit Lyra. *deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos,* quod secundum Glossam non est sic intelligendū, Salomonem sic fuisse excœcatum, vt in idolis crederet esse aliquid diuinitatis; sed nolens offendere vxores suas, adorabat idola. Sic ædificauit fanum idolo Chamos in monte Oliueti, atq; in hunc modum vxoribus suis alienigenis.

Viris doctis à qua cœcitate cauendum. Ab hac cœcitate debent se custodire præcipuę viri Ecclesiastici, & etiam literati, qui debent cœcitates ab alijs depellere, ne cœcus cœco ducatum præstando in foueam cadant ambo. Quia de quolibet viro Ecclesiastico dicit Dominus, Isa. 42. *Dedi te in fœdus populi mei, in lucem gentium, vt aperires oculos cœcorum, vt educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris.*

Collyrium. Sed NOTA: Quicunq; vult ab hac cœcitate liberari, debet amaritudinem pœnæ infer-

inferni, quę dabitur pro luxuria, sedulo meditari. Quia dicunt medici, quod siler montanum clarum facit visum, iuxta illud Metristæ:

Siler montanum non sit tibi sumere vanum.
Clarificat visum, quamuis sit gustui amarum.

Nihil igitur debetur luxuriæ, quam amaritudo pœnarum, quia dicitur Apocal. 18. *Quantum glorificauit se in delicijs*, scilicet luxuriæ, *tantum date ei tormentum & luctum.* Refert etiam Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap. 10. Quidam vidit in raptu, quod luxuriosi, & qui in delicijs suis carnem suam nutrierunt, à serpentibus deuorabantur, & à bufonibus igneis aculeis vsq; ad viscera torquebantur. Hāc amaritudinem pœnę sume tu homo in mane iuuentutis tuæ, & tunc clarum retinebis visum tuum, & à luxuria non excæcaberis.

FERIA SEXTA POST LÆTARE.

in Euangelium.

Erat quidam languens Lazarus nomine, à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius, &c. Ioan. 11.

SECVNDVM naturales in aura pluuiosa & nubilosa, omne animal est indispositum, atq; triste. Sicut non solum patet de quadrupedibus, sed etiam de auibus. Nam dicit Albertus in libro rerum de philomela, quę in vocis suę amœnitate in tantum delectatur, vt rarissimè comedat nisi cum summa festinatione; attamen tempore nubiloso & pluuioso rarò cantat. Et hoc non solum videmus de auibus, sed etiam de hominibus. Et ratio est, quia tempore pluuiæ ascendunt vapores & humores de inferioribus membris, ad superiora, videlicet ad cerebrum, quod tunc perturbant. Quo perturbato, omnia alia membra fiunt tristia. Secus est de aura clara.

MORALITER. Per auram pluuiosam, intellige aduersitatem & tribulationem. Quia sicut aura pluuiosa aduersari videtur ambulantibus, quamuis interim terræ, & fructibus terræ multum prodest: Sic aduersitas aut tribulatio, quam hic patimur, videtur nobis contraria, cum tamen multum sit necessaria. *Primò* ad animæ viuificationem, iuxta illud Ps. 137. *Si ambulauero in medio tribulationis; viuificabis me. Secundò* propter personæ probationem, Sapien. 3. *Sicut aurum in fornace probauit eos. Tertiò* propter culpæ purgationem, Iuxta illud Isa. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion. Quartò*, propter affectus excitationem, vt videlicet in aduersitate homo clamet ad Dominum, sicut Ionas 2. *Clamaui*, inquit, *ad Dominum in tribulatione mea.* Et Dauid Psal. 117. *De tribulatione mea inuocaui Dominum. Quintò* propter superbiæ humilitatem, Psal. 38. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. Sextò*, propter rationis eruditionem, iuxta illud Psal. 17. *Disciplina tua correxit me in finem.* Et iterum: *Disciplina tua ipsa me docebit. Septimò*, propter virtutis perfectionem. Quia dicit Apostolus 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Hęc quidem aduersitas seu tribulatio, licet sit bona, tamen reddit homines tristes, vt qui prius erant læti, aduersitate ei aliqua adueniente,

Varia necessitas tribulationis. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

niente, vti morte fratrum vel parentum, vel amicorum, triſtantur, ſicut patet 2. Regum 18. de Dauid, qui mortuo filio ſuo Abſolone triſtabatur flens & aſcendens cœnaculum ait: *Fili mi Abſolon, Abſolon fili mi, quis mihi det vt ego moriar pro te?* Sic etiam fuit de ſororibus Lazari Martha & Maria, quæ ex morte fratris ſui Lazari triſtabantur, vt dicit præſens Euangelium.

Lazarus ſignificat peccatorem.

MORALITER igitur per Lazarum intellige quemlibet peccatorem, qui habet cũ Lazaro congruam ſimilitudinem. *Primo* enim dicitur de Lazaro; *Erat quidem languens Lazarus, a Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius.* Sed propter hunc languorem lugerunt ſorores, & miſerunt nuntium ad Chriſtum dicentes: *Domine, quem ames, infirmatur.* Non petierunt enim ſimpliciter dicentes. Veni, & ſana eum, quia neſciebant, quid magis prodeſſet ei, ſanitas an infirmitas corporalis. Ideo Chriſti voluntati commiſerunt.

Cur quãdoque plus proſit infirmitas quã ſanitas.

Sed NOTA, quod infirmitas interdum plus prodeſt quã ſanitas, propter quatuor. *Primo* quia eſt arcæ pretioſæ concatenatio. *Secundò*, eſt perſonæ ſceleroſæ incarceratio. *Tertio*, eſt ſocij fugientis arreſtatio. *Quarto*, eſt hoſtis reſiſtentis expugnatio.

I. Concatenatio.

PRIMO infirmitas corporalis, vt dicit Robertus lect. 93. eſt quaſi arcæ pretioſæ concatenatio. Quanto enim ciſta vel arca fortioribus catenis eſt colligata, & quanto pluribus ſeris eſt clauſa, tãto eſt aptior ad ſeruandum pretioſos theſauros, qui intrinſecus ſunt reconditi. Sic quando corpus hominis eſt infirmatum, ligatur, vt dici ſolet vulgariter; vinculis Dei, & ſeratur ſera, quam ſolus Deus aperit, & tunc tale corpus eſt aptum ad ſeruandum omnem pretioſum theſaurum ipſius animæ, quæ eſt nobiliſſimum iocale ipſius Dei. De quo Bernardus. Theſaurum ſeruandum accepi, pro quo mercator non inſipiens ſanguinem ſuum dedit.

Et eſt NOTANDVM. Gloſſa ſuper c. Firmiter credim⁹, de ſumã Trint. & fide Cathol. dicit: Vincula hominis ſunt fames, ſitis, calor, labor, dolor, & mors, & hæc vincula ſunt gratanter ſuſtinenda, iuxta illud Sap. Eccl. 6. *Subijce humerũ tuum & porta illam*, ſcilicet infirmitatem, *& ne acedieris vinculis eius*. Et infrà: *Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris*. Et hoc eſt, quod ſignanter dicit Apoſtolus 2. Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti* quaſi diceret: Quando ſum vinctus infirmitatibus tunc ſum fortis ſicut ciſta, apta & idonea & potens.

Sed illa vincula diſrumpit peccator, ſicut conqueritur Dominus Pſ. 115. *Dirupiſti vincula mea*. Nam rumpit vincula famis, per crapulam; Sitis, per ebrietatem; frigoris, per veſtimentorum nimitatem: caloris, per veſtium ſubtilitatem; laboris, per quietem; doloris, per voluptatem; & mortis, per medicinas. Ideo grauioribus vinculis ligabitur. ſcilicet fame, ſiti, & pœna, iuxta illud Iſa. 67. *Serui mei comedent: Vos autem eſurietis. ſerui mei bibent; vos autem ſitietis*. Similiter ligabuntur frigore & calore æterno. Iob. 24. *Ab aquis niuium tranſeunt ad calorẽ nimium*. Item ligabuntur vinculo laboris, quia de damnato dicitur in Pſ. 48. *Laborabit in æternum & viuet adhuc in finem.* Item vinculo doloris, quia prę dolore linguas ſuas deuorabunt. Et vltimo, vinculo mortis perpetuæ, quia ſecundum Pſ. 48. *Mors depaſcet eos.*

II. Incarceratio.

SECVNDO infirmitas corporalis eſt perſonæ ſceleroſę incarceratio. Quãdo enim aliquis fur capitur, qui multos ſocios habuit, & multorum malorum eſt conſcius, vinculatur, & magnis tormentis affligitur. Et hoc poteſt iuſtè fieri, vt dixi ſupra Dominica

minica IV. in aduentu I.G. donec confiteatur veritatem, & socios suos in crimine proclamet & accuset.

MORALITER caro est res multũ criminosa. Socij autem sunt sensus corporis, qui frequenter spoliant animam virtutibus, vt anima de quolibet conqueri possit illud Iob. 19. *Spoliauit me gloria mea & abstulit coronam de capite meo* Gloria enim animæ & corona est quælibet virtus, scilicet iustitia, prudentia, & fortitudo, temperantia castitas, & sic de alijs. quas spoliant quinq; sensus, veluti socij carnis. Ideo istum furem Deus capit & incarcerat, & ponit ad quæstiones per tormenta. quando immittit illi fortes febres, vel paralysim, vel alia aduersa. Et causa est, quia alias non confiteretur veritatem, nec socios in crimine proclamaret. Vidimus enim communiter, quod illi qui sunt serui, vix in anno vel in duobus confitentur annis: statim verò cum infirmantur, pro suis confessoribus mittunt, & faciunt accusationem suæ confessionis coram correctore; iuxta illud Ps. 77. *Cum occideret eos*, scilicet infirmitatem mortis mittendo, *quærebant eum & reuertabantur, & diluculo veniebant ad eum.* Et ratio est, quia *Deus adiutor est, &c.* Et in alio Psal. scilicet 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.*

Gloria & corona animæ virtus.

TERTIO infirmitas corporalis est quasi socij fugientis arrestatio. Contingit multoties, quod multi socij peregrinãtur simul, & in itinere faciunt expensas suas cõmunes, & viuunt delicatè, symbolum cõponentes, & constituentes, vt vnusquisq; pro rata sua soluat. Euenit ergo interdũ, quod vnus eorũ fugere nititur, symbolo suo nondum soluto, & intendit asportare ratam suam & alij soluunt pro eo. Talem igitur apprehensum, iustum est arrestare, & ad symboli sui solutionem compellere. III. Arrestatio.

MORALITER. Isto modo anima & corpus, peregrinãtur simul in hoc mũdo, iuxta illud 2. Cor. 5. *Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur.* Et simul faciunt etiam cõmunes expensas. quia nec anima sine corpore, nec corpus sine anima peccando delectãtur. Iustum ergo est, vt quemadmodum vterq; delectatione participat, sic vterque pro rata sua in pœnam symboli exsoluat. Modo sic est, quod caro est quasi socius fugitiuus & inconstans, & nollet soluere quicquam quia dicitur de ipsa Iob. 13. *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem, &c.* Deus ergo qui iustus est, *& iustitias dilexit* & diligit, secundum Ps. 10. facit eam arrestari per infirmitatem, & compellit eam soluere, quantum iustitia exigit, velit nolit, Matt 18. *Misit eum in carcerẽ donec solueret vniuersum debitum* Exemplum habemus de rege Ezechia, 4. Reg. 20. & Isa. 38. Qui cum peccasset contra Dominum infirmatus est vsq; ad mortem. P

Caro socius fugitiuus.

Ezechiæ regis peccatũ quodnam fuerit.

Sed quodnam fuerit illud peccatum, dubitant Doctores. Dicit enim Iosephus in lib. antiquitatum, quod Deo non fecerat Cãticum regratiatorium pro tanto inopinabili triumpho, quem dederat. Sicut enim habetur 4. Reg. 19. *Angelus Domini in castris Assyriorum percussit vna nocte centum & octoginta quinq; millia.* Nam secundũ Glossam, omnes robustos bellatores, & principales exercitus occidit, vt habetur 2. Paral. 32. Et vt dicunt Hebræi, corpora mortuorum erant incinerata sub armis & sub vestibus intactis. Sed Ezechias animo elatus, canticum non cantauit. Offensus ergo Dominus immisit ei infirmitatem, vt timeret. Hæc Iosephus. Sed hoc improbat Rabbi Salomon per hoc, quod Isaias dixit postea. *Et de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc.* Ex quo patet, quod percussio Sennacherib erat post infirmitatem Ezechię, & non ante.

Sed hoc ei accidit, vt dicit Gregorius eò quod non voluit accipere vxorem: quod tamen facere tenebantur, vt linea Dauid in regno per ipsum continuaretur. Propter quod conualescens accepit vxorem, de qua genuit Manassem. Et huic literæ videtur concordare sequentis capituli sententia, 4. Reg. 12. scilicet, quod *Manasses erat duodecim annorum, cum regnare cœpisset.* Et propter hanc causam vsq; ad mortem ægrotauit, misitq; ad Isaiam prophetam, qui ei dixit: *Dispone Domui tuæ*, id est ordina testamentum tuum, *morieris enim, tu & non viues.* Et hæc fuit prophetia comminationis, quæ interdum mutatur: & non prędestinationis, quæ semper euenit. Et statim Ezechias auertit faciem suam ad parietem, & orauit cum lacrymis dicens: *Obsecro, Domine, memento quaso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Fleuit itaq; fletu magno. Statimq; egressus Isaias de palatio regis, antequam pertransisset mediam portam atrii, dixit Dominus ad Isaiam: Reuertere: dicit Ezechia duci populi mei. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanaui te, die tertia ascendes in templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Et tunc die tertia ascendit in templum & cantauit illud Canticum: *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, &c.* Ecce quod Ezechias qui secundum Iosephum non soluerat DEO, quod debuit, attestatus per infirmitatem fuit, donec perfectè soluisset. Antiqui enim patres pro victorijs eis concessis diuinitus, Cantica regratiatoria curiosè solebant promere, vt dicit Magister in historijs lib. 4.

4. Reg. 20.

IV. Hostis expugnatio.

QVARTA infirmitas est hostis resistentis expurgatio. Caro enim resistit semper spiritui, & concupiscit pugnando contra ipsum sicut figuratum est Daniel. 11. vbi legitur, quod *Rex Aquilonis pugnauit cum rege Austri.* Rex enim Aquilonis significat carnem: quia dicitur Ier. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Quia à carne venit malum peccati, & hæc resistit regi Austri, id est spiritui, iuxta illud Apostoli ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et ideo debilitatio carnis per infirmitatem fortificatio est spiritus, iuxta illud Eccl. 31. *Infirmitas carnis sobrium facit.* Vnde Bernardus exponens illud Apostoli, *Quando infirmor, tunc fortior sum, & potens.* Quid mirum si hoste debilitato fortior efficar? nisi fortè infestissimam dixerim carnem, quæ non cessat concupiscere aduersus spiritum. Hæc enim dicta sunt de infirmitate corporali, de qua potest exponi illud verbum Domini, quod sequitur in Euangelio; *Infirmitas hæc non est mortem.* scilicet æternam, *sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per illum*: quia perfecti viri in suis infirmitatibus glorificant & benedicunt Dominum. Sic ille seruulus, de quo supra Dominica I. in aduentu Domini, sermone 2. A. V. similiter de illo in Sexagesima, sermone 1. Q. Q. Exemplo secundo, cum illis exemplis sic assignatis potes sermonem concludere, ne populum tædio afficias.

Debilitata carne, spirit' roboratur.

Cur per Lazarum peccator rectè intelligatur. Delectatio mala triplex.

Vlterius NOTA. per Lazarum, vt dixi, rectè potest peccator designari. PRIMO enim sicut ille infirmabatur, sic peccator in anima infirmatur per delectionem in sensualitate. Et quidem delectatio fit ex mala cogitatione, quia dicit Isidorus lib. de summo bono. Cogitatio praua malam delectationem parit. Vbi nota quod delectatio praua est triplex.

I. Naturalis.

PRIMA est naturalis, sine qua natura humana esse non potest. Sicut est illa, quam habet homo in comedendo & bibendo, scilicet in cibo, & potu, & somno sibi conuenienti.

uenienti. Quæ quidem delectatio peccatum non est, si non excedat regulas rationis. Vnde Arist. 7. Eth. Delectationum quædam sunt necessariæ: quædam voluntariæ & ex electione. *Necessariæ* sunt sicut delectatio cibi & potus ad conseruationem indiuidui, & venereorum ad conseruationem speciei. *Voluntariæ* delectationes sunt, victoria, honor, & diuitiæ.

Et dicit Aristoteles quod delectationes corporales sunt quasi medicinæ, & habent tristitias sibi oppositas: immò nihil valent nisi tristitiæ contraria præcedente, sicut delectatio quæ est in quiescendo, non placet nisi fesso & fatigato: delectatio in bibendo non acceptatur nisi propter sitim: delectatio in comedendo intenditur aut augmentatur, propter famem præcedentem. In hoc autem genere delectationis non potest homo continuè delectari, vt dicit Arist. 10. Ethico. Tum quia omnia non possunt continuè operari & nulla delectatio est sine operatione, aut opere ratione animæ. Tum quia delectatio continuata circa vnum, generat fastidium; si verò erit circa diuersa, nulla erit perfectio. Vnde dicit, quando delectamur in vno vehementer, pro tunc non attendimus alia, sicut amantes fistulas non attendunt sermonibus qui dicuntur eis. Delectabilius enim alterum repellit. Et ideo ista delectatio non habebitur totaliter nisi in visione DEI, quando tota anima simul & semper adimplebitur, iuxta illud Psal. 15: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera.* Tristitia opponitur delectationi.

SECVNDA delectatio est rationalis, quæ consistit in contemplatione veritatis. *II.* Rationalis.

TERTIA est bestialis, quæ est turpissima delectatio & exprobrabilis, sicut dicit Aristoteles 3. Ethico. cap. 15. quia homines tali delectatione non vtuntur, secundum quod homines, sed secundum quod animalia. Sicut narratur ibidem de quodam, qui expetijt guttur ita longum, vt esset sicut guttur gruis, vt ita diu in cibo & potu delectaretur. Et hæc delectatio, animæ causat infirmitatem. *III.* Bestialis.

Sed NOTA. Quædam delectatio est in specie propria, superbiens de pulchritudinis vanitate. Sicut de hoc ponit exemplum Ouidius Metam. lib. 3. quod Narcissus puer quidam elegantiæ tantæ fuit, vt statim natus ab hominibus posset amari. Cuius parentes delectatione nimia pulchritudinis ipsius capti, consuluerunt quendam vatem, num iste puer esset futurus ætatis longæuæ. Ille respondit: diu viuet, si seipsum non nouerit. Puer verò adultus & factus iam iuuenis, tantam suscepit de suo decore superbiam, quod omnium contempsit amorem tam iuuenum, quàm puellarum. Tandem fatigatus quodam die de venatione, diuertit ad fontem quendam purissimum, causa sitis sedandæ, & cum videret imaginem suæ speciei in fonte, miratur speciem tantæ pulchritudinis visæ imaginis: Considerat frontem, crines, os, genas, & oculos, & amore istius imaginis alloquitur imaginem, extendit brachia, vt eam apprehendat. Sed nihil inuenit nisi aquam: offert oscula, & imago videtur retrouadere velle: Ridet puer, & illa conridet: lacrymatur, & illa deplorat. Sic igitur exardescens in amore sui ipsius languens defecit, & in florem iuuentutis sui nominis est conuersus. Q Delectatio in forma propria. Fabula de Narcisso puero formoso moraliter explicatur.

MORALITER. Iste puer, qui sic in specie sua fuit delectatus, significat quemlibet, qui vanè gloriatur de frangibili decore corporis, & tandem ita delectatur, quod totaliter euanescit, & qui homo esse deberet, inutilis flos fit, iuxta illud Isaiæ 40.

Omnis

Omnis caro fœnum, & omnis gloria est quasi flos agri. Isti igitur qui sic delectantur in sua magna pulchritudine, diu vita subsequente viuerent, si seipsos non noscerent. In cuius figura Herodes *occidit Ioannem* Matth. 14. Herodes interpretatur glorians in pellibus, & designat personam in pulchritudine corporis, quæ non est nisi in superficie, siue pelle, secundum Aristotelem, gloriantem. Ioannes verò gratia, in quo est gratia, interpretatur. Herodes ergo occidit Ioannem, dum superbè gloriabatur de specie, quæ latebat in mente.

Delectantur in forma aliena.

Quidam deniq; delectantur in specie aliena. Sicut ille senex sacerdos cui dixit Daniel: *Semen Chanaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum*, Daniel 13. Delectatus enim in specie Susannæ, de qua dicitur: *Porro Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie.* Sic Holofernes in specie Iudith delectatus, ab ea *in lecto fuit occisus*, Iudith. 16. Sic Dauid captus fuit in specie Bethsabeæ, 2. Reg. 11. Ideo dicitur Eccl. 9. *Non circumspexeris speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

Delectatio quænam licita.

Est tamen NOTANDVM, delectare se in specie creaturæ propter Deum, esse licitum. quia dicit Ps. 21. *Delectasti me Domine in factura tua.* Et Philosophus dicit. Oportet inspicere formas rerum, & laudare creatorem, qui fecit illas. Sed delectari in creatura propter seipsam, non est bonum sed peruersum. Sicq; delectatio causat spiritualem infirmitatem, quæ per infirmitatem Lazari designatur. Sed si taliter infirmatus debeat conualescere, dulci & pia indiget instructione & allocutione. Quia dicit Galenus lib. 1. secretorum, proferenda sunt verba dulcia & delectabilia coram eo, qui languet morbo quolibet, siue febre. Ex verbis enim consolatorijs infirmus sæpe conualescit.

Dulcitudine verborū cuiusdam Fratris inductus ad cōfessionē Mercator improbus.

Sic etiam infirmo peccatori, dicenda sunt verba dulcis cōsolationis, vt de lāguore suo spirituali citius conualescat sicut factum fuit, cuidā magno peccatori, de quo legitur, quod nullatenus voluit confiteri. Tandem vxor eius vidit duos Fratres ire ante domum suam, quos vocans ad se dixit: Videte dilecti fratres, si aliquo modo potestis virum meum ad confessionem inducere. Ad quem cum accedisset senior, nihil profecit. Tandem accessit alter, qui dulciter dixit ad eum; Cuius conditionis fuistis vos? Respondit ille: mercator fui. Cui frater: velletis hodie facere forum, in quo mecum lucraremini centum marcas adhuc ante vesperas? Respondit ille: vtiq;. Cui frater: Mos est, vt ille qui vendit vel emit, necessario rem vendibilem ostendat suo emptori. Ego autem facio forum vobiscum hodie, & do vobis omnia opera mea bona, quæ vnquam feci in ordine, quæ sunt ieiunia, orationes, prædicationes, & omnia alia, quæ feci: & habete omnia pro peccatis vestris. Modo ostendite mihi peccata vestra. Tunc ille cœpit quædam dicere, quæ fecit. Cumq; frater audisset hæc, voluit ab eo recedere. Quem Mercator cum lacrymis tenens per plicam, rogabat dicēs: Domine dilecte illud forum sit modo, proinde audite me, & cœpit cum tantis lacrymis confiteri, quod omnes stupebant de tam subita mutatione, scilicet quod illud cor tam durum, tam subito fuit immutatum. Ecce quod hæc dulcia verba & delectabilia hunc infirmum peccatorem sanauerunt.

II. Peccatoris cum Lazaro comparatio.

SECVNDO Lazarus post infirmitatem mortuus est, quod Dominus innuit his verbis, *Lazarus amicus noster dormit.* Sed vt ait Euangelista, *dixerat Iesus de morte eius.* Sic etiam peccator post infirmitatem spiritualem moritur in anima, quando post dele-

delectationem, quam in peccato habuit, in ipsum voluntariè consentit. Et dicit *notanter* hic; *Lazarus dormit*. Dicit enim Galenus principaliter, & alij medici l.6. secretorum. Infirmi cum dormire incipiunt, frequenter obeunt & decedunt. Cuius rationem, assignat Philosophus in problemat: dicens. Somnus enim est quies omnium sensuum, subtractioq; virtutum. Cumq; infirmi somnum faciunt, constat, quod in ipsis quiescunt sensus & subtrahuntur virtutes. Quiescentibus igitur sensibus, & virtutibus subtractis, natura sua destituitur actione, & mors celeriter comitatur. Sic est spiritualiter de peccatoribus. qui cum dormiunt in peccatis in anima moriuntur. Ideo illis qui dormiunt in peccatis, dicit Sapiens Prou.6. *Vsquequo piger dormis*? quasi diceret: surge à somno peccati, ne æterna morte moriaris. Somn° quid.

TERTIO sicut Lazarus fuit ab hominibus absportatus, ne putresceret apud eos: sic peccator absportatur ab hominibus per culpæ suæ abominationem & diffamationem, ne putrescat apud homines. Peccator enim cum iam mortuus est in peccatis, de fama non curat, sed sine fræno peccat, ita vt exemplo malè viuendi quasi fœteat in conspectu hominum. quia dicit Robertus Holkot lect. 18. De fama hominis est sicut de paritura piri vel pomi. Illa enim decorticatio cum deponitur à pomo quamuis parua, multum valet tamen: quia quando est in pomo benè conseruat pomum; & quando aufertur à pomo, statim corrumpitur & putrescit. Isto modo etiam est de fama, quamdiu habet homo famam integrã, cohibetur: & præseruatur per eam à multis peccatis. Sed reuera deperditã famã hominis, vnũ de maximis refrænatiuis à peccatis est perditum & tunc persona putrescit continuè, sicut pomum putrescit cortice denudatum. Quia dicitur Prou.10. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescit*. Cum enim homo sic putruit per infamiam, abominatur ab hominibus, & per diffamationem ab eis absportatur. Ideo consuluit Sap. Prou. 22. *Curam habe de bono nomine: hoc enim permanebit diutius, quam mille thesauri*. Ideo dicit Philosophus; Qui famam suam negligit, crudelis est. III. Peccator mortuus de fama non curat. Similitudo de fama.

QVARTO sicut Lazarus fuit sepultus, sic etiam peccator sepelitur per malam consuetudinem, vt dixi suprà Dominica Lætare serm.1. in arenga. Comparatur enim rectè mala consuetudo sepulturæ Lazari, secundum August. in serm. Domini in monte. lib.1.c.13. Sicuti inquit, videtis, istis magnis & nobilibus fiunt sepulchra honestissima, de marmore, vel alijs honestis lapidibus, seu lignis, cum picturis & figuris simul ornant & honorant. Ita etiam istis magnis & potentibus mortuis, per peccatum faciunt adulatores sepulchra dealbata & depicta palliantes, & diminuentes, & excusantes, immò commendantes peccata hominum potentum: quia *peccator laudatur in desiderijs animæ suæ*. Ps.10. Et isti videntur eos ornare honoraréq;, cum ita faciunt, sed simul cum hoc onerant & opprimunt miseros, ne resurgant per pœnitentiam à peccatis. Cui consonat Greg. in moral. c.9. Christus tres mortuos suscitauit. Puellã mortuam in domo; iuuenem in porta; Lazarum in sepulchro. Quartum verò mortuum discipulo nunciante cogitauit sed tamen non suscitauit. Quia valdè difficile est vt quis post vsum malæ consuetudinis à mentis suæ morte reuocetur. De quo Lucæ 9. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Mortui enim sepeliunt mortuos, cum peccatores inter se fauoribus se premunt. Erat autem Lazarus mortuus, sed tamen non à mortuis sepultus. De hoc quære plura suprà Dominica Lætare serm. 1. V. M. vbi dictum est de consuetudine peccandi. IV. Mala consuetudo, sepulturæ similis.

V. QVINTO sicut Lazarus à vermibus consumptus fuisset, si diutius in sepulchro iacuisset; quia iam corpus eius fœtebat, vt dixit Martha: *Domine, iam fœtet: quatriduanus est.* Sic anima, aut mens peccatoris, quæ priuata est vita gratiæ, cõsumitur & corroditur quotidie à verme conscienti. Est enim conscientia, vt dicit Robertus Holkot lect. 191. accusatrix prauæ transgressionis; eleuatrix nostræ depressionis; vindicatrix strictæ professionis.

R I. PRIMO enim conscientia est accusatrix prauæ trãsgressionis. Sicut enim puero datur dica, in qua defectus sui signantur, vt postea verberetur: & nullo modo licet ei abijcere suum, dicam, quia per eam accusabitur; Illa cuilibet homini alligatur conscientia, in qua omnia peccata sua numerantur, vt secundum eam in iudicio accusetur, iuxta illud Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Et dicit Glossa: Dicuntur autem cogitationes accusantes malæ, & defendentes bonæ quæ examinãtur & discutiuntur coram naturali iudicatorio hominis, sicut coram iudice per prima principia operabilium naturaliter inserta. Sicut est illud, *Hoc facias alij, quod tibi vis fieri*, &c. Et ideo istam accusatricem maximè timere debemus, dicente Seneca in libello suo de moribus. Conscientiam peccatorum tuorum magis timueris, quàm teipsum. Alienum enim potes effugere: teipsum nunquam. *Et iterũ in eodem:* Conscientiam magis, quàm famam attende. Falli namq; sæpe potest fama, conscientia, nũquam. Sicut enim charitatiuus iudex primo monet personam ad partem, & eam præmonet de suis defectibus; & si se correxerit, culpam celat: sed si corrigere se contempserit, eam publicè in iudicio proclamat. Ita conscientia nostra in præsenti quidem nos corripit, & reprehendit occultè; Sed si nos non correxerimus, in futuro iudicio publicè nos proclamabit, iuxta illud Leuit. 5. *Aut conscius est: nisi indicauerit portabit iniquitatem suam.*

Conscientia est accusatrix suæ transgressionis.

Cõscientia nulli testis.

II. SECVNDA conscientia est eleuatrix nostræ depressionis. Vnde in omni tribulatione terrena, singularis consolatio est bona conscientia, secundũ illud Apostoli 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Vnde Ambro. de officijs: Benè sibi conscius, non debet moueri falsis conuitijs, nec æstimare plus ponderis in alieno conuitio, quam in suæ conscientiæ testimonio. Et Grego. super Ezech. hom. 9. Quid prodest si homines te laudant, & conscientia accusat? Aut quid obest si omnes derogant, & sola cõscientia defendat? Et B. August. super Ps. 18. Et ponitur 11. q. 3. c. Custodi. Custodi inquit, intus conscientiam & innocentiã tuam, vbi nemo opprimit caussam tuam. Præualebit in te falsum testimonium apud homines, sed nunquam apud Deum valebit, vbi causa tua dicenda est. Quando Deus erit Iudex, nullus alius testis quam conscientia tua erit. Inter Iudicem & conscientiam tuam noli timere nisi causã tuam. Hæc August. Idcirco debet peccator qui in peccatis Deo mortuus est, & iã per malam consuetudinem sepultus: diligenter laborare, vt conscientiam mordentem expurget, vt in depressione sua releuetur per conscientiam bonam & securam.

Eleuatrix propriæ depressionis.

III. TERTIO, conscientia est vindicatrix fractæ professionis. Omnes enim Christiana professione censemur: & ideo quoties istam professionem refringimus, conscientia nostra non solum nos accusat, imò vindicat mordendo & pungendo, iuxta illud Pro. 12. *Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia.*

Conscientia vindicat fractam professionem.

VI. SEXTO verò & vltimo Lazarus fuit à Domino suscitatus, & postea discipulis ad soluen-

ſoluendum præſentatus. Suſcitatus verò per verba. *Lazare veni foras, & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedibus & manibus, & facies illius ſudario erat ligata.* Sup quo dicit Magiſter lib. 4. diſt. 17. cap. 1. Lazarus non prius de monumento eſt egreſſus & eductus, & poſt à Domino ſuſcitatus, ſed intus ſuſcitatus, prodijt foras viuus, vt oſtenderetur ſuſcitatio animæ præcedere confeſſionem. *Et ſubdit rationem.* Nemo enim poteſt confiteri peccata, niſi prius ſuſcitatus. quia *à mortuo, quaſi nihil perit confeſſio* Eccl. 17. *Et ſequitur in Magiſtro.* Nullus enim confitetur niſi ſuſcitatus. Nemo vero reſuſcitatur, niſi qui à peccato ſoluitur, quia peccatum mors animæ eſt, quæ anima, vt eſt vita corporis, ita eius vita Deus eſt. Lazari cum peccatore ſimilitudo.

Per hoc probat Magiſter, quod ante confeſſionem vel ſatisfactionẽ, ſola contritione vel compunctione peccatum dimittitur. Neceſſe tamen eſt, vt poſt contritionem vel compunctionem, cum tempus habet, etiam confiteatur, quia dicit Ioannes Chryſ. Nõ poteſt quiſquam gratiam Dei accipere. niſi purgatus fuerit ab omni pecccato per confeſſionem. Et Auguſt. ſic dicit: Nonnulli in vita peccata confiteri negligunt, quia erubeſcunt, & ideo non merentur iuſtificari. Sicut enim quandoq; in nobis percipimus compunctionem, ita etiam confeſſio exterior, & ſatisfactio, ſi adſit facultas, fiat. Vnde nec verè pœnitens eſt, qui confeſſionis votum non habet. Et ſicut peccati remiſſio munus Dei eſt, ita confeſſio & pœnitentia, per quam peccatum deletur, non poteſt eſſe niſi à Deo. Quod idem teſtatur ſuper illud Pſ. 50. *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Iam, inquit, donum Spiritus ſancti habet, qui confitetur & pœnitet, quia non poteſt eſſe confeſſio peccati, & punitio in homine ex ſeipſo. Cum enim iraſcitur ſibi quiſquam, & diſplicet, ſine dono Spiritus ſancti non eſt. Oportet ergo confiteri pœnitentem, ſi tempus habet: & tamen antequam confeſſio fit in ore, ſi votum ſit in corde, præſtatur ei remiſſio. Hæc Auguſtinus. Contritio quãdo ſufficiat ad peccati remiſſionem. Peccati remiſſio, munus Dei.

Sed poſtea Chriſtus Lazarum diſcipulis ſoluendum præſentauit, cum dixit: *Soluite eum, & ſinite abire.* Super quo dicit Magiſter lib. 4. diſt. 18. cap. 6. Lazarum iam viuificatum obtulit diſcipulis ſoluendum. Quia etſi aliquis apud Deum ſit ſolutus, non tamen in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per iudicium ſacerdotis. *Et ſubdit:* In ſoluendis enim culpis vel retinendis, ita operatur ſacerdos Euangelicus & iudicat, ſicut olim legalis in illis, qui contaminati erant à lepra, quæ peccatum ſignificat vel figurat. *Et infrà* cap. 7. dicit: Ligant quoq; ſacerdotes, dum ſatisfactionem pœnitentiæ imponunt pœnitentibus: Soluunt verò, cum de eo aliquid dimittunt, & per eam purgatos ad ſacramentorum communionem admittunt. Cur Lazarus ſuſcitatus diſcipulis ſoluendus traditur.

DOMINICA IN PASSIONE, SIVE IVDICA,

Sermo Primus.

Si ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatũ Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Ad Heb. 9.

S ARISTOTELES lib. problematum ait, quod ſanguis in mortuis ſimpliciter non apparet. Et illius rationem aſſignat Auicenna dicens, quod in omni tempore mortis ad pectoris regionem confluit. propter quod in mortuo pectus intumeſcit. Sed Galenus ponit aliam rationem, dicens: Quod ſanguis tempore mortis in ſubſtantiam tranſmutatur carnis.

MORALITER. Per mortuorum corpora, intelligitur peccatorum conſcientia immunda. Sed per ſanguinem intellige peccatum, iuxta illud Metriſtæ:

Sanguis peccatum: ſanguis quoq; dicitur humor.

Sicut enim in corporibus mortuis non apparet ſanguis, ſic peccatum in hominibus ſpiritualiter mortuis, non agnoſcitur nec ſentitur ab eis. Et ratio eſt, quia vt dicit Holkot ſuper lib. Sap. lect. 137. Omnis peccator phrenetico comparatur: quia quantò grauius infirmatur, tantò ſe reputat ſaniorem: Ridet, cum flere deberet: & gaudet de infirmitate: & non poteſt cuſtodiri niſi vinculatus. Ita peccator, quantò peior, tantò minorem ſe reputat peccatorem: quia Prou. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quod autem peccatores peccatum iam non cognoſcunt, figuratum eſt de Hieroſolymitanis, quibus dixit Dominus Lucæ 19. *Si cognouiſſes & tu*, quaſi diceret, ſi citò cognouiſſes peccata tua, quæ iam ſunt abſcondita, & tu fleres ea. Vt igitur phreneticus peccator ſanaretur, & peccatum ſuum cognoſceret, neceſſe fuit, vt ſanguis Chriſti funderetur. Iuxta illud Auguſtini de quinq; hæreſibus. Fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum phrenetico.

De hoc ſanguine pretioſo dicunt verba prælibata. Pro quorum intellectu eſt NOTANDVM. Lex antiqua hoc tenuit: Quando aliquis immundus fuit lepra, vel alia immunditia carnali, tunc aliquis oſtendebatur mundus eſſe in ſe, per ſanguinem animalium irrationalium. Et quo ad hoc, dicit; quod *ſanguis hircorum & taurorum.* Gloſ. effuſus, & ſuper immundos aſperſus, inquinatos ſanctificauit, id eſt, mundos eſſe oſtendit, quantum ad pœnam peccati legalis. *Et ſicut cinis vitulæ aſperſus.* Nam in lege accipiebatur vna vitula ruffa, in qua nulla erat macula, quæ non portauit iugum, & totaliter comburebatur cum pelle, & fimo, & poſtea puluis eius miſcebatur aqua, & ſic fiebat aqua expiationis, de qua Leuit. 16. qua Sacerdos populum aſpergebat, & tunc populus ſanctificabatur ab irregularitatibus legalibus, vt poſſet ingredi tabernaculũ. Et hæc aqua expiationis aquam baptiſmi figurabat, in qua eſt cinis vitulæ ruffæ combuſtæ, quæ ſignificabat Chriſtum, à cuius paſſione baptiſmus ſuam habet virtutem. Ex hoc Apoſtolus elicit: Si ſanguis irrationalium animalium cauſabat ſanctificationem corporalem, quanto magis ſanguis Ieſu Chriſti.

Aqua expiationis baptiſmi figura.

Effectus ſanguis Chriſti. 1. Viuificat mortuos. Exemplo Pelicani.

Circa quod vlterius eſt SCIENDVM, quod ſanguis Chriſti multa bona nobis fecit. PRIMVM eſt, quod mortuus viuificat ad ſentiendum. Refert etiam Magiſter in lib. de mirabilibus mundi, & Orientalium regionum, quod reperitur in ſolitudine Ægypti auis, quæ pellicanus dicitur, magnarum alarum & maximæ maciei; quam naturaliter odit ſerpens. Propter quod ſerpens, dum pro paſtu exit Pelicanus, ad nidũ repens per arborem impungit & inficit pullos eius, & occidit. Ad quos Pelicanus rediens, lugere fertur per triduum: ſed tertia die in pectore ſe vulnerat, & ſanguinem ſuper eos reſpergens, à morte viuificat. Ita Gloſſa ſuper illud Pſalm. 101. *Similis factus*

ctus sum Pelicano. Pelicanus dicitur rostro suo pullos occidere, & in triduo lugere, & tunc sanguinem supereos fundere, sicq; illos viuificare.

Sed addit Magister vbi suprà, quod Pelicanus ex sanguine copioso sic effuso debilitatur, propter quod pulli coguntur exire deinde prò cibo, quorum quidam naturali affectu matrem debilitatam pascunt. Quidam verò degeneres sunt, & de matre nihil curant. quod diligentius mater aduertens, receptis viribus, filios se pascentes resouet, & diligit: alios verò tanquam ignobiles & ingratos reijcit, & secum commanere non permittit.

MORALITER hoc naturale exponendo, dicitur de tribus: De Pelicano, de serpente, de pullis occisis. Per Pelicanum intellige Christum: quia dicit B. Augustinus: super illud Psalm. 101. *Similis factus sum Pelicano solitudinis*. Puto per hanc auem in solitudine nascentem, intelligi Christum natum de Maria Virgine. Solus enim hic in solitudine natus, cuius sanguine in cruce propria voluntate fuso ex latere viuificati sumus. Per serpentem intellige dæmonem. Quia dicit Solinus in lib. de mirabilibus mundi. Et Isidor. lib. 14. Quod serpens timet hominem nudum, & insilit in vestitũ. Ideo dicit Ioannes de sancto Ægydio. Sic & Diabolus timet pauperem contemptorem temporalium, & illaqueat hominem diuitem temporalium possessorem. Iuxta illud 1. Timot. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueos diaboli*. Propter quod diabolus hic intelligitur per serpentem. Sed per pullos Pelicani intellige genus humanum, quod intelligitur per pullum asinæ, Matth. 21, vbi dixit Dominus: *Inuenietis alligatam asinam & pullum cum ea*.

Pelicanus est Christus.

Serpens est dæmon.

Pulli genus humanum.

Sic igitur dictum est, quod serpens naturaliter odit Pelicanum, sic Diabolus odit Deum in hoc; quod noluit ei subesse. Sicut dicit Thomas in secundo scripto dist. 1. Angelus malus appetijt non subesse Deo, quia tota bonitas Angeli est, quod subest Deo: sicut tota claritas aëris in hoc est, quod subijcitur radijs solis. Sed videns angelus dignitatem suæ naturæ qua creaturis alijs præeminebat, noluit, quod in alias deriuaretur bonitas & beatitudo ab ipso. Ecce quod ex odio & inuidia noluit subesse Deo.

Nec verò tantum serpens antiquus verum Pelicanum Deum odiuit, de quo Ps. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, sed etiam pullos suos interficit & occidit. Habuit enim Deus in principio creationis duos pullos, scilicet Adam & Euam, quorum vitam odiuit Diabolus. Ideo dicit Magister lib. 2. dist. 21. cap. 3. Serpente enim velut organo est vsus, mouens naturam eius, id est, instrumenta loquendi ad exprimendum sonos verborum & signa, quibus suam monstraret voluntatem: & accedens ad Euam; stans coram ea, non audet in verba persuasionis exire: metuit deprehendi. Sed sub interrogatione eam aggreditur, vt ex responsione colligeret, qualiter in malitia procedere posset. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus, vt non comederitis de omni ligno paradisi. Cui mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur*, id est vescendi potestatem habemus, *de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus: ne forte moriamur*. In quo verbo, vt dicit Magister cap. 4. dedit locum tentandi, cum dixit; *Ne fortè moriamur*. Hinc mox *diabolus dixit: Nequaquam moriemini*. sicq; tulit mulier de ligno, & comedit, & viro suo dedit. Qui nolens eam contristare, & ipse comedit, & sic serpens antiquus eos inficit peccato superbiæ & inobedientiæ, & spiritualiter occidit, vt impleretur verbum Domini, quod

Adam & Eua pulli.

dixit Gen. 3. ad Adam; *In quacunq; die comederis, morieris.* quod non solum intelligitur de morte corporali, sed etiam spirituali, qua mortui sunt per peccatum non solum in seipsis, sed etiam in omnibus suis posteris.

[illegible] in san- [illegible] mortem spiri- tualem primo- rum hominum.

Idcirco Deus per triduum luxit super eos non in se, sed in sanctis suis: quia in Deum non cadit luctus, siue fletus. PRIMA igitur dies fuit tempus legis naturæ, in qua luxerunt sancti patres Abraham, Isaac & Iacob. Vnde Iacob dixit Genes. 37. *Descendam ad filium meum lugens ad infernum.* SECVNDA dies fuit tempus legis scriptæ, in qua luxit Deus in Prophetis. Nam Ierem. 9. *Quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.* TERTIVS dies fuit tempus gratiæ, in qua luxit Christus pro se populi sui mortem. Sicut patet Lucæ 9. *Videns Iesus ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam.* Vbi ponitur continens pro contento, scilicet ciuitas pro pòpulo. Cuius quidem populi mortem spiritualem defl. uit, quia mortui in anima erant. & non solum illam, sed etiam mortem corporalem, qua post quadraginta duos annos essent miserabiliter à Tito & Vespasiano occidendi.

Christus se in pectore vulnerauit tanquam Pelicanus.

Peracto igitur hoc triduano luctu, tandem verus Pelicanus Christus Dei filius vnigenitus se in pectore vulnerauit, quando Longinus miles latus eius lancea perforauit: de quo *sanguis & aqua largiter emanauit.* Ioan. 19. Quem quidem sanguinem super pullum aspergens, ac morte æterna viuificauit. De qua quidem viuificatione prophetauit Dauid Ps. 85. *Deus tu conuersus*, scilicet ad nos per gratiam & misericordiam, *viuificabis nos; & plebs tua lætabitur in te.* Ideo etiam dicit hic Apostolus, quod Christus per sanguinem suum emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est, peccatis, quæ dicuntur opera mortua, quia ipsorum consensu, tanquam mortuorum contactu, immunditiam contrahit conscientia.

Peccata cur dicantur opera mortua.

Dicuntur autem, vt dicit Glossa, peccata opera mortua, quia lædunt vitam naturæ, & carent vita gratiæ, & auferunt vitam gloriæ. Ideo dicit Apostolus ad Rom. 6. *Finis illorum*, scilicet peccato seruientium, *mors est.* Sed Christus ab alijs operibus mortuis nos viuificauit, quia anima perfusa sanguine Christi, quasi aqua calida & fluida, mox ariditas eius humectatur: humiditas calore solidata, reficitur, & potatur, & viuificatur.

Cur de latere viuificari dicimur?

Sed diceret aliquis. Quare de latere & non de manibus vel de pedibus viuificari dicimur? *Ad hoc respondetur*, quod congruum erat, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret vt dicit Gregorius in præfatione. Sed mors per mulierem orta est, quæ de latere viri sumpta est, Genes. 2. Ergo non nisi ex latere Christi viuificati sumus. Quia exinde fluxerunt sacramenta, & inde orta est sancta mater Ecclesia, sicut testatur S. Augustinus in sermone de eo. Sicut, inquit, ex latere Adæ fabricata est Eua, ita Christi corpore & latere vulnerato, redempta credit Ecclesia. Dormit Adam, vt viuat Eua. Moritur Christus, vt viuat Ecclesia.

[illegible] latus [illegible] perforatum.

Idem probatur ex Clementina de summa Trinitate & fide Catholica. Capit. Fide, caritate. vbi Clemens sic dicit: Christus iam emisso spiritu perforari lancea sustinuit latus, vt exinde fluentibus riuis aquæ & sanguinis, informaretur vnica & immaculata Virgo, sancta mater Ecclesia, coniunx Christi. Sicut de latere primi hominis soporati Eua eius cõiunx est formata. Et hoc certè factum est, vt veteris Adæ, qui secundum Apostolum forma est futuri, in nostro nouissimo, id est, Christo veritas responderet.

Sed

Sed quærat vlterius quis; Nunquid possum certificari, quod virtute sanguinis Christi sum viuificatus spiritualiter? *Ad hoc dicitur*, sic; vita naturæ, sensu, verbo, & motu panditur, ita & spiritualis vita declaratur. Si enim sentis, quod in IESV Christo credas suauiter, si loqueris Christum laudando dulciter, si mouêris & curris post IESVM Christum velociter. tunc scias te per sanguinem eius viuificatum spiritualiter. Vnde conijciendum, quod sanguine Christi viuificat' sum

PRIMO, igitur si sentis quod in te fuerit visus intelligentiæ ad videndum, quod Apostolus ait ad Philip. 2. de Christo, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit* &c. si in te est auditus obedientiæ, quia *Christus fuit obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis*. Si gustus dilectionis & tactus operis. Sic enim petiuit Beatus Augustinus, vt sentiret, quod esset in ipso Christus, dicens; Scribe Domine Iesu Christe, in corde meo vulnera tua pretioso sanguine tuo, vt legam in eis tantum dolorem, & ad sustinendum omnem meum dolorem & tuum amorem; ad contemnendum pro te omnem prauum amorem Scribe in tabulis cordis mei pias iustificationes tuas, vt te in mensa dulcedinis Dominum in ore, in guttere, in pectore, in visceribus animæ meæ semper habeam, qui dixisti: *Pone me sicut signaculum super cor tuum*, per veram dilectionem tuam, *sicut signaculum super brachium tuum*, per sanctam operationem tuam. *quia fortis est, vt mors dilectio* Cant. 8. I. Precatio D. Augustini.

SECVNDO, scias te viuificatum spiritualiter, si loqueris Dominum IESVM CHRISTVM, si timore paueas, si amore laudes, si ex dulcedine cordis cantes, sicut Maria soror Moysi cantabat in tympano dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, Exodi 15. Et nisi hoc cantaueris, non crederis esse viuus. quia aqua frigida lapidi frigido superfusa nullum sonum causat. super ignitum autem & feruidum fusa, causat strepitum & sonum magnum, & fragorem horribilem, vt patet de tonitru & balneo. Sic aqua, id est, sanguis cordi superfusa frigido, nihil operatur propter ipsius indispositionem: viuificato autem, & amanti infusa cordi, generat in eo strepitum contritionis, sonum deuotionis, iubilum internæ consolationis, & fragorem concitat deuotæ orationis, & canticum diuinæ laudis, vt dicat cum Psalm. 145. *Lauda anima mea Dominum*. II.

TERTIO, si mouêris & curris post CHRISTVM velociter; si pondus auaritiæ deponis, vt Matthæus Matthæi 9. Si vincula cupiditatum disrumpis, vt Paulus; si pedes à lacu luxuriæ extrahis, vt Maria Magdalena, Lucæ 7. Si omne obstaculum creaturarum te impediens abijcis, & remoues, vt Apostoli Matthæi 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. quia hæc, vt plurimum impediunt currentes. III.

Sed diceres: Nescio, quomodo currere debeo. quia dicere possum cum Thoma, Ioan. 14. *Nescio, quo vadis & quomodo possum viam scire?* Respondit Christus: *Ego sum via*, ad me ipsum scilicet; Sicut enim fera vulnerata per sanguinis sui stillas viam sequentibus se, ostendit vsque ad cubile suum, ita Christus clauis & lancea vulneratus, per sanguinis sui pretiosa stillicidia, iter nobis pandit ad sequendum, & inueniendum vsq; ad cubile suum, in quo essentialiter requiescit in patre. Ideo deuotæ mentes sic currere volentes dicunt Christo Cant. 8. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum*. quasi dicat: fuge coram nobis, vt fera vulnerata, & sanguine Obiectio. Responsio.

tuo

tuo cœlestem nobis semitam demonstra, donec te comprehendamus, & in te delicias æternas capiamus.

II. Sãguis Christi illuminat nos.

SECVNDVM bonum, quod nobis fecit sanguis Christi, est quod viuificatos illuminauit ad cognoscendum. Non enim sufficit spiritualiter viuere, nisi quisq; studeat Deum per seipsum agnoscere. Hoc autem agit in oculis cordis nostri pretiosus sanguis Iesu CHRISTI. Cuius exemplum ponit Magister lib. propriet. 12. quod columba habet sanguinem medicinalem. Dicitur enim à Physicis, quod sanguis eius de dextera ala extractus, & calidus oculis instillatus, dolorem mitigat, & sanat caliginem oculorum.

Christus columba.

SPIRITVALITER. Columba significat Christum, qui figuratus est per columbam Noe, quam emisit ex arca ad videndum, si cessassent aquæ diluuij; quæ *attulit ramum oliuæ viridem*, Genes. 7. Ita Christus emissus per incarnationem de arca Noe, id est, Trinitatis, venit in ramum viridem sanctæ crucis, vbi ex dextero latere eius fuit extractus sanguis lancea militis, quo idem miles Longinus liniuit caliginosos oculos, & mox vidit: deinde credidit, & ipsum Christum postmodum in Episcopatu suo ceteris ad cognoscendum publicè prædicauit.

Sic etiam modo *spiritualiter* potest fieri, vt si quis sanguine immaculatæ columbæ linierit intrinsecus oculos suos, mox videat, scilicet per fidem, quod prius videre non poterat, vel videre noluit. Sicut patet de perfida gente Iudaica, quæ nunquam desinit esse cæca, quæ tamen in parte est interdum illuminata per sanguinem Christi, licet miraculosum. Sicut de hoc legitur quod apud Constantinopolim Iudæus quidam Ecclesiam sanctæ Sophiæ intrauit, & quandam imaginem Christi ibi conspexit, qui se ibidem solum considerans, arripuit gladium, & mox in gutture effigiem percussit: statim verò inde sanguis exiuit, & Iudæi faciem & totum corpus aspersit. Qui grauiter territus imaginem accipiens, eam in puteum proiecit, & statim aufugit. Quidam autem Christianus eidem obuiauit eiq; dixit; Vnde venis? verè aliquem hominem occidisti. Et ille: Falsum, inquit dicis. Cui rursum: Verè homicidium perpetrasti, & ideo sanguine aspersus es. Et Iudæus: Verè Christianorum Deus verus est Deus, & fides eius firma per omnia comprobatur. Nequaquam percussi hominem, sed Christi imaginem & continuo sanguis de ipsius gutture emanauit; duxitque Iudæus hominem illum ad puteum, & inde sanctam imaginem extraxerunt. Plaga autem in gutture imaginis Christi, vt fertur, adhuc cernitur, & Iudæus bonus continuè factus est Christianus.

Sanguis miraculosus ex imagine Christi percussa à Iudæo.

Alterum simile exemplum.

Similiter cum Iudæi in quadam ciuitate fecissent in parasceue imaginem ceream, & eam clauis crucifixissent, & lancea perforassent, statim exiuit sanguis. Apparens autem beata Virgo, conquerens Christianis de hoc, quod sustineret quia adhuc Iudæi filium eius crucifigerent. Christiani domum Iudæorum penetrantes; & eos capientes, inuenerunt imaginem, & eius vulnera cruentata. Quo viso miraculo, multi Iudæi conuersi sunt ad fidem Christianorum. Ecce quod sanguis Christi de die in diem cæcam illuminat Iudaicam prauitatem, ad cognoscendum sanctæ Christianæ fidei veritatem.

V Quæ per sanguinē Chri-

Sic nos etiam cognoscimus per sanguinem Christi. *Primò*, eius infinitam Dei misericordiam, de qua Bernardus: Erat misericordiam multa in corde, sed hæc latebat, donec rupto corporis vasculo, per quinque partes corporis emanauit. *Secundo*, cogno-

cognoſcimus dilectionem & delectabilem eius præſentiam: quia dicit Gloſſa ſuper Can. cognoſcere Deum eſt inuenire Deum. Sic illa anima charitate plena cognouit, quando dixit: *Paululum cum pertranſiſſem*, ſcilicet omnia creata, *inueni, quem diligit anima mea*. Cant. 3. *Tertio*, charitatis eius ſuper abundantiam, qua dilexit nos ante mundi conſtitutionem. De hoc Bernardus: Vt oſtenderet, quantum te diligeret, non aliter voluit quàm moriẽdo te de morte liberare. quia *charitatem maiorem nemo habet, quàm vt quis ponat animam ſuam pro amicis ſuis*. Ioan. 15. Sed hoc fecit Chriſtus, qui pro nobis eſt mortuus. Igitur debemus eum cognoſcere, & eum cognoſcendo amare. Ratio. Quia ſine cognitione Dei & amore eius nemo ſaluabitur. Quod probat Bernardus, ſic dicens: Quid? ſi ignoras Deum, poteritne tibi ſpes eſſe ſalutis? Nequaquam. Nec enim poteris amare, quem neſcis; nec habere, quod non amaueris. quia ſicut ex Dei cognitione dilectio fit, ſic ex Dei ignorantia oriri dicimus deſperationem. *Quarto*, cognoſcimus innumerabilem vitæ noſtræ miſeriam. Talis enim cognitio hominem humiliat; Vnde Auguſtinus: Homo ſcito teipſum, bonum eſt enim ſcire propriam infirmitatem. Sed quæ eſt? reſpondet dicens: Aſſiduitas deficiendi, impoſſibilitas ſtandi, velocitas cadendi, vilitas naſcendi, grauitas viuendi, incertitudo moriendi. Quicquid boni habes, aliunde habes: quicquid habes, amittere potes. Dicas ergo Deo cum Pſalmo 138. *imperfectum meum viderunt oculi tui*. Igitur Deus, infunde mihi ſanguinem filij tui, vt oculi mei fiant ſicut columbæ, quæ lacte ſanguinis ſunt lotę, & reſident iuxta fluenta pleniſſima ſanctarum cogitationum, & operationum ad te pertinentium. Canti. 5.

[Margin: ſti cognoſcamus. 1. 2. 3. 4. In quibus conſiſtit infirmitas hominis.]

TERTIO, ſanguis Chriſti viuificatos & illuminatos pulchros efficit, ad ſponſum amplexandum. quod inuenitur in hoc verbo; *Emundauit conſcientiam noſtram*. Dicit enim Iſidorus lib. 17. cap. 7. de Cedro, quæ reſinam quandam habet, cedriam dictam, quæ in conſeruandis libris adeo eſt vtilis, vt perliniti ex ea, nec tineas patiantur, nec tempore ſeneſcant. Cedrus ad literam fuit pes crucis. & ſic per ſynecdochen ponitur pro Cruce, in qua quidem cruce fluxit de corpore Chriſti reſina veri ſanguinis, quæ libros conſcientiæ conſeruat à vermibus, id eſt, à peccatorum remorſibus, ſicut hic Apoſtolus dicit: *Sanguis Chriſti emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*.

[Margin: III. Sanguis Chriſti facit nos pulchros.]

EST SCIENDVM, quod anima peccatrix eſt quaſi carbonibus denigrata, & omnibus membris vitiata, id eſt, in lutum penitus conculcata, & per conſequens corona proprij honoris priuata. Quod benè ſenſerat Ieremias, qui dicebat Threnorum vltimo: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis eorum*. Et infrà: *Væ nobis quia peccauimus: ideo obtenebrati ſunt oculi noſtri. Mœſtum eſt cor noſtrum, & cecidit corona capitis noſtri*. Sed hanc deformitatem tulit & tollit Chriſtus, prætioſo ſanguine ſuo. Sicut etiam atteſtatur Beatus Ioannes Apocal. 1. *Dilexit nos, & lauit nos in ſanguine ſuo, à peccatis noſtris*. De hoc etiam pulchrè loquitur Hugo in ſoliloquio de arrha animæ, vbi dicit animæ ſuæ: Pulchra facta es munere: Fœda facta es iniquitate. *Et iterum*: Mundata & formoſa facta es eius pietate. operante tamen vbique charitate, qua vt eſſes, dilexit te, cum non eſſes. Cum fœda eſſes, dilexit te, vt pulchram faceret, vt oſtenderet tibi, quantum te diligeret. Non enim moriendo de morte te liberare voluit, vt tantum pietatis impenderet beneficium. verum etiam charitatis monſtraret effectum. Hæc Hugo:

[Margin: Anima peccatrix carbonibus ſimilis.]

Puellæ iuxta Crucem stantis significatio.

Idcircò iuxta crucifixum à dextris pulchra depingitur puella stans, & calice sanguinem Christi suscipiens. Hæc puella significat Ecclesiam, vel deuotam animam, quæ cor mundum vulneribus Christi applicans, sanguinem eius cum omni deuotione assumit, & pulchritudinem spiritualem induit, vt sic dicatur de ipsa, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. Et si ita pulchra, tunc vtique de gratia Dei digna est amplexu sponsi, & deosculabitur eum. quod & petit deuota anima. Cant. 8. *Quis mihi det, vt te fratrem meum,* Glossa secundum carnem, *inueniam foris,* scilicet arcanum tuæ diuinitatis, & *deosculer te? & amplectar te?* quia ad hoc manus extendisti in cruce, & caput inclinasti, teste beato Augustino libro de contemplatione IESV CHRISTI cap. 10. Extendit, inquit, IESVS brachia sua in cruce, extenditque manus suas, paratus in amplexum peccatorum. Hinc per brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio, & tibi securus decantabo: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* Saluator caput suum inclinauit in cruce, vt oscula daret dilectis suis. Toties Deum osculamur, quoties in morte eius pungimur.

Psalm. 29.

DE EADEM DOMINICA,

Sermo Secundus.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ioan. 8.

X

Dicunt naturales, Ambrosius in hexameron & Aristoteles: Aquila ore suo, aut rostro, vel etiam vnguibus, pullos suos versus solem eleuat, vt radios solis inspiciant, & qui directa acie solis radium aspicit, ipsum tanquam in natura similem diligit & nutrit. Cuius autem oculi ad aspectum solis lacrymantur, illum tanquam degenerem interficit, aut à nido abijcit, vel contemnit.

Christus aquilæ comparatus.

SPIRITVALITER. Per aquilam Christus intelligitur. Nam aquila est ab acumine visus dicta. Tanti enim, & tam limpidi visus esse dicitur, vt paruam festucam eleuatam à terra in aërem, videre possit; & quod minimum pisciculum in tranquillo mari videat & intueatur. Sic Christus adeo acuti luminis est, vt omnia videat, sicut attestatur Sapiens Eccles. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Ista quidem aquila CHRISTVS habet os, per quod intelligitur quilibet prædicator, de quo Ierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* quasi diceret. Si tu prædicator pretiositatem virtutum ostendis, & temporalium vilitatem, & animum hominum ab amore temporalium seiungis, & ad amorem virtutum inducis, tunc quasi os meum eris. Isto ore, id est, prædicatore eleuat pullos suos, scilicet Christianos, quorum est pater creatione, Deut. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui creauit te?* quasi diceret; sic. Et ad hoc quidem eleuat, vt cognoscant, & intueantur, oculosque ab amore temporalium omninò remoueant; & qui acutè solem suæ diuinitatis inspiciunt, & libenter verbum Dei audiunt, hos dili-

Os Christi Concionator.

diligit & corporis sui cibo nutrit. Sicut patet de Apostolis, qui libenter Christi verbum audierunt, *quos in finem dilexit*, Ioan. 13. Et vltimo corpore suo & sanguine nutriuit, Matth. 26. Qui autem auertunt oculos suos à sole veritatis & verbo Dei, hos à se abijcit & contemnit. Sicut patet de illis, de quibus dicit in hodierno Euangelio; *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* In quo etiam principaliter duo tanguntur. *Primò* Christi innocentia, ibi: *Quis ex vobis arguet*, &c. *Secundo* Iudæorum malitia, ibi; *Tulerunt ergò lapides.*

De PRIMO est NOTANDVM. Consuetudo est in studijs priuilegiatis, cum Magister aliquis subtilis illuc venerit, proponit doctrinas suas, & ponit in lucem subtiles quæstiones. Contra quem interdum alij Magistri arguunt ad experiendum ipsius subtilitates. Si tamen Magister ille vult prouidus esse, in nullo possunt contra eum præualere. Sed cum intendit ab eis recedere, exponit se omnibus in generali arguendum, vt quisque dicat intentionem & mentem suam, si in aliquo fuit reprehensibilis, aut culpandus.

SPIRITVALITER Christus Dominus noster Magister omnium Magistrorum, qui dicit Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim.* Est inquam Magister subtilis & sapiens, quia *in ipso sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi.* Ad Colos. 2. Propter quod dicitur verè fons sapientiæ, vt de verborum significatione in Clement. Exiui de paradiso. Iste inquam Magister subtilis & sapiens, exiens de schola cœlesti, venit in collegium huius mundi, iuxta illud Ioan. 16. *Exiui a patre & veni in mundum.* In quo quidem proposuit doctrinas suas. Quia anno suæ ætatis duodecimo inuentus est in medio Doctorum, cum *audiebat & interrogabat illos*, Lucæ 2. Sic ibidem cap. 4. dicitur, quod ipse *docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* Audientes autem Doctores collegij huius mundi, scilicet Pharisæi eius doctrinas subtiles, & sapientes, multis modis tentabant contra eum arguere & vincere, sicut patet Matth. 22. cum tentantes dicebant: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces; Dic ergo nobis, quid tibi videtur; licet censum dare Cæsari, annon?* Per hanc quæstionem voluerunt eum in sermone capere. sed certè ipse soluit sapienter quæstionem hanc, dicens: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & quæ sunt Dei Deo.* Illi ergo audientes eius subtilem solutionem, admirati sunt, & relicto eo abierunt. Eodem modo legitur, quod imposuit silentium Sadducæis, & *nemo* inter Pharisæos *poterat ei respondere verbũ, neq; ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* In quo maxima sua subtilitas innuitur Magistralis. — *Christus Magister Magistrorũ.*

Cum autem vellet in proximo de collegio huius mundi recedere per suam amaram passionem, proposuit quæstionem hodierni Euangelij, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quasi diceret, nullus. quia *ego sum candor lucis æternæ, & speculum sine macula*; Sap. 7. *Mundum est cor meum purus sum à peccato.*

Et est NOTANDVM, quod Christus peccare non potuit propter duo. PRIMO, propter *gratiæ immensitatem.* Ipse enim fuit plenus gratia & immensus ab ipsa conceptione, sicut probat Magister lib. 3. dist. 13. cap. 1. allegans auctoritatem, Ierem. 30. *Nouum faciet Dominus super terram: Mulier circumdabit virum.* Quia, inquit, in vtero virginis perfectus vir fuit, & extitit, non solùm propter animam & carnem, sed etiam propter sapientiam & gratiam, qua plenus erat. — *Cur Christus non potuit peccare. 1.*

Diceret aliquis: Tamen dicitur, Lucæ 2. *IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia,* — Obiectio.

Quomodo Christus proficiebat gratia & sapientia.

tia, apud Deum & homines. Si proficiebat sapientia & gratia, non videtur à conceptione habuisse plenitudinem gratiæ. *Respondet Magister*: Ipsum secundum hominem tantam in conceptione accepisse sapientiæ & gratiæ plenitudinem, vt Deus ei plenius conferre non poterit. Et cum dicitur; Verè profecisse sapientia & gratia, intelligendum est non quidem in se, sed in alijs, qui de eius sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiæ & gratiæ munera, secundum ætatis processum, magis ac magis patefaciebat. Hæc Magister.

Ex quo liquet, quod Christus peccare non potuit secundum personam. quia peccatum non cadit, nisi vbi est vacuum: Sed vbi est plenitudo, non potest cadere peccatum, ergo Christus peccare non potuit. sicut dicit Magister lib. 3. dist. 12. cap. 3. Si de persona Christi agitur, manifestum est, quia peccare non potuit. Et dicit Glossa ibidem; quamuis Christus absolutè nullo modo peccare potuit, tamen potentiam aliquam peccandi habuit.

II. SECVNDO, peccare non potuit propter peccati definibilitatem. Definitur enim peccatum, prout est quidam recessus à Deo. Sicut igitur Christus est Deus propter gratiam vnionis, & sicut à se non potuit recedere, ita nec peccare. Ideo de carne Christi dicit Augustinus, de verbis Domini: Licet caro eadem sit vt nostra, tamen non ita facta est in vtero sicut nostra. Est enim sanctificata in vtero, & nata sine peccato, & nec ipse in illa vnquam peccauit. Et Origenes, quem allegat Magister lib. 3. dist. 3. cap. 4. In pœna, inquit, similis est nostræ fragilitati, non inæqualitate peccati: quia pollutionem, id est, fomitem, quæ ex concupiscentiæ motu concepta est, non habuit: nec ex carnali delectatione natus est. Ideo benè dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed heu nullus nostrum securè posset dicere; quis arguet me de peccato? *Quia peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus*, Iudith. 7. Et Psal. 13. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt*, Et Apostolus ad Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Nos omnes sumus peccatores.

Y

Arguit nos de peccato.

I.

Conscientia nostra.

Idcircò si quæris, quis arguet me de peccato? *Respondetur*, PRIMO & principaliter conscientia ipsa, quæ interius arguit & accusat, vt dixi suprà Feria sexta Lætare Q. R. De hoc etiam dicitur Sap. 17. *Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente arguente conscientia.* quasi diceret. Hæc causa est timoris in peccatoribus afflictis, vt non solum doleant de pœnis præsentibus, sed timeant pœnas futuras. Quia frequenter tales præoccupant, & præconcipiunt pessima, id est, maximè pœnam eis inferendo, redarguente conscientia, quæ iudicat sibi pœnam maiorem deberi, quàm actualiter infertur. Ideò dicitur Ierem. 2. *Arguet te malitia tua.* Idcircò debet quilibet homo prudens in hoc tempore gratiæ videre, vt bonam conscientiam possit habere. Quia, vt dicit Robertus Holkot lect. 191. Bona conscientia est sicut quædam bona charta, in qua merita nostra scribuntur, per quam assecuramur de præmio paradisi, iuxta illud 1. Tim. 1. *Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona.* Finis præcepti potest dici meritum, siue merces debita pro præcepto. Vnde habens chartam bonam, per quam accepturus est magnam hæreditatem, eam diligenter conseruat, & maximè præcauet, ne à tineis, vel vermibus consumatur. Charta autem per quam vitam æternam vendicamus, est conscientia bona, informata per charitatem scripta tota plena bonas ameritis; & ideò debet à tineis & vermibus præseruari. Hoc autem fit dupliciter; *Vno modo*, si frequenter tractetur, respiciatur, & cogitetur.

Quomodo charta bonæ conscientiæ illæsa seruanda.

tetur. *Alio modo*, si perliniatur cedria, quæ est gummi cedri, de qua dixi supra sermone præcedenti.

Isto duplici modo si chartam conscientiæ nostræ à corruptione seruare volumus; *Primo* oportet, vt frequenter eam tractemus, & respiciamus facta, dicta, & cogitationes diligenter discutiendo, vt eam etiam à puluere detergamus, vt nec venialia inconfessa dimittamus, exemplo Apostoli Pauli, qui dicebat Actor. 14. *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.* *Secundo*, debemus istã chartam perlinire cedria, quæ est resina cedri, quasi sanguinem crucifixi, vel Crucis Christi frequenter meditando. Cedrus enim fuit pes crucis, & sic per synecdochen pro cruce supponere potest. Hæc autem cogitatio vermes, id est, morsus peccatorũ extirpat omnino, dicente Apostolo ad Heb. 9. *Sanguis Christi emundauit conscientiã nostram ab operibus mortuis.* Et sicut idem est, perdere hæreditatem, & non habere talem chartam, ita idem est perdere conscientiam bonam, & vitam futuram. Et ideo illi, qui se omnino depingunt ad famæ caritatem, & non ad conscientiæ veritatem, perdent finaliter cœlestem hæreditatem. Contra quos Seneca de moribus: Pleriq; famam, pauci conscientiam verentur.

Crux Christi.

Conscientia bona & vita futura simul perduntur.

II. Arguit nos de peccato propria nequitia.

SECVNDO. Si quæris tu peccator, quis me arguet de peccato? *Respondeo*, quod tua propria nequitia, quæ semper pœnam habet, iuxta illud Boëtij lib. 4. de consol. prosa. 3. Sicut probis probitas ipsa fit præmium; ita improbis nequitia ipsa supplicium est. Et B. Augustinus lib. 1. confessionum concordat dicens: Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sit sibi omnis inordinatus animus. Idem de vera pœnitentia. ca. 9. Nullæ pœnæ grauiores sunt, quàm malæ conscientiæ; in quibus cum non habetur Deus, consolatio non inuenitur. & hoc est effectus culpæ. sicut dixit iuuenalis libr. 5. Satyra 13.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hac vltio, quod se
Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallaci Pratoris vicerit vrna, &c.

Mos erat antiquus, sicut narrat Ouidius 15. Metam. quod Prætor condemnaturus aliquem nocentẽ, misit in vrnam lapillos nigros, & eos postea coram populo ostendit. & sic eo facto reum damnandum ostendit. quando autem erat liberaturus hominem, immisit lapillos albos, quos postea ad ostensionem innocentiæ effundebat. Dicit ergo Iuuenalis, quod quando aliquis conscius suæ malitiæ, euadit iudicium Prætoris, Prætore per gratiam & fauorem victo, tamen seipso iudice non absoluitur. quasi diceret: Sed ipsa malitia accusante adhuc supplicio æterno, nisi pœniteat, dignus iudicatur. Ideò dicit Seneca libro de moribus. Mala conscientia sæpe tuta est, secura verò nunquam.

III. Arguit nos de peccato prædicator & prælatus.

TERTIO, si quæris; Quis arguet me de peccato? *Respondeo:* quod hoc debet facere quilibet prædicator & Prælatus, iuxta illud Apostoli 1. Timoth. 5. *Peccantes coram hominibus argue, vt ceteri timorem habeant.* Et intelligitur de peccatore publico, notorio. vt sicut peccatum est notum, ita sit & correctio. Et ad Titum 2. dicit *Argue*, scilicet delinquentes, *cum imperio*, id est, auctoritate pontificali, *nemo te contemnat.* Quia secundum Glossam, Prælatus nimis mollis, contemptibilis redditur suis subditis. Et certè argutio vel correctio necessaria est, tàm ex parte Prælati, quàm subditi.

Ex parte Prælati necessaria est, quia dicit Canon dist. 86. c. Facientis. Facientis proculdubio habet culpam, qui quod potest corrigere, negligit emendare; & corrigere, cum possit. Negligere perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere. Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui facinori manifesto desinit obuiare. Ex parte etiã subditi peccantis necessaria est correctio, vt eam acceptet libenter, & vitam suam secundum eam corrigat & emendet, ne in futuro rigidè puniatur.

Exemplum de monacho renuẽte correctionem, qui a dæmonibus verberatur.

De hac re legitur exemplum manifestum in Thoma Cantipratensi libr. 2 Apum, cap. 16. part. 5. Apud S. Victorem Parisijs in monasterio Canonicorum regularium, Magister Hugo Canonicus fuit, qui secundus Augustinus, id est secundus ab Augustino inscientia dictus est. Qui etsi vitę valde laudabilis fuerit, hoc tamen minus perfectè fecit, quod disciplinas & correctiones in secreto, vel in Capitulo cum alijs, pro quotidianis excessibus non accepit. Habebat enim carnem tenerrimam, & nimis à pueritia delicatam. Quia ergò naturam, vel consuetudinem potius minus bonam, in se, virtutis exercitio, non eiicit, audi, quid eum inde sustinere contigerit. Ad extremam veniens horam à quodam concanonico suo, qui eum in vita valde dilexerat, adiuratus est, quatenus post obitum ei appareret. Libenter, inquit, si hoc mihi per vitæ & mortis dominum conceditur. His conditionibus medijs Magister Hugo defungitur, nec multò post redijt ad socium præstolantem, dicens: Ecce ego venio: Quære quod vis: morari non possum. Tunc ille, etsi cum timore, non tamen modicè gratulatus. Quomodo, inquit, dilectissime, tibi est? Benè, inquit, mihi nunc est, sed quia dum viuerem, accipere renui disciplinam & doctrinam & correctionem, vix vllus dæmonum in inferno remansit, qui mihi non ictum validũ dederit ad purgatorium transeunti. Quo dicto, ab oculis eius disparuit, & ad cœlestia euolauit. Ecce nunc, charissimi, quantò melius, quantò deniq; leuius est, correctionem suscipere in vita, quàm post mortem; ex quo vir ille doctissimus ita vapulauit. Videant ergo illi, qui nec arguere nunc, nec argui volunt. veniet certè tempus, vt ille, qui latratus corrigentium contempserit, clamores ac irrisiones atq; cachinnos dæmonũ, ad pœnas ineuitabiles compellentium, cogetur sustinere. Vnde verificabitur illud Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea*, Hinc etiam dicitur per Sapientem Eccles. 19. *Qui odit correctionem in aure, vita eius minuetur*, Glossa per suspendium. vel aliam mortis pœnam. Sicut declarat Boëtius de disciplina scholarium de filio Lucretij consanguineo. Eo enim, quod correctionem contemsit, & pater eum corrigere neglexit, ideo per suspendium interijt. Et cum iam esset apud patibulum, aduocato patre, vt daret ei osculum, nasum eius demordit dicens: Quare à primis meis erroribus incastigatus euasi? quia in principio pater me corrigere neglexit: & postea ipse correctionem cõtemsi. Ideo Sapiens Prou. 23. *Noli detrahere disciplinam a puero si enim percusseris eum virga non morietur*. scilicet morte culpæ & gehennæ. Et subdit: *Tu virga percutis eum*, scilicet disciplinando. *& animam eius de inferno liberabis*.

IV. Arguit senes de peccato correctio.

QVARTO quæris; Quis ex vobis arguet me de peccato? *Respondeo:* quod ad senes spectat, etiam correctio non solum solennium, sed etiam maiorum. Narrat Valerius in Polycrate lib. 6. cap. 2. de quodam sene, qui suis temporibus apud Romanum populum contra ea, quæ iniustè agebantur, liberrimè loquebatur, increpans arguendo, & dissentiens factis maiorum. Hic cum ab amicis admoneretur, qua audacia ita efficaciter diceret omnibus veritatem? Ille respondit: Duæ, inquit, res licentiam mihi

mihi præbent. scilicet orbitas & senectus. Voluit dicere, quod ille, qui est iuuenis, & aspirat ad ardua, & sperat promotiones, & officia, necesse habet adulari. Sed contra hoc fuit senex. & ideo senectus dedit ei auctoritatem liberè arguendi.

Item senex habens filios & filias promouendas, licet non pro se, tamen pro prole frequenter mentitur, vel saltem dissimulat veritatem. Hic autem, quia prole caruit, & similiter senex fuit, ideo à veritate dicenda nihil offendenti pepercit. Sed in istis temporibus modernis iuuenes obaudire, nec obedire volunt senioribus. Et verificatur interdum illud Isaiæ 2. *Tumultuabitur puer contra senem & ignobilis contra nobilem.* Non erat sic antiquitus inter Romanos. (sicut narrat Valerius Maximus libr. 2. c. 1.) Iuuentus senectuti ita circumspectè honorem tribuebat, tanquam omnes maiores natu adolescentium communes essent patres.

QVINTO, si quæris; Quis me arguet de peccatis? *Respondeo:* quod hoc in iudicio extremo generaliter faciet Christus. Quia dicit Psal. 49. *Arguam te, & statuam contra te faciem tuam.* Glossa, vt turpitudinem tuam videas, & confundaris. Ideo dixit Nahum 2. *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam.* Si ergo, ô peccator, vis euadere tantam correptionem, pete Dominum fiducialiter cum Dauid, Psal. 6. dicente, *Domine ne in furore*, id est, indignatione tua, *arguas me.* quasi diceret, ad damnandum: *neque in ira tua corripias me*, quasi castigandum in iudicio, quod est dicere; Hic me reum seruum; pie Domine, argue, vt emender: hic me paternè corripe, vt corrigar, non ibi in furore iudicij, neque in ira supplicij. Sed potius miserere mei, *quoniam infirmus sum.* Vel sic: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, vt inimicos, quibus dices Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, sed vt filium. *neq; in ira tua corripias me*, scilicet ad condemnandum, sed emendandum. Ex his iam dictis patet vitæ Christi irreprehensibilitas, qui declarauit primo suam innocentiam, confidenter dicendo: *Quis ex vobis arguet me de peccato, &c.* Y In iudicio extremo arguet nos de peccato Christus.

SECVNDO, ostenditur vitæ puritas, cum dicit: *Si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi?* & ponitur ibi, *si*, pro *quia*. Circa quod NOTANDVM. Extra. de regulis iuris. qui scandalizauerit; dicitur in Glossa, Veritas est triplex: Veritas iustitiæ, & doctrinæ, atque bonæ vitæ. Veritas *vitæ* est obseruantia legis diuinæ: Veritas *doctrinæ* est probatio & prædicatio eiusdem. Veritas *iustitiæ* est scientia iudicis, vel testimonium pro veritate. Et ista est triplex, quæ pro nullo scandalo est omittenda. quia dicitur de regulis iuris: Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm quod veritas relinquatur. Cui concordat illud poeticum: Z Veritas est triplex.

Scandala pro vita, doctrina, iustitiaq;
Tu non effugies, quæ sunt reliquis fugienda.

Pro vita quidem, quia aliquis homo pro nullo scandalo vitando, debet peccare mortaliter: nec Doctor, nec prædicator debet falsum docere, pro quocunque scandalo vitando. Tacere tamen potest, si timeatur, quod auditores fient ex sua doctrina deteriores. Nec tamen iudex vel testis, vllo modo iudicium; vel testimonium falsum, facere vel ferre debet, vel falsum dicere in iudicio pro aliquo scandalo vitando. Potest tamen iudex in causa differre sententiam, & testes facere tacere ad tempus. Et sic videntur intelligi isti duo versus, qui ponuntur Extra. de temporibus ordi c. Sane. in Glossa: Pro nullo scandalo vitando, est mortaliter peccandum.

Est verum vitæ, doctrinæ, iustitiaq;
Primum semper habe: duo propter scandala linque.

Licet enim veritatem doctrinæ in casu propter scandalum subticere, & iudicium licet differre. Falsum autem dicere, vel iudicare, nullo modo licet, pro quocunque scandalo vitando. Ideo Christus nobis in exemplum semper dixit veritatem.

Est tamen vlterius NOTANDVM, quod veritas est inquirenda cum studio, defendenda cum odio, & præponenda omni socio.

I. Veritas inquirenda cũ studio. PRIMO, igitur veritas est inquirenda cum studio, iuxta illud Prouerb. 24. *Eme veritatem, & noli vendere sapientiam & intelligentiam.* Vbi dicit Glossa: Veritas emitur, quando cum magno studio, vel labore, cognitio veritatis acquiritur. Ad idem Eccles. 2. *Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Et ibidem cap. 4. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo.* Et c. 37. *Ante omnia opera, verbum verax præcedat.*

II. Veritas defendenda cum odio. SECVNDO, veritas defendenda est cum odio. Quia secundum Sallustium in Iugurtino: *Veritas parit odium; obsequium amicitiam.* Vnde veritas semper finaliter omnibus præualet. Iuxta illud Esdræ 4. *Magna est veritas & præualet omnibus.* Vnde patiens aduersitatem pro defensione veritatis, licet ad tempus possit opprimi, finaliter tamen triumphabit. In cuius rei figuram legimus de Iona, qui multipliciter fuit tribulatus, & tandem finaliter mirabiliter liberatus. Dicebatur autem filius Amathi, id est, filius veritatis. non quod ipse pater suus dictus fuisset Amathus, sed quia Elias suscitauerat ipsum à mortuis, & restituerat matri suæ, quæ pro filio resuscitato dicit Eliæ, scilicet regratiando; *Nunc in isto cognoui, quod vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est.* 3. Reg. 17. Et ex illa hora & deinceps dictus est Ionas filius Amathi, id est, filius veritatis. Modo sic est, quod de nullo homine legimus, qui tot euaserit pericula sicut Ionas.

Aa Ionas plurima pericula euasit. PRIMO enim fuit filius Sareptanæ, de qua Regum vbi suprà, scribitur: *Ægrotauit filius mulieris matrisfamiliæ, & erat languor fortissimus, ita, vt in eo non maneret anhelitus.* Ille enim in iuuentute mortuus est & suscitatus ab Elia. Iste igitur adultus Prophetam missus fuit Niniuitis, & volens fugere in Tharsis per mare, & in illum sorte cadente, proiectus est in mare de naui. SECVNDO, deuoratus est à ceto. TERTIO, conseruatus in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. QVARTO, reiectus à ventre ceti in aridam, vt habetur Ionæ 2. QVINTO, adustus est tanto feruore solis & calefactus, vt petierit animæ suæ, vt moreretur. Nam ait: *Melius est mihi mori, quàm viuere,* vt dicitur Ionæ 4. Ecce quantas aduersitates sustinuit filius veritatis. & hoc in signum, quod quicunque veritatem constanter tenet, & persecutiones, & iniurias patienter sustinet, finaliter liberabitur, iuxta illud verbum Ioan. 8. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis; & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

Nota similitudinẽ de nõ libenter audientibus veritatem. Sed est vulgariter exemplum, quod homines se habent, sicut ad aquam benedictam recipiendam. Quando enim sacerdos incipit spargere, totus populus applaudit, & occurrit approximando ad sacerdotem: deponunt caputia, & inclinant capita, manus eleuant, vt aquam benedictam recipiant. quia talis aqua delet venialia peccata, iuxta illud Metristæ;

Aspergaris aqua, veniale, tollitur à qua.

Si

Si autem ſacerdos ſit liberalis, & de aqua ſua det abundáter in faciem, ſtatim ſe auertunt, & fugiunt, vel ſe ab aqua defendunt. Iſto modo contingit inter homines de veritate. Multi enim tàm nobiles, quàm ſimplices, quando audiunt de aliquo ſacerdote, Prælato, vel Prædicatore, quod dicit veritatem hominibus, libenter & mirabiliter applaudunt, & talem commendant, & eum audire deſiderant. Sicut *Herodes Ioannem Baptiſtam libenter audiebat, & audito eo multa faciebat*, Marci 6. Sed ſi contingit, quod ad eos inclinet, & det eis abundanter de aqua ſua benedicta, hoc eſt, arguat, & increpet, & corripiat vitia, in quibus iacent, ſtatim remurmurant, & faciem ſuam auertunt, & peccata ſua defendunt. vt verificetur illud Apoſtoli 2. Tim. 4. *A veritate quidem auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur.* Et tales factis illis demonſtrant, quod ex Deo non exiſtant. quia veritas, quæ eſt Chriſtus, dicit: *Qui eſt ex Deo verba Dei audit: & propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Super quo dicit Gregor. in homilia: Si enim ipſa verba Dei audit, qui ex Deo eſt, & verba Dei audire non poteſt quisquis ex illo non eſt; interroget ſe vnusquisque, ſi verba cordis aure percipit, & intelliget vnde ſit.

Circa quod eſt NOTANDVM, quod verba Dei ſunt libenter audienda. quia ſanant omnia peccata mortalia. Iuxta illud Sap. 16. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed ſermo tuus, Domine, qui ſanat omnia.* Vbi dicit Robertus Holkot lect. 179. Sicut enim medicina non ſtatim ſanitatis effectum induit, ſed ſecundum proceſſum temporis & cum mora, ita verbum Dei auditum aliquoties auditorem non ſubitò conuertit, ſed ſi fortè in anima per viginti annos conuenerit, tunc primò incipit operari. Hæc autem anima habet multas infirmitates, quæ ad ſeptem capitalia radicaliter reducuntur, & per ſeptem corporeas infirmitates figurantur. Verba Dei cur libenter audienda.

Nam ſuperbia phreneſi comparatur. Patitur enim phreneticus mentis alienationem. quia nec benè iudicat de ſeipſo, nec etiam de alijs. imò ſeipſum iudicat, quod quanto eſt infirmior, tanto valentior ſit. Eodem modo ſuperbia omnia contemnit & condemnat; ſe ſolum ſufficientem reputat, & ſibi plus, quàm habet, ſemper arrogat. Vnde ipſam mentis alienationem patiebatur meritò pro ſua ſuperbia Nabuchodonoſor, de quo Dan. 4. qui dixit deambulans in aula ſua; *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Et ſtatim diuina virtute eiectus eſt ab hominibus, & cum feris vixit, & paſſus eſt alienationem mentis, & videbatur ſibi, quod eſſet bos in anterioribus, & poſterioribus Leo: & poſt ſeptem menſes reſtitutus per preces Danielis ad ſenſum, licet non ſtatim ad regnum. Et tunc legitur dixiſſe: *Omnes viæ Dei iudicia, & gradientes in ſuperbia poſſunt humiliari.* Peccata mortalia quibus comparentur. I. Superbia phreneſi.

Sed NOTA circa phreneſim, in principio neceſſaria eſt euacuatio ſanguinis, & aliorum ſuperfluorum humorum, qui ad cerebrum aſcendentes, perturbant vſum rationis. Eodem modo verbum Dei aſcendentes humores, hoc eſt elationem mentis euacuat & ſanat; quæ tamen mentis elatio, vel cordis ſuperbia, rarò ſanatur aliàs, iuxta illud Eccleſiaſt. 3. *Synagoga ſuperborum non erit ſanitas,* niſi Chriſtum tangat per humilitatem. quia dicitur Lucæ 6. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes.* Virtus verbi Dei.

SECVNDA infirmitas ſpiritualis eſt ira, quæ comparatur febri acutæ; cuius accidentia ſunt, quod homo habeat continuum calorem & ſitim maximam, ſecundum II. Ira, febri acutæ.

Constantinum lib. 7. viatici. Et isto modo etiam est de homine iracundo; qui etiam ad quodlibet verbum calorem iræ suæ exercet gestu, verbis, & vultu: Habet etiam sitim maximam seipsum vindicandi. Hanc infirmitatem patiebatur. *Herodes, quando vidit, quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius*, Matth. 2. Ecce præcessit calor nimius iræ, & secuta est sitis irrationalis vltionis. Istam enim infirmitatem curat sermo diuinus, cum dicit Leuit. 19. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Et similiter Genes. 45. *Ne irascamini in via.* vbi ad literam est verbum Ioseph ad fratres suos, reuersurus ad patrem. Sic nos omnes fratres sumus, & in via ad patrem cœlestem, & iudicem tendimus, qui iustitiam nobis plenissimè exhibebit. Singulis enim diebus vnam dietam facimus. Ideo etiam potest esse hoc verbum Christi; *Ne irascamini in via.* Item Iob 36. *Non te superet ira, vt aliquem opprimas.* Et Eccles. 7. *Ne sis velox ad irascendum*. Ecce qualiter verba Dei curam infirmitatem ipsius iræ.

III. Inuidia febri comparatur. TERTIA infirmitas est ipsa inuidia, quæ etiam comparatur febri. Febricitans enim modò calescit, modò frigescit: & eodem modo inuidus, modò gaudet de aduersitate bonorum, modò dolet de prosperitate ipsorum. Istam infirmitatem patiebatur, Saul 2. Regum 18. quando audiuit iuuenculas ipsum Dauid commendare dicentes; *Saul percussit mille, & Dauid decem millia*, inuidia motus ait: *Mihi dederunt mille, & Dauid decem millia.* Ista quidem infirmitas putrefacit interiora hominis. Sed cura eius est verbum Dei persuadens amicitiam, & dissuadens inuidiam,

Inuidia putrefacit hominem. Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido; & ne desideres cibos eius. Quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat, quod ignorat. Comede & bibe, dicit tibi: & mens eius non est tecum*. Similiter verbum Dei dissuadet exultationem, quam habet inuidus in aduersis proximi, Prouerb. 17. *Qui in ruina alterius lætatur, non erit impunitus.* Et adducit nobis exemplum Iob 31. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malum*. Similiter verbum Dei dissuadet de aduersitate gaudere, & de prosperitate tristari, iuxta illud Apostoli, ad Romanos 12. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Et 2. Corinth. 11. dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

B. IV. Acedia, paralysi similis. QVARTA infirmitas spiritualis est acedia, quæ comparatur paralysi: quæ est membrorum dissolutio & debilitatio, ita quòd motum debitum perficere non possunt. Istam infirmitatem patiebatur figuratiuè ille, qui triginta octo annis iacuit circa piscinam salutiferam, & nunquam descendit in eam, Ioan. 5. Et figurat inueteratos dierum malorum, qui quotidie iacent circa sacramentum confessionis, & nunquam sollicitantur ad illud intrare, donec debeant mori. Ista infirmitas sanatur per valde calida, nimirum si ex *vna parte* consideretur calor pœnæ gehennalis, quæ *ardebit vsque ad inferni nouissima*, Exod. 32. & ignis, qui secundum Isa. c. vlt. *nunquam extinguetur*; & ex *altera parte* perpendatur calor caritatis Christi ad operationem virtutum excitantis, Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare.* Et Eccles. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam: quia non est apud inferos inuenire cibum*; & sic tangetur cura confessionis faciendæ. Idcirco etiam dicit Dominus Ierem. 13. *Conuertimini filij reuertentes; & sanabo auersiones vestras.*

V. Auaritia. QVINTA infirmitas spiritualis est auaritia, & comparatur hydropisi secundum Bedam;

Bedam; cuius proprietas est, quod languens ea infirmitate, quantò plus bibit, tantò plus sitit. Eodem modo auarus, quanto plus habuerit, tantò plus diuitias cupit, & nunquam dicit sufficit. Hanc infirmitatem patiebatur ille diues, qui dixit Lucæ 12. *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & ibi congregabo omnia, quæ nata sunt mihi.* Istam infirmitatem sanat verbum Dei, persuadens largitatem & eleemosynam. Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam, & tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Et B. Ambrosius lib. de offic. & habetur 86. dist. c. Pasce. Pasce fame morientem. si non paueris, occidisti. Et Eccles. 34. *Panis egentium vita eorum, qui defraudat eum homo sanguinum est.*

hydropicis comparatur.

C

SEXTA infirmitas spiritualis est gula, subuertens iudicium rationis, & comparatur epilentiæ, * quæ facit hominem cadere corporaliter. Sic & gula facit hominem cadere in omnia peccata mortalia spiritualiter, vt suprà habetur in Quinquagesima T. N. quia est ingressus & ianua ad omnia vitia. Istam infirmitatem patiebatur diues epulo Luc. 16. *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* Hanc infirmitaté sanat verbũ Dei, Luc. 21. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Et Apostolus Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et etiã B. Augustinus lib. 10. confessionum. Sumenda sunt alimenta tanquã medicamenta.

VI. Gula, epilentiæ comparatur. * morbo caduco.

SEPTIMA infirmitas spiritualis est luxuria & comparatur lepræ, quæ nascitur ex calore corrupto, deordinato: Sic & luxuria ex calore nascitur. Quia dicit Hieronym. Flammigero igne percutit fœmina conscientiam. Hanc patiebatur Salomon notabiliter, qui *habuit vxores quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas.* 3. Reg. 11. Hæc est infirmitas contagiosa & abominabilis. quia vna persona talis, centum potest inficere. Sed hanc infirmitatem sanat verbum Dei 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* Super quod verbum dicit B. Ambrosius: Cum alijs potest vitijs exspectari conflictus: hanc fugite. ne approximetis. quia non potest aliter melius vinci. Ecce quam magnas & periculosas infirmitates sanat verbum Dei, & quælibet non sanata causat mortem spirituale & gehennalem. Ideo si vis ab his curari, tunc audias libenter verbum Dei.

VII. Luxuria, lepræ.

TERTIO, veritas est præponenda socio: quia duobus existentibus amicis, sanctum est præhonorare veritatem, vt dicitur 1. Ethi. Nisi n. homo inferret veritatem familiaribus suis, posset inducere falsa testimonia & falsa iudicia, ad defensionem amicorum suorum, contra veritatem. quod ratio non permittit. Maximè autem Philosophis congruit, qui sunt professores sapientiæ: quæ quidem sapientia est cognitio veritatis, & ideo specialiter valet ad veritatem defendendam.

III. Veritas est præponenda socio.

Quòd autem magis debemus honorare veritatem quàm hominem, probatur per hoc: quia non diligimus hominem nisi propter veritatem, ergo magis amanda est veritas. Ideo Plato reprobando opinionem Socratis Magistri sui dixit: quod oportet magis curare de veritate, quàm de alio. CHRISTVS autem volens nos docere veritatem amare & honorare, dicit: *Si*. id est, quia *veritatem loquor vobis, cur non creditis mihi?* quasi diceret, vtique credere deberetis veritati. Et Ioan. 14. dicit se esse veritatem. *Ego sum*, inquit, *via, veritas, & vita.* Et quare hoc fecit? Ideo, vt ipsa ab hominibus amaretur. Heu his temporibus à multis veritati detrahitur, captiua detinetur, vndique impugnatur, & sternitur, ac vili pretio venditur. De *Primo* est illud Iob 6. *Quare detraxistis sermonibus veritatis?* De *Secundo* exponitur illud Romanorum 1. *Veritatem iniustitia detinet*, quia vix inuenitur, qui velit

Veritas honoranda magis quàm homo.

Veritas patitur.

velit eam dicere, iuxta illud Senecæ: Monstrabo tibi, quod iudicium possidentibus desit, scilicet, quod verum dicant. De tertio intelligitur illud Isa. 69. *Corruit in platea veritas.* Et illud Daniel. 8. *Prosternetur veritas in terra.* Vbi dicit Glossa, Veritas prosternitur in terra, quando aliquid terrenum præponitur veritati. De *quarto* habetur illud Prouerbiorum 28. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: Iste & pro buccella panis, deserit veritatem.* Multi enim hodie deserunt veritatem; ideo fugiet ab eis doctrinæ veritas. Sicut è contrario sequitur veritas doctrinæ eos, qui habent veritatem vitæ, iuxta illud Ecclesiast. 3. *Volatilia ad sibi consimilia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur eam, reuertetur.*

Veritas prosternetur.

III. Humilitas declara etiã Christi innocentiam Ioan. 8.

TERTIVM, quod declarat Christi innocentiam est sua humilitas. quæ tangitur in hoc, quod Iudæi dicebant: *Nónne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit IESVS: Ego Dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego non quæro gloriam meam.* In hoc igitur, quod Christus gloriam propriam non quæsiuit, dat nobis doctrinam, vt gloriam, quæ soli Deo congruit, non quæramus, ne fures prædicemur. Fur enim diceretur, qui subtraheret rem caram, vt purpuream vestem regi, in qua rex vellet gloriari per seipsum, & si fur in veste sic furata gloriam quæreret, merito à rege puniretur.

SPIRITVALITER. Rex est Christus Deus, qui habet rem caram & pretiosam, scilicet gloriam, quæ soli Deo debetur. Iuxta illud 1. Timoth. 1. *Regi seculorum Deo immortali, inuisibili, soli Deo, ipsi honor & gloria in secula.* Et per se dicit Dominus Isa. 48. *Gloriam meam alteri non dabo.* Idcirco homo, qui ad similitudinem furis, sibi attribuerit gloriam, meritò punietur & necabitur. Quod figuratum est 1. Machab 6. Antiochus veniens contra Iudam Machabæum ad pugnam, multos secum elephantes habuit: inter quos vnus præcipuè maior erat, in quo Antiochus residebat. Eleazar cupiens sibi nomen magnum obtinere, bonis armis munitus agressus est elephantem, quem strenuè percutiens superauit & occidit. sed incautè circa illum remanens, sub eo mortuus est.

MORALITER. Antiochus interpretatur pauper sitiens, & significat diabolum, qui ideo pauper est, quod æternas diuitias perdidit. De quibus Psalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Sed Eleazar bonis armis munitus significat quemlibet hominem virtutibus ornatum, quibus mediantibus vincit elephantem diabolum. Si autem quærit laudem & gloriam de virtutibus suis, spiritualiter moritur, iuxta illud Gregorij: Sub hoste, quem prosternit moritur qui de virtutibus gloriatur. Ideo B. Augustinus lib. soliloq. dicit: Qui laudari vult de suo dono, & non quærit in illo gloriam tuam, furari vult. Domine, formator meus ex vtero matris meæ, ne sinas me cadere in illam exprobrationem, ne exprobretur mihi, furari voluisse gloriam tuam. Tibi gloria, laus, & gratiarum actio, cuius est omne bonum. *Et alibi in eodem libro dicit*; Gloria Patri, qui fecit nos: Gloria Filio, qui redemit nos: Gloria Spiritui sancto, qui glorificauit nos: Gloria summæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet. Te decet laus: te decet hymnus. tibi debetur omnis honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Ecce qualiter gloriosus ille Doctor soli Deo gloriam dat & adscribit. Sic & quilibet nostrum faciat cum Psalm. 112. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Moritur, qui de virtutibus gloriatur.

Est

Est tamen NOTANDVM quod in quolibet homine duo considerantur. *Primum* est ipse homo. *Secundum* est donum Dei, quod in ipso est. Si enim gloriatur de ipso dono Dei in quantum habet illud à Domino Deo, bona gloriatio. quia in Domino gloriatur. Nam & hoc præcepit Apostolus 2. Corinth. 12. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* quasi diceret, de bono opere non sibi, sed Deo gloriam tribuat. Qui enim sibi attribuit, potest dicere verbum hoc Euangelij hodierni; *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Quia si quis gloriatur de dono quasi de se habito, mala est gloriatio; quia de se nihil habet. Iuxta illud dictum Apostoli; *Quid habes, quod non accepisti?* quasi diceret nihil. *& si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ideo Apostolus 2. Corinth. 12. *Pro huiusmodi* visione vel honore, & donis collatis *gloriabor* in Domino, *pro me autem nihil gloriabor*, quasi diceret; à me nullam habeo materiam gloriandi, *nisi in infirmitatibus meis. Nam si voluero gloriari, non ero insipiens.* quasi diceret, quia non facio hoc inaniter & sine causa. veritatem enim dicam. *Parco autem*, id est, parcè me laudo, *ne quis me existimet super id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me*, scilicet me inaniter gloriari. In homine quæ considerranda.

QVARTVM. quod ostendit Christi innocentiam fuit magna mititas. quod patet in hoc, quod de conuitijs sibi iniectis & iniurijs illatis à Iudæis quod videlicet dicebant, eum dæmonium habere, noluit se vindicare, sed noluit liberè condonare. sicut testatur Bernardus: super Cantica Sermone 89. dicens: Tam liberaliter Dominus donauit iniuriam, vt iam non damnet vlciscendo, nec reiteret improperando, nec minus diligat imputãdo. Nam de sua mititate aut mansuetudine prędixerat ipse, Ierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Et Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vbi dicit Glossa: Mitem ideo se dixit, quia cessit reprobis, & vicit in bono malum, & omnia æquanimiter sustinuit. Ecce homo Christiane, Christum, à quo diceris Christianus, sis sicut & ipse mitis & mansuetus. quia hæc virtus multa tibi bona confert. D *IV.* Mansuetudo probat innocentiã Christi.

PRIMO, vitam corporis conseruat, Prouerbior. 11. *Clementia præparat vitam, & sectatio malorum mortem.* Et in eisdem Prouerb. cap. 12. *Qui suauis est, viuit in moderationibus.* SECVNDVM bonum est, quod animam conseruat, iuxta illud Ecclesi. 10. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam.* Mansuetudo enim est sicut antemurale animæ, lapides diuinorum verborum leniter excipit, & ideo ictus frustratur, & hominem à læsione custodit, & conseruat. Sicut enim vasa vini, in fœno, vel etiam in alio, nonnulli inuoluunt, & sic à fractione seruantur. Sic etiam mansuetudo aut mititas animam seruat, ne ira eam frangat. TERTIVM bonum est, quod hominem delectat, iuxta illud Psal. 34. *Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Est enim mititas sicut culcitra mollissima in lecto floridæ conscientiæ, in qua anima à mundo quiescit. Ideo potest dicere quilibet talis, Cant. 1. *Lectulus noster floridus.* Vtilitates mansuetudinis. 1. 2. 3. Mititas culcitræ similis.

Sed sunt (heu) multi, qui conuitia sibi obiecta non solum exemplo Christi non remittunt, sed improperando reiterant. Et interdum ob paruum conuitium, cum se iniuriantibus diu loqui refutant. De quibus dicit B. Augustinus in communibus sermonibus, sermo. 18. Nos interdum otiosis fabulis, & sæpè ob paruissimum conuitium, immò quandoque propter signum, ita derelinquimus charitatem, vt non

ſolum multis diebus, ſed etiam menſibus nec loqui, nec amicitiam habeamus; nec attendimus, quia cum nos odium inuicem habemus, muros ciuitatis ſanctæ Hieruſalem ſic contra nos claudimus, vt nullus nobis remaneat aditus, per quem intrare poſſimus.

D. Charitas probat Christi innocentiã.

QVINTVM, quod demonſtrat Chriſti innocentiam, eſt charitas Quia propter cõuiti i ſibi illata, ex mera adhuc charitate, à prædicatione & a beneficijs conferendis, non ceſſauit. Quia charitas ſua habuit ſe *Primo*, ſicut dorſum. Sicut enim dorſum eſt multarum læſionum ſuſceptiuum, quia patitur verberationem, excoriationem,
1. & multa alia mala, & quandoque de aliorum membrorum culpa ſæpe ſuſtinet pœnam? Sic Chriſtus ex ſua magna charitate, qua dilexit nos Ierem. 31. *multa ſuſtinuit opprobria & conuitia*, nec tamen propria ſubtraxit beneficia ſua. Ideo dicit Pſal. 68. *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium; operuit confuſio faciem meam. Secundo*, ſua cha-
2. ritas habet ſe ſicut ferrum calidum, ſicut enim ferrum calidum flexibile eſt ad ea, quæ homo concupiſcit: quod de frigido fieri non poteſt. quia de eo non poteſt aliquis facilè operari, nec poteſt flecti; ſed frangitur ſub martello. Sic charitas Chriſti, quaſi ferrum calidum, fuit delectabilis ad omnes, vt nec de eſſet ſuis capitalibus inimicis.

Charitas ferro calido ſimilis.

E. Qui Chriſtũ lapident.

Quantum ad SECVNDVM, ponitur Iudæorum malitia cum dicit; *Tulerunt lapides Iudæi.* MORALITER de hoc loquendo, ſciendum, quod multi ſunt, qui adhuc Chriſtum in cœlo regnantem ſolent lapidare.

I. Superbi excuſatores.

PRIMI ſunt ſuperbi excuſatores, qui mittunt lapides excuſationis contra Chriſtum, figurati per *Semei, qui mittebat lapides contra Dauid*, vt habetur 2. Regum. 16. Et hi, inquam, excuſatores ſunt triplices: *Aliqui enim dicunt* quod ſpecioſitas & bo-
1. nitas rerum creatarum allicit hominem ad peccandum. & ſic per illa creata voluntà peccato ſuo ſuperbi ſe excuſare. Contra quos dicit Spiritus ſanctus Sap. 1. *Creauit Deus, vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum non eſt in illis medicamentum exterminij.* quaſi diceret; in rebus omnibus, quas Deus creauit & poſuit in mũdo, non eſt infectio ad creandum peccatum, ſi homo non fecerit exceſſum. Ideò non eſt imputandum bonitati eorum, vel ſpeciei, vel formæ, ſi homines amore mundanorum contra honorem Dei funguntur. ſed tantummodo peruerſitati hominum, quia malè vtuntur rebus creatis. Ideò dicit Beatus Auguſtinus de vera religione. cap. 38. Nec aqua mala; nec animal, quod in aere viuit. nam iſtæ ſubſtantiæ ſunt. ſed malum eſt voluntaria præcipitatio, & in eo ſuffocatio. *Exemplum aliud ſubdit*: Stylus, inquit, ferreus alia parte, qua ſcribimus, & ex alia parte, qua delemus fabricatus eſt in ſuo genere pulcher, & ad vſum noſtrum accommodatus. & ſi quis cum ea parte ſcriberet, qua deletur; & ea velit delere, qua ſcribimus, nullo modo ſtylus malè fecerit, ſed ipſe factor iure vituperaretur. Hæc Auguſtinus.

2. *Alij autem* ſe excuſant dicentes; carnis fragilitatem ad peccandum eos compuliſſe. Quod etiam excludit Spiritus ſanctus per verbum ſapientis iam allegatum, quando dixit: *Non eſt enim in illis medicamentum exterminij.* quaſi diceret, in carne non eſt neceſſitans concupiſcentia, vel exterminans ad præcipitium peccati, ſed tantummodo incitans, quam homo pro peccato meruit. & de ea, ſi velit, proficit, ſi reſiſtit. Vnde Gregorius 9. moral. cap. 26. Superna diſpenſatione & tota intentio-

ne

ne sic fit, vt nos seruientes carni nostræ permittamur impugnationibus concuti, ne mens nostra audeat in superbiam per præsumptionem suæ securitatis eleuari; vt cum pulsata trepidat, in solo auctoris adiutorio pedem spei figat. Ideò dicit Gregorius 9. moral. Ad ima quippe trahit cor, ne extollatur spiritus: & ne deprimat caro, spiritus leuat, ne iaceamus in infimis. Caro aggrauat, ne extollamur ex infimis. Et sic secundum Gregorium quodam certo moderamine fit, vt carne deprimente, sed non prosternente, homo desperationis lapsum caueat, & spiritu eleuante, & tamen tentationes sentiente, superbiæ casum euadat. Et si Dei spiritus trahit, & caro retrahit subtilissimo interni iudicij moderamine, infra summa, & suprà infima quodammodo homo liberatur. Et ideo patet, quod non est in homine necessitas concupiscentiæ compellens ad peccandum. Quia dicit Sapiens, Eccles. 16. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij: adiecit mandata & præcepta sua.* Et Sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem: ad imaginem similitudinis suæ creauit illum.* Cur caro nos impugnet.

Tertij se excusant à peccato propter dæmonum infestationem. & hanc excusationem excludit Spiritus sanctus per hoc verbum, Sap. 1. *Nec inferorum regnum in terra.* quasi diceret, dominum dæmonum non est in hominibus viuentibus in terra, & de terra existentibus. Et ideo licet hominibus etiam possint suggerere malum & tentare, nullo tamen modo permittuntur hominem violentare. Quare dominium non habent in hominem, nisi homo eis sponte per liberum arbitrium subdi velit, aut consentire. Ideo dicit B. Bernardus super Cantica sermo. 86. Impulsor hominis est diabolus, impulsor est mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit, quæris? quisq; sui impulsor? Noli mirari; vsque adeo homo impulsor est sui, & suimet præcipitator. Vnde pulsante altero, scilicet diabolo, vel mundo, non formides: sed ipse à te proprias contineas manus, id est, consentias. 3. Diabolus nō nisi in volentem dominiū habet.

Et NOTANDVM quod illi, qui his tribus modis excusant peccata sua frequenter, nunquam, vel vix pœnitent, sicut innuit Beatus Augustinus dicens: Hic cautiori opus est continentia, qua cohibeatur hominis appetitus superbus, quo placet sibi ipsi: & si non vult sibi culpabilis inueniri, dedignatur, cum peccat, conuinci quòd peccauerit; non suscipiens accusationem, sed excusationem. Contra quem Propheta in Psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Excusantes se à peccato, rarò verè pœnitent.

SECVNDI, qui lapidant Deum, sunt iracundi turbatores. In corde enim iracundi, hospitia Spiritui sanctó turbant. Quia dicit Gregorius: Dum ira animum pulsat, sancto Spiritui suam habitationem turbat. Quod inhibet Apostolus ad Ephes. 4. *Nolite Spiritum sanctum contristari.* Et in hoc Deum lapidant, dum hospitium Spiritus sancti turbant. Hæc autem est proprietas lapidis ad iram: quia sicut lapis est ponderosus, sic ira hominis grauis est alijs tàm extraneis, quàm amicis, iuxta illud Prouerb. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroq; grauior est.* Ideò dicit in eodem libro, cap. 18. *Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?* Et iterum: cap. 27. *Impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Quod autem iracundus ad instar lapidis est grauis amicis, dicitur Prouerb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo.* Et triplici ratione non debet homo quærere amicitiam hominis iracundi. F II. Iracundi turbatores. Iracundi amicitia cur non quærenda.

Prima;

Prima, quia non durat talis amicitia. Ignis enim iræ, comburit in eo vinculum amoris. *Secunda*, quia homines iracundi sunt velut lignum ignitum, quod consueuit exurere eum, qui illud tetigit. *Tertia*, qui sunt sicut lignum spinosum, quod pungit complectentes se. Ideò familiari amore amplectendi non sunt. Licet enim aliquis amet omnes arbores, eas tamen, quæ spinas habent, libenter declinat: sic licet omnes homines sint amandi, tamen familiaritas iracundorum declinanda est, vt dicit Gulielmus in summa vitiorum, tractatu de ira.

III. Lapidatores Christi, fornicatores. TERTII, qui lapidant Christum, sunt iniqui fornicatores, qui etiam habent proprietatem lapidis. quia inuenitur lapis, qui mollis est & dissolutus. sic etiam fornicatores molles sunt & dissoluti in verbis suis. Audi quod ipsi CHRISTVM lapidant. quia luxuriam suam DEO imputant dicentes; vt narrat Augustin. lib de continentia. Cur inquiunt, DEVS creauit mulieres, nisi, vt cum eis peccemus? Et non dicunt: Cur DEVS subuertit Sodomam & Gomorrham? Cur mundũ deleuit diluuio? Quia tota caro humana corrupta erat. Illis tamẽ indulsit, quĩ erant in matrimonio. quemadmodum adhuc indulget his, qui debito ordine matrimonio vtuntur: sed ab eo, quod prohibuit, summoperè caueatur.

IV. Gulosi. QVARTI, qui lapidant Deum, sunt excessiui gulæ amatores, qui his verbis quasi lapides iaciunt contra DEVM. Quare, inquiunt, DEVS creauit ista, nisi vt comedamus & bibamus? Cur ista ita naturam nostram inclinant, vt vix passionem appetitus vincere valeamus? Ergo consentiamus affectionibus nostræ carnis, quia naturales sunt: naturalibus autem nemo peccat. Contra quos Augustinus. libro de continentia dicit: DEVS perfectam naturam condidit: sed ipsa se necessitati passionum subdidit. Quasi diceret: non est in Deo iniquitas, sed in te, qui malis tuis affectibus resistere deberes & posses, si velles. *Et subdit Augustinus*. Sicut dicis, cur dat ista Deus, si displicent? Ita ego dico: Cur punit Deus ista, si placent? sicut puniuit Iudæos in deserto, cum sedit populus manducare & bibere, cum gula videlicet & non necessitate: Et ideo occisi sunt viginti tria millia.

V. Auari & raptores. QVINTI, qui lapidant Christum, sunt auari & raptores. De quibus dicitur Eccles. 21. *Qui ædificat domum suam impendiis*, id est, expensis, *alienis*, Glossa, per rapinam collectis, *quasi qui colligit lapides in hyeme*, dum videlicet cor eius infrigidatur, & cõtra Dominum induratur. Et suadit pœnam ipsorum; *Stupa collecta*, scilicet ad incendium, *synagoga peccantium*, & raptorum & *consumatio illorum flamma ignis*, scilicet infernalis, sicut in præsenti arserunt igne cupiditatis.

VI. Inuidi vastatores. SEXTI sunt inuidi vastatores, quia in sua inuidia seipsos vastant. Sicut dicit Augustinus libro de Ecclesiasticis dogmatibus: Inuidia nemini nocet, nisi sibi primum. Sicut ignis seipsum comburit, ita te prius inuidia consumit: ex te veniens teipsum vastat. Sicut enim humor primum est in radice, demum transfunditur in ramos; sic inuidia primum veneno te perimit, deinde alios occidit. Isti inquam tunc lapidant Christum, dum de quolibet bono proximi faciunt sibi lapidem, ad quem pedem affectus offendant. De quibus dicitur Eccles. 21. *Via peccantium conplantata lapidibus.*

VII. Acediosi neglectores. SEPTIMI & VLTIMI sunt acediosi neglectores, qui ex pigritia sua multa bona opera negligunt. Propter quod maledicuntur per Prophetam Ierem. 28. *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.* Et hi lapidant Deum, quando calor charitatis in eis

cessat,

cessat, vt maneant frigidi, iuxta illud Ecclesf. 43. *Gelauit crystallus ex aqua.* Vel tunc lapidant Deum, quando adscribunt fato, quæ faciunt, & se asserunt impulsos per sidera ad peccandum. Quod tamen non est. Quia dicit Ptolomeus, quod astra inclinant, sed non necessitant. Licet enim astra aliquem inclinent ad prigitiam, aliquem ad furtum, & sic de alijs, tamen quia tales inclinationes non sunt naturales, sed subsunt libero arbitrio, aut voluntati, si quis voluerit huic inclinationi locum dare, si autem noluerit, cum Dei adiutorio potest peroptimè repugnare, vt trahitur ex quadam Glossa Extra de summa Trinitat. & fide Catholic. c. Firmiter.

Peccata fato adscribentes lapidant Deum.

Et quia his modis lapidant Christum, ideo lapidari merentur, iuxta illud Ecclesf. 22. *In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super aspernationem eius.* Et iterum, de significationibus verborum: Lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, grauat manus suas. Vbi dicit Glossa: Tunc lapide luteo lapidabitur piger, quando increpatione dura & conuitijs plena increpatur. Omnis qui tangit eum, concutiet manus, quia onerosus est hominibus & libenter expediunt se ab eo. Nos autem non sic, charissimi, sed abijciamus omnes lapides istos peccatorum, suscipiamus humiliter Christum. Ne fugiat à nobis, & sicut à Iudæis, de quibus verba sonant prælibata; *Tulerunt lapides Iudæi, &c.*

FERIA QVARTA POST IVDICA.

Sermo primus.

Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini, &c. Leuit. 19.

CONSTANTINVS libro de melancholia dicit: Cum dentes sanguinem egesserint, mox grauitas & desidia totius corporis aut capitis repellitur. Nam sanguis si minus fuerit in corpore aut capite, in regione corporis aut capitis efficit grauitatem; qui si egestus vel emissus fuerit, efficit leuitatem & cōmuniter totius corporis vel hominis sanitatem. G

MORALITER. Omnes Christi fideles in Christo regenerati, per baptismum, sunt membra Christi, & sic faciunt sub capite Christo vnum corpus mysticum, propter quod dicit Apostolus 1. Cor. 12. *Etenim in vno spiritu*, scilicet eius, *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles.* Illius inquam corporis mystici sunt Doctores dentes. quia sicut officium dentium est cibum masticare, frangere, diuidere, & conterere, deinde verò membris destinare; quia secundum medicos, prima digestio ciborum fit in dentibus: secunda in stomacho: qui deinde dirigit purum alijs membris. Sic officium Doctorum est sacram Scripturam frangere & diuidere & masticare principaliter; sicut fecerunt Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Ambrosius, & Bernardus, & moderni temporis Doctores adhuc quotidie faciunt. De quibus omnibus dicit sponsus Christus suæ sponsæ Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Vbi dicit Glossa. Dentes qui peccata rodunt, scripturas atterunt, sunt Doctores fortiores, & sunt quicumque ad regendam

Doctores dentibus comparati.

Doctores Ecclesiæ, dentes sunt ouium.

Ecclesiam apti firmati præualent. Et dicuntur isti dentes sicut greges ouium, propter innocentiam, tonsarum propter paupertatem voluntariam, per quam ab eis omnia superflua, & quandoque necessaria auferuntur, quæ descenderunt de lauacro. quia à baptismali regeneratione proficiunt, ascendentes de virtute in virtutem. Isti inquam Doctores designati per dentes, debent egerere & extrahere sanguinem, id est peccatum à corpore mystico. Quia (heu) iam abundant peccata & iniquitates in corpore mystico, ex quo *refrixit caritas multorum*, Matth. 24. Vt cum sanguis peccatorum fuerit egestus, alleuietur mysticum ipsum corpus. per quod Doctor omnium Doctorum Deus, in hodierna Epistola studet egerere, & extrahere à corpore suo mystico, multa peccata, vt furtum, mendacium, & sic de alijs; vt grauitas, quam causant peccata, repellatur, cum dicitur: *Ego Dominus Deus vester*, scilicet inhibeo vobis, vt non furtum faciatis, &c. qua quidem Epistola tria facit principaliter. *Primò*, describit decretum obligans, ibi: *Non furtum. Secundò*, adducit exemplum, regulans, ibi; *Diliges. Tertiò*, concludit præceptum implicans, ibi; *Leges.*

DE PRIMO est NOTANDVM. Domini terreni consueuerunt ponere decreta & statuta populis, qui in ipsorum prouincijs morantur, quibus statutis omnes adeo obligantur, vt si quis hoc decretum regni præterierit, impunitus non euadit. Ad quod probandum legitur Daniel. 3. quod rex Nabuchodonosor dedit decretum, & illud voce præconis edici iussit: *Quicumque audiens vocem tubæ vel fistulæ*, &c. *non statim veniret, & cadens in terram statuam auream adoraret, in fornacem ardentis ignis mitteretur.* Accidit quod tres pueri, Ananias, Azarias, & Misael statuam secundum decretum regis adorare recusarent. Quare à magnatibus accusati, & in ignem ardentis fornacis sunt iactati, &c.

SPIRITVALITER. Deus omnipotens, est magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius tota terra est & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. In hac quidem terra multa fecit decreta, quæ per præconem suum Moysem sunt dudum proclamata, & vult omnia illæsa obseruari. *Primò*, statuit decreta negatiua, quæ ordinant inferiores. *Secundò*, quæ ordinant superiores, ibi; *Non facias quod est iniquum. Tertiò*, quæ ordinant mediocres siue pares, ibi; *Non eris criminator.*

H

I. Decretum negatiuum. Furtum, quid?

PRIMVM igitur decretum est negatiuum ordinans inferiores cum dicitur; *Non furtum facietis.* In hoc decreto prohibet Dominus omnem contractionem rei alienæ, prouenientem ex cupiditate vel iniuria. Quia dicitur 14. q. 5. c. Pœnale Furtum est omnis illicita alienæ rei vsurpatio vel contractio. Et dicitur NOTANTER *ex cupiditate*, &c. quia contractio rei alienæ licitè potest fieri tribus modis.

I. Ex obedientia.

PRIMO, quando fit ex obedientia, & non ex cupiditate: hoc modo excusantur à furto Ægyptiorum Iudæi, qui Deo iubente paruerunt. Nam legitur Exodi 11. & 12. quod dixit Dominus. *Petat vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea. Et fecerunt filij Israel sicut præceperat Dominus per Moysem, & petierunt ab Ægyptijs vasa argentea & aurea, vestemq́; plurimam. Dedit autem gratiam Dominus populo coram Ægyptijs, vt accomodarent eis, & sic eos spoliauerunt:* nec tamen furtum fecerunt. Quia dicit Archidiaconus Guido in rosario super decretum. Quicquid accipitur ex mandato Dei, qui est Dominus vniuersorum, non est furtum: Secus si causa cupiditatis hæc fecissent. qui etiam dicit Gulielmus: Illi qui ex cupiditate Ægyptiorum bona asportauerunt, peccauerunt. Qui autem propter obedientiam hoc fecerunt, meruerunt.

Aliam

Aliam causam excusationis à furto ponit Nicolaus de Lyra super Exodi 12. dicens: Ægyptijs Hebræi in multis seruierunt valdè. nec recompensationem sui laboris habuerunt, nec violentiæ sibi factæ, & submersionis paruulorum suorum, habuerunt aliquam emendam & recompensam: ideo Ægyptij tenebantur eis in multis. Et quoad hoc dicitur Sap. 10. *Reddet Deus iustis mercedem laborum suorum.* Hic dicit Augustinus 14. quæst. 5. c. Dixit Dominus. Non, inquit, hinc quisquam sumendum exemplum putare debet, ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Dominus iussit, qui nouerat quid quemque pati oporteat. Nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo iubente ministerium fecerunt & præbuerunt.

Sed hic incidunt aliquæ quæstiones. PRIMA. An liceat aliquid auferre auaris diuitibus, & dare illa pauperibus. *Ad hoc dicitur* quod non. Quia B. Augustinus in homilia dicit, & ponitur 14. q. 5. c. Forte. Forte aliquis dicat & cogitat: Multi sunt Christiani diuites, auari & cupidi, non habeo peccatum si quid illis abstulero, & pauperibus dedero: illi enim nihil boni faciunt, nec mercedem habere poterunt. Sed huiusmodi cogitatio diaboli cupiditate suggeritur: nam si totum tribuit quod abstulit, addit potius peccatum quàm minuit. Hæc Augustinus. Quæstio 1.

SECVNDO. An rem sibi concessam ad vtendum, si alij accomodauerit, furtum committat. V. G. Aliquis concessit tibi equum ad vsum tuum, vel aliam rem quocumq; nomine censeatur, & tu illam concedis alij ad vtendum. *Respondetur*, quod tu furtum committis, quia res hæc tibi non erat concessa ad vsum istũ. Similiter & creditur furtum committi, si pignore sibi obligato vtatur, vt ff. de pignore. Si pignore creditor vtatur, furti tenetur. Et breuiter, vbicumque inuenies contractionem rei alienæ factam contra voluntatem Domini, intellige furtum commissum, nisi tibi Dominus esset concessurus. Quæstio 2. An rem concessam liceat alteri accomodare.

Sed diceres. Qualiter æstimatur Dominum concessurum? *Respondetur* ratione familiaritatis & specialis dilectionis, vel ratione nobilitatis & honestatis vitæ. Obiectio.

TERTIA. An ille comittat furtum, qui equum vel aliam rem sibi accomodatam, ad certum terminum, vel ad locum illum, procedit cum illa re; vt si habes equum concessum ad viginti milliaria, & equitares triginta. *Respondet* Raymundus quod furtum committis, nisi in casu, vt si credas te hoc façere Domino volente, tunc non facis furtum, quia non facis dolum inuito Domino. Institu. de verbo obliga. L. licet. Idem potest intelligi de illo qui vtitur re deposita ad ipsum quod valet, committat furtum ff. de condi. furt. L. qui furtum. Et hoc intellige quando ei est prohibitum, ne re deposita vtatur, aliàs non. Quæstio 3. Deposita re vtens qualiter peccet.

II. Ex cautela.

SECVNDO, contractio rei alienæ potest fieri licitè, quando fit ex cautela, vel si esset furiosus habens gladium, quo vellet aliquem necare. Si quis gladium ei furaretur, ibi furtum non comitteretur; Si tamen cessante furia ei restitueretur, vel remanente insania sibi in alia re satisfaceret pro gladio sibi oblato. Quia dicit Augustinus in Epistola ad Macedonium, & habetur 14. quæst. 6. c. Si res. Peccatum, inquit, non dimittitur, nisi ablatum restituatur.

III. Ex mera necessitate.

TERTIO, quando quis ex mera necessitate furatur panem cum esurit ad mortem, talis à furto excusatur. Sic excusatur qui ratione frigoris furatur vestem. Ideo dicitur de consecrat. distinct. 5. c. Discipulos. Cum per segetes transeundo euellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, qui quasi coacti fame hoc fecerunt

cerunt. Ibi dicit Hieronymus c. Quicquid. Quicquid in necessitate fit, citò soluitur: quod voluntate accipitur, perseuerat. Glossa, nisi restituat. Ideo legitur in Vitas patrum lib. 1. part. 1. alphab. 11. D. Quidam pater, dictus Copres, habuit hortulum, in quo semper venientes patres & fratres olera habebant. Quidam autem gentilis ingressus est nocte, & furatus est olera, quæ cum portasset in domum suam, igni apposuit, vt coqueret; sed tribus horis continuis ingenti igne supposito, neque feruere, neque califieri potuerunt, sed permanserunt in eadem viriditate, qua missa sunt, & ideo accepit olera de foco, & viro sancto reportauit, & prostratus ante pedes senis, veniam postulauit, & factus est Christianus.

II. Decretum Superiorum. SECVNDVM decretum quod ponit rex cœlestis, qui dicit hic. *Ego Dominus Deus vester*, est de mendacio vitando, cum dicit. *Non mentiemini*. Vbi NOTA mendacium deformat hominem specialiter propter tria: Est enim homo rationalis Dei indago, & finalis Dei propago, & naturalis Dei imago, vt dicit Robertus Holkot super libro Sapient. lect. 11.

I. Homo rationalis est Dei inquisitio. PRIMO rationalis homo est Dei indago, id est, indagatio vel inquisitio; & propter hoc factus est intellectualis à Deo, & ideo sibi falsitas mendacij repugnat. Cum enim veritas sit bonum intellectus, constat quod falsitas est eius malum & corruptio. Vnde Augustinus in Enchirid. cap. 23. Vis naturalis refugit naturaliter falsitatem, & quantum potest euitat errorem. Vnde & falsi nolunt etiam qui amant falsitatem aut fallere. Hæc Augustinus. Et ideo sicut omnis creatura rationalis appetit veritatem & scientiam naturaliter: ita omnis creatura rationalis detestari debet mendacium. In cuius figura legimus Genes. 3. quod cum diabolus primò mentiri cogitauit, noluit in aliqua effigie rationalis creaturæ, vel propria effigie apparere, quasi nobilitati suæ naturæ, pro quanto rationalis erat, mendacium displiceret: sed talis bestiæ accepit effigiem, quæ naturæ humanæ magis inimicatur & repugnat, in signum quod mendacium venenum est humanæ naturæ. Sicut enim venenum corpus occidit ita mendacium animam, iuxta illud Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Et quanto anima est nobilior corpore; tanto videtur deterior mendax venefico. Et ideo rationabiliter simul combinabuntur, vel ordinabuntur in die iudicij, & à societate Dei, & sanctorum expellentur, iuxta illud Apocal. 22. *Foris canes, & venefici, & omnis qui amat*, id est delectatur mendacia proferendo, *& facit mendacium*.

Venenum corpus, animam mendacium occidit.

Et dicit NOTANTER *foris canes*, &c. Nuntij vel alij quicumque morantes in curia Papæ, pro negotijs expediendis accedunt palacium, & inter fores seu portas exspectant, donec possint per aliquem introduci ad Papam; sed quando pulsatur ad fores cum certa campana Papæ, omnes recedunt tristes, & certi quod pro illo die speciale colloquium non habebunt, & ideo statim egrediuntur palacium, & ad sua hospitia vacui reuertuntur.

SPIRITVALITER. Summus Pontifex est Christus iuxta illud Heb. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum.* Ad huius curiam venient omnes homines in die iudicij 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, & tunc aliquibus dicetur quod intrent ad Christũ. Matt. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et iterum: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Sed alijs pulsante campana, id est tuba sonãte, clamabitur per angelos: *Foris canes*, &c. quia dicitur, Matt. 13. *Malos autẽ foras miserunt: Sic erit in consumatione seculi, exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum*, &c.

Et

Et non est mirum, si mendax eijciatur à Christo: quia naturaliter vnum contrarium expellit reliquum. Modo Christus est veritas Ioan. 14. *Ego*, inquit, *sum via, veritas, & vita*: ergò necessariò homo mendax eijcitur à Christo, iuxta illud Matth. 25. *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores.* Dicitur quod si fiat circulus de terra Hybernica, tantæ potentiæ est terra illa quod nullum animal venenosum potest circulum intrare, vel si fuerit inclusum non poterit exire, nisi aliunde violenter eijciatur. Terra ista designat veritatem, de qua in Psal. 83. *Veritas de terra orta est.* Ista veritas potentissima circumit & munit vndique Christum secundum Psalm. 88. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo*: Modò vsque ad diem iudicij homines infecti veneno mendacij, continentur à diuina veritate: & impossibile quidem est eos euadere, cum sit *nemo qui de manu eius possit eruere* Iob: 10. Tunc certè iudicabuntur, & eijcientur extra circulum istum, & tradentur passionibus æterni ignis, iuxta illud. Roman. 1. *Commutauerunt Dei veritatem in mendacium, propterea tradidit eos Deus in passionem.* Vis terræ Hybernicæ.

SECVNDO homo est finalis Dei propago; quare dicitur 1. Ioan. 4. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Dominus, vt filij Dei nominemur.* Sumus ergo valde generosi, *Dei enim genus sumus*, vt dicitur Act. 17. Si enim ita contingeret, quod filius nobilissimi regis cui præparata esset deuotissima Virgo, & nobilissimi generis in sponsam, illam repudiaret, & sibi vilissimi Ribaldi sumeret filiam in vxorem, ipse fatuè eligeret, & turpe degeneraret, & tàm se quàm genus suum mirabiliter dehonestaret. II. Homo finalis Dei propago.

MORALITER. Homo Christianus est ille, qui genus Dei per fidem & baptismũ intrauit: ideo de quolibet dicitur illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Modo isti præparata est veritas, siue sapientia, in vxorem naturaliter; quia 1. Metaphys. Omnes homines naturaliter desiderant scire. Et Sap. 18. dicitur in persona humanę naturę. *Hanc amaui, & quæsiui mihi eam in sponsam assumere.* Ista veritas, secundum Bernardum est filia Dei: Mendacium vero est filia diaboli, qui mendax est & pater eius scilicet mendacij. Ioan. 8. Si igitur homo relicta Dei filia veritate, copulat sibi vxorem mendacium filiam, diaboli, turpiter degenerat, & magnam verecundiam facit sibiipsi. Et ideo signanter amor illius sponsæ nobis interdicitur Eccles. 7. *Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum.* Dicunt enim iura, quod dispar cultus inter contrahentes impedit matrimonium contrahentium, & dirimit iam contractum; vt quando fidelis contrahit cum infideli, scilicet cum pagano vel Iudæo, tunc nullum est matrimonium, vt 28. q. 1. c. Ex his, & c. Sane. Ideo Exod. 38. & Deut. 7. prohibuit Dominus dicens: *Non accipias vxorem filijs tuis, de filiabus alienigenarum, ne trahant eos post Deos suos.*

MORALITER. Homo & omnis creatura rationalis, colere debet Deum, iuxta illud Catonis:

Si Deus est animus nobis vt carmina dicunt.
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Sed constat quod mendacium colit diabolum sicut filius patrem, quia radicis vitio sordet ramunculus heres: vt inquit Theodorus. Et ideo nemo cum diabolo contrahit matrimonium quia contingit sine dubio; qui accipit filium à patre debet in dotem aliquid recipere. Sed dos quam dat cum filia est infernus: Iuxta illud Apoc. 21. *Idololatris & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno igne ardente* in pœna

gehennæ, *& sulphure quod est mors secunda.* & Oseæ 10. *Ferietis fœdus cum mendacio, & germinabit quasi amaritudo iudicium:* & ideo tales possunt dicere illud Isa. 28. *Percussimus fœdus cum morte & cum inferno facimus pactum*

K Dicunt etiam iura, qui contrahit primò cum vna & postea cum alia, efficitur bigamus, vt Extra, de bigamis c. Nobis fuit. Et talis coram iudice, si agitur contra eũ, mortem non euadit, quantumcumque sit literatus, quia priuatus est omni priuilegio clericali, vt de bigamis altercationis, lib. 6. vbi dicit Glossa Ioan. And. Bigamus nudatus est omni priuilegio clericali, astrictus est foro seculari. Nec valet consuetudo in contrarium, & prohibetur sub anathemate ne tonsuram deferat.

Bigamus.

Sic MORALITER Christianus omnis primò contrahit cum veritate Dei filia, iuxta illud Oseæ 3. *Desponsabo te mihi in fide,* & si postea contrahit cum mendacio, bigamus efficitur, & in iudicio generali mortem euadere non potest.

III. TERTIO homo est naturalis Dei imago, iuxta illud Augustinus libr. 14. de Trinit. c. 15. Imago, Dei est anima, quæ eius capax est, & eiusdem particeps esse potest. Et ideo sicut in Trinitate paterna persona gignit Verbum, quod est Veritas; ita anima nullum aliud verbum gignere debet nisi verax: Iuxta illud Eccles. 28. *Ante omnia verbum verax procedat a te.* Persona namq; diuersorum regnorum & diuersarum personarum, faciliter distinguntur per diuersitatem idiomatum, aut linguarum: Nam communiter qui Gallicè loquitur, Gallus æstimatur; & Angelicè, Anglus. Sic enim arguebatur contra Petrum quod esset Galilæus, & ex discipulis Christi Matth. 26. *Verè ex illis es: Nam & loquela tua manifestauit te.*

Homo naturalis Dei imago.

MORALITER loquendo, duo sunt genera in hac vita ad inuicem commixta, scilicet regnum mundi, & regnum Dei, regnum Christi, & regnum diaboli: regnum cœleste & regnum terrestre, & sicut ista distant in Regibus, ideo etiam idiomate non concordant: Nam idioma regni cœlestis est veritas, Iuxta illud Psalm. 35. *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.* Et idioma regni terrestris, siue mundi, est falsitas secundum illud Oseæ 4. *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra; maledictum, homicidium furtum & adulterium inundauerunt.* Si ergo homo velit perpendere ad quod regnum pertineat, videat cui regno in idiomate concordet.

Mundi idioma est falsitas.

Et NOTANDVM vlterius. Mendacium est duplex. *Vnum* est simplex & sine iuramento quod dicitur mendacium absolutè, quo fallitur proximus. De quo Augustinus 22. quæst. 2. c. Beatus ille. Mendacium est falsa significatio vocis, cum voluntate fallendi. Et hoc probat Dominus in hac Epistola dicens: *Nec decipiat vnusquisq; proximum suum.* quasi diceret; Nemo defraudare debet proximum suum in negotio & iuramento. Quod etiam prohibet Apostolus 1. Thessal. 4. *Nemo circumueniat fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Mendaciũ, quid?

Et licet Theologi inhibent deceptionem simpliciter. tamen iurisperiti quoad hoc admittunt, scilicet quod licitum est contrahentibus se decipere vsque ad dimidiam partem iusti precij, & non vltra: vt si emi pannum dimidia marca, possum dare tribus solidis; & si emens est vltra deceptus, potest conuenire decipientem. Extra de emptione & venditione c. Cum causa. Si igitur quis rem minus dimidio iusti precij vendiderit, emtor potest agere contra vendentem ad rescissionem contractus.

Deceptio in simpliciter licita.

Alius

Aliud mendacium est grauius cum iuramento, & dicitur periurium, quod est nequiter decipere credentem, vt dicitur 2. 2. quæst. 2. c. 1. Et hoc prohibet Dominus cum dicit: *Non periurabis in nomine meo*, quasi diceret; Non sumas nomen meum super falsa: hoc enim est proprie periurare, nec pollues nomen Dei tui, scilicet falsa & otiosa per nomen Dei loquendo, nec etiam audiendo. Periurium.

Nam legitur in annulo lib. 2. c. 107. Cum miles quidam Ludouici descendit Parisios, & quendem Burgensem enormiter periuriatem in pugno fortiter percussit. Qui cum reus traheretur ad regem, dixit: Domine mi rex, si audiuissem nomen tuum ita blasphemare, vsque ad mortem defendissem, quantò plus pro fama æterni regis mihi stare conuenit. Audiens hoc rex, priuilegium ei dedit, vt per totam Franciam in reos periurij manum mitteret adiutricem.

SECVNDO ponit Dominus decreta, quæ ordinant superiores. PRIMO, prohibet ne noceant per potentiam, & hoc quadrupliciter: *Vno modo* ne noceant illis proprium extorquendo. Dicit ergo Dominus Leuit. 19. *Non facias calumniam proximo tuo.* Est enim calumnia primò quando res aliena quibusdam circumuentionibus extorquetur, vt dicit Rabanus, quam etiam prohibet Beatus Ioannes Baptista, Lucæ 3. quando conuenerunt milites ad ipsum, dicentes: *Quid faciemus & nos? Ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Decreta Superiorum. Calumnia quid.

Alio modo calumniari est falsis criminibus intendere, vel accusare, vt 2. quæst. 3. c. Si quem Sese. Vnde calumniator est ille, qui crimen alteri imponit, & ille innocens reperitur, vt Extra de calumniatoribus c. Cum fortius. Et tales calumniatores dicuntur principes Iudæorum, & alij potentes Pharisæi, & Iudæi qui Christo innocenti calumniam faciebant, cum sibi multa falsa crimina imponebant, & de multis calumniosè accusabant. Quis calumniator dicatur. Christus à Iudæis calūniosè accusatur.

PRIMO enim accusabant eum de infructuosa occupatione, quando dicebant Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis.* quasi dicerent. Sicut arbor quæ est inutilis & infructuosa, meretur exciti, iuxta illud Lucæ 3. *Excidetur & in ignem mittetur:* Sic Christus qui est ociosus in vita, & nullum fructum affert Reipublicæ, ergo iustum & licitum est per quamcumque viam eum excidere & destruere. Hæc est prima eorū accusatoria calumnia, quam Christo faciebant: quia nihil eo fructuosius & vtilius fuit in hoc mundo. Ipse enim fuit *lux mundi* Ioan. 8. Nihil autem est vtilius mundo quam lux, quæ totum mundum viuificat & illustrat. Ipse etiam fuit lignum vitæ, afferens fructus duodecim per singulos menses: Ideo eum mendosè de infructuosa occupatione accusare calumniantur. I.

SECVNDO accusatoriè eum calumniabantur, de maliciosa perturbatione. Ipsi enim dicebant eum esse perturbatorem pacis. Et quia bonum finale totius ciuitatis humanæ est pax: nam, secundum Hieronymum, Concordia quæ est pax, paruæ res crescunt, quæ discordia dilabuntur. Idcircò qui conturbat pacem communitatis, dignus est de communitate illa expelli, sed si ille est perturbator communis omnium ergo iustum est, eum de communi ciuitate omnium expellere. Hæc est secunda calumnia quam Christo, qui fuit & est summa pax, faciebant, iuxta illud: *Non facias calumniam proximo tuo.* Leuit. 19. Sed falsè eum in hoc calumnibantur, quia ipse fuit & est summus amator pacis, quia pacē apportauit nobis nascendo, quando carebant II. Pacis turbatores excommunitate expellendi.

bant Angeli. ***Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*** Lucæ 2. Pacem prædicauit dicendo. Lucæ 10. *In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui.* Pacem legauit pro testamento ascendendo ad patrem: *Pacem*, inquit, *meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ioan. 14.

III. TERTIO accusatoriè calumniabantur eum de improperosa contentione, ac si dicerent; Improperare alicui peccata est vitiosum, & pacis perturbatiuum. Sed hoc fecit nobis Christus, sicut habetur Matth. 23. Cum dixit. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et iterum. *Væ vobis qui relinquitis iudicium & misericordiam.* Et iterum: *Væ vobis qui estis intus pleni rapina & immunditia.* Et hoc quod dixerunt. Sap. 2. *Improperat nobis peccata legis, & ideo debet extirpari.* Sed quia manifestum fuit facinus illorum, ideo meritò debuit eos increpare & peccatis eorum improperare ne socius peccati videretur: quia dicitur 86. c. facientis. Non inquit caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare. Sed quia secundum Sallustium in Iugurtino. Obsequium amicos & veritas odium parit, ideo factus est eis odiosus, sicut dixit Christus Ioan. 15. *Odio habuerunt me gratis.*

IV. QVARTO accusabant eum Iudæi calumniatoriè de iniuriosa seductione; & hoc specialiter in doctrina, dicentes: Quicumque docendo seducit & abducit homines à bonis moribus, publicè vel occultè, dignus est expelli de communitate & destrui. Sed hoc Christus fecit Ioan. 7. Cum quidam dicebant *Bonus est:* Econtra; *alij non: sed seducit turbas,* Ideo dignus est à nostra communitate exstirpari & expelli. Sed in hoc falsè dicebant quia Christus non venit populum suum seducere, sed à peccatis suis saluum facere populum suum, & quod perierat quærere Luc. 19. *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Et principaliter venit vitam æternam tribuere. Ideo dicit Ioan. 10. *Ego veni vt vitam,* scilicet gratiæ & gloriæ *habeant, & abundantius habeant.*

V. QVINTO accusatoriè eum calumniabantur de ambitiosa præsumptione, dicentes. Quicumque sibi essentialitatem scientiæ Dei arrogat, quasi peccatum primi parentis replicat: Christus autem hoc fecit, quia dicit Ioan. 7. *A me ipso non veni, sed verus est qui misit me, quem vos nescitis: Ego autem scio eum.* Et quia scit eum perfectè, æqualis est ei in scientia. Sed in hoc eum falsè calumniabantur, quia hoc quod sic dixit non fuit præsumptio, sed humilis notificatio & experimentalis probatio, vt crederent secundum quod dixerunt Apostoli. *Nunc scimus quoniam omnia scis, & non est opus tibi vt quis te interroget.*

VI. SEXTO calumniabantur eum de superstitiosa blasphematione, dicentes. Quicumque dicit se filium Dei naturalem, exigit sibi fieri cultum superstitiosum, & semper blasphemat Deum; Sed de blasphematione scribitur Leuit. 23. *Quicumq; blasphemauerit nomen Domini, morte æterna moriatur.* Et hoc fecit Christus Ioan. 5. *Quærebant eum Iudæi interficere, quia Deum patrem suum dicebat*, æqualem se Deo faciens, sed per hoc eum mendosè calumniabantur, quia quod filium Dei se dicebat, non fuit blasphemia sed annunciatio vera, sicut manifestauerunt & probauerunt opera eius, cœcos illuminando, mortuos suscitando, leprosos mundando, infirmos curando, quod soli Deo conuenit. *Quia nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo.* dixit Nicodemus Ioan. 3. Ideo conuersus Centurio dixit, Matth. 26. *Filius Dei verus erat iste.*

Pro

PRO MORALI doctrina est NOTANDVM. Sicut enim Iudæi Christum quasi otiosum, de communitate eijcere & repellere volebant, licet continuè fuerit in opere: sic debent rectores ciuitatum expellere otiosos: & hoc faciunt apes. Nam dicit Aristoteles lib. 18. Apes à se eijciunt otiosos. Et Plinius in speculo naturali, dicit, quod eas etiam occidunt, & sicut apes non permittunt apud se otiosos, sic suo modo nullus otiosus debet permitti in Republica; Sicut docent omnes Legislatores. Et hoc ratio persuadet, quod vnicuique rei actio propria assignatur & attribuitur; Quia si quis negat proprias actiones & operationes, negat à rebus proprias essentias, vt dicit Auerrois 9. Metaphysicæ Commentator. Idcirco otiosi non sunt permittendi in Republica, quia otium est occasio multorum peccatorum.

M
Otiosi debent expelli.

Otium sentina tentationum.

Nam dicit Bernardus: Tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium, sentina est otium. In sentinam sordes recipiuntur in nauibus marinis, sic otiosi quasi omnes sordes recipiunt vitiorum. Et principaliter otium est occasio luxuriæ, ebrietatis, nugarum, curiositatis, & superbiæ. De peccato luxuriæ exemplum in Dauid qui dum occupatus fuerat in bellis continēs fuit; sed tempore otij adulterium commisit, vt habetur 2. Regum 11. Vnde Poëta.

Quæritur Egistus quare sit factus adulter, Respondet. *In promptu causa est, desidiosus erat*. Et Ezech. 17. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia vini, & otium*. De ebrietate & curiositate, 1. Ioan. 5. *Adolescentiores viduas deuita*. Et subdit: *Discunt enim circumire domos non solum otiosè & curiosè, loquentes quæ non oportet*. De nugis dicit S. Bernardus: Otiositas est mater nugarum, nouerca virtutum. De superbia Psal. 77. *In labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia; operati sunt iniquitatem*, &c. Item quod Iudæi voluerunt à se Christum expellere quasi tribulatorem, debet mouere quemlibet principem, vel regem, & generaliter Reipublicæ cuiuslibet rectorem, vt turbatores pacis ex communitatibus expellant. Quia finis occupationum principum, est pax subditorum. Vnde Cassiodorus variarum formarum Epistola 22. docet: Regalis apicis curam scias, generaliter custodire concordiam, quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid enim est quod principem melius prædicet quàm quietus populus, concors senatus, & tota Respublica morum honestate vestita? Hæc ille.

Otiositas mater nugarum.

Occupatio Principum, pax subditorum.

SECVNDO modo prohibet Dominus superiores, ne noceant violentiam inferendo, cum dicit: ***Nec vi opprimes eum***, scilicet bona sua manifestè rapiendo, vel in persona iniuriam erogando. Sed tamen triplices sunt oppressores. Nam tyranni opprimunt per violentiam. Hoc modo Ægyptij oppresserunt filios Israël, cum dixerunt. *Venite sapienter opprimamus eum*, scilicet populum Israël, *ne fortè multiplicetur. Expugnatisq; nobis egrediatur de terra in damnum nostrum*, Exodi 1. Et ponitur hic *sapienter*, pro *astutè*. Ideo de illis dicitur Iacobi 2. *Nonnè diuites per potentiam opprimunt vos?* scilicet in bonis possessis, *& ipsi trahunt vos ad iudicia?* quasi diceret, sic.

Triplex oppressores.
I.
Tyranni.

Secundo. Aduocati opprimunt per sapientiam. Vnde Isaiæ 10. dicitur. *Scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes*. Contra hoc scribunt iura c. de iudicijs L. Rem non nouam. Quod Aduocatus debet quærere à clientulo suo, qualem causam foueat, bonam vel malam. Si malam, non debet sibi patrocinari, ne partem quæ iustam causam habet, videatur supplantari. Sed hodie siue causa sit iusta, siue iniusta, aut desperata; Si datur eis sufficiens pecunia, subuertitur

II.
Aduocati.

Pecunia subuertitur iustitia.

titur ab eis iustitia, vt impleatur illud Isaiæ 59. *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit.* Tunc enim conuertitur retrorsum iudicium cum per Aduocatum appellatur, quando sententia debet fieri. Et tunc iustitia longè stat, quando is non appellat qui appellationi proximus erat. O qualiter malus aduocatus habet timere & exspectare districtum Dei iudicium quod tenebit iustitia, qui se iugulatores iustitiæ intelligunt & oppressores. De illis dicit Psal. 51. *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem.*

NB.

III. Prælati.

Tertio opprimunt Prælati per negligentium, &c. 3. Regum 3. *Dormiens quippe oppressit eum.*

Oppressio proximi, an licita.

Dubitatio potest esse: An liceat per potentiam opprimere proximum. *Ad hoc dicit* Robertus Holcot lect. 23. Opprimere est aliquem contra vires & voluntatem premere. Et hoc potest fieri dupliciter. *Vno modo*, secundum ordinem iuris: sicut pater opprimit & verberat filios suos, quibus tenetur ad castigationem. Sic etiam seruus si est iurisdictioni domini sui subditus, si delinquat, potest eum per verberationem ad legem perducere. *Alio modo*, contra ordinem iuris: sicut tyrannus opprimit subditos, & hoc est propriè opprimere aliquem contra ordinem iuris, vel in rebus, vel in persona, quod est contra charitatem, & etiam non est licitum. De hoc dicit Augustinus contra Faustum: Oppressio pauperis vindictam euocat diuinam, mortem nocentis accelerat, aures diuinas iugiter inquietat. Sed & qui oppresserit, oppressione nunquam expers erit.

A subditis aliquid violenter extorquere, an liceat.

Sed diceres. Nunquid Domini per violentiam possunt aliquid extorquere à subditis, quod ad oppressionem pertinet: *Respondet* idem Robertus vbi suprà, distinguendo. Aut principes extorquent, quod est necessarium Reipublicæ defendendæ, tunc licet sibi. Et licet subditis, vt iure soluant, cum tamen ipsis non sit nimium periculũ. Aut extorquent, quod non est necessarium, & sic tunc sunt oppressores & raptores; quia remota iustitia, magna regna non sunt nisi latrocinia, vt dicit Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei. Ideo ad restitutionẽ sicut latrones tenentur: & hoc caueant Confessores dominorum, quia è longè est aliud loqui de regibus & de dominis paruis.

TERTIO, prohibet ne noceant mercedem retinendo, cum dicit. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.* De hoc habes plura Feria quarta post Inuocauit, V. A.

QVARTO, prohibet ne noceant, famam denigrando cum dicit. *Non maledices surdo*, quod morali expositione ille facit, qui absenti detrahit.

N.

I. Detractores sunt tonsores monetæ legalis, &c. Vide Robertum Holcot in lib. Sap. lect. 10.

Vbi NOTANDVM, quod detractores sunt tonsores monetæ legalis, impeditores testamenti regalis, exhumatores cadaueris fraternalis. Est enim persona claræ famæ sicut moneta legalis, quam nullus potest refutare, nisi fuerit deformata vel attonsata, ita quod perdidit pondus & imaginem, tunc non recipitur loco precij sicut prius. Eodem modo detractatores nituntur confundere bonos homines, diffamando eorum merita per deprauationem, & attenuando circumstantias acutè per diminutionem, vt opus non appareat virtuosè factum, sicut circumstantię significant: Et ideo tales possunt vocari tonsores monetæ legalis.

Muscæ sicut dicit Aristoteles lib. 4. animalium cap. 1. habent aculeum loco armorum, per quem extrahunt sanguinem. Eodem modo simplices, fatui & nociui, quantumcumque sint parui valoris, detrahere benè sciunt, & extrahere sanguinem cooper-

coopertum; id est, defectus occultos aliorum nescientibus diuulgare. Et hi similes sunt muscis Exodi 8. vbi dicitur. *Quod venit musca grauissima in domo Pharaonis.*

SECVNDO, sunt impeditores testamenti regalis. Rex enim omnipotens IESVS CHRISTVS moriturus, statuit Christianis omnibus Testamentum pacis, dicens Ioan. 14. *Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis.* Hoc inquam testamentũ impediunt detractatores, cum pacem perturbant iuxta illud Eccles. 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes:* Sed sicut impeditores Testamenti excommunicantur, & de communitate fidelium repelluntur, iuxta illud Canonis 13. quæst. 3. Qui oblationes defunctorũ aut negãt Ecclesijs, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excõmunicentur: Sic qui impediunt testamentũ Christi à societate sanctorũ perpetuò excludentur. Iuxta illud Leuit. 17. *Homo quilibet de domo Israel, & aduenis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Sanguinem comedere, nihil aliud est, nisi proximo detrahere. Et qui hoc facit disperdet eum Dominus, de populo suo cœlesti, de quib⁹ dicit Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*

II. Detractores impediunt Testamentũ Christi. Negantes oblationes defunctorũ Ecclesijs, excommunicantur.

TERTIO, sunt exhumatores cadaueris fraternalis. Dicit enim Aristot. lib. 7. animalium cap. 4. Quod hyena est animal multum ferox, simile lupo, in tantum diligens carnes humanas, quod frangit interdũ sepulchra & exhumat corpora mortuorum, vt eorum cadaueribus saturetur. Ista bestia aptissimè gerit figuram detractoris Quia homo qui per peccatum moritur, sepelitur à bonis, & quantum iustitia permittit eius peccatum occultatur, & corrigitur, conscientiæ fama manente integra. Oppositum facit detractor. violat enim sepulturam, & ideo est infamis secundum iura 6. quæst. 1. c. Infames: extrahit carnes fœtidas & comedit, & alijs ad comedendum distribuit, cum defectus occultos & lapsos fortassis è memoria, ad mentem eis neducit. Et sic detractores sunt quasi dapiferi diaboli, qui carnes humanas hominibus apponunt comedendas, quorum conuiuium vitare debet quilibet, iuxta illud Prou. 14. *Noli esse in conuiuijs peccatorum, nec in conuiuijs eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Dicit Glossa: Carnes ad vescendum conferre, est in collatione derogationis vicissim vitia dicere proximorum. Ideo de talibus dicitur Ierem. 12. Secundum aliam translationem. *Nunquid spelunca hyenæ hereditas mea mihi?* Et præmittitur paulum ante. *Facta est mihi hereditas mea, quasi Leo in sylua: dedit contra me vocem suam, ideo odiui eam.* Hereditas Christi, gentes Christianæ sunt. De quibus in Psalm. 2. *Dabo tibi gentes in hereditatem tuam.* Sed hæc hereditas dat vocem contra Christum, & fit quasi hyena per detractionem, ideo odit eam Dominus.

III. Detractores exhumant cadauera mortuorum Hyena figura detractoris.

Detractores dapiferi diaboli.

Quare dicit: *Non maledices surdo*, id est, non detrahes alicui, non denigrabis famam alicuius, *nec coram cæco ponas offendiculum.* Quod MORALITER intelligendo tunc fit, quando superior homines simplices, qui quasi sunt cæci, & sine lumine rationis, malis suis exemplis scandalizat contra quod dicitur 10. q. 3. c. Cauendum. Hoc, inquit, summoperè obseruare debent Prælati, ne quem scandalizent aut grauẽt. Et ratio eius est: quia dicit Hieronymus 1. q. 1. c. Hi. Quicumq; scandali dant occasionem, sunt rei eorum qui peribunt scandalo. Vnde scandalum est dictum, vel factũ, vel signum, cuius occasione trahitur quis in consensum mortalis peccati.

Scandalum quid? & quando peccatum.

Ex quo patet quod scandalizare proximum est offendere proximum, prouocando eum in consensum mortalis peccati, occasione dicti vel facti minus recti,

vel cuiuscumq; exterioris signi, vt dicit Raimundus. Et idem ponit talem distinctionem, in qua planius liquet, in quibus casibus scandalum sit peccatum, & in quibus non. Quia aut ipsum dictum, vel signum, cuius occasione alij trahũtur ad peccatum, est malum in se, aut bonum, aut indifferens. In *primo* enim omninò fugiendum est scandalum. In *secundo* casu, scilicet quando in se bonum est quod fit, tamen alijs est occasio peccandi, si huiusmodi bonum est tale, quo omisso non esset proximi salus; puta quia credit in Deum, vel piè credit Deum, non debet omittere illud propter scandala. Quæ autem sine peccato mortali committi possunt pariter & dimitti; est pro scandalo tollendo cessandum. Glossa, vt loqui aliquando, vel non loqui, comedere carnes vel ab eis abstinere. In *tertio* casu videtur secundum prædicta omninò esse cessandum propter scandalum vitandum. Consequenter prohibet Dominus superioribus ne noceant per iniustitiam, & hoc fit tripliciter.

Peccant superiores cõtra iustitiam.

I. PRIMO, si iniustam causam ducunt, quod prohibet Dominus cum dicit: *Non facias*, scilicet in iudicio, *quod iniquum est*, & hoc fit dupliciter. *Vno modo*, quando reos absoluunt, faciunt, quod non debent facere, quia si iudex furem absoluit, & liberum dimittit, pro se fur est censendus C. de pœna iudicis, qui malè iudicet L. vlt. *Alio modo*, si innocentes condemnat, quod etiam non debet fieri, quia non excusantur iudices, nisi totis viribus liberare studeant innocentes.

Legimus Matth. 27. quod Pilatus multipliciter egit ad liberationem innocentis
1. Christi. *Primo* comparauit latronem iusto. *Quem vultis*, inquit, *dimittam vobis, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus?* quasi diceret. Necesse habetis dimitti Christum, quasi innocentem. Item, cum quæreret à Iudæis. *Quid enim mali fecit?* Et, *Quid faciam de Iesu qui dicitur Christus?* Item, quando lauit manus suas coram omni populo, & dixit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis*: & quando eum flagellari fecit, & mandauit. Quod ideo secundum Rabanum fecisse dicitur & creditur, vt Iudæi pœnis, & opprobrijs eius satiati, desisterent ab instantia mortis Christi: Sed his omnibus non obstantibus, non excusatur Pilatus, quia sciebat eum innocentem, & *quod per inuidiam tradidissent eum*. Hoc tamen non obstante, illud verbum conclusit Pilatum; *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*. Vnde audito hoc verbo, *adiudicauit fieri petitionem Iudæorum de Christo*, Ioan. 19. Ecce peruertit hic Pilatus iustum iudicium, & innocentem condemnauit propter timorem.

Cur Pilatus à Christi morte non excusetur.

Pro quo SCIENDVM quod quatuor modis peruertitur iudicium humanum, vt dicit Greg. 2. q. 3. c. *Timore*, dum metu alicuius potestatis loqui pertimescimus; *Cupiditate*, dum præmio animum alicuius corrumpimus; *Odio*, dum contra quemlibet aduersarium molimur. *Amore*, dum amico vel proximo contendimus præstare auxilium. *Primum* auertit Pilatum, ne innocentem dimitteret Christum.

Iudicium humanum quatuor modis peruertitur.

II. SECVNDO, si modum debitum omittunt, quod prohibet Dominus, dicens: *Nec iniustè iudicabis*, scilicet modum debitum omittendo, & iuris ordinem non seruando. Vbi NOTA, dicitur Extra, de sentent. & re iudicata in nouellis Innocentij c. Cum æterni. Si iudex Ecclesiasticus ordinarius vel delegatus, contra conscientiam & iustitiam in grauamen partis in iudicio alterius quicquam fecerit, per gratiam vel sortes; ab executione officij per annum nouerit se suspensum, ad æstimationem litis, parti quam læserit nihilominus condemnandus. Et si durante suspensione, ingerit se diuinis, irregularis est, & cum eo solus Papa dispensat. Hæc Innocentius.

Iudex

Iudex etiam qui non vult iudicare, & propter hoc aliquis amittit ius ſuum, tenetur ſibi reſtituere coram litis æſtimatione, ei qui propter hoc læſus eſt, niſi poſſit inducere illum, pro quo iudicauit iniuſtè, ad ſatisfactionem parti læſæ. Probatur hoc 23. q. 2. c. Dominus & q. 5. Adminiſtratores. & in Authent. vt diffic. iudic. §. penult. Et iſtud intelligitur de iudice ordinario, vel delegato, vel ſponte ſe ingerente, vel acceptante gratis delegationem ſuam. Si verò aliquis iuris ignarus foret compulſus ad iudicandum, & peteret conſilium à Iuriſperitis, & apponeret diligentiam quam poſſet ad bene iudicandum; talis licet ſi ferret iniquam ſententiam, non tenetur ad reſtitutione; ſed ſi fuerit negligens in petendo à iuriſperitis, cum eos habuiſſe poſſet, tenetur, vt dicit Robertus lect. 77.

TERTIO cum perſonas accipiunt, contra quos dicitur. Deut. 1. *Ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam: quia iudicium Dei eſt* quod etiam inhibet hic: *Non, conſiderabis perſonam pauperis, nec honores potentis, vultum. Iuſte iudica proximo tuo.* Vnde quod iudex iuſte iudicet hæc tria obtineat quæ docet Robertus vbi ſuprà. Exquiſitam cauſæ diſcuſſionem, facilis credulitatis excluſionem; deliberatæ ſententiæ prolationem: De primo & ſecundo Iob. 29. *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam.* Super quo dicit Greg. 9. moral. cap 16. Maiora crimina tardè credenda ſunt, cum audiuntur, & citius punienda cum veraciter cognoſcuntur. Facilitas enim credulitatis peruerſum facit dare iudicium, ſicut de Putiphare principe militum Pharaonis, Geneſ. 39. Qui nimis credulus verbis coniugis, innocentem Ioſeph carceri mancipauit. De forma, cauſas diſcutiendi in iudicio; exemplum habemus de Domino Deo noſtro, qui cum omnia nouerit, dixit tamen Geneſ. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Quod exponens Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica dicit. Hoc exemplum Chriſtus Ieſus reliquit nobis quaſi diceret: Mala hominum non ante credatis quam probetis. Indè eſt quod iudex crimen ſibi ſoli notum punire non poteſt.

O Officium iuſti iudicis. Leuit. 19.

Et dicit NOTANTER 2. q. 7. c. Iudicet. Iudex non iudicet, nec debet iudicare ſecundum ſuam priuatam conſcientiam, quam eportat de domo, ſed ſecundum iura allegata & probata coram ipſo, cum ſedeat pro tribunali. Ad illud habemus exemplum Ioan. 8. quomodo diligenter Dominus diſcuſſit cauſam mulieris, quam Scribę & Phariſæi de adulterio accuſabant. *Inclinans enim ſe deorſum digito ſcribebat in terrā.* Et rurſum erigens ſe dicit eis: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primum in eam lapidem &c.* ſcribebat enim in terra. Ecce quàm iuſtus fuit antequam ſententiare voluit, & quàm diligenter cauſam mulieris diſcuſſit. Quid autem ſcribebat, ex Sacra ſcriptura expreſſum non habemus. Dicunt quidam quod illud ſcripſit quod eis reſpondit. *Qui ſine peccato eſt veſtrum &c.* Gloſſa dicit: quod ſcribebat peccata, eorum, vt quilibet legeret ſua. Dicit enim Ambroſius, & eſt ibi in Gloſſa interlin. quod ſcripſit; Terra terra abſorbe viros hos addicatos morti. Hieronymus verò in quadam Epiſtola ad Hyrenæum, videtur velle quod ſcripſit ſic: Terra terram accuſat. In his enim exemplis Chriſti, patet doctrina omnium trium prædictorum, ſine quibus iudicium iuſtē eſſe non poteſt.

An Iudex teneatur iudicare ſecundum priuatā conſcientiā.

Præcepta negatiua.

Deinde ponit præcepta negatiua ordinantia, mediocres aut pares. Et primo prohibet ineptam diffamationem, quæ secundum Thomam 2. 2. q. 83. potest fieri dupliciter: scilicet, directè vel indirectè. *Directe* quidē, quadrupliciter. *Primo*, quando quis falsum alteri imponit. *Secundo*, quando peccatum verbis suis adauget. *Tertio*, quando occultum reuelat verbis communibus, cantilenis, signis, siue etiā scriptis, quæ appellantur libelli famosi, de quibus suprà Dominica II. post Epiphaniam. N. M. *Quarto*, quando illud, quod est bonum, dicit mala intentione esse factum. *Indirectè* verò dicitur, vel negando bonum alterius, vel malitiosè recitando. Contra quos dicit. *Non sis criminator*, id est, criminum falsus impositor, modo, quo suprà. Secundum quod prohibet secretam murmurationem. *Non*, inquit, *eris susurro in populis*, id est murmurator vel occultus detractor.

Murmuratio contra Deum.

Vnde NOTA, quod quidam murmurant, quod Deus non tribuit eis temperiem & tempestates secundum eorum voluntates, & malè faciunt contra semetipsos, vt dicit Robertus lect. 9. Quia impediunt propriam tranquillitatem & pacem, non conformando se diuinæ voluntati, immò si sic esset, vt ipsi vellent, mundus totus periret; quia talis temperies, qualem vnus homo vellet pro oleribus suis vel per agro suo, displiceret & noceret proximo, immo sibi displiceret & noceret: postea, quia nescit homo, quid sibi vel suis expedit; De quo quære exemplum supra Feria secunda post inuocauit T. Q.

Fabula de Phaëtonte.

De hoc ponit fabulam Ouidius lib. 2. Metam. de Phaëton qui fuit filius Phœbi. Sed quia de hoc dubitabat, petijt quod pater aliquid daret sibi, quo homines certificarentur super hoc. Pater iussit vt peteret & quicquid ab eo peteret impetraret. Petijt igitur quod possit regere currum Solis. Rexit igitur puer iste nesciens & inexpertus, & aliquando duxit Solem ita procul à terra, quod omnia per frigus congelabantur: aliquando ita propè terram, quod omnia comburebantur, propter quod à Ioue fulminatus interijt. Ita contingit istis fatuis & præsumptuosis, qui de diuina gubernatione murmurant. Si enim secundum eos fieret gubernatio tota mundi machina solueretur.

Et NOTA in hoc quod dicitur hic de murmuratione contra Deum ex aëris intemperie, non tangit solum cultores agrorum sed omnes, qui murmurant de tempore opposito, sicut viatores seu nauigantes, siue quicumq; alij. Et certe est magna fatuitas quia nihil prodest, iuxta illud Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest*, sed frequenter punctionem grauissimam prouocant contra ipsos.

Fabulæ & historiæ narrant de Gaio Cæsare, sicut refert Seneca lib. primo de ira in fine, & Suetonius lib. 7. de vita illustrium virorum, quod ordinauit facere solenissimum festum nobilibus suis. Contigit ergò ipso die festi: tonitrua: fulmina, coruscationes, & pluuias maximas fieri. Rex fatus indignatus, indixit bellum contra Iouem & iussit balistarios & sagittarios & magistros machinarum suarum iacere sagittas & tela contra Iouem. Isti fatui obedientes suo principi, sagittauerunt tela miseruntque contra cœlum, quæ omnia econtra super populum descendentia, maximam partem populi peremerunt.

Reuera etiam sic est de istis, qui murmurant de diuinis dispositionibus, iaciunt verba impatientiæ contra Deum, quæ ei nocere non possunt, sed præcisè in damnum proprium retorquentur. Sic murmurauerunt filij Israel in deserto contra Dominum,

minum; & perierunt, nec intrare potuerunt terram promissionis. De hoc Num. 14. *Omnes qui murmurastis contra me non intrabitis terram; super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem praeter Caleb filium Iephone & Iosue filium Nun.* Et 1. Cor. 10. dicitur nobis signanter *Neq; murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

SECVNDO quidam murmurant contra Deum pro eo quòd prosperitatem & aduersitatem non distribuit in vita præsenti, iuxta merita & demerita personarum. Et hæc causa est, propter quam plerique dixerunt, mundum istum non regi à Deo. Iuxta illud Claudiani in prima margine in principio:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem.
Curarent superi terras, aut nullus inesset.

Rector, & incerto fluerent mortalia casu. Et Boëtius de consolat. lib. 1. met. 5.

Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus,
Meritò rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna:
At peruersi resident celso
Mores solio, sanctáq; calcant
Iniusta vice colla nocentes.

Vbi dicit Glossa: Boëtius vidit in mundo iustos deprimi, & malos extolli, & similiter bonos tristari, malos autem lætari, cum potius deberet fieri econuerso. Ideo sibi videbatur, quod actus & operationes hominum, non regerentur à Deo sed magis à fortuna. Idem lib. 4. prosa. 5. Cur hæc scilicet tormenta viceuersa mutentur, scelerumq; supplicia bonos premant, præmia virtutum mali rapiant, vehementer admiror, quæque, tam iniustæ confusionis ratio videatur ex te scire desidero. Minus enim mirarer, si misceri, id est regi, omnia fortuitis casibus crederem. Nunc stuporem meum Deus rector exaggerat, qui cùm sæpè bonis iucunda, malis aspera, contraq; bonis dura tribuat, malis optata concedat: nisi causa deprehenditur, quid est quod à fortuitis casibus differre videatur? quasi diceret, nihil.

Non autem solum Gentiles philosophi, sed & sancti Dei prophetæ, videntur de hoc murmurasse vel potius admirantes exclamasse. Iob. 21. *Quare impij viuunt sublimati, & confortati sunt diuitiis?* Et Ierem. 12. *Quare via impiorum prosperatur.* Sed causam ponit Gregorius lib. 2. moral. c. 4. super illud Iob. 21. *Nunquid non est peratio iniquo* Iniustus, inquit, ad debitam mortē currens effrenatus voluptatibus, quia & vituli, qui mactandi sunt in vberibus pascuis relinquuntur. Econtra, iustus à delectationibus transitoriæ iucunditatis restringitur, & nimirum tanquam vitulus ad laboris vsum ritè deputatus, sub iugo retinetur. Idem 6. moral. c. 5. dicit: Quod per amœna prata in carcerē peruenit, qui præsentis vitæ prosperis ad interitum tendit.

TERTIO, inueniuntur quidam mundiales murmurantes contra Deum, quando eos flagellat per tribulationē, vel infirmitatem: & hoc est fatuū, & irrationabile, cum frequenter infirmitas est vtilior homini, quàm sanitas. Vnde in Vitispatrum legitur, cum quidam peteret liberari à tertiana febri, Ioannes Eremita respondit. Tibi rem necess- Q Murmuratores mundiales.

necessariam cupis abijcere. Dicit enim Aristot. 3. Topic. Illud, quod est effectiuum beatitudinis, est magis eligendum, quàm sanitas. Quia dicitur Eccles. 31. *Infirmitas grauis sobriam facit animam.* Flagella Dei, tribulationes & tædia, faciunt nos fugere ad Deum.

Et ideo considerandum est, quod Pater noster, qui verberat nos & se nobis dedit hereditatem patienter debemus sustinere, quicquid nobis irrogat. Vnde Gregorius 6. moral. cap. 3. dicit, quod tunc murmurantes prosperitatem despiciunt, cum malum exitum eius cernunt, sed perfecti econtrario: Vnde tunc est prosperitas cedens pensanda, quando nihil fit, quod aliquem supra quoscumque successus extollat.

Narrat Seneca lib. 6. declamationum ca. 1. quod quidam abdicauit filium suum; ad quem frater suus accessit rogans, quod nullo modo patri durè responderet & abdicationem patris tacitè sustineret. Sub quo pacto chirographum dedit promittens, se daturum sibi dimidiam partem hæreditatis suæ. Ille tacuit & filius abdicatur. Tunc in determinatione facta super casum, frater ille gratus dedit germano suo fidem in omni fortuna eum sequi velle; & si dixit, militandum est, vnà militabimus; si peregrinandum est, vna per orbem peregrinemur; Si quotidianam rogauero stipem, & illam tecum dimidiabo.

MORALITER. Magister ille Christus est, qui, vt ait, Apostolus ad Heb. 2. *non confunditur*, id est non erubescit eos, scilicet fideles, fratres vocare, dicens Psalm. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et Ioan. 20. *Vade,* inquit, *dic fratribus meis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Sed pater noster est Deus Pater, de quo Deut. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus?* quasi diceret, sic. Iste pater vnumquemq; de nobis abdicat, toties quoties eum aduersitate flagellat. Dicit igitur frater Christus sustineas patienter, & nihil durè patri tuo respondeas, & dabo tibi hereditatis meæ dimidietatem, & simul in omni fortuna tecum stabo, non te deseram, nec dimittam, dummodò hoc vnum mihi credas, quod patri non remurmures. Vnde Gregorius 5. moral. c. 21. Qui in pœnis murmurat, ferientis iustitiam accusat. Et dicit Arist. 8. Topico. quod proteruè respondere; est causa, quando frequenter non benè disputatur. Et Elench. 2. dicit: Si respondens arguit contra arguentem cum debet soluere, peccat contra leges benè respondendi.

Patientiæ præmium.

MORALITER. Disputatio doctrinalis est inter Deum & hominem, Deus autem opponit & arguit, iuxta illud Apocal. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Sed hominis est in ista disputatione respondere Iob. 13. *Disputare cum Deo cupio* sed quid habet respondere pater per illud Iob: *Non poterit respondere vnum pro mille*; Si ergò iste respondens proteruè contra arguentem & murmurando respondeat, reuera non benè disputabitur à parte sua. Sed si patienter sustineat, & gratias agat Deo disputatio benè finietur.

Pauperes murmurantes.

QVARTVM genus murmurantium contra Deum, sunt pauperes inuoluntarij, de quibus Psal. 58. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, murmurabant.* Sed nesciunt hi quod paupertas multos incitat ad vitam æternam consequendam. Iacob. 2. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni.* quasi diceret; vtique. Scholaris enim pauper, deficiens pecunijs & expensis suis, plus repetit repatriare, quàm ille, qui abundat: & peregrinus in terra extranea, defi-

Scholaris pauper.

deficientibus expensis, facit magnas dietas; & falco famelicus auidius volat ad prædam. Isto modo pauperes multi, qui sunt in ista vita, sicut scholares, quibus victualia deficiunt; sicut peregrini, qui expenses paruas habent, & sicut falco esuriunt, multò auidius desiderant cœlestem patriam, & versus eam peregrinantur, quàm diuites impinguati & abundantes in seculo.

Et est NOTANDVM, quod honor paupertatis, quam ita detestantur homines, procedit ex defectu fidei, quia non credunt Deum sufficienter subuenire istis, qui fiunt pauperes pro amore ipsius, & non aduertunt fatui, quod pater habens multos filios, plus de illo sollicitatur, qui minus potest seipsum iuuare, & cui nondum prouisum est, vnde possit viuere, & quod pater plus sollicitatur circa filium vnum infirmum, quàm circa decem sanos. Ita etiam Deus circa pauperes magis sollicitatur, quàm facit circa diuites. Ideo dicit Dauid Psal. 108. *Ego verò egenus sum & pauper, & Dominus sollicitus est mei.* R

Deus pro pauperibus sollicitus.

TERTIO, prohibet iniustam accusationem, cum dicit: *Non stabis contra sanguinem proximi.* Glossa, iniustè ipsum ad mortem accusando. quia dicitur. Extra de accusatione, Accusans ex malitia, si mors sequatur, debet grauem pœnam sustinere & pœnitentiam, scilicet quadraginta diebus in pane & aqua quod Carena vocatur, cum septem sequentibus annis, id est, quolibet anno certis ferijs, & non in pane & aqua, sed ad arbitrium sacerdotis. Et intelligitur nisi illa accusatio fieret pro pace seruanda, licitum enim est accusare, alium, vt boni quietè viuant, vt patet 23. q. 5. c. Non frustra. Qui enim mendosè accusat & reum superare non valet, vt iuris est, debet pœnam rei sustinere c. de calumnia L. Quisque. Et intellige hoc, si respondens est pœnaliter accusatus, & esset innocens: si autem respondens esset reus in causa, & actorem vincere sagacitate iuris vulgariter mit Behendigkeit præsumeret, pœnam corporalem actor non sustinebit, sed deponere debet cum statuto & Wargaldo, vt C. De oblationibus L. Fallaciter. Sed quia malitiosa accusatio procedit ex odiò ideo subdit: *Non oderis fratrem tuum*, quasi diceret, Omnis origo iniuriæ, quæ irrogatur proximo, verbo vel facto, est ex fratrum odio.

Carena.

QVARTO, prohibet vindictam seu vltionem cum dicit: *Non portes vltionem.* Vbi NOTA triplex est vltio vel vindicta. PRIMA nobis indicitur, tanquam per nos exercenda, & est *vindicta pœnitentiæ temporalis*, quam quilibet homo huius mundi libenter debet quærere & assumere de seipso. Si n. puer deberet verberari, mallet ab amico verberari, quàm ab hoste. Quilibet enim nostrum meretur pro peccato verberari. Vnde *seruus sciens voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis.* Lucæ 17. Et ideo oportet vt vapulemus hic, aut in purgatorio, aut in inferno, quod fiet per ministerium dæmonum, vt aliqui tenent: licet in dialogis suis Cæsarius dicat oppositum. Si verò hæc vapulatio vel pœnitentia fiat in præsenti vita; fiet ab amico: eò, quod vnusquisque maximus est amicus sibiipsi, sicut dicitur 9. Ethicorum, ideò hæc vltio pœnitentiæ temporalis, est à nobis hic exercenda & quærenda. Sed legimus in scriptura veteris Testamenti, quod patres antiqui in suis pœnitentijs quatuor fecerunt, caput tondebant, barbam radebant, saccum induebant, in cinere sedebant, sicut innuitur in Glossa Isa. 22. *Vocabit Deus exercituum in die illa ad fletum, ad planctum & ad caluicium.* Sic MORALITER conuenit nos facere pœnitentes.

Vindicta siue Vltio triplex.

I.

Holkot sup. lib. Sap. lect. 181.

I. Diligens conscientiæ discussio.

PRIMO, enim caput tondeamus. Per caput intelliguntur moraliter septem peccata mortalia, iuxta illud Apocal. 13. *Vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem.* Hæc enim bestia est diabolus, qui habet septem capita septem peccatorum mortalium, quæ tondere debemus per diligentem discussionem, *recogitando omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ*. Isa. 38.

II. Nouacula confessionis.

SECVNDO, radamus barbam nostram nouacula mundæ confessionis. Dicit enim B. Augustinus super *Beati immaculati*. Cessat vindicta diuina, si confessio præcurrat humana. Ideo consulit Dauid in Psal. 94. *Præoccupemus*, id est, præueniamus *faciem eius in confessione*.

III. Satisfactionis austeritas.

TERTIO, saccum induamus per austeritatem satisfactionis, sicut fecit rex Niniuæ, Ionæ 3. *Qui abiecit vestimenta sua ab se, & indutus est sacco.*

IV. Memoria mortis.

QVARTO, in cinere sedeamus per memoriam mortis corporis nostri, quod in cinerem resoluetur, quia dicitur Sap. 2. *Extinctus erit cinis, corpus nostrum.* Iste cinis impedit, ne coruus infernalis nidificet in mente nostra. Et si interdum nidificat ibi, valet tamen ad hoc, ne pullos malæ operationis producat.

Refert Arist. lib. de animalibus, si volueris facere, vt coruus postquam nidificauerit in arbore, nunquam ex ouis pullos possit producere, ponas cineres vitri inter arborem & corticem, & quamdiu ibi cineres fuerint, nunquam pullos producet. Idem dicit Albertus in libro suo de vegatibilibus.

Holkot sup. lib. Sap. lect. 16.

MORALITER. Coruus est diabolus, & potest exponi de ipso iste Theodoti versus:

Coruum perfidia damnant animalia quæq.:

Sed homo naturaliter est arbor, secundum quod dicit Dominus, Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit.* Et idem c. 8. *Video homines vt arbores.* In istis arboribus diabolus per tentationem nititur nidificare, oua ponere, & tandem pullos procreare. Nidum facit de ramunculis diuersarum cogitationum, oua ponit de munusculis diuersarum delectationum, pullos producit per consensum malarum operationum. Si igitur volumus istum coruum impedire, vt si nidum fecerit per aduenticias cogitationes, & si oua sua posuerit per surreptitias delectationes, ne producat pullos per assensiuam electionem, accipiamus cinerem vitro. Vitrum n. quod fragile est, diuersorum colorum reperitur, caro nostra est: Cinis huius vitri, est memoria mortis, vel status, quem caro habebit post mortem, quæ erit cinis. Iuxta illud: *Memento quod cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et Iob 13. *Memoria nostra comparabitur cineri.* Ponamus igitur cinerem istum sub cortice, id est, sub nostra exteriori conuersatione. Per priuatas & occultas meditationes mortis, infallibiliter nunquam consentiemus suggestionibus diaboli, per cogitationes & delectationes conceptas, & hoc est quod dicitur Eccl. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et Hieronymus ad Cyprianum: Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui enim se moriturum recordatur, contemnit præsentia, & ad futurum festinat.

Tentationi nidus diaboli.

Cinis vitri, memoria mortis.

Facile despicit præsentia, qui se moriturum cogitat.

Ex his dictis patet, quod cinis cogitatæ mortis. *Primo*, fugat peccata, & tentationem.
1.
Secundo, cinis iste conseruat deuotionem & dilectionem. Ignis enim cinere
2.
coopertus optimè conseruatur, & maximè in cineribus Iuniperi. Dicit Isidorus 7. Etymol. cap. 7. quod Iuniperus arbor sic vocatur, quasi gignens pyr, id est, ignem, quæ ignem conceptum adeò conseruat, quod prunæ eius si ex eius cineribus sint copertæ vsque ad annum perdurant, Iuniperus igitur, quasi gignens pyr, id est, ignem, debet

debet esse homo moraliter, qui ignẽ feruentis & deuotę dilectionis, in altũ sui cordis iugiter conseruare tenetur, secundum illud Leuit. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit.*

Si igitur istum ignem dilectionis Dei per totum annum vitæ nostræ seruare volumus, cineribus, scilicet memoria mortis nostræ, cooperire debemus, quia in mentibus sanctorum iugis debet esse memoria mortis, cum pœnitentiæ deuotione, & reprehensione suorum vitiorum Exemplo Iob, qui dicebat: *Memetipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere* Cap. 42. Ignis dilectionis quomodo conseruandus.

Tertio, cinis iste ornat orationem. Quantò n. pauper se humiliat, & necessitates suas declarat, tantò facilius impetrat, quod implorat; sic suo modo nos, quantò humilius coram Deo fragilitatem nostram fatemur, tantò facilius exaudiemur. Exemplum enim habemus de Abraham Genes. 18. qui Domino supplicare proponens, præmisit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis & puluis.* In huius figuram Iudæi Deum orare volentes, cineribus capita asperserunt, sicut in multis scripturæ locis dicitur. Hæc est *Prima* vltio temporalis pœnitentiæ, quam debet homo continuè exercere. Quia dicit Augustinus de vera & falsa pœnitentia, cap. 8. & habetur de pœnitentia dist. 3. Pœnitentia, est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. *Et infra.* Dolendum enim continuè de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim dicitur pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit in peccando. Idem allegat Magister in 4. dist. 14. 3. Pœnitentia, quid?

SECVNDA vltio est *maleuolentia mundialis*, quia homo passus iniuriam, nec potest remittere proximo, nec vltionem committere Deo, sed semper vult seipsum omninò vindicare, quod tamen est iniustum tàm secundum iura humana, quàm diuina: quia nullus bonus iudex durante offensa, potest per se iudicare reum, vt suprà Dominica Lætare sermon. 1. V. Q. Hanc igitur iniuriæ vltionem prohibet sui cum dicit. Non quæras vltionem, &c. II.

TERTIA vindicta, quæ nobis prædicitur, sicut continuè prouidenda, est *extremum iudicium.* Vnde Gregorius 39. moral. Præsentis temporis ita agenda est lætitia, vt nunquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria. Et Hugo lib. 1. de anima dicit. Quis putas memor erit, quæ tristitia, cum separabuntur impij à consortio sanctorum, & à visione Dei, & traditi in potestatem dæmonum, ibunt cum ipsis in ignem æternum? ibiq; semper erunt sine fine, in luctu & miseria, *vbi erit fletus & stridor dentium* intollerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis: mors corporis & animæ, sine spe veniæ & misericordiæ, vbi nec qui torquet, nec qui torquetur, aliquando morietur; sed sic morientur, vt semper viuant, sic viuunt, vt semper moriantur. Hæc ille. De hac vindicta dicit Sapiens Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcit in die vindictæ, nec quiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima; & tunc erit vindex orbis iustorum.* Sap. 6. III. Matth. 25.

DE EADEM FERIA QVARTA,

Sermo Secundus.

Ex Euangelio.

Facta sunt Encænia Hierosolymis & hyems erat. Ioan. 10.

DICIT Aristoteles de animalibus, quod tota naturta luporum, naturæ ouium aduersatur. Et dicit se legisse in vno libro, quod chorda facta de intestinis lupi, adiuncta chordis citharæ factis de intestinis ouis, eas destruxit, & rupit; Si pluma aquilæ adiuncta plumis columbæ, eas excoriat & corrodit, si diu in vno loco mittantur. Idem dicit Plinius in speculo naturali.

S
Christus cur oui similis.
I.
SPIRITVALITER. Christus assimulatur oui propter tria. PRIMO propter *obedientiam*. Sicut enim ouis audit vocem pastoris, & ei obedit, sic etiam Christus obediuit patri suo, vsque ad mortem Crucis, vt dicit Apostolus ad Phil. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

II.
SECVNDO propter *innocentiam*. Sicut enim ouis est animal innocens, nullum scilicet nocumentum inferens, sic Christus tàm puræ vitæ fuit, quod benè omnium innocentissimus prædicari potuit; quia nullum peccatum penitus, nec dolus in ore eius inuentus est. Isa. 53. & 1. Petri 2. Ideo exponitur de ipso illud Psalm. 23. *Innocens manibus & mundo corde.*

III.
Isaiæ 53.
Lupi, fallaces Iudæi.
TERTIO propter *patientiam*. Sicut enim ouis dum læditur, non clamat: nec Christus, quia *tanquam ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum.* Ideo dicit Ierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Sed per lupos intellige fallaces Iudæos, qui intrinsecus fuerunt, vt lupi rapaces. Matt. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Nam ipsorum natura, semper fuit Christo patientissimæ oui contraria, ideo dixerunt, Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Et hanc contrarietatem ostenderunt in præsenti Euangelio, cum ad lapides cucurrerũt & Christum lapidare voluerunt: In quo principaliter tria tanguntur ad sensum moralem. *Primo* animarum innouatio, ibi; *Facta sunt Encœnia. Secundo*, perfidorum adulatio, ibi; *Si tu es Christus, dic nobis. Tertio*, adulantium reprobatio, ibi; *Loquar vobis.*

T
Pax triplex.
1.
Quantum ad PRIMVM, tangitur animarum innouatio, ibi; *Facta sunt Encœnia Hierosolymis.* Pro quo NOTANDVM. MORALITER per Hierosolymã, quæ interpretatur visio pacis, vel pacifica, intelligitur quilibet homo fidelis, qui benè potest dici visio pacis, quia triplicem pacem debet videre, & præ oculis semper habere. *Prima* est pax *temporis*, pro qua petiuit ille 3. Reg. 19. *Sit tantũ pax & veritas in diebus meis.* Hæc pax datur solum illis, qui seruant mandata Dei. Iuxta illud Isa. 47. *Vtinã attendisses ad mandata, facta fuisset quasi flumen pax tua.* Cui concordat Baruch. 3. *Si in via Dñi ambulasses, habitasses vtiq; in pace super terram.* De hoc dicit B. August. lib. 19. de ciuit. Dei. Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atq; mortalibus, nihil gratius solet audiri, vel desiderabilibus cõcupisci, vel postremò melius possit inueniri.

2.
Secunda est pax *pectoris*. De qua dicit Ioan. 14. *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Psalm. 121. *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, &c.* & 2. Machab. 1. *Adaperiat Dominus cor vestrũ in lege sua, & faciat pacẽ.*

3.
Tertia est pax *æternitatis*, de qua Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Et Iere. 29. *Quærite pacem ciuitatis*, scilicet supernæ.

Homo fidelis est Hierusalem.
In istà quidem Hierusalem, scilicet in homine fideli, est templum vel domus conscientiæ, quæ debet habere multa antequam in ea Encœnia celebrantur. PRIMO igitur in ea debet haberi solidum fundamentum, & hoc fundamentum vno modo est solida doctrina. Iuxta illud Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit*

& facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram. Petra autem est doctrina Christi Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Super istam petram, id est, Christi doctrinam, quæ velut petra est, debet conscientia cuiuslibet ædificari: & hæc ædificatio debet fieri in septem annis, quia legitur 3. Regum 6. *Quòd Salomon perfectè impleuit domum Domini in omni opere suo, & vtensilibus in septem annis.* Et quid in septem annis, nisi vniuersum tempus vitæ, designatur, in qua domus conscientiæ cuiuslibet hominis est solidè ædificanda. Vnde summè cauendum, nè ista domus sit erroneè ædificata, vel fundata, vel nimis largè vel nimis strictè. Quia omne, quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, vt habetur 27. quæstion. 1. c. Omnis. *Alio modo* domus conscientiæ est charitas, dicit enim Palladius, Fundamentum consueuit poni tripliciter, aut in petra, aut in argilla solida, aut in fluxibili terra.

Septem anni, tempus totius vitæ.

Fundamentum triplex.

MORALITER in his tribus designantur tria obiecta charitatis. Tria enim, vt dicitur, in libro similitudinum cap. 7. sunt ex charitate diligenda. *Primum* est Deus qui signatur in petra. *Secundum* est spiritus siue sit angelicus siue humanus, qui in argilla solida denotatur. *Tertium* est corpus siue proximum, siue proprium, & hoc in terra fluxibili designatur. Et dicit Palladius. Si fundamentũ ponitur in petra, forma fundamenti sculpi debet vnius pedis altitudine, vel duorum.

In petra.

Argilla.

Terra fluxibili.

MORALITER. Vnius quidem pedis altitudo est charitas, qua Deus diligitur videlicet propter seipsum hoc est enim de ratione veræ amicitiæ, vt vnitus sui gratia diligatur: & ideò ille, qui dominum mercedis intuitu diligit, verus amicus non est, potest tamen ipsa Dei dilectio adhuc alterum pedem, id est, alium respectum habere, scilicet ad mercedem, id est, ad beatitudinem creatam, quam ab ipso Deo habemus: non itaque ipsa sit finis amati, id est, ita, quod ipse Deus propter illam finaliter ametur, ex eo quod hoc esset, vt dictum est, non verè Deum diligere; sed vt ipsa beatitudo ex parte amantis, sit finis amoris & cuiuslibet virtuosæ operationis. *Subdit Palladius:* Si fundamentũ ponitur in solida argilla vel in stricta, tunc debet habere quintam vel sextam partem altitudinis eius, quæ super terram scilicet in parietibus est futura, per hoc mirabiliter designatur, quod charitas, qua proximi spiritum vel nostrum diligimus, debet habere quinque vel sex gradus altitudinis, id est perfectionis.

Gradus perfectionis.

PRIMVS gradus, vt diligamus verè. Tunc autem verè diligimus aliquem, quando amamus eum ad bonum suiipsius, & non ad vtilitatem nostram. Quia 1. Cor. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Vnde tunc aliquis verè diligit animam proximi sui, vel suam, quando diligit eam ad salutem eius. Hoc modo Apostolus proximos suos secundum spiritum diligebat, quando dicebat 1. Cor. 10. *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est sed quod multis vt salui fiant.* I.

SECVNDVS gradus altitudinis huius fundamenti est, vt diligamus rectè. Quod tum fit, quando maius bonum minori bono præponimus, puto, vt magis diligamus animam, quàm corpus, & magis spiritualia, quam corporalia. Quia spiritus excedit carnem, vt dicitur dist. 10. c. Suscipitis. Et anima præfertur corpori, 12. q. 1. c. Præcipimus, & Extra de maio. & obe. c. solidè. II.

TERTIVS gradus, vt diligamus sanctè; id est in ordine ad Deum & propter Deũ. Et ideo debemus odio habere in anima nostra vel proximi, quicquid repugnat Deo, III.

pata peccata, & cogitationes, & delectationes peccatorum. Et sic dicit Dauid Psal. 118. *Iniquitatem odio habui*. Et 86. dist. c. Odio, sic dicitur: Odio habeantur peccata, non homines corripiantur timidi, tollantur infirmi.

IV. QVARTVS gradus est, vt diligamus operosè, iuxta illud Ioan. 3. *Filioli non diligamus verbo* scilicet *tantum sed opere & veritate*. Quia secundum Greg. in quadam homilia, Signum dilectionis, exhibitio est operis.

V. QVINTVS gradus, vt diligamus, est, vt diligamus perfectè scilicet non tantum amici animam, sed etiam inimici ad salutem. Quia dicit Christus Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*: Et postea concludit. *Estote pacifici* quasi diceret; Diligere inimicos, & speciales affectus habere ad ipsos, & pro eis specialiter orare, perfectionis opus est.

Orare pro inimicis opus perfectionis.

Si autem huic fundamento charitatis, quod debet esse pro ædificatione domus conscientiæ, dare volumus sex partes altitudinis, tunc per sex gradus accipiuntur sex eleemosynæ spirituales, quibus proximi spiritum diligere debemus, & eius animæ subuenire, quæ in hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Debemus enim eis consulere in dubijs, & delinquentes eos castigare, mœstos consolari, offensas remittere, eos supportare, & pro eis orare: quæ omnia ad altitudinem pertinent charitatis.

Si autem fundamentum ponitur in terra fluxibili, dicit Palladius, quod debemus tantum fodere quousque inueniatur terra munda sine sterquilinio; & si argilla non inuenitur, tunc sufficit inuenisse quartam partem altitudinis, quæ futura est super terram. Et hoc MORALITER patet, quod charitas, qua corpus nostrum vel proximi diligimus, debet esse munda à sterquilinio, id est, ab amore carnali, id est, vt non sit dilectio carnalis, sed spiritualis, videlicet quod carnem non carnaliter sed spiritualiter diligamus, & sic bonum fundamentum conscientiæ ponemus. Quia dicit sanctus Ephrem in suis institutis: Nullus perfectus est animæ amator, qui amat pulchritudinem carnis, Sapiens vir non corporis decorem desiderat, sed animæ; insipiens autem in carnalibus oblectatur ornamentis; Christus non corporis, sed animæ pulchritudine delectatur. Hæc ille. Deinde posito fundamento domus conscientiæ, quatuor parietes eriguntur, & significant quatuor ordines dilectionis, qui habentur supra Dominica tertia post Epiphaniæ serm. 1. O. L.

Quatuor parietes domus.

V

1. Vel alio modo *primus* paries significat dilectionem, qua diligitur corpus proximi magis, quam aliæ res corporales exteriores.

2. *Secundus* paries, vt magis diligamus corpus proximi, quàm nostrum. Nam etiam quidam Gentiles, sine spe vitæ æternæ, pro amore amicorum morti se exposuerunt, sicut de Codro rege Atheniensium, de quo Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei c. 9. Et Valerius lib. 5. c. 6. referunt, quod cum regna sua & ciuitates ingenti hostium bello debilitata essent, & humano auxilio diffideret, ad oraculum Apollinis Delphici confugit, ac per legatos sciscitatus est quomodo tam graue bellum discuti possit? Respondit Apollo, finem belli fore, si ipse hostium manu occubuisset. Quod, cum ad hostium castra peruenisset, ordinauerunt quod nullo modo Codrum regem Atheniensium occiderent. Videns autem Codrus, quod populus suus & ciuitas sua nullo modo pacem habere posset, nisi ipse manu hostili occumberet, deposuit regis insignia, & habitum pauperis induit, ac castra hostium ingressus, ibi quendam in pugnam prouocans, interfectus occubuit, sicq;

pro

pro suis corpus suum posuit & exposuit, propter quod & apud eos inter Deos deputatus fuit. *Tertius* paries, vt minus diligatur, corpus, quàm spiritus in ordine ad spiritum. 3.

IV. QVARTVS gradus est, vt ipsis parentibus etiam, quantum ad actum charitatis eleemosynam tribuamus, secundum debitum necessarium Secundum debitum quidem parentibus atque propinquis & benefactoribus & eis, à quibus spiritualia accepimus, debemus quando indigent, magis eleemosynam facere, quàm alijs, sicut docent nos varia exempla auium, de quibus supra Feria IV. Oculi 9. E. Secundum necessarium verò, quia ceteris paribus magis debemus dare melioribus, iuxta illud Eccl. 12. *Da misero cordi, & non suscipias peccatorem: da bono & non receperis peccatorē.* Ecce habemus fundamentum domus conscientiæ. SECVNDO vt innouetur, debet habere honestum ornamentum, sicut enim domus materialis imaginibus, picturis & vitris adornatur antequam dedicatio celebretur, sic domus conscientiæ debet esse depicta curiosè, & ornata artificialiter imaginibus virtutum, & exemplis virorum sanctorum, qui nos præcesserunt.

Parẽtes eleemosyna iuuandi.

Narrat August. li. 5. contra Iulianum, & lib. 2. Retractat. c. 57. Quod rex quidam Cypri deformis specie, thalamum suum siue cubiculum fecit depingi pulchris imaginibus, vt eorum aspectu vxor sua pareret pulcherrimam prolem. MORALITER. Rex iste est ratio; cubiculum memoria siue conscientia; Sensualitas est vxor. Et ideo si pulchram prolem, id est, bonas operationes habere volumus, domum conscientię imaginibus virtutum adornemus, vt dicere possimus cum Psal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ. &c.*

Domus quibus rebus ornanda.

X Et est NOTANDVM quod domus materialis per vitreas vulgariter Glaßfenster adornatur. *Mysticè* per vitreas, intellige animas, quia anima cuiuslibet hominis vitro comparatur vel similatur. PRIMO quia vitrum est summè perspicuum. Dicit enim Isidorus, quod in alijs vasis metallicis, quicquid imponitur visui occultatur, in vitro, quilibet liquor positus, qualis est intus, talis exterioribus oculis repræsentatur. 1. Talis perspicuitas fit in anima pœnitentis tunc, quando quicquid est intus in conscientia, extra per confessionem proponit iudicio sacerdotis. Propter quod dicit Dominus Lucæ 17. *Ite ostendite vos sacerdotibus.*

Cur anima vitro comparetur.

SECVNDO vitrum est summè ductile si est liquidum, vt ad flatum artificis in formas varias transformetur, sic anima debet fieri ductilis per obedientiam, vt ad flatum artificis, id est, instinctum, vel mandatum Dei, vel superioris sic, facilè moueatur. Quia dicitur. 2. q. 7. c. Sacerdotes & reliqui sacræ Ecclesiæ ministri, omnesque plebes, Episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire: etiam si ipsi aliter, quod absit, agint, nisi in fide errauerint. Et est Canon Clementis. Dicitur enim 19. distinct. c. Nulli, si Prælati sunt Heretici vel excommunicati, vel non seruant Canones, aut sunt Symoniaci, aut notorij fornicatores, tunc potest quis ab eis secedere, nec eis obedire. Sed vt habetur: 8. q. c. nonnè in alio crimine antè sententiam, non est ab eis recedendum. 2.

TERTIO vitrum non est reparabile, cum sit fractum, nisi fuerit liquefactũ, quamuis antiquitus aliqui dixerunt fuisse scientes vitrum fractum recuperare per malleationem. Vnde dicit Isidorus hoc esse factum, à quodam, coram Iulio Cæsare, vbi ipse artifex ciphum vitreum in terram proiecit, quem non ruptum, sed plicatum malleo emendauit, quem Cæsar decollare fecit, considerans, si tale vitrum recuperabile fabri- 3.

Alchimistæ. fabricaretur, omnium aliorum metallorum pretium perderetur. Et dicunt Alchimistæ, quod vitrum potest & hodie fieri malleabile & flexibile, si illud cum puluere Basilisci aspergatur, quando liquescit in fornace. Sed vtrum verum sit ignoro. Est tamen commune dictum, quod hodie vitrum non est recuperabile, nisi iterum liquefiat. Ita anima per peccatum fracta, non est recuperabilis ad gratiam, nisi liquefiat per pœnitentiam. Ideo dicitur de summa Trinit. & fide Cathol. c. Firmiter. Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum per veram pœnitentiam potest semper reparari.

4. QVARTO, quia vitrum omnium colorum est receptiuum, declinat enim ad omnem tincturã. Sic anima debet suscipere omnes colores virtutum, vt rubeum caritatis, album castitatis, nigrum humilitatis, & flaueum stabilitatis, & sic de alijs. Et si sic recipit colores virtutum, conscientiæ erit ornamentum. Sed (heu) quidam ita deturpant animam suam, vt quando in Quadragesima intrant domum conscientiæ, ibi inueniunt vermes, corruptiones, & fœtores veterum peccatorum, & domus conscientiæ incipit declinare ad mortem, iuxta illud Prou. 2. *Inclinata est domus eius vsq; ad mortem, & ad inferos semita eius.*

Dominus sæpe mundanda. TERTIO, vt domus conscientiæ innouetur, debet habere frequens expurgamentum per scopam confessionis, nec aliud remedium fugiendi peccata est, nisi quod à conscientia expellantur. Vnde Augustinus super Ioannem, homilia 41. Seruus quidem peccati, quo fugerit? se trahit secum quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia: non est quò eat, sequitur se primò, non recedit à se. Peccatum enim quod facit, intus est. Vis audire consilium? Sic. Vis à Deo fugere? ad ipsum fuge, confitendo non latendo. Confiteri potes, latere non potes. Hæc ille. Si enim homo fecerit secundum Augustini consilium, & confessus fuerit, peccata sua, purgans conscientiæ suæ domum, tunc sine dubio Christus in ea dedicationem celebrat, vt tunc homini illud competere videatur: *Facta sunt Encania Hierosolymis.*

Y Sed sunt nonnulli qui erubescunt, vel timent confiteri, & hoc facit diabolus. Diabolus inicit timorẽ confessionis Narrat enim Ouidius Metam. lib. 8. Et Isidorus 15. lib. Etymol. quod Dædalus fecit domum quandam, cum varijs vijs intra, & parietibus ita perplexis, quod nullus eam intrans exire potuit sine glomere fili, & illa domus vocabatur Labyrinthus, id est, labor intus; quia & ingrediendo, & egrediendo, maximus labor fuit. In illa domo inclusit Dædalus vnum monstrum, quod ex vna medietate fuit homo, ex alia medietate fuit bos, ea intentione, vt ibi in perpetuum pasceretur & nunquam exiret.

MORALITER. Dædalus ille figurat diabolum, qui cum percipit vnam personam aliquod peccatum monstruosum fecisse, format conscientiam talem, quasi domum Dædali, & abscondit peccatum, & fabricat sibi tot vias perplexas & parietes obsistentes, nunc de timore, nunc de pudore, nunc de negligentia, nunc de exspectatione, & dilatione confessionis, & ibi occultat illud monstrum, vt nullus Confessor possit intrare, nisi cum glomere fili. Oportet enim Confessorem euellere omnes interrogationes, spectantes ad peccatum, antequam valeat reus recognoscere illud, quod fecit. Confessarij officium. Sic fecit diabolus cum quadam muliere, cui peccatum quoddam quasi monstrum in conscientia inclusit, quod nulli vnquam confiteri voluit.

Refert

Refert Cæsarius in dialogo, quod erat quædam mulier conuersa, & honestæ conuersationis, quæ quamuis vestita seculari habitu, vitam quodammodo regularem duxit. Verumtamen in adolescentia flagitium commiserat, quod nulli ausa dicere fuit. præ pudore. Dum sacerdoti confiteretur, palliatum crimen sic inclusit: *De omnibus peccatis meis, quæ modo dixi & non dixi, reddo me coram Deo & te culpabilem*. Et frequenter, hoc dicens, suspirauit grauiter, & tota protinus in lacrymas soluebatur. Hoc igitur sacerdos considerans, callidè tentabat elicere crimen, quod latebat. Sed dum nihil hac sollicitudine proficeret, monuit, vt Priori vicini monasteri; Calacensis suam conscientiam reualeret. Et Sacerdos Priori, vt cautè eam inuestigaret persuasit, sed nec ille aliquid ab ea extorquere potuit. Ecce quam perplexè abscondit diabolus hoc monstruosum peccatum, quod de domo suæ conscientiæ nullus sacerdotum educere potuit. Solebat tamen illa quotidie coram altari, vel imagine B. Mariæ Virginis, prædictum peccatum cum fletibus aperire. Tandem cum sic mortua esset, & cum exequijs filia eius, quæ in remotiori vico erat, exspectaretur. Et illa tandem veniens, cum vlulatu & fletu sparsis crinibus amplexata corpus matris, clamaret; Heu mater cur me miseram deseris? ita, vt astantes ad lamenta conuerteret, statimque anima reuersa est, & mulier de somno vigilans, ait: Domino iubente reuixi, soluite velamina & surgam, quibus solutis, sacerdos vocatur, crimen aperit, quæ protinus se intercessione B. Virginis liberatam, testans cunctis ad hoc miraculum confluentibus; Ego à tortoribus tradita ad pœnam trahebar, sed B. Virgo Maria occurrens me ducentibus, cur suam ancillam perducere præsumerent, increpauit, & vt citò me dimitterent, donec à Domino daretur sententia, imperauit. Quo facto, accedens ad filium suum, dicens: Oro, fili mi, ne damnetur anima, quæ suum coram me reatum toties deplorauit: Cui Dominus. Nosti mater, quod sine confessione saluari nequeat, sed quia tibi nihil negare possum, reuertatur & confiteatur, & sic liberabitur. Mox missus Angelus ad me, qui me de omni exspectatione Spirituum eripuit, & ad corpus (sicut cernitis) reduxit. Facta ergò confessione reuertar. Quo dicto, signans se cruce, capite in feretro reclinato, spiritum è conuerso exhalauit. Idcircò probus homo Christianus non sic in confessionibus suis facit, sed omnia nudè & apertè pandit, vt dicere possit illud, 4. Reg. 20. *Omnia quæcunque sunt in domo mea viderunt, nihil est, quod non monstratum sit eis in thesauris meis, &c.*

Collector Speculi, ex libro de viris illustribus Ord. Cisterciensis.

Fœmina malè confessa, & mortua, B. Virgine intercedente, ad corpus rediJt.

FERIA SEXTA POST IVDICA.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ioan. 11.

Consuetudo hæc laudabilis est hactenus obseruata, cum aliquis, qui est constitutus rector ciuitatis, vel Proconsul, audierit aliqua negotia ardua, & communitati nociua instare, non illa consueuit per se terminare, sed missis nuntijs solet consiliarios vocare, & eis negotia propalare, vt illis audiris possint de instantibus communitati nociuis non sinistrè Z

iudicare, & in hoc valde benè facit, quia dicit Salomon, vnus de septem sapientissimis Græciæ: Cum volueris quid facere, non sequaris voluntatem tuam, sed quæras consilium per quod scias veritatem. Cui consonat Sapiens Eccles. 37. *Ante omnem actum precedat stabile consilium*; quia in hoc quod rector communitatis consilium audit, apparet eius sapientia iuxta illud Prou. 12. *Qui sapiens est, audit consilia.* Nam sicut ligamentum ligneum colligatum fundamentum ædificij non dissoluitur, sic & cor in consilij cogitatione firmatum.

Consiliarij senes.

Idcirco legitur in historia Alexandri Magni, qui quamuis esset sapiens, in consilijs inueniendis, voluit tamen secum habere senes consiliarios, vt omnia melius regeret. Nam mortuo patre eius dixerunt senes. Multos annos militauimus patri tuo, & virtus iam non est nobis, vt angustias ferre valeamus, si tibi placet, recusetur à nobis militia, quam hactenus egimus. Respondit Alexander: Magis volumus vos habere in militia nostra, quàm iuuenes: quia iuuenis confidens de iuuentute sua, acquirit mortem, senior autem omnia agit cum consilio. Ecce sapientiam Alexandri. Et sicut rector ciuitatis debet audire suorum consulum consilia, ita inutilia & perniciosa debet recusare.

Nam refert Valerius lib. 6. cap. 5. ad Tiberium, quod Themistocles intrauit quodam die congregationem potentum & sapientum, de ciuitate Atheniensi: & dixit, se deliberasse de quodam negotio, quod si perduci possit ad effectum, populo Atheniensi esset proficuum: fuit tamen tale, quod oportuit occultari & celari. Vnde petijt, quod vnus de septem Sapientissimis ei deputaretur, cui deliberationem suam communicaret occultè, & si ille approbaret, primò poneretur ad effectum. Datus est igitur sibi vnus sapiens, qui dicebatur Aristides, cui dixit; se deliberasse illud, quod se darent ad naues Lacedæmoniorum, qui omnes in vna classe fuerunt, in mari vicino, & eos statim incenderent, sic ipsi fierent domini maris, & sic multò potentiores Lacedæmonijs effecti, obtinerent de facili totius Græciæ principatum. Isto audito, redijt Aristides ad concionem, & dixit: Sicut consilium Themistoclis vilissimum. ita est omninò iniustum, nec publicauit vlterius quale fuit. Statim tota concio acclamauit. Quod æquum non est, nec expediens erit nobis, & iussit omninò, quod Themistocles desisteret ab incepto.

Sic ad propositum. Pontifices & Pharisæi collegerunt concilium, quod quidem quoad hoc vtique fuit laudabile, sed quia fuit hoc consilium contra IESVM innocentem ipsum ad condemnandum, fuit multum vituperabile. Etiam quo ad hoc, quod iniquum consilium Caiphæ approbant, & IESVM interficere cogitabant, sicut de hoc dicit præsens Euangelium, *Collegerunt Pontifices.* &c. In quo quidem quatuor tanguntur principaliter. *Primo,* concilij congregatio, ibi; *Collegerunt Pontifices. Secundo,* negotij exploratio, ibi: *Quid facimus, quia. Tertio,* consiliarij prolocutio, ibi; *Vnus autem ex ipsis Caiphas. Quarto,* consiliarij approbatio, ibi; *Ab illo igitur die cogitauerunt.*

A Circa PRIMVM igitur NOTANDVM. Secundum sacram Scripturam, & secundum naturales, lumen cœli, quod solem vocamus. excellit omnia cœli lumina, & sine eo non potest homo aliquid benè operari, nisi habito alio lumine materiali, nam in nocte post recessum solis, non possunt homines opera sua perfectè exercere.

MORA-

MORALITER. Quid per Solem, qui illuminat, intelligitur, nisi consilium, quod lumine cœlesti fit, quod est excellentius quàm lumen prudentiæ, cum hoc lumen ipsam prudentiam rectificet; per donum enim consilij, declinat prudentiam ne eam pœniteat. Ideo dicit Sapiens: *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Eccli. 35. & Prouerb. 12. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*: propter quod Pontifices & Pharisæi collegerunt consilium, vt testatur Euangelium. Sine consilio nihil faciendum.

Sed valde improuidè illud collegerunt. PRIMO ideò, quia festinanter. Quia, vt habetur Ioan. 11. *cum Christus* videlicet, *Lazarum suscitasset, multi ex Iudæis, qui hoc viderunt, crediderunt.* Sed quidam eorum abierunt ad Pharisæos, & dixerunt, quæ fecit IESVS: Et statim sequitur; *Et collegerunt concilium*, quod fuit contra illud dictum, Socratis, qui dicit, quod in consilio non debent esse ista tria, scilicet festinatio, ira & insipientia. Et ibidem dicit: Velox consilium sequitur pœnitentia. Consilium improuidū. Impedimēta sunt consilij.

De hoc etiam dicit Sapiens: *Qui festinus est pedibus, offendit.* Prouerb. 19. Et hoc patet de Iudæis, qui nimis festinauerunt, & Christum per malum suum consilium occiderunt, ideò pœnitentia est in eos secuta, oportet enim consilium virorum esse maturum, & benè in corde digestum, si saltem debet esse validum. Quia consilium ipsarum mulierum, ideò est inualidum eò, quod est velox, & festinum, vt probat Ægidius Romanus lib. 2. de regim. Princip. part. 1. cap. penult. ex dicto Aristotelis lib. de animalibus dicens. Omnia minora & debiliora citius veniunt ad suum complementum, consilium igitur mulierum, quia est inualidum & debilius, citius venit ad suum complementum, quàm consilium virile, cæteris paribus; Vt si quis statim operari deberet, & non posset ad illud negotium sufficienter habere deliberationem, tum eligibilius esset consilium muliebre, quàm virile; simpliciter tamen melius est consilium virorum quàm ipsarum mulierum, eò, quod vir sit ratione perfectior, & mulier habet consilium inualidum. Dicit enim Ægidius, vbi suprà quod consilium mulierum potest esse in aliquo validum, vt si oporteret repentè operari, eligibile fortè esset earum consilium. Illud autem consilium Pharisæorum, fuit penitus inualidum. Iob 21. *Consilium impiorum longè fac à me.* Et Psal. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum.* SECVNDO, illud consilium improuidè collegerunt, quia insipienter. Sapiens enim Consiliarius, in eo, quod facere aut consiliari solet, debet attendere principium medium & finem. Quia scit, quod sapientia libenter est circa consilia, iuxta illud Sapientiæ 8. *Ego sapientia habito in consilijs, & eruditis intersum cogitationibus.* Mulierum consiliū cur inualidum. Consilium insipiens.

Et NOTA, quod sicut in sapientibus & bonis consiliatoribus consistit salus, honor, & profectus Reipublicæ, ita in insipientibus maximè consistit confusio & subuersio: sicut patet ad experientiam, quod isti Pharisæi malè consiliati sunt in morte Christi, ideò confusio facta est Reipublicæ & subuersio ipsius. Ideò, vt dicit Tullius, libro suo de senectute, Consiliator est in Republica, sicut gubernator in naui, in qua alij sentinam exhauriunt, alij chordas trahunt, alij malum scandunt. Ille verò tenens clauum, est quietus, sedens in puppi, & multò maiora facit. quasi diceret: Quia sua sapientia regit nauem ne periclitetur, sic & sapiens consiliator regit Rempublicam, ne damnum patiatur. Et Auicenna dicit, quod consiliarius est efficiens, sicut dans formam secundum quam alius habet operari & dirigi. Et distinguit quadruplex efficiens, consilians, adiuuans, disponens, & perficiens.

Consiliariorum qualitates.

Debent enim consiliarij habere in vita *sanct. tatem*, in verbo *veritatem*, in zelo *aequitatem*, in experimento *sagacitatem*. Et tales in Romana Republica vocabantur. Senatores. & se in communitate habent, sicut cor in corpore, vt dicit Lucanus. Vnde Romulus condita ciuitate, quam ego suo nomine Romam vocauit, centum ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos Senatores propter senectutem, patres propter sollicitudinem iure nominauit. Horum nomina ab initio vrbis conditæ; aureis literis scribebantur, propter quod Patres conscripti ab omnibus dicebantur. Isti eligebantur, & postquam emeriti in statibus diuersis & officijs extitissent tantò aptiores sapientiæ negotijs quantò in exercitijs corporis minus poterant. Istorum apud Græcos tantus honor fuit; quod nunquam duces procederent, nec aliquod solemne facerent sine istis. Et dicit Robertus Holkot super lib. Sap. lect. 131. Sicut isti senatores & consiliatores sunt Reipublicæ vtilissimi, quando sunt boni, sapientes & virtuosi, ita sunt mali iudices prælato & principi pernitiosissimi, quando sunt mali, insipientes & nequitiosi; quando videlicet habent zelum pro commodo suo priuato, vel personali, & non pro bono communi; quandò sunt corrupti cupiditate, & receptione munerum; quando sunt nimis territi, & dissimulant dicere veritatem; quando denique odio vel amore regulantur, vel inuidia, tunc consulendo principem destruunt, quem regere & dirigere deberent; & fiunt non solum ei, sed & toti Reipublicæ pessimi inimici. Talis fuit quidam magus nomine Elymas, qui falso suo consilio nitebatur Proconsulem auertere à fide & veritate. Cui dixit Paulus Act. 13. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, & non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret.*

Aman.

Talis etiam consiliator insipiens & malus fuit ille Aman, qui simplicitatem nobilissimi principis Assueri, fraudulentis consilijs circumuenit, & nobilis regis innocentiam ad nefandam crudelitatem induxit; vt videlicet omnem populum Iudaicum vno die occidi mandaret. Quapropter malum suum consilium in caput suum redundauit; cum suspensus in patibulo fuit. Esther 7.

Perillus.

Talis etiam fuit quidam artifex Perillus nomine, de quo refert Orosius lib. 1. Et Valerius lib. 9. Et Vincent. in specu. histor. lib. 3. c. 7. Cum Phalaris in Cilicia tyrannidem contra Christianos exerceret propter fidem Catholicam, occidendo Christianos, prædictus Perillus artifex, etiam affectans tyranni amicitiam, æneum taurum fecit, cui fabricæ ianuam ex latere apposuit, quæ ad intrudendum Christianos receptura foret, & inclusi ibidem subiectis ignibus torrerentur in tauro; & propter concauitatem magis mugire, quàm voces humanas prodere audirentur. Sed Phalaris factum amplectens, factorem execrans, & vltionis materiam præbuit, & crudelitatem. Nam ipsum opificem sua intentione puniuit, quia ipsum primitus intrusit, & ignem magnum subterposuit, volens audire mugitum suum, & sic malum consilium suum, quod dederat de tauro faciendo, in caput suum redundabat.

Consilium impatiens.

TERTIO, illud consilium improuidè collegerunt, quia impatienter. Nam ex ira & inuidia Christum nati disposuerunt; sed ira omninò rationem vniuscuiusque turbauit, quod in consiliando verũ discernere nescierunt. Quia dicit Greg. lib. 5. moral. cap. 31. Per iram sapientia perditur, vt quid verò ordine agendum sit, omninò nesciatur.

tur. Per iram vita amittitur, & si sapientia teneri videatur perditur, per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est, Iacob. 2. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Quia dum mens turbatur, ad iudicium suæ rationis exasperatur, & omne, quod furor suggerit, rectum putat. Et Chrysostomus super Matthæum dicit: Nemo potest pacificè loqui, qui cor habet turbatum. Ideo dicit Grogorius: 11. q. 3. c. Illa præpositorum sollicitudo est vtilis illa est cautela laudabilis, in quo totum ratio agit, & furor sibi vendicat. *Et subdit*: Nihil est agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore iustum putat omne, quod fecerit. Ira hominẽ vita priuat.

Quantum ad SECVNDVM ponitur negotij explanatio cum dixerunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, &c.* Vbi NOTA, Robertus Holkot super lib. Sap. lect. 178. dicit, Christus legitur fecisse miracula aut signa propter tria. *Primò*, ad eorum, quos in corpore curabat vtilitatem: quia eos frequenter in corpore & anima curabat. *Secundo*, propter aliorum conseruationem, aut conuersionem: quia multi videntes Christi miracula, conuertebantur propter gloriam Dei & honorem. *Tertio*, propter operum Dei manifestationem, iuxta illud Ioan. 10. *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestatur opus Dei in illo.* Et hæc signa, quo ad literam, fuerunt multa, scilicet cæcorum illuminatio, leprosorum mundatio, paraliticorum sanatio, mortuorum suscitatio. &c. *Et infrà* eadem lect. dicit Holkot. Propter quę Christus miracula fecerit.

DEVS humano generi multa signa ostendit, scilicet beneuolentiæ, reminiscentię, prouidentiæ, & patientiæ. Signa *beneuolentiæ* sunt, omnes creaturæ factæ & creatæ, ad homini seruiendum. Est enim signum, quod vnum offert sensui, & aliud relinquit intellectui. Et ideo omnis creatura sensibilis seipsam offert sensui & Deum repræsentat intellectui boni viatoris, quia dicitur Ioan. 3. *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo.* Signa *reminiscentiæ* sunt septem sacramenta Ecclesiæ, per quæ reducimur in memoriam passionis. De his signis dicit Apostolus Heb. 2. *Salus nostra confirmata est contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Signa *prouidentiæ* faciet vel dabit quando circa aduentum suum signa faciet, nè omninò peccatoribus veniat improuisus, & hoc est signũ magnæ curialitatis diuinæ. Nullus enim, qui aliquid facit, quod vellet occultari, approbat aduentum hominis improuisum. Peccator autem quilibet, quod facit, vellet, si posset occultari. Et Ideò Deus mundo pleno peccatis venturus, præmittit signa quædam notabilia, per quæ homines contra ipsum aduentum sibi prouideant. De quibus signis dicitur Lucæ 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. &c.* Vegetius de re militari lib. 3. c. 21. dicit: Signa à Deo hominum generi proposita.

C

Tria inquit, genera constat esse signorum pro negotijs belli: quæ vocalia, semiuocalia, & muta dicuntur. Prima humana voce proferuntur, sicut duces præordinant aliquod certum verbum, quo in conflictu vtuntur, sicut Deus nobiscum, vel triumphus Imperatoris, vel aliquid consimile. Signa *semiuocalia* sunt, quæ fiunt per tubam, vel cornu buccinæ. Signa *muta* sunt vexilla, aquilæ Dracones: Ista tria signorum genera faciet Christus in suo aduentu vltimo. Nam signa *vocalia* erunt in illa disceptatione Matth. 25. *Esuriui & dedisti mihi manducare. &c.* Signa *semiuocalia*, quia tuba præcedet, & de istis simul dicit Apostolus 1. Thessalo. 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* Et ista tuba, vt dicit Glossa, non est aliud, nisi vox Archangeli, quæ tuba dicitur propter similitudinem tubæ veteris Vocalia. Semiuocalia Muta.

testamenti, qua fiebat vocatio, ad consilium, præparatio ad bellum, & inuitatio ad festum. Signa verò *muta* erunt passionis Christi insignia & instrumenta, & ipsum corpus Dominicum, vulneribus insignitum. De his signis dicitur Dan. 6. *Ipse est liberator & saluator faciens signa.*

Sed signa patientiæ fecit nobis, diu nos exspectando, vt per veniam ad gratiam redeamus. Ad Roman. 2. *Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* propter quod dixerunt Pontifices & Pharisæi. *Hic homo multa signa facit.* Et propter hæc signa nos Christianos debemus omnes credere in Christum, vt verbum Pharisæorū impleatur, cum dixerunt; *Omnes credent in eum.* Vbi Beatus Augustinus: de verbis Domini, & allegatur à Magist. lib. 3. sent. dist. 23. Multum interest, vt quis credat Christum, vel Christo, vel in Christum. Nam ipsum esse Christum; dœmones crediderunt. Nam Matth. 8. dixerunt: *Quid nobis & tibi Iesu fili DEI? Cur venisti ante tempus torquere nos?* Et Marc. 1. dixit dœmon. *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti ante tempus nos perdere. Scio, quia sis sanctus Dei.* Ecce quod crediderunt Christum, sed non crediderunt in eum. Et addit Magister ibidem, aliud est credere in Deum, & aliud credere Deo. Vnde credere Deo, est credere verba vera esse, quę loquitur, quod & faciunt mali; & sic nos credimus homini, sed non credimus in hominem. Credere Deum, est credere, quod ipse sit, quod & mali faciunt. Credere in Deum est, eum credendo amare, credendo in eum ire credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Hæc Magister.

Credere in Deum & credere Deo, quid?

Et hæc fides, qua sic credimus in Deum, quatuor operatur, vt dicit Robertus Holkot super lib. Sap. lect. 198. PRIMO, peccatorum remissionem. Nam Act. 10. dicitur de Christo: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum.* De hoc habetur figura de Niniuitis Ionæ 3. *Crediderunt viri Niniuitæ Domino, & prædicauerunt ieiunium.* Quæ historia habetur suprà Feria IV. quatuor temporum sermon. 2. V. F. Docet Aristot. 2. Ethicorum in principio. Tria sunt, quæ faciunt dictum alicuius credibile. Videlicet prudentia, virtus, beneuolentia. Cuius causa est secundum eum: quoniam propter opposita illorum discredimus alicui, non demonstratiuè loquenti videlicet. Aut propter imprudentiam, quia reputamus eum ignarum: aut propter malitiam, quia quamuis verum sciat, non tamen amicus est veritatis & iustitiæ: aut propter defectum beneuolentię, quia in casu licet sit prudens & virtuosus, non tamen reputamus eum ita beneuolum, quòd velit nobis consulere id, quod nobis expediens iudicabit. Sed quando ista tria concurrunt in consiliario, scilicet, quòd reputamus eum prudentem, virtuosum, & nobis beneuolum, tunc absque dubio credimus dictis eius, quamuis ea nequaquam demonstret.

Fides, quæ conferat credenti. 1. Peccatorū remissionē.

Quæ fidem faciant iuxta Aristotelē.

Tria requirenda in Cōsiliario.

D Si de Christo loquimur. Christus venit in mundum persuadere & sanctificare, non autem dicta sua scienti ficè demonstrare. Et ideo doctrina sua non scientia vocatur, sed fides. Sunt autem dicta sua nihilominus credibilia, propter tres rationes prædictas. Tunc quia in eo viguit prudentia, cum esset sapientia Dei patris. Tunc quia in eo fuit virtus, quia omnia benè fecit. Marc. 7. Tunc quia in eo fuit beneuolentia ad nos, quia *dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo, a peccatis nostris.* Apoc. 1. Et ideo signanter dicit Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

SECVN-

Secvndo, operatur dæmoniorum confusionem. Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient. &c.* Et ideo hæc fides dicitur scutum principale in quo possumus dæmones vincere, iuxta illud Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Dicit Papias & habetur in expositione super Iuuenalem, Satyra 2. quod Numa Pompilio sacrificante, cecidit quoddam scutum de cœlo, quod Ancile dictum fuit, datumque est responsum, quòd illic foret Romanum Imperium, vbi illud Ancile fuerit seruatum. Idem autem vndecim scuta alia fecit, vt essent duodecim numero, & quod illud, quod de cœlo ceciderit maneret occultatum. 2. Confusio dæmonum.

Moraliter. Scutum fidei, scilicet de cœlo cecidit, quando Christus de cœlo veniens, fidem prædicauit, vt vbicunq; scutum illud fuerit seruatum, dæmonis extirpabitur dominium, & diuinum perseuerabit Imperium. Hæc autem scuta duodecim sunt: quia fidei articulos duodecim Apostoli fundauerunt. Istud scutum liberat à dæmonibus, quod in Daniele figuratum fuit, qui licet aliquando in lacu leonum moraretur, nulla tamen læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo. Dan. 6.

Tertio, confert hæc fides optatorum consequutionem, iuxta illud Marci 11. *Omnia quæcunq; orantes petitis. credite quia accipietis, & venient vobis.* Idem Matt. 21. Narrat Magister in histo. Quod cum Alexander venisset in montes Caspios, miserunt ad eum filij captiuitatis decem tribuũ, egrediendi licentiam postulantes: cumque quæsissent, causam captiuitatis, accepit: eò quòd recessissent à Deo Israël, vitulis aureis immolando, & per Prophetas prædictum esse, eos à captiuitate non rediturros. Tunc respondit Alexander, quòd arctius eos includere vellet. Cumq; angustias viarum inciperet obstruere molibus bituminatis, & vidit humanũ auxilium ad hoc non posse sufficere, rogauit Devm Israël, vt illud opus compleret. Et ecce nutu Dei rupes montium ad se inuicem accesserunt, & factus est locus immeabilis, & super hoc Iosephus ait: Deus quid facturus est pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infidelibus auxilium ab eo petentibus? 3. Consequutio optatorum.

Exemplum etiam ad idem patet Ioan. 4. de regulo cuius filius infirmabatur Capharnaum. Cuius reguli fides, licet esset diminuta; quia non credidit Christum posse curare filium suum, nisi descenderet corporaliter ad eum, & tamen tandem salutem filio suo impetrauit. Patet idem etiam de Centurione, cui pro salute serui deprecanti responsum finaliter est. *Vade, & sicut credidisti fiat tibi.* Matth. 8.

Qvarto, confert electorum benedictionem, iuxta illud Ioan. 20. quod dixit Dominus Thomæ: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Quod exponens Gregor. dicens: In hac sententia nos specialiter signati sumus, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinuimus, si tamen fidem nostram operibus sequamur. Ille enim benè credit, qui exercet operando, quod credit. Ideo nos omnes credere debemus in eum, vt dicit præsens Euangelium. 4. Benedictio electorũ

Quantum ad Tertivm, ponitur consiliarij prælocutio, ibi; *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine. cum esset pontifex anni illius, dixit: Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo, vt non tota gens pereat.* Hic vt dicunt Dd. Spiritus sanctus, per Caipham locutus fuit: Sed Spiritus sanctus non fuit in eo. Et dicunt vlterius quòd Spiritus sanctus *aliquando* loquitur per aliquem, & non tamen loquitur in eo, quia non est in eo per gratiã. Sic etiam locutus est hic per Caipham. Spiritus sanctus per quos loquatur.

Ali-

E *Aliquando* loquitur in aliquo, & non loquitur per eum, vt quando interius aliquid menti inspirat, quod exterius non manifestat; sicut locutus est in Dauid, qui ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus.* *Tertio*, Spiritus sanctus loquitur in aliquo, & etiam loquitur per eum, sicut fecit in bonis prophetis.

Obiectio. Sed diceres, quia Caiphas hic prophetauit, nunquid Propheta fuit? *Ad quod respondetur*, quod non: quia dicit, B. Augustin. super Gen. Tria sunt, quæ faciunt verum Prophetam. *Primum* est, vt aliquas visiones habeat. *Secundum*, quod illas visiones intelligat. *Tertio*, quod illas visiones manifestare alijs sciat. *Primum* enim habuit Nabuchodonosor, quia statuam vidit, vbi suprà dixi I. V. *Duo verò* sequentia non habuit, quia nec intellexit, nec ipsam visionem Danieli ostendere sciuit, ideò Propheta non fuit. Duo autem ex his Pharao habuit, quando *septem vaccas pulchras, & septem macras de flumine ascendere vidit*, & insuper ipsam visionem Ioseph narrauit, Gen. 41. Sed quia significationem non intellexit, ideò Propheta non fuit. *Tertium* tantum Caiphas habuit. Ipse enim de morte Christi nullam reuelationem habuit, nec intellexit, sed tantum mortem Christi necessariam esse nuntiauit. Ideo Propheta non fuit.

Responsio. Tria faciũt verum Prophetam.

Quæstio. An donum prophetiæ solis Dei amicis conferatur.

Sed dices; Nunquid solum amicis Dei confertur donum prophetiæ? Et videtur quod sic. Secreta enim non sunt reuelanda, nisi amicis Dei. Iuxta illud Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis.* Sed Deus reuelat secreta sua amicis suis scilicet Prophetis; igitur Prophetæ sunt amici Dei. *Ad oppositum huius*, Balaam fuit, Propheta, Num. 24. cum dixit: *Orietur stella ex Iacob*, & tamen malus fuit homo, & cultor idolorum & dæmonum. Propterea Matth. 7. habetur, quod *multi dicent in die iudicij; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et respondebitur eis à Deo. Nunquam noui vos*, id est approbaui; & illi fuerunt Prophetæ, & tamen nunquam fuerunt amici. Propter quod sciendum, quod sola caritas est, per quam homo amicus Dei constituitur; Et omnis gratia gratis data, quæ potest esse sine caritate, potest communicari bonis & malis, amicis Dei vel inimicis. Huiusmodi autem gratiæ sunt, prophetia, fides, sapientia, potestas curandi & signa faciendi. Vnde dicitur 1. Cor. 13. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Ex qua auctoritate satis patet, quod donum prophetiæ haberi non potest sine caritate.

Caritas sola facit hominem amicũ Dei.

Respõdetur negatiue. Ideo DICENDVM est, ad quæstionem negatiuè, quod non solum amicis Dei confertur donum prophetiæ; Cuius ratio est, quia donum prophetiæ conceditur alicui ad vtilitatem Ecclesiæ, communiter, & non ad vtilitatem ipsius præcisè, cui datur, secundum illud 1. Cor. 12. *Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*, scilicet Ecclesiæ; ad honorem Dei, quod habeat etiam testimonium à malis aliquando. Et ideo legimus multos malos prophetasse.

Prophetia mentis est operatio. Vnde NOTANDVM. Licet prophetia compatiatur secum malitiam morum, non tamen indifferenter admittit malitiam vitiorum. Quia enim prophetia est quædam spiritualis præcognitio futurorum, ad quam requiritur eleuatio mentis per contemplationem. Ideo prophetiæ, vel spirituali cognitioni, repugnant, & contrariantur vitia carnalia, quæ habent vehementes passiones & occupationes terrenas, similiter, quæ mentis eleuationẽ impediunt, prophetiæ repugnant, vt dicit Holkot lect. 103.

Ex

Ex his patet, quod prophetiæ ſecreta etiam reuelantur malis & inimicis: Sed cum dicebatur, quod ſolum ſunt reuelanda amicis. Dicit Holkot, quod ſecreta non ſunt reuelanda propter ſe, ſed propter vtilitatem amicorum, maximè vbi notitia non prodeſt inimico, vt indigeat occultatione, ſed publicatione. Tunc enim ad honorem Domini eſt, cum ſecretum illud, quod eſt contrarium inimico per inimicum potius diuulgatur. Quando autem dicitur Ioan. 15. quod ideo diſcipulos ſuos Chriſtus dixit amicos, quia omnia nota fecit eis. Exponit Gregorius, quod notitia illa, quam eis notificauit, fuit notitia cum amore. Talis autem prophetia non omnibus communicatur. Secretum quando reuelandum.

Quantum ad QVARTVM eſt NOTANDVM. vbi ponitur conſiliati approbatio, cum dicitur. *Ab illo ergo die*, &c.. Approbant ergò Phariſæi & Scribæ conſiliatum Caiphæ, & ſententiam iniuſtam contra CHRISTVM tulerunt.

PRIMO, igitur iniuſta eorum ſententia fuit, quia ex inuidia prolata, quia Matth. 27. *Sciebat autem Pilatus, quod per inuidiam tradidiſſent eum*; contra illud 11. q. 3. c. Opus, vbi dicitur; Iudex non debet iudicare pretio, nec odio, vel inuidia, vel fauore. F I.

SECVNDO, iniuſta fuit ex cauſa, quia nullam habuerunt cauſam, quod eum ad mortem ſententiauerunt, teſtante Pilato, quia ait, Lucæ 23. *Ecce ego eum coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis: ſed neque Herodes.* Ideo dicitur de reg. iur. lib. 6. c. Sine culpa. Niſi ſubſit cauſa non eſt aliquis puniendus. Vbi dicit Gloſſa: Vbi non eſt delictum, ibi non debet quis puniri, niſi quando cauſa rationabilis ſubeſt. Sed quia Chriſtus nullum delictum fecit 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit*; Ideo puniri non debuit, quia vbi non reperitur culpa, ibi non debet imponi pœna. II. Vbi non eſt delictum, nec pœna eſſe debet.

TERTIO, fuit iniuſta ex ordine. quia ordo iuris exigit, vt iudex contra reum aduocet teſtes, & veraces non falſos. Qui enim cōuincitur neceſſe eſt, quod ipſe de crimine confiteatur, quia dicitur Extra de accuſat. lib. 6. Si legitimus non fuerit accuſator non fatigetur accuſatus, ſed ſecundum Gloſſam repellatur accuſator, id eſt, abſoluatur reg. de obſeruatione iudicij 6. q. vlt. cap. vlt. III.

Sed quia nullum habuerunt veracem teſtem contra Chriſtum, licet adeſſent falſi, *quorum teſtimonium erat inconueniens*, Marci 14. Ideo Pilatus debuiſſet ipſum abſoluiſſe, & non ad mortem per ſententiam condemnaſſe. Ideo dicitur de ſent. & re iud. lib. 6. Cum æterni tribunal iudicis illum reum non habeat, quem iniuſtè iudex condemnat, teſte Propheta, nec *damnabit eum, cum iudicabitur illi*. Caueant Eccleſiaſtici iudices & prudenter attendāt, vt in cauſarum proceſſibus nihil ſibi vendicet odium, vel fauor vſurpet, timor exulet, præmium aut exſpectatio præmij iuſtitiam non euertat, ſed ſtateram in manibus geſtent, lances appendant, æquo libramine, vt in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs & ferendis, habeant præ oculis ſolum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi, tabernaculum ingreſſus, ad Dominum referebat, vt ſecundum eius imperium Iudicaret. per Innocent. IV. Concil. Lugdunenſ. Pſalm. 33.

DOMINICA IN PALMIS,

Sermo primus,

Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV. Ad Philip. 2.

QVando reges terreni volunt bella aduersus inimicos subintrare, vestes regias solent deponere, ne ab hostibus cognoscantur, & præ alijs occidantur, quando vita regum & principum, præ omnibus primò quæritur, vt occisis illis populus illorũ dispergatur, & fugetur. Quia legitur 4. Reg. 2. & Ierem. 39. Cum rex Sedechias fuit captus per Chaldæos, omnes bellatores eius, qui erant cum eo, sunt dispersi; in signum, cum reges capiuntur & occiduntur, eius subditi disperguntur. Quod autem reges intrando bellum, deponunt & mutant habitum, habetur figuratum, 3. Reg. 22. quod rex Israel vadens ad prælium contra Syrios mutauit habitum; deponens, videlicet regale ornamentum, *ascendens currum, & percussus est sagitta inter stomachum & pulmonem, & mortuus est vespere.* Serui autem sui reuersi sunt in domum suam. Ordinauerunt enim Syri, vt solum regem Hierusalem interficerent, quo facto prælium fuit terminatum. Ad idem habes figuram de Codro rege, de quo suprà Feria IV. Iudica sermone 2. Aa. V.

SPIRITVALITER. Dominus noster IESVS CHRISTVS, est rex regum, & princeps regum terræ, vt habetur Apocal. 1. Hic cum vellet pugnam ingredi cum hoste generis humani, deposuit vestes regias suæ clarissimæ Deitatis, & induit vestes viles miserrimæ humanitatis: quia prophetatum fuit à Deo Patre & præordinatum, quod electi de genere humano aliter liberari non possent, nisi Dei filius qui erat, & est ab æterno Patri coæqualis, se exinaniret, & formam serui acciperet, & se vsque ad mortem crucis humiliaret. Quia dicit B. Augustinus: lib. 13. de Trinit. & allegatur à Magistro lib. 3. sent. dist. 20. cap. 1. Dicimus Deum alium modum potuisse habere ad nos redimendum, ex quo cuncta subiacent suæ potestati, nostræ tamen miseriæ sanandæ conuenientiorem alium modum non fuisse. *Et subdit.* Quid enim mentes nostras tantum erigit, & ab immortalitatis desperatione liberat, quàm quòd tanti nos Deus reputauit, vt si Dei filius, immutabiliter bonus in se manens quod erat, & à nobis accipiens, quod non erat, & dignatus nostrum inire consortium, mala nostra moriendo perferret. quasi diceret, certè nihil. *Et addit* Magister. Est & alia ratio, quare isto potius, quàm alio modo liberare voluit, quia sic & iustitia, quasi diceret non potentia, superatur diabolus. Et de hoc modo præsens tradit Epistola, quæ dicit de Christo; *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam, &c.* In quo duo tanguntur principaliter pro instructione. *Primo*, contumelia passionis dolorosæ, ibi; *Hoc sentite. Secundo*, gloria exultationis gaudiosæ, ibi; *Propter quod.*

Contumelia passionis. PRIMO dico, quod in hac epistola contumelia passionis tangitur dolorosè, cum dicit: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV.* quasi diceret: Sentite in vobis compassionem, quàm pati debetis cum Christo in sua acerbissima & dolorosa passione. Vnde dicit Themistius: Proprium est delicati & puri corporis, valde pati à supereminente labore & dolore. Christus enim purissimum atque delicatissimum

Christi pæ- habuit

habuit corpus, eò quòd naturalissimum, nulla carnis vomite inquinatum, propterea amarissimè sustinuit passionem. Et ideo dicit Remigius: Omnes pœnas collectas in simul corporales, adhuc excellit & supergreditur pœna Christi. *na omnes corporales pœnas superat.*

Circa quod vlterius NOTANDVM. Passio Christi fuit pœnalis & dolorosa: incurialis & ignominiosa: præiudicialis & iniuriosa, vt dicit Holkot lect. 28. PRIMO igitur fuit pœnalis & dolorosa, tum quia passio eius fuit per totum corpus extensa; tum quia ad mortem terminata. Ideo dixerunt impij, Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* Fuit enim istud genus mortis longum & dolorosum nimis, iuxta illud Aug. de Trinit. Longa morte cruciabantur ligno suspensi. De istius doloris magnitudine exclamauit Christus per Prophetam Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Fuit & passio eius ideo dolorosa, quia ad mortem terminata. De qua morte dicit Bernardus, in quodam sermone: O bone IESV quicquid tibi & morti, nos delinquimus, * tu soluis: nos peccauimus & tu luis, opus sine exemplo, gratia sine meritò, caritas sine modo. H *Passio Christi cur dolorosa.* ** aliàs debuimus.*

SECVNDO, passio Christi fuit incurialis & ignominiosa. & hoc ex quatuor. PRIMO ex genere: nam nullum genus supplicij magis ignominiosum fuit, quàm crucis. Ideo dicit Bernardus: O Domine IESV, quàm dura & aspera pro hominibus passus es, dura verba, duriora verbera, durissima & horrenda crucis supplicia. Idem in quodam sermone dicit: Caput angelicis tremebundum spiritibus, densitate spinarum compungitur: facies pulchra præ filijs hominum, sputis Iudæorũ deturpatur. Oculi lucidiores sole, caligant in morte. Aures, quæ audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus. Os quòd docet angelicos spiritus, felle & aceto potatur. Pedes quorum scabellum adoratur, cruci clauis affiguntur. Manus, quæ formauerunt cœlos, in cruce extensæ & affixæ sunt. Corpus verberatur, latus lancea perforatur. Quid plura? Non remansit nisi lingua, vt pro peccatoribus exoraret & matrem discipulo commendaret. Hæc Bern. Et B. Augustinus de quatuor virtutibus cardinalibus. Filius, inquit, Dei ad crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriæ. Spinis coronatur, qui peccatorum spinas venit confringere. Ligatur, qui soluit compeditos: suspenditur ligno, qui erigit elisos. Aceto potatur, fons vitæ: disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur: occidit ad tempus mors vitam, vt in perpetuum à vita occidatur mors. *Crucis supplicium maximè ignominiosum.* *I. Ex genere.*

SECVNDO, fuit ignominiosa ex tempore. Nam tunc temporis celebrauerunt Iudæi Pascha suum, & fuit solennissimum festum anni, & maioris sanctitatis. Et ideo maximus populus de Iudæis confluxerat ad ciuitatem. Grauius est enim affligi eo tempore, quo alij homines magis gaudent, quàm quando est pœnitentiæ tempus, quo etiam alij affliguntur. Quia dicit Metrista: *II. Ex tempore.*

Gaudium est miseris socios habere pœnarum.

Iterum quantum ad tempus: Nam in illo tempore à Iudæis patitur, quo eos ab Ægypto liberauit. Item illo die animam exspirauit, quo animam homini inspirauit.

TERTIO ex parte loci, quia locus fuit altus in monte, qui videri poterat à longe. Fuit etiam locus abominabilis, propter cadauera mortua damnatorum, & prope ciuitatem, vt ab omnibus videri posset. *III. Ex parte loci*

QVARTO, ex parte societatis, quia inter latrones, inter cognatos, & in præsentia matris. *IV. Ex parte societatis.*

TERTIO fuit Christi passio præiudicialis & iniuriosa quia nec confessum nec legitimè conuictum, ad mortem condemnauerunt, sicut de eis per Dauid fuit prophetatum in Psal. 93. *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Ideo eo sentire debemus in nobis hoc per deuotam meditationem suæ amarissimæ passionis, sicut ex hoc docemur in quodam exemplo, quod legitur in gestis Romanorum.

Exemplum de beneficiorum obliuione & ingratitudine.

Quidam rex pulchram habuit filiam, quam multum dilexit, & regnum suum dedit ei. Hoc audiens quidam Tyrannus princeps, venit ad eam, & si ei consentiret multa repromisit. Consentiens igitur ei ab eo fuit seducta, & ab hereditate repulsa. Quo facto, gemitus emittebat, & in via mendicans publicè residebat. Vna igitur dierum cum sic flendo sederet, quidam miles generosus iuxta eam equitauit, vidensque eius pulchritudinem, quid ei esset interrogauit. Cui illa: Filia, inquit regis sum vnica, sed per quendam Tyrannum deflorata, & regno sum priuata. Hoc audiens miles, dixit. Si fidem mihi dederis, & in sponsum me acceperis, contra Tyrannum bellandum pergam, & in regnum tuum tibi requiram; hac tamen conditione interposita, vt si in bello mortuus fuero, arma mea sanguinolenta custodies in signum memoriæ meiq; amoris. Cumq; hoc illa promitteret: contra Tyrannum miles processit, & amputato eius capite ipsum superauit, & hæreditatem puellæ recuperauit. In hac tamen pugna miles lętale vulnus accepit, sicq; consummauit cursum huius vitę. Puella verò per multos annos eius mortem deplanxit, & arma eius in camera pendētia sæpius visitauit, & visis illis amarè fleuit. Habito igitur regno, multi nobiles ad eam veniebant, & multa ei promittentes, in vxorem petierunt. At illa auditis eorum verbis, antequam responsum daret, cameram intrauit, & diligenter inspexit, dicens: O Domine mi, mortuus es pro meo amore, hæreditatemq; meam mihi occiso hoste, redonasti. Absit hoc à me, quod alteri vnquam consentiam, sicq; exiens, dixit.

1. MORALITER. Iste Imperator vel Rex, est pater cœlestis, cuius imperio omnes obediunt creaturæ. Sicut testatur Sedulius lib. 1. cum dicit:

Te duce difficilis non est via. subditur omnis
Natura, tuis imperijs, rituq; soluto.

Iste rex habet puelhram filiam, per quam intellige cuiuslibet fidelis animam, quæ pulchra est ratione creationis, sicut testatur Hugo in soliloq. de arrha animæ, dicens: O quam suauis & decora facta es anima mea. *Et subdit.* Quid sibi tantus, vel talis ornatus voluit, nisi quia ipse idem, qui te induit, sponsam thalamo præparauit, qui nouit qualis ornatus illud deceret opus. Et ideo dedit, quod decuit, & quod tantùm decuit, vt & ipse hoc diligeret, qui dedit sensibus foris decorem, intusque sapientia illustrauit. Sensibus quidem dat exteriorem ornatum sapientiæ, quasi exteriorem habitum, & quasi quasdam gemmas fulgentes appendens exterius sapientiam, qua quasi naturali pulchritudine faciem tuam decorauit intus. *Et subdit.* Ecce ornatus tuus omnium gemmarum pulchritudinem vincit: Ecce facies tua omnium formarum superat decorem. Talem omninò esse decebat, quæ ad cœlestis sponsi thalamum introducenda fuerat. Hæc ille.

Propter hanc pulchritudinem cœlestis sponsus concupiscit eius speciem, sicut testatur Dauid in Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Et sequitur. *Et concupiscet rex decorem tuum.* Ecce quàm pulchra est amica mea, Dei filia, dūmodo est in

est in eius gratia, & non solum pulchra, imò valdè dilecta, sicut testatur idem Hugo, vbi suprà dicens. Multum dilecta es quando talis facta es; ergo multum gloriari poteris & multum custodire deberes, ne tale donum perderes, ne tale ornamentum fœdares, & ne tantum decorem corrumperes. Et similiter de dilectione tantæ filiæ, videlicet animæ nostræ dicit Deus Pater Iere. 31. *In caritate perpetua dilexi te.* Vide, ô anima, non solum es pulchra & multum dilecta, sed etiam de regno patris tui prælecta, de quo dicitur Sapient. 5. *Accipient regnum decoris, & diadema spei de manu Domini.*

Similiterque dicit Robertus Holkot lect. 70. Quando anima beata sanctum obtinebit regimen, super corpus gloriosum, & subtile, agile, & impassibile: tunc erit animæ gloriosum regere corpus suum, quod modo est valdè tædiosum. Quia dicitur Sapiens 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et ideo regnum animæ super corpus erit tunc temporis regnum decoris, quàdo anima humana subiecta erit voluntati Dei, & corpus erit voluntati animæ subiectum. *Et subdit Robertus.* Cœlum namq; est regnum decoris & gloriæ. iuxta Psalm. 144. *Gloriam regni tui dicent* &c. vsque ibi. *Gloriam magnificentiæ regni tui.* Et Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* quod exponit Bernardus in floribus lib. 9. cap. 16. Quatuor sunt genera hominum regnum cœlorum possidentium. Alij violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij ad illud compelluntur. Rapiunt qui relinquunt omnia & sequuntur Christum. Sunt alij inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia, dum seminant spiritualia; & dicuntur mercatores. Sunt alij qui nonnulla bona occultè faciunt, & hi furari dicuntur: quia laudem humanam vitantes, solo diuino testimonio sunt contenti. Hi autem, qui compelluntur sunt pauperes, qui igne paupertatis probantur Domino disponente. De quibus dicitur: *Compelle intrare.* Compelluntur enim varijs oppressionibus & necessitatibus afflicti. Hæc Bernardus. Ecce quòd anima, summi regis filia, ad regnum decoris est electa. de hoc audiens princeps Tyrannus diabolus, qui Ioan. 16. dicitur *princeps huius mundi.* Et secundũ Gregorium princeps tenebrarum venit, & multa promisit, principaliter primis parentibus nostris, quando dixit: Genes. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Et similiter nobis adhuc existentibus promittit multa, vt longam vitam, diuturnam sanitatem, facilem consecutionem veniæ, & gratiæ, & sic de alijs, vt ei consentiamus: quo facto decipit nos, & polluit animas nostras, vt quilibet dicere possit, ad suam animam cum Hugone lib. solil. Vide quid feceris anima mea, dereliquisti sponsum tuum, cum alienis prostituisti amorem, corrupisti virginitatem tuam, fœdasti pulchritudinem tuam, dispersisti ornamentum tuum, tam vilis, & tam turpis facta es, quod sponsi huius amplexibus digna amplius non eris. Hæc ille.

Regnũ cœlorũ quatuor hominum genera possident.
1. 2. 3. 4.
Lucæ 14.
Fraus diaboli.

Iste inquam tyrannus diabolus non solum animas peccantium, & sibi consentientium polluit, sed etiam ab hereditate paradisi cœlestis repulit. Sicut figuratum fuit in primo parente Adam, de quo dicit Sedulius lib. 2.

Expulerat primo genitum sæuissimus anguis.

Florigera de sede sua, id est, de hereditatione paradisi; propter quod filia summi regis, scilicet genus humanum, sedebat secus viam mendicans, sicut figuratur Lucæ 18. de cœco in via sedente & mendicante, & non solum mendicabat, gratiam Dei videlicet quotidie exspectando, sed etiam miserabiliter lacrymando, iuxta illud Ps. 6.

 Labo-

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et tam diu sic lugens sedebat, quousque generosus miles Christus filius Dei vna dierum, quando videlicet *venit plenitudo temporis*, ad Gal. 4. indueret se carne humanitatis, & pugnando cum diabolo filiam summi regis patris sui cœlestis liberaret, & sibi regnum cœleste moriens in cruce redonaret. Et de hoc commemorat Apostolus in Epistola hodierna cum dicit.

K *Qui cum in forma Dei esset*, id est in plena essentia, & æqualitate Dei patris, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, scilicet in potestate. Christus erat verè æqualis Patri per naturam. Ideo non erat illi in rapinam, quod natura erat æqualis. quia ad hoc erat genitus, vt esset æqualis illi, à quo genitus erat. dicit Magister in Glossa. Et per hoc Apostolus excludit errorem Arij, qui Christum puram creaturam dixit; propter quod, dicit Eusebius in historia, miserabiliter mortuus fuit Constantinopoli, vt patuit suprà Dominica Lætare sermon. 2. Z. A. Cuius quidam discipulus, vt dicitur in Chronica Arrianica, tempore Anastasij Imperatoris, in balneo duabus sagittis igneis perforatus fuit, eò quod Christum puram creaturam dixit. Cuius error per Siluestrum Papam, & trecentos & octodecim Patres condemnatus fuit tempore Constantini Imperatoris, vt dicitur 16. dist. *propter quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit*, id est, maximè humiliauit, *formam serui*, id est, humanam naturam, *accipiens* nec tamen propter hoc formam diuinam amittens. Forma serui accessit, sed non forma Dei decessit. *In similitudinem hominum factus est* Glossa, quantum ad naturam passibilem, non quantum ad culpam. *Et habitu inuentus, vt homo*, scilicet sua conuersatione, quia inter homines duxit communem vitam, iuxta illud Baruch. 3. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Humiliauit*, inquit, *semetipsum, formam serui accipiens, factus obediens*: & non solum quoad conuitia & verbera, sed etiam vsque ad mortem; & non ad quamcunque, sed ad mortem crucis contemptissimam.

Arij error.

Discipulus Arij sagittis igneis configitur.

Ecce qualiter ille miles generosus Christus IESVS venit, assumens arma humanitatis, & pugnans cum Tyranno suggestore iniquitatis, & filiam summi regis in possessionem introduxit regni. Ideo dicit deuotus Doctor Hugo in soli. de arrha animę, ad animam suam: Humiliari dignatus est, cum te reputaret; vt enim te releuaret illuc vnde cecideras, ipse dignatus est descendere vbi iacebas, & vt tibi iustè redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est pro te pati, quod per peccatum tuleras. Descendit ergo, suscepit, sustinuit, vicit, restaurauit. Descendit ad mortalem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, restaurauit hominem. *Et infra.* Abieras ergo & perieras, quia in peccatis tuis venundata fueras. Abijt ille post te, & redemit te, & tantum dilexit te, vt sanguinis sui pretium appenderet pro te, talique pacto reduxit te de exilio, & redemit de seruitio. Et hoc etiam innuitur in exemplo prædicto, vbi dictum est, quod miles ille accepit vulnus læthale, quia de Christo dicitur Isaiæ 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.* Idcirco debet anima cuiuslibet hominis toto tempore vitæ suæ mortem Christi deplangere ad instar illius puellæ, & arma suæ passionis ad cameram sui cordis portare, & ea frequenter aspicere. Quia Christus cuilibet militi suo, spirituali scilicet homini, contulit illa arma. Dicit enim Robertus Holkot lection. 123. quod reges, iuuenes & principes consueuerunt militare in armis ignotis, nec in istis, quæ

Mira Dei erga hominē dignatio.

Mors Christi semper deflenda.

quæ postea debent deferre. Quando autem tales principes exercitium in talibus armis dimittunt, & victoria gaudent, tunc solent dare alicui armigero arma illa, consecrando eum in militem, & illud cedit ad honorem illius armigeri, quòd possit portare arma domini sui, quibus vsus est in sua militia iuuenili.

MORALITER. Dominus noster filius Dei IESVS Christus militauit in cruce, arma habuit de argento & bysso carnis suæ, quinque rosis rubeis distincta, quæ sunt vulnera impressa corpori suo sacro. Princeps autem (CHRISTVS) iste, ludum talem armorum in sua resurrectione dimisit, quia *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, quia mors illi vltra non dominabitur.* Ad Roman. 6. Sed homini Christiano, tanquam armigero multum dilecto, contulit illa, & militem illum fecit, vt patet per Apostolum 2. Timot. 2. *Labora sicut bonus miles Christi.* Et honorificum debet esse homini multum, quia cogitare & portare valeat arma Christi, exemplo Apostoli, qui gloriabatur istis armis ad Galat. 6. *Stigmata Domini nostri IESV Christi in corpore meo porto.* Et non solum ista arma portauit, sed ad ea portandum nos hortatus est 1. Cor. 6. *Emti estis pretio magno*, in Christi sanguine pretioso, *glorificate & portate Dominum nostrum Iesum Christum in corde vestro.* Sed est valde NOTABILE illud, quod ad hanc puellam per militem redemptam, multi nobiles venerunt, & eam in vxorem petierunt. Homo quando à Christo miles creatus.

Sed per nobiles MORALITER intelliguntur dæmones, quia nobiles sunt propter subtilitatem naturæ. Dicit enim Magister lib. 2. dist. 7. cap. 6. Licet mali angeli per malitiam ita sint obstinati, viuaci tamen sensu, id est subtilitate ingenij non penitus sunt priuati. Et allegat ibidem Isidorum de summo bono lib. 1. cap. 10. dicentem: Triplici acumine scientiæ vigent dæmones, scilicet, subtilitate naturæ, experientia temporum, & reuelatione supernorum spirituum angelorum. Isti igitur non contenti, quod ante CHRISTI passionem quasi totum mundum sibi subiugauerunt, & filias summi regis, scilicet animas hominum deflorauerunt, & regno cœlesti priuauerunt: sed adhuc quotidie veniunt, & animam cuiuslibet hominis Christi sanguine redemptam, in vxorem petunt, nunc per suggestionem superbiæ, nunc luxuriosè, & sic de alijs. L Triplex acumen scientiæ dæmonum.

Cum igitur sic tentant te ducere in vxorem, seu accipere; intra in cameram cordis tui, & per deuotam meditationem intuere, arma Christi, propter te mortuum, & tunc ei non consenties. Quia dicit Gregorius: Nihil adeo resistit iaculis diabolicæ suggestionis, quàm frequens meditatio diuinæ passionis. Et beatus Ambrosius in hexam. dicit. Folia mori superiactata serpenti, ipsum interimunt. Et folia mori, vt dicit Anselmus lib. 3. cap. 49. sunt exempla Crucifixi, quæ omnem serpentem, id est, diaboli suggestionem interimunt. Si autem tentaris auaritia, considera crucifixi paupertatem & nuditatem: Si de superbia, obijce eius humilitatem: Si de luxuria, corporis pœnarum eius acerbitatem; Et sic exstinguetur omnis tentatio. Et hoc figuratum fuit in serpente æneo in deserto exaltato, cuius aspectus à venosis morsibus serpentum liberauit. Num. 21. Sic liberatus fuit ille à tentatione dæmonis, de quo legitur. Passionis Christi meditatio, efficax remedium contra suggestiones diaboli.

Erat quidam religiosus vir, qui grauiter tentabatur de peccato carnis, tandem videns se non posse resistere, venit ad imaginem crucifixi, ad quam sæpè venerat, Exemplum de religioso à tentatione carnis liberato.

rogans

rogans CHRISTVM, vt eum liberaret ab hac tentatione, dicens: nisi eum citò liberaret, dimissis vestibus religiosis, ad seculum rediret, & suam concupiscentiam saturaret. Hæc igitur cum dixisset, nocte sequenti grauissimè est tentatus. Sed manè flexis genibus dixit: Ecce vestes tuæ, ex quo tu non vis me iuuare, sicque posuit eas ante pedes Christi crucifixi. Tunc crucifixus vocans eum nomine proprio, dixit: Frater, accipe vestes tuas, quia antequam te per hanc tentationem exire permitterem, potius iterum descenderem, si necesse esset, & te liberando iterum mortem sustinerem. Tunc dixit Frater: Domine, ex quo vis me iuuare, potius mortem sustinerem antequam te offenderem, & ita à tentatione liberatus, nunquam talem postea sensit carnis passionem.

Quantum ad SECVNDVM tangitur gloria exaltationis gaudiosæ cum dicit: *Propter quod & Deus exaltauit illum*: *&c.* Vbi NOTA. Christus per suam humilitatem meruit exaltationem sibi, quantum ad humanitatem, & nobis meruit redemptionem. De qua loquitur Magist. lib. 3. dist. 18. c. 3. dicens: Meruit enim membris redemptionem à peccato, à diabolo, à pœna, & regni reserationem, vt amota ignea romphæa, liberè pateret introitus. Vbi, secundum Glossam, per igneam romphæam intelligit gladium versatilem, qui est quidam splendor quasi rota solis: Vel ad literam, fuit aliqua virtus, qua prohibitus fuit paradisi introitus, quam hic vocat romphæam. Sic originale peccatum fuit causa, propter quam non potuimus ingredi paradisum cœlestem, quod planè deletum fuit in passione CHRISTI.

Originale à peccatum paradiso cœlesti nos excludit.

Et addit Magister: Si meruit impassibilitatem, scilicet in anima, & immortalitatem scilicet in corpore, sicut Apostolus dicit hic quem allegat Magister, *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, &c.* vsque, *quod est super omne nomen.* Vbi apertè dicit Apostolus, Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam. *Et subdit.* Humilitas ergo passionis meritum fuit exaltationis, & exaltatio præmium humilitatis. Et adducit Magister, Augustinum, qui exponit Apostolum dicens: Vt Christus per resurrectionem clarificaretur, prius humiliatus est per passionem; humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis est præmium. Sed hoc totũ, scilicet humilitas & clarificatio, factum est in forma serui. In forma Dei semper erit, & fuit claritas.

Humilitas meritum passionis.

Ad idem etiam allegat Ambrosium, qui exponit Apostolum. Quid & quantum humilitas mereatur, sic ostenditur his testimonijs enumeratis, quod Christus per humilitatem & obedientiam passionis, meruit clarificationem corporis: nec illud solùm, sed impassibilitatem animæ. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, quia secundum Glossam, tristitia & dolore erat grauata, sicut caro mortalis. Sed postquam meritò humilitatis anima impassibilis facta est, & ipsa caro immortalis facta est.

M Et est NOTANDVM. Dicit vbi suprà Magister cap. 3. Christus nec tantum gloriam impassibilitatis & immortalitatis meruit, sed etiam nomen sibi donari, quod est super omne nomen secundum honorificentiam, quod vocatur Deus. Hoc tamen nomen ante mortem habuit. *Et subdit:* Hoc est nomen Dei filij, in quantum Deus est ab æterno per naturam: In quantum verò homo factus est, habuit ex tempore per gratiam, quod non solùm dedit sibi nomen quod nominetur, & sit Deus, sed etiam *in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.*

Philip. 2.

PRI-

PRIMVM, patet Apoc. 5. vbi Ioan. vidit *viginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram agno cantantes canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Domine in tuo sanguine.* Ecce quod cœlestia flectunt genua in nomine IESV.

De SECVNDO patet de reliq. & venera. sanct. c. Decet donum. lib. 6. vbi dicit Gregorius X. in Concilio Lugdun. Nomen illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat, nomen videlicet IESV CHRISTI, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum, exhibitione reuerentiæ specialis attollant. Et quod generaliter scribitur: *In nomine IESV omne genu flectatur,* singuli singulariter in seipsis implentes, præcipuè dum aguntur Missarum sacra solennia, gloriosum illud nomen quandocunque recolitur, flectant genua cordis sui, quod ex capitis inclinatione testentur. Et ex quodam registro Papali, habetur: Quicunque hoc mellifluum nomen IESV audierit, & deuotè geniculatus fuerit, à Ioanne Papa XXII. viginti dies indulgentiarum, cum quibusdam diebus, ab antiquo datis, obtinebit. Ad nomen IESVS caput inclinandum.

De TERTIO, legitur in quodam libello qui Annulus nuncupatur, part. 1. cap. 11. In Magdeburg ciuitate Saxoniæ contigit tres socios iuuenes, filios diuitum, propter discoliam suam ad extremam inopiam deuenire, qui de consilio communi se cuidam necromatico sociauerunt, qui cum eis ad quoddam cellarium perrexit, maleficium suum & coniurationes suas faciens in quodam circulo, & subitò ante mediam noctem lumen effulsit, cellarium ornatur, thronus paratus. Adest rex potentissimus cum magna ambitione, & multitudine militum. Et quærit rex, quid velit Magister & socij. At illi. Petunt diuitias, dicentes se suam in omnibus facere voluntatem. Ait rex. Cogitate octo diebus si mihi homagium facere velitis, & Christum, & matrem eius abnegare, inuenietis in tali loco tantam pecuniam, quam infrà octo dies expendetis, postea deliberantes redire poteritis. Et dixerunt; Placet nobis hæc sententia. Et dum hæc fecerunt, rex surgens, deposita corona adorat, & postea resedit incepta persequens, plus iterum surgit inclinans, non tamen adorat. Stupent omnes, adiurat Magister regem, & quærit quare ita fecerit. Post alterationem longam dicit rex. Plebanus sancti Ioannis cum corpore Christi Saluatoris mundi transit, & infirmum visitat, & illum oportet me honorare; quia scriptum est. *In nomine IESV omne genu flectatur,* &c. Et redeunte sacerdote sine corpore Christi, propter dignitatem officij me inclinare oportebat, non tamen adorare. Audientes hoc illi pœnitentiam egerunt, non reuertentes, sed vitam mutauerunt, quorum vnus ordinem Prædicatorum intrauit. Diabolus adorat Christum in Eucharistia.

MORALITER. Sic Christus per suam humilitatem & obedientiam, meruit sibi tantam exaltationem. Sic simili modo & nos, si volumus post ipsum exaltari, necesse habemus nos hic humiliare, & obedientiam tenere. Nam de humilitate habetur Iudith. 2. *Humiles exaltati sunt.* Et Lucæ 1: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Item Petrus dicit 1. Cano. cap. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt exaltet vos in die visitationis.* De obedientia habetur, Heb. 5. vbi dicitur de Christo. *Factus est obtemperantibus,* id est, obedientibus sibi, *causa salutis æternæ.* Ad quam nos perducat, &c.

DE EADEM DOMINICA IN PALMIS.

Sermo Secundus.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Matth. 21.

N NArratur de quodam histrione, qui paruum equum habebat, cum quo frequenter coram hominibus in aula ludebat, qui inter alios ludus quos equum suum docuerat, instruxit eum, quod quandocunq; dixit: *Flectamus genua*, sibi equus obediret & genu flecteret: quādo autem diceret, *Leuate*, surgeret. Contigit autem Menestrallus, id est, histrio iste accedens ad quoddam festum cuiusdam Domini, equum suum cum equis aliorū hospitum collocauit. Cum autem homines comedissent, iste Menestrallus morabatur & occupabatur, sicut debuit, circa ludum suum, in aula scilicet, **da er gauglet.** Et interim iuit quidam armiger ad stabulum, & videns equum Menestralli rotundum & pinguem, reliquit ibi equum suum, & ascendit equum Menestralli, & recessit, & citò post innotuit negotium Menestrallo, qui relictis omnibus, cucurrit & insecutus est illum armigerum. Qui videns quod ferè eum attigerat, tentauit transire quandam aquam, quam nullus poterat pernatare. Videns autem histrio, quod erat in periculo perdendi equū, equo existente in medio fluminis clamauit fortiter: *Flectamus genua.* statimque equus audita voce Domini, flexit genua, & armigerum proiecit in aquam, & surgens redijt ad dominum suum.

Mundus. MORALITER. Per Menestrallum, qui ludit & decipit homines, mundus intelligitur, qui semper nos decipit. quia nihil verum promittit. Ideò dicit Hieronymus: in Epistola. Si mundus cultello veritatis aperitur, nihil in eo nisi falsitas reperitur. Fallax equus, gloria mundi. Sed equus cum quo mundus ludit, est honor temporalis. De quo in Psal. 32. *Fallax equus ad salutem.* Vbi dicit Glossa. Iste equus fallax est gloria mundi, cui cum insidet homo, inuehitur, in eaque confidit, sicut confidit miles in velocitate & virtute equi, multotiens corruens decipit eum, propter quod dicitur Isa. 30. *Væ, qui descendunt in auxilium, in equis sperantes.*

Ambitiosus. Per armigerum, aut qui equum furatur, quilibet ambitiosus designatur, qui quærit gloriam mundi & honores, quæ quidem *gloria est sicut vermis*, hodie est, & cras non inuenitur. 1. Machab. 2. Quia cum tales sunt in maxima securitate dicit eis; *Flectamus genua*, & priuat eum honore obtento; sicut figuratur 3. Reg. 16. vbi legitur, quod Zambri ductus cupiditate dominandi, contra dominum suum Elam rebellauit. Contigit autem Elam bibere & inebriari, quod videns Zambri, irruit super eum, & occidit illum, & pro eo regnauit. Insuper percussit omnem domum Baasa; & non reliquit ex eo mingentem ad parietem, & proximos, & amicos eius. Qui paucò tempore regnauit, & in honore tali fuit, scilicet tantum septem diebus. Quia Amri princeps militiæ Israël, terram in qua morabatur obsidebat. *Videns autem Zambri ciuitatem esse expugnandam, ingressus palatinum succendit se cum domo sua regia, & mortuus est in pec-*

in peccatis suis. Ecce quod ille pauco tempore & breui, in regia gloria fuit. Ideo dicit Seneca. Pensare debemus, quàm breuis est felicitas mundi huius, quàm modica est huius seculi gloria, quàm caduca & fragilis temporis potentia. Dicit enim Boëtius lib. 2. prosa. 2. in persona mundi. Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotã volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudem⁹. Breuis huius mundi felicitas.

Ad propositum autem: Hodie ipse mundus Christo gloriam magnam, & honorem exhibuit, quando cantu puerorum in Hierusalem sollenniter ductus fuit. De hoc figuratum est 1. Reg. 18. vbi legitur. Cùm Dauid vinceret in prælio percusso Philistæo, egressæ sunt mulieres de vrbibus in tympanis lætitiæ, & in sistris, ducentes choros, laudantes dicebant: *Saul percussit mille, Dauid decem millia.* Quod *audiens Saul iratus est nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste. Dixitq́; Dederunt Dauid decem millia; & mihi mille. Quid ei superest, nisi regnum. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid ex illa die.* Dauid enim interpretatur aspectus desiderabilis, & hic designat Christum, *in quem desiderant Angeli aspicere.* 1. Petri 1.

Sed mulieres, quæ sunt instabiles, significant instabiles Iudæorum soboles, quæ Christum hodiè laudauerunt, & citò pòst ad instar aëris immutati, ipsum crucifixerunt. Iste Dauid verus Christus varia bella habuit cum diabolo, qui ipsum impugnauit in deserto, in templi pinnaculo, & in monte excelso, quem tamen percussit lapide sacræ Scripturæ. Matth. 4. & Luc. 3. Tum etiam cum Pharisæis, qui eum multis modis impugnabant, vt patet cuilibet Euangelium intuenti. Cum igitur ab his prælijs reuerteretur, egressi sunt de vrbibus pueri Hebræorum, laudantes Christum, & dicentes: *Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis.* Matth. 21. & Lucæ 19. dicitur. Cum autem appropinquaret ad descensum montis Oliueti, omnes discipulorum turbæ gaudentes, laudauerunt Dominum voce magna, super omnibus virtutibus quas viderant, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini; pax in terra & gloria in excelsis.* Christi varia bella cũ diabolo.

Sed quod Saul qui interpretatur abutens, iratus est cum laudare Dauid audisset, significat quod Pharisæi & Scribæ, qui abutebantur prophetijs & scripturis de Christo prædictis, audientes Christum laudari, inuidia moti sunt. Lucæ 19. Quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum. *Magister increpa discipulos.* quasi diceret: Talis laus, & honor seu gloria, tibi ab eis exhibita, non decet te. Sed hoc ex inuidia irati animi dixerunt, quia ipsum decet laus & omnis honor. Quibus ipse ait: *Dico enim vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et hoc impletum fuit bona sexta Feria, quando Iudæis tacentibus laudem CHRISTI promere, *petræ scissæ sunt,* & eius innocentiam sunt attestatæ.

Quod autem Saul non aspiciebat Dauid rectis oculis ex illo die, designat quod Pharisæi pleni inuidia, ex illo die quo pueri ipsum laudabant, non rectè inspiciebant, sed in multis tentabant. Hic potes adducere historiam de adultera, quam ad Christum Feria secunda adducebant. Ioan. 8. Et sic de alijs.

SECVNDO, ille solennis honor Christo exhibitus, figuratus est 3. Regum 1. vbi legitur, quòd dixit Dauid ad Sadoc & Nathan Prophetam: *Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon, & vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in regem super Israël: & canetis in buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon. Descendit igitur Sadoc sacerdos, &*

Nath in propheta, & Banaias filius Ioiada; & imposuerunt Salomonem super mulam regis David, & adduxerunt eum in Gihon. Et sequitur. Quòd *ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canebat tibijs, lætantes gaudio magno, & insonuit terra a clamore eorum.* Et dum hæc agerentur, venit filius Abiathar sacerdotis nomine Ionathas ad Adoniam, & dixit eo audiente, qualiter rex Dauid constituisset Salomonem regem super Israël, propter quod timens Adonias, abijt in tabernaculum. Sed Salomon eduxit eum de templo præcipiens ei vt iret in domum suam.

David denotat Dei Patrem.

Dauid alio modo interpretatur fortis manu, & significat hic Deum patrem, qui dixit ad Apostolos Petrum & Andream: Tollite vobiscum seruos Domini vestri, scilicet septuaginta duos discipulos, qui piè creduntur in conspectu CHRISTI gloriosi extitisse, & ponite Salomonem, qui interpretatur pacificus, id est filium meum, qui est vera pax, super asinam meam, & ducite eum cum cantu in Hierusalem: Dicitur enim quod fuit in Hierusalem quædam asina, quæ seruabatur communiter pro pauperibus, ad portandum aquam. Cum enim ciuitas esset in alto, & haberet aquæ penuriam, & erat ante domum alicuius ligata, & qui indiguit in illa die ad locum illum reducere debuit, & pabulum sibi dare, & pullus similiter pro illo die nutriebatur. Super illam iussit pater cœlestis ponere filium suum. Et similiter Christus pro ea direxit Petrum & Philippum, & eam adducere præcepit, quando dixit Matth. 21. *Ite in castellum quod contra vos est*, &c. Quod autem Sadoc & Nathan propheta imposuerunt, &c. significat quod Apostoli adducentes asinam, imposuerunt sibi vestimenta, & eum desuper sedere fecerunt, quod dicit Matthæus loco vbi suprà.

Cur Christus super asinam & pullum sedere voluerit.

Dicunt enim aliqui Doctores, quod Christus prius sedit super pullum; sed quia lasciuus erat, viam rectam non tenebat, descendere fecerunt eum, & super asinam posuerunt. Et meritò Christus super vtrumq; sedere voluit, non necessitate coactus, sed vt significaret; quod vtrumq; populum tàm gentiles per pullum, quàm Iudæos per asinam designatos, ad fidem combinaret. Sed per hoc, quòd vniuersa multitudo ascendit post Salomonē, denotatur quod plurima turba sequebatur Christū in Hierusalem. Et alij vestimenta sua in via sternebant, alij cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via, & ista faciebant ei in reuerentiam: & vt iumenta leuius incederent.

In hoc autem quod Ionathas coram Adonia dixit, Salomonem esse regem Israël, significabatur, quod Theodulphus Abbas Floriacensis coram Ludouico Imperatore Christum regem Israël decantaret, dicens:

Gloria, laus, & honor, tibi sit rex Christe redemptor,
Cui puerile decus promisit Osanna pium.
Israël es tu rex Dauidis & incita proles,
Nomine qui — &c.

Refert enim Sigibertus & Vincent. lib. 30. in spec. histor. cap. 35. Temporibus Ludouici Imperatoris floruit Theodulphus Abbas Floriacensis postmodum. Episcopus Aurelianensis, qui illos versus, *Gloria, laus, & honor*, &c. composuit. Quos cū Ludouico Imperatore secus domum, in qua exul tenebatur, apud Andegauum transeunte, decantaret; audiens Imperator, & misertus illius iussit eum absolui.

Alij dicunt, cum hodierna processio fieret apud Andegauum circa turrim; in qua idem sanctus Abbas tenebatur, hos composuit versus, & publica voce cantabat, ppter quod idem Imperator, qui interfuit processioni, ipsum liberauit, & vt idē hymnus

nus

nus singulis annis in altis cantaretur in Ecclesia, demandauit; Sicque cum tantis laudibus & honoribus Apostoli, cum pueris Hebræorum, vsque ad templum deduxerunt; quem honorem Christo exhibitum annuatim sancta recolit Ecclesia.

Sed tamen quàm fallax sit honor mundi & gloria, Christus in hoc demonstrauit, quia in tanto honore fleuit, vt dicitur Lucæ 19. Et hoc etiam ad denotandum, Ecclesia legit post lætam processionem, dolorosam Christi passionem. Sicut de hoc Bernardus in sermone. Vt quid sibi vult hæc mirabilis coniunctio, aut quid cogitauerunt patres nostri, passionem addentes processioni? Passio reuera gaudio est coniuncta, vt discamus in nulla lætitia huius seculi fiduciam habere, scientes, quoniam *extrema gaudij luctus occupat*. Prouerb. 14. In signum huius subdit Bernardus: Ab eodem populo, in eodem loco, & tempore passionis, diebus interpositis paucis, primò cum cantu & triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile. *Tolle, tolle, crucifige eum*. &, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Quàm dissimile est regnum & crux, flores & spinæ. Cui prius vestimenta sternebant aliena, ecce suis exsuitur, & sors mittitur super ea.

Gloria mundi fallax.

Sicut ergo isto die quidam Christum honorificè & gaudenter receperunt, & postea in eius passione nullam cum eo compassionem habuerunt; Ita hodie Christiani debent facere processionem, congaudendo Christo de honore sibi exhibito, & compatiendo sibi de crucis passione, quàm pro nostra salute voluntariè, & ex magna caritate tolerauit. Hoc potest prudens prædicator, prout scit, solerter ordinare, & pro exhortatione populo breuiter proponere; quia hoc die non est diu, propter prolixitatem officij, prædicandum.

DE EADEM DOMINICA

Sermo Tertius in Euangelium.

Cum appropinquasset IESVS Hierosolymis & venisset Bethphage ad montem Oliueti, &c. Matth. 21.

HÆc est natura florum secundum naturales, quantò magis antiquantur tantò magis in terram inclinantur. Et ratio; quia calor naturalis, qui flores in iuuentute erigit, in senectute deficit, sicque flos propter defectum caloris naturalis, se submittit & inclinat. P

MORALITER: Vita humana assimilatur flori; vt dicit Anselm. lib. 3. cap. 83. PRIMO, ratione generationis, quia flores in Zephyro vento generantur, & significat quod humiles in humilitate & mansuetudine oriuntur. Nam Zephyrus est ventus Occidentalis, collateralis Fauonio. & quia flatus eius est leuis, ideo dicitur Fauonius, & producit viridia, vt flores in vere. Sed Boreas est ventus collateralis Aquiloni, qui est fortis, & rigidus, & tumultuosus, & destruit viridia, denudado arbores frondesque arborum. Ideò Zephyrus dicitur mitis secundum Bernardum: lib. meditat. cap. 5. Tua vis varium temperat annum, vt quos Boreæ spiritus aufert, releuat mitis Zephyrus frondes. Sic homo, misericors ac humilior nascitur, omnibus animalibus.

Vita humana cur flori similis.

I.

libus. Nam omnia animalia, præter homines, armata nascuntur. In cornibus, pilis, vnguibus vel dentibus acutis. Quare dicit Philosophus 1. Polit. Homo naturaliter est animal mansuetum, politicum & ciuile.

Homo quid?

II. SECVNDO ratione dissolutionis, quia flores in Austro vento dissoluuntur. Auster enim calidus, significat infirmitatis feruorem, qua incolumitate proportio humanæ vitæ dissoluitur. Ideo dicit Iob. 13. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur*, scilicet in iuuentute, *& conteritur*, scilicet in senectute, vel infirmitate superueniente. Flores enim dum humore aliquo nutriuntur, solis incendio subitò desiccantur, & omnis eorum pulchritudo conteritur, & deletur. Similiter accidit de corporibus humanis.

III. TERTIO ratione diuulsionis, quia flores in vento Borea diuelluntur, quia est ventus asper, frigidus & fortis. Sic ventus asper, & fortis, est mors, per quam humana vita totaliter euellitur, nec iuueni, nec seni parcit. sicut attestatur deuotus Doctor Amandus in horol. Sap. lib. 2. cap. 2. Æquum est iudicium mortis; personam non accipit, nec alicui parcit, sed æqualiter omnibus condimdit: nec iuuenis nec senis miseretur: ignorat nobiles, & potentes non veretur: diuitem vt pauperem simul perdit.

Et quia homo his tribus rationibus comparatur floribus, quare ad instar florum, cum semper appropinquat ad senectutem & ad mortem, debet se semper inclinare & humiliare. Quia Christus, qui est *flos campi & lilium conuallium*. Cant. 2. cum appropinquaret morti, se maximè nobis in exemplum humiliauit, cum intrando ciuitatem Hierusalem, non in equo phalerato, ad modum regis, sed in vili asino, vel vt humilis seruus, humiliter equitauit vt impleretur illud Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam.* sicut de hoc tractat præsentis Euangelij doctrina, quam volo prosequi. Sed sic pro doctrina breuiter quare ad similitudinem puerorum Hebræorum, quilibet status hominum debet Christo in speciali veste, suo statui congruente, portando ramum & florem in manu, obuiare volo Deo suffragante assignare.

Processio in festo Palmarum.

Pro quo SCIENDVM Arist. 1. poëtriæ dicit. Exemplis vtimur in docendo, vt facilius intelligatur, quod dicitur. Vt igitur doctrina prædicatoris facilius intelligatur, exemplum puerorum hodie Christo occurrentium inspiciatur. Ipsi enim in vestibus portantes ramos & flores ei occurrerunt, & ei vestimenta strauerunt, sicut dicit Euangelium, & in statione est cantatum: *Pueri Hebræorum vestimenta prosternebāt in via*. Et iterum. *Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuæ*. Et iterum. *Occurrunt turbæ cum floribus & palmis redemptori.* Sic & quilibet status hominum, exemplo ipsorum Christo ad passionem suam mysticè appropinquanti occurrit.

Q. I. ET PRIMO status sacerdotum qui præcellit omnes status totius mundi dignitate, & non solum communes, sed etiam Imperiales & Regales. quod patet 1. Pet. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* vbi ad explicandum dignitatem sacerdotum, super regiam excellentiam ponit sacerdotium in substantiuo, & dignitatem regiam in adiectiuo. *Regale* inquit, per hoc innuens quod sacerdotio regalis dignitas debitis seruitijs debeat subiacere. Quia vt dicitur Extra de maio. & obe. solite. Tandum præfertur sacerdotalis dignitas dignitati regali, quantum etiam spiritus corpori, dies nocti, lux solis lunari splendori. Et Gregor. Nazianzenus Episcopus, scribens ad Impera-

Sacerdotum status præcellit omnes status.

peratores Constantinopolitanos, & ponitur dist. 10. c. Suscipitis, dicit sic: Suscipitis ne libertatem verbi libenter, id est prædicationis, quia Christus sacerdotali vos subiecit potestati, atq; istis tribunalibus subdit. Dedit & vobis etiam potestatem, dedit principatum multo perfectiorem principalibus vestris. Aut nunquid iustum videtur vobis, si spiritus cedat carni, si à terrenis cœlestia superentur, si diuinis præferantur humana? Acsi patenter diceret: Nullo modo. Comparat enim imperium carni, terræ, & rebus humanis; sacerdotium verò spiritui cœlesti, & rebus diuinis.

Et quia sacerdotes omnes status præcedunt dignitate, ita præcedere debent ordine, vt videlicet primò Christo occurrant, in alba veste mundiciæ & sanctitatis. Quia quantò sunt in eminentiori dignitate ordinis, tantò magis debent esse perfectiores in excellentia mundiciæ & sanctitatis. Legitur enim Exod. 38. quod Moyses fecit de mandato Domini quendam luterem, id est lauatorium, quod ponebatur inter tabernaculum & altare, in cuius margine superiori erant specula & interius continebatur aqua, vt sacerdos antequam ad altare accederet, inspicere posset si aliquam maculam haberet ad abluendum, sicut dicit Magister in histor. & eam abluendo deleret antequam accederet ad altare.

Et si sacerdotes antiqui Testamenti mundi esse debebant, multò magis sacerdotes noui Testamenti mundi esse debent. Et si ante sacerdotium seruiebant lasciuię & immundiciæ, post adeptam sacerdotij dignitatem, debent suam vitam emendare, & in omni sanctitate in suo officio ministrare, non solum exhortatione sacræ scripturæ, quæ dicit Isa. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Et Leu. 19. *Sancti estote*; Glossa; anima & corpore, *quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus.* sed etiam exemplo Gentilium. Narrat enim Valerius Maximus lib. 6. c. 9. quod C. Valerius Flaccus vitam luxuriosam & perditam inchoauit: Factus autem flamen, sic à vitijs recessit, quod omnibus quibus fuit exemplum luxuriæ, postea factus est exemplum sanctitatis & virtutis. Sacerdotes debent esse mundi & casti.

Sed valde timendum est, & (heu) sic est, quod multi sacerdotes nouæ legis, qui post adeptam sacerdotij dignitatem, non sunt facti sanctiores, sed peiores; & tales incongruè sacerdotes appellantur. Nam cum ipsi sunt, quomodo alios sanctificare possunt? Dicit enim Isidor. lib. 7. c. 22. Sacerdos habet nomen compositum ex Græco & Latino, quod est sacrum dans. Sicut enim rex dicitur, à regendo; ita sacerdos, à sanctificando dictus est. Consecrat enim & sanctificat. Vnde sanctitate debet fulgere, qui alios per mysterium habet sanctificare. Ideo deberet indui alba veste mundiciæ & sanctitatis. Et hanc tunc in via Christo sternunt, quando alios ad mundiciā sanctitatis ducunt, dicentes: Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sacerdotis ætymologia.

Item sacerdotes debent portare ramos de arboribus, quæ arbor dicitur agnus castus. Et secundum Plinium in spec. nat. conseruat in omnibus castitatem & semper viret. Et per hoc significatur Moraliter quod sacerdotes debent esse casti, & in castitate semper virere, secundū exemplum Gentilium sacerdotum. Dicit n. Plato in Timæo: quod apud Athenienses sacerdotes separatim à cetero populo morabantur, ne aliqua prophana cogitatione castitas pollueretur. Et Seneca, lib. 7. declamationū, loquens de virginibus ministrantibus in sacris gentilium, dicit: quòd à sacerdotio repellebantur apud Gentiles, captiuæ prostitutæ, & homicidæ; hæ enim non poterant petere sacerdotium. Quia sacerdos, id est, quæ debet sacra dare, debet esse casta cum castis, & pura cum puris. R Arbor, agnus castus. Sacerdotes apud Gētiles

De

De hoc etiam loquitur Hieronymus contra Iouinianum. Cremon, inquit, Stoicus videlicet eloquentissimus, de vita antiquorum sacerdotum narrans ait. Qui omnibus post positis negotijs in templo fuerunt, & rerum naturas, causasque ac siderum, contemplati sunt rationes, & non se mulieribus miscuerunt, nunquam cognatos, liberos, & proximos viderunt eo tempore, quo cœperunt diuino cultui seruire: & multa alia pulchra narrat de virtutibus antiquorum gentilium sacerdotum. Si igitur flamines aut sacerdotes gentiles, in superstitiosis suis cultibus, & ritibus seruientes Sathanæ, sic virtutibus castitatique insistere curauerunt, multò fortius hoc facere debent sacerdotes Dei altissimi, vt possint in suis officijs dignè ministrare.

Item sacerdotes debent cum hoc ramo, qui dicitur agnus castus, portare in manibus suis florem, qui dicitur flos campi, qui in partibus vltramarinis dicitur nasci habens stipitem asperum, & quinque folia rubea, & significat Christum qui pertulit asperitatè crucis, & habuit quinque vulnera suæ beatissimæ passionis, quem clerici præcipue debent portare, quia sunt præ alijs in sortem & hæreditatem Dei electi. Propter quod dixit de sacerdotibus Ezech. 13. *Non erit eis heredi:as eorum.* Sed super hoc non intellige, quod presbyter aut clericus non possit capere paternam hereditatem; quia capere possunt hereditates cum fratribus suis, vt in Authent. de sanctis Episcopis, & de Deo amabilibus clericis c. Clerici. colla. 9. Si autem vellent amare hereditates, temporales plus quàm Christum, multum peccarent.

§ *II.* Reipublicæ Rectores.

SECVNDO; Reipublicæ rectores occurrere debent Christo in veste nigra iustitiæ rigiditatis, non quod tales rectores alias non possint portare vestes, sed nigræ sunt eorum statui magis congruentes. quia nigrum ad literam significat rigorem propriè Ernst. quem iustitia ostendit, & iustitiæ vestis est valde conueniens Prælatorum quia dicit Robertus Holkot super lib. Sap. lect. 3. super illud Sap. 1. *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* Videmus enim quòd illud quod est pretiosum, charum vel amatum à principè, in ornatu, gestu vel victu, illud trahitur ad consequentiam à subditis, siue sit vtile, siue inutile, saltem nobile negotium reputatur, effigiare principem in his quæ ab ipso diligi cognoscuntur. Vnde si iudices, Domini vel Prælati vellent amare iustitiam, non est dubium quin eam subditi amarent. Nec mirum: si is qui est de secta regis, & potest de eodem vel consimili panno indui, multum gaudij habet. *Et subdit* Robertus Holkot. Principis, iudicis, & Prælati vestis. debet esse iustitia secundum illud Iob. 29. *Iustitia indutus sum & vestiuit me sicut vestimento.*

Vestis Principum, iustitia.

Et est NOTANDVM quod hæc vestis nigra iustitiæ & rigiditatis, magis rectoribus communitatis conuenit, quàm aliqua alia vestis virtutum, duplici ratione. PRIMA quia habita iustitia in Prælatis, habentur communiter omnes virtutes. Nam dicit Ambrosius in hexam. Vbi est prudentia, ibi aliquando est malitia; vbi fortitudo, ibi iracundia; vbi temperantia, ibi impatientia, & plerumque alia vitia; Vbi autem est iustitia, ibi concordia virtutum & rectorum.

Reges & Principes sine iustitia esse non possunt.

SECVNDA ratio quia sine iustitia non possunt reges & principes esse Domini. Ideo multum debent diligere illam vestem, sine qua Domini esse non possunt. Amota enim iustitia, fiunt reges tyranni Quod probat Augustinus lib. 4. de ciuitat. Dei 4. Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? & latrocinia quid sunt, nisi perempta regna? Et adducit historiam de Alexandro, & quodam pirata, qui vocabatur

batur Dionides, quæ tamen plenius narratur in 3. Politic. quod cum pirata comprehensus esset, & eum Alexander interrogaret, propter quid mare haberet infestum? Respondit libera contumacia: Propter quid tu orbem terrarum. Sed quia ego facio hoc paruo nauigio, latro vocor: tu autem, quia magna classe facis, diceris Imperator. Si solus captus fuerit Alexander, latro dicitur & erit. Si ad nutum Dionidis populi famulentur, erit Dionides Imperator. Nam quantum ad causam, latrocinium meum & tuum non differunt: quia non deterior est qui rapit improbius, & qui iustitiam abiectius deserit, quàm qui manifestius impugnat leges sponte, & contumeliam infert sine necessitate & magnam inopia. Ego abiectius desero, sed tu manifestius impugnas leges. Quas ego fugio, tu persequeris. Ego vtrumque vereor, tu contemnis: me fortunæ iniquitas & rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis & inexplebilis auaricia furem facit. Si fortuna mea mansuesceret, forem fortè melior. Et tu quo fortunatior eris, nequior eris. Miratus Alexander hominis constantiam, cum iustè increparetur & meritò argueretur. Experiar, inquit, an futurus sis melior; fortunamque mutabo, nec nocet alicui quod deliquisti sed tuis moribus adscribatur: tuncque ascribi iussit eum militandis, vt posset exinde saluis legibus militare. Ex isto sequitur, quod reges sine iustitia non possunt iustè regere. Hanc autem vestem iustitiæ Christo in via sternunt, quando vnicuique prout decet iustitiam faciunt, eo quod iustitia dat vnicuique quod suum est, vt inquit Anselmus.

Historia de Alexandro & Dionide.

Item tales Domini temporales non solum debent Christo vestem iustitiæ in via sternere, sed etiam ramum in manu portare. Et hic quidem ramus debet succidi de arbore, quæ dicitur Iuniperus, quæ habet hanc proprietatem, quòd licet sit aspera & rigida, si tamen prunæ sub eius cineribus operiantur, vt dicit Auctor proprietatum, libro 17. nullatenus exstinguuntur. Per hoc Moraliter significatur, quamuis iustitia dominorum & communitatem regentium debet esse aspera, tamen debet fieri cum amore, qui significatur per ignem, qui sub cineribus Iuniperi seruatur. Dicit enim Aristot. lib. 2. Ethi. Ad hoc quod homo sit iustus, non sufficit iusta facere, sed etiam requiritur quod iustè faciat iusta. Vnde qui suspendit furem Zelo vindictæ, propter grauamen personale, facit quidem iustitiam, sed non iustè. Sed ad hoc quod homo sit iustus requiritur quod faciat amore iustitiæ. Ideo dicit Ansel. in lib. de libero arbitrio cap. 3. Quare iustitia est rectitudo propter se seruata. Et Deut. 16. *Iustè quod iustum est persequaris.*

T

Proprietas cineris iuniperi.

Ex quibus patet, quod quatuor sunt genera hominum, qui iustitiam quodammodo faciunt, & tamen eam non diligunt. Et tales licet vestem Christo in via ponant, tamen ramum non portant. Primi sunt *appetitiui* bonorum. Sunt enim quidam, vt dicit Robertus lect. 2. qui iustitiam non diligunt, delinquentes tamen vituperant, & virtutes docent, vitia puniunt sine misericordia, & tamen cũ intentione corrupta, quia non ob aliud nisi vt glorificentur ab hominibus, & vocentur iustitiæ zelatores: quales fuerunt Scribæ & Pharisæi, de quibus Matt. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra.*

Quinam iustitiam faciant & eam non diligant

1. Appetitiui.

Secundi *vindicatiui* iniuriarum & rancorum, qui prætendunt se esse exploratores iustitiæ & non sunt. Sicut enim iustitia vult vindicare delicta, sic & ira iniuriam. Quia dicit Philosophus: Ira est appetitus vindictæ. Iratus enim ante vindictam dolet, quasi patiens aliquod iniustum: sed quando punit, delectatur, sicut dicit Philosophus in Ethicis. Tales fuerunt illi duo senes iudices, qui Susannam adiudicauerunt

2. Vindicatiui.

Ira, quid?

runt morti; quia eorum libidinosum amorē contempsit. Dan. 3. Inter enim passiones malas, quæ in iudice esse possunt, Ira est vna de peioribus. Nam secundum Catonem:

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Ita excogitat causas calumniandi, etiam vbi culpa non subest. Ira in pœnis modum vel medium nescit tenere. Et hoc dicit Seneca lib. 1. de ira ad Nouatum, de quodam iudice malo, quod furore accensus condemnauit ad mortem tres milites innocentes in hunc modum: Vnum iussit occidi; quia de via redierat sine socio commilitone, imponens ei causam, quòd eum interfecerit, præcepitq; statim cuidam militi astanti, quod eum duceret ad locum supplicij, vbi morte plecteretur. Cum autem esset eductus, rediit miles eius socius sanus & incolumis, pro quo alius morte plectendus ducebatur. Videns autem hoc ille tertius miles, qui primum ducebat versus supplicium, rediit ad iudicem, & ambos milites coram eo præsentauit, quos vt vidit Tyrannus, furore succensus iudicium tale dedit.

Historia de malo iracundiæ.

Primo dixit, te iubeo occidi, quia iussus es occidere, & Imperatori non obedisti. *Secundo* militi dixit: Te, inquit, iubeo interfici, quia damnatus es. *Tertio* dixit: Te simul iubeo interfici, quia causa commilitoni damnationis fuisti. *Et subdit* Seneca ibidem: O quàm solers est iracundia ad fingendum causas furoris: Tres enim hi puniti sunt ob vnius innocentiam. Excogitans ille quendam modum, quo faceret crimina, cum nullum inueniret. Habet enim iracundia hoc malum, quod non vult regi. Nam ipsi veritati irascitur, si contra eius voluntatem aliquid faciat. Hæc ille. Ideo signanter dicitur Iacobi 1. *Sit homo omnis velox ad audiendum, tardus ad iram.*

3. Lucratiui.

TERTII sunt *lucratiui* omnium munerum, qui prætendunt se iustitiam diligere, sed mentiuntur omninò. Diligunt enim pecuniam, & propter pecuniam faciunt iustitiam. Isti enim non diligunt iustitiam, nisi vt veneficus venenum, & Iudas Christum ad vendendum. Isti enim sunt mercatores iustitiæ, & non amatores. Sicut enim mercator non curat, cui vendat suas merces, nisi quòd ille habeat qui plus affert de pecunijs, ita tales iudicium vendunt suum indifferenter, siue iustè siue iniustè, dummodo iste potius habeat, qui plus de pecunia eis donat. Quibus Deus meritò maledicit, Isa. 5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.*

Mercatores iustitiæ.

4. QVARTI sunt *dissimulatiui* scelerum, & etiam non sunt iustitiæ amatores. Habet enim iustitia quod culpæ correspondeat pœna, sicut morbo medicina: oppositum autem est iniustitia. Et ideo talis compassio vel pietas, falsa est & iniusta. Sic enim mater quandoque non sustinet filium verberari, vt corrigatur, nec filiam aduri vt sanetur. Sed contra tales loquitur beatus Augustinus in quadam Epistola: Molestus est, inquit medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio: Ille ligando, iste corrigendo. Si autem illos negligunt, & peccare permittunt, ista potius falsa mansuetudo & crudelitas est. Et ideo signanter dicit Psal. 105. *Beati qui custodiunt iustitiam.* Et Matth. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

V Item Prælati, tàm spirituales quàm seculares, debent etiam portare flores in manibus, & sic occurrere Christo; & hos flores debent colligere de arbore, quæ dicitur malus, cuius fructus seu flores sunt varij, & decori. Hæc autem arbor, vt dicit Anselmus lib. 3. c. 41. est decentia morum, & pulchritudo, quæ debent esse in Prælato. Quia dicit Albinus in primo dialogo ad Carolum: Pereunt dignitates ad nihilum, perit status pariter & honores, qui non sunt moribus fundati & virtutibus.

Malus.

Vel

Vel alio modo: Flores odoriferi & attractiui sunt bona exempla Prælati, quibus debēt abundare iuxta illud Tim. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo*, Glossa, sanæ doctrinæ, *In conuersatione*, scilicet sanctæ vitæ. *In charitate, in fide, in castitate*, scilicet munditia corporis & animæ. Debet etiam facere illud quod expedit, quia quod à Prælatis agitur, facilè trahitur à subditis in exemplum, vt habetur. Extra de vot. & vot. redem. magnæ deuotionis per Innocentium III. Sunt etiam tanquam signum positum ad sagittam, vt inferiores vitam eorum respiciant, vt dicitur de accu. qualiter & quando. Idcirco si mala exempla præbent suis inferioribus, & illi per hæc scandalizantur, & pereunt, ipsi pro peccatis eorum damnantur, secundum illud Gregorij: Tot mortibus digni sunt, quot exempla mala in subditos transmiserunt.

X

Tertio, in statu hominum inferiorum potiores sunt virgines, quæ debent occurrere in veste subrubea, id est, brunatica pudicitiæ, & taciturnitatis, quia hæc vestis est aptissima virginitati. Vnde Augustinus de ciuit. & ponitur 27. q. 5. c. Ita. Pudicitia est animæ virtus, quæ plus vult quæque mala tolerare, quàm malo consentire; Et multa bona facit secundum eundem Augustinum. Pudicitia habet castitatem, lites debilitat, lasciuiam castigat, ebrietatem cauet, verba non multiplicat, concupiscentias gulæ impugnat, omnia vitia reprimit, & omnes virtutes facit. *III. Virgines. Laus pudicitiæ.*

Et Nota quod pudicitia virginum principaliter attenditur in duobus: *Primo*, in submissione oculorum. Si enim Virgo submittit oculos suos, & non hinc inde circumspicit, signum certum est & firmum suæ virginitatis. Et de talibus potest exponi illud Psal. 16. *Oculos suos statuerunt declinare in terram*. Si autem volunt videre omnia vitiosa, signum est impudicitiæ. Ideo dicit Augustinus in de fide Christi, & ponitur 32. q. 5. Nec sole. Nec, inquit, dicatis vos habere animas pudicas, si habetis oculos impudicos. Oculus enim impudicus impudici cordis est nuncius. *Secundo*, in taciturnitate verborum. Nam Virgo pudica pauca in modum profert verba. petens Dominum in Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*. Sed impudica, vbi non debet, multiplicat verba. *Virginum pudicitia in quo cōsistat. 1. 2.*

Idcirco *primo* similis est naui sine gubernaculo, quæ vadit non quo vult, sed quo ventus ducit, & si intrat aquam, citò submergitur, & obstruetur: Sic qui os suum non restringit à verbis superfluis, citò in peccata cadit. Quia dicitur Prouerb. 27. *Os lubricum operatur ruinas*. Et Eccles. 20. *Qui procax est ad loquendum, odibilis est.* *Virgo impudica, nauis sine gubernatore. I.*

Secundo, similis est equo sine fræno, qui impingit vbi non vult Dominus eius, vt interdum Dominos cadat. Ita talis non gubernans linguam suam, quantum ad rationem, quæ est quasi Dominus, ad ruinam tendit. Iuxta illud Prou. 17. *Qui exaltat os suū*, scilicet in loquacitate, *quærit ruinā*. Et Eccl. 5. Imprudentis lingua subuersio ipsius est. *II. Virgo loquax, equus sine fræno.*

Tertio, similis est vasi sine cooperculo quod immundum est, & citò refringitur. Sic homo qui non custodit linguam suam, immundus est. Iuxta illud Num. 19. *Vas quod non habuerit ligaturam & cooperculum desuper, immundum erit*. Ideo necesse est, vt virgines habeant vestem subrubeam, aut brunaticam induant, taciturnitatis & pudicitiæ, & Christo studeant obuiare. Ideo & ramum in suis manibus portant, cum quo & Christo venienti occurrant, & hunc ramum incidere debent de arbore, quæ vocatur Cedrus, & significat virginitatem. *III. Vas est sine cooperculo. Cedrus designat virginitatem.*

Primo, propter gratissimum virorem. Est enim aspectu pulchra, & semper tenens viridia folia. Sic est virginitas multum pulchra in oculis Domini, secundum *1. Propter virorem.*

 quod

quod dicit Sap. 4. *O quam pulchra est generatio casta cum claritate.* Et semper viridis & florida manet. Iuxta illud quod dicit Architarentinus in libro de euentibus, in natura. Totus in meipso floreo, ad factum munditiæ virginalis. Sed Anselmus lib. 3. c. 79.

Castitas virginalis Deo gratissima.

Continentia carnis est quasi quidam viror arboris. *Et subdit.* Gratus est autem Domino viror continentiæ coniugalis, gratior viror continentiæ vidualis, sed gratissimus viror continentiæ virginalis. Et declarat hoc per dictum Sapientis, Eccli. 40. *Gratiam & speciem desiderabit oculus, & super hoc virides sanctiones.* quasi diceret; Desiderat oculus videre continentiæ gratiam coniugalis, & speciem pudicitiæ vidualis, & super hoc virides sanctiones, id est, virgines sanctissimas.

2. Propter odorem.

SECVNDO, propter iucundissimum odorem. Odor enim Cedri serpentes fugat, & homines recreat. Sic odor virginitatis serpentes infernales fugat, & Angelos delectat. De *primo* dicit Damasc. contra errores Græcorum Compertum quod dæmones, qui nulla virtute eijci potuerunt, excelsa virtute præsente virginitatis, nimiũ conclamantes, protinus exierunt. De *secundo*, quod Angelos delectat; quia virginitas, vt inquit August. lib. de virginitate, est soror Angelorum, expulsio dæmonum, extirpatrix vitiorum, auctrix sola spiritualium meritorum.

3. Propter vigorem.

TERTIO, propter efficacissimum vigorem; quia tanti est vigoris, quod nunquam à tinea corroditur. Quia tinea in veste, est concupiscentia in carne, de qua dicit Augustinus lib. de bapt. paruulorum. Et allegat Magister lib. 2. dist. 30. cap. 17. Est in nobis concupiscentia, quæ non est permittenda regnare. Sunt & eius desideria, quæ sunt actuales concupiscentiæ, quæ sunt arma diaboli, quæ veniunt ex languore naturæ. Languor autem iste tyrannicus, qui mouet desideria, inducit peccatum mortale. Si ergo vis rector esse & inimicum vincere, non obedies concupiscentiæ malæ. Hæc Magister. Hanc autem concupiscentiam carnis renuit virginitas, & carnem illæsam custodit. Quia dicit Augustinus lib. de sancta virginitate. Virginitas est continentia, qua integritas ipsa corporis & animæ fouetur, cõsecratur, & cõseruatur ipsi creatori.

Viola flos humilitatis.

Item non solum sufficit virginibus, quod induant vestem brunaticam pudicitiæ & taciturnitatis, vel portent ramum Cedri corporalis & mentalis virginitatis, sed etiam necesse est, vt gestent florem qui dicitur viola veræ humilitatis. Valde enim timenda est superbia à virginibus. Quia dicit Augustinus libro de virginitate. Non solum prædicanda est virginitas, vt ametur, verum etiam monenda est ne infletur. Idem in eodem dicit: sic metue tibi vehementer, vt eum te agnum quocumque ierit, secuturum esse glorieris, cum eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. *Et iterum.* Bonum, inquit, virginitatis quantum magnum video, tanto ei ne pereat per furem superbiæ timesco. Et Bernardus super Missus est: Pulchra; inquit, est permixtio virginitatis & humilitatis. Non mediocriter placet illa Deo anima, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. *Et subdit.* Potest placere humilitas, quæ deplorat virginitatem amissam; Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas MARIÆ DEO placuisset. Vnde MARIA se virginem oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. quasi diceret: In hoc malè facis. Et beatus Augustinus lib. de virginitate laudat coniugatos homines vltra superbas virgines, cum dicit: Facilius sequuntur agnum, & si non quocumq; potuerint, coniugati homines, quàm superbientes virgines. Idcircò necesse est, vt cũ ramo cedrino virginitatis, portent.

tent secum florem violaticum humilitatis, si volunt Christo hodie ornatè obuiare, & cum pueris Hebræorum gaudenter eum collaudare.

QVARTO. Viduæ si volunt Christo occurrere, debent vestem flauam continentiæ & sobrietatis induere. Significat enim vestis flaua stabilitatem: quia vidua debet stabilis in castitate post mortem viri sui viuere. Et ad hoc debet eam incitare vnitas carnalis & mentalis, quæ fuit inter eam & suum comparem, dum viuerent. Nam fuerunt *duo in carne vna*. Genes. 2. & Matth. 19. Et subdit: *Itaque iam non sunt duo sed vna caro:* Ergo persona relicta quasi semimortua. Vnde satis rationabile est, vt non multum adhæreat seculo huic, sed magis cogitet de anima, in quo est iam quasi dimidia & breui tota futura. Quod autem vir & vxor sunt vna caro, & vna mortua manet alia quasi dimidia, probat in simili S. Augustinus in lib. confessionũ, loquens de amico suo quodam defuncto. Vnde dixit de illo quidam dimidium animæ. Nunc ego sensi animam meam. & animam illius vnam fuisse, in duobus corporibus, & ideo horror mihi vita, quasi nolebam dimidius viuere. Idem probat Bernardus loquens de fratre suo Geraldo defuncto, dicit: Cum essemus cor vnum & anima vna, hanc meam pariter & ipsius animam pertransiuit gladius, & scindens mediam partem locauit in cœlo; aliam verò partem in ceno deseruit. Et ex illa portio misera in luto iacens truncata, & parte sui & parte potiori. Hæc Bernardus. Si ergo sic est inter bonos socios & fratres, multò magis hoc debet esse inter viros & vxores, vt videlicet mortuo viro, vxor quasi semidimidia relicta, vlterius quasi potiori parte mortua manet. Y IV. Viduæ, in veste flaua. Dimidium animæ.

Sunt & alia incitamenta continentiæ vidualis. PRIMVM est oppressio liberorum, quam solent facere frequenter secundi mariti, filijs qui fuerunt à primo marito. SECVNDVM est tribulatio experta, quam habent qui sunt in coniugio. De quo 1. Cor. 7. *Tribulationem carnis habent huiusmodi.* Glossa, pro rebus necessarijs acquirendis ac prouidendis, sibi & filijs. TERTIVM est, impedimentum Deo ad seruiendum. Ideo dicit Apostolus vbi suprà: *Hoc ad vtilitatem vestram dico vobis*; quasi diceret: Ostendo vobis illud quod melius est, & magis eligibile potentibus continere, *non vt laqueum vobis immittam*, quasi diceret: Non dico hoc tanquam necessarium ad salutẽ, quia hoc esset illaqueare infirmos, qui non possunt continere, *sed ad id quod honestũ est* prouoco. Quasi diceret: quia continentia est honestissima, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino consecrando, id est, sacrè seruiendo. Quam facultatem præbet continentia, auferens impedimenta Deo liberè seruiendi. Motiua continentiæ vidualis.

Et NOTA, quod vidua quæ vult manere casta, debet esse sobria: quia sobrietas carni concupiscenti aduersus spiritum victualia aufert, & igni concupiscentiarum ligna subtrahit. Ideo dicit Apostolus 1. Timoth. 5. *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Viduæ est sobrietas necessaria.

Item viduæ debent gestare in manibus palmarum ramos. *Primò* ad ostendendum humilitatem quia dicit B. Fulgentius ad Gallam: Habitus tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet. *Et infra.* Prosit tibi vilitas vestiũ, & parcè vestiatur nuditas pauperum. Z I.

Secundo, ad demonstrandum castitatem, quia sicut palma habet viroris perpetuitatem. quia diuturnis vestitur folijs sine vlla suppressione temporis ea conseruans, tempore hyemis & æstatis: sic etiam vidua debet seruare sibi perpetuam castitatem, II.

quo diutius poteſt. Propter quod dicit idem Fulgentius: Poſt obitum temporalis mariti, omnes de tuo corde debent reliquiæ cogitationis mundanæ extingui, ne quæras vt placeas oculis hominum, ſed vt Chriſti non offendas aſpectum: ille in te quod diligat, ſcilicet caſtitatem, videat; quod dederit, inueniat; quo delectetur, agnoſcat.

III. Viduæ opera. *Tertio* ad denotandum operum multiplicitatem. Sicut enim palma multiplices fert fructus, & ſuaues: & quantò coniuncti immediatius ſoli, tantò magis ſunt ſuaues & ſapidi. Sic vidua debet ferre fructus bonorum operum, vt videlicet ſit crebra in oratione, ſancta in cogitatione, & continua in operatione, vt dicit ibidem Fulgentius.

Item vidua debet portare florem qui dicitur Solſequium, vel ſponſa ſolis, de quo dicit Iſidor. lib. 17. Cum ſol occubuerit ſe recludit, & quando iterum oritur ſe aperit. Hic per ſolem MORALITER intellige maritum, qui ſi eſt prudens & bonus, eſt quaſi ſol in domo ſua, lumen bonorum exemplorum, vxori & pueris cæteræque familiæ adminiſtrans. Quia familia debet per dominum domus à malo cohiberi, & ad bonum incitari, vt dicit Ambroſius: diſt. 47. c. Sicut hi. Ille igitur ſi mortem occubuerit, debet amodo vidua, ad ſimilitudinem floris ſolſequij, ſe in domo ſua recludere, & non ad publica ſpectacula currere, exemplo Iudith, quæ poſt mortem viri *in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum in quo cum puellis ſuis morabatur.* Iudith. 8. Sed quod flos ille ſole oriente ſe aperit, in hoc figuratur, quòd orto vero ſole Chriſto in corde viduæ, debet ſe ad Chriſtum vertere, & ad omnia opera bona aperire, exemplo Annæ viduæ, *quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus DEO ſeruiens.* Lucæ 2.

V. Coniugati in veſte rubea. QVINTO, coniugati debent occurrere CHRISTO in veſte rubea amicitiæ & caritatis, vt videlicet amicè, caritatiue ſecum commorentur. Et hoc PRIMO, annulus demonſtrat, quem ex vna parte vir tribuit vxori, & ex alia parte vxor viro. Iſte quidem annulus nec digitum excedit, nec exceditur; ſed ei adæquatur: per quod intelligitur, quod amore carnali debet vir vxori adhærere, & vxor ſimiliter viro. Et ſicut annulus alium digitum præter hunc in quo poſitus eſt capere non poteſt, ſic amor viri ad aliam mulierem diuidi non debet, nec è conuerſo, vt dicit Hieronymus: Annulus ponitur in illo digito, in quo eſt vena, quæ vſque ad cor protenditur, quia côiuges ex corde debent amare ſe inuicem, non ſolum ſignis exterioribus, ſed etiam interioribus. vt 30. q. 5. c. Fœminæ. Dicitur igitur annulus quarto digito appenſus ſponſæ, vt ſicut vena ab illo digito tranſiens cordi coniungitur, ſic etiam eorum corda per dilectionem coniungantur. SECVNDO. quia vir & vxor ſunt tanquam vna arbor, ſicut planta & ramus inſertus vnam arborem efficiunt, & vnum fructum ferunt, & neutrum illorum ſufficiens eſt ad ferendum illum fructum. Sic vir & mulier ſufficiens eſt ad generandum prolem. Ideo debent amore inuicem adhærere ſicut ramus inſitus adhæret plantæ.

Coniugati ferût ramos oliuarum. Item coniugati occurrendo Chriſto, debent habere in manibus ramos oliuarum miſericordiæ & pietatis. Et hoc ideo, quia ſicut de ramis oliuarum exprimitur oleû & effunditur, ſic debent ipſi coniugati effundere & exprimere de ſe oleum miſericordiæ ſcilicet eleemoſynæ, & pietatis. Quia dicit Saluſtius in Iugurtino. Nulla certior cuſtodia theſaurorum, quàm dum datis eleemoſynis recondimur ſub cuſtodia miſe-

miserorum. Et dicit Plinius in spec. nat. Quod oleum de ramis oliuarum melius in torculari eliquatur, si oliua prius aqua calida perfundatur. Quid est aqua calida nisi cordis compassio feruida, vt dicit Ansel. li. 3. c. 39. Quam quidem passionem si habuerint erga pauperes, citius effunditur oleum eleemosynæ & misericordiæ ab eisdem. Sicut dicit Iob, qui fuit pius & misericors coniugatus, quia dicit c. 31. *Si negaui quod volebant pauperes, & oculos viduæ exspectare feci. Si comedi buccellam solus.* Et subdit rationem: *Quia ab infantia creuit mecum miseratio.* Et ponitur ibi; *si* pro *non*. Iob.

Item bonus coniugatus erat Tobias, qui dixit filio suo: *Vade & adduc aliquos de tribu nostra, vt epulentur nobiscum.* Tob. 2. Item boni coniugati erant parentes Mariæ, de quibus scribit Hieron. quod substantiam suam trifariè diuidebant. Vnam partem templo & eius seruitoribus impendebant: Aliam partem peregrinis & pauperibus erogabant: sed tertiam sibi & familiæ vsibus reseruabant. Ecce qualiter illi ramos oliuarum in manu portabant misericordiæ & pietatis. Tobias.

Item debent in manibus portare flores amigdali veræ fidelitatis. Sicut enim flores amigdalorum, præ alijs floribus arborum citius apparent, sic debet fidelitas coniugatorum præ alijs virtutibus florere & apparere. Quid autem sit fidelitas, aut fides, docet Augustinus super Gen. li. 1. c. 9. In fide, inquit, attenditur, vt post vinculum coniugale cum alio, vel cum alia non coëatur. Propter, quod dicit Magist. li. 4. dist. 31. Deest enim fides, vbi vir cum alia, vel mulier cum alio, coit. A

SEXTO & vltimo, debent omnes peccatores occurrere Christo, in veste cilicina pœnitentiæ & austeritatis. Ipsi enim peccatores debent agere austeram pœnitentiã, propter quatuor incitamenta, quæ ponit Robertus Holkot lect. 144. PRIMVM est amor Christi, quem offendimus. Ipse n. ab æterno dilexit nos. Ierem. 31. *In caritate perpetua dilexi te.* Et Apoc. 1. dicit Ioan. *Dilexit nos & lauit nos in sanguine suo à peccatis nostris. & fecit nos regnum*, id est, conscribi nos in gaudium regni cœlestis. Ecce quantam dilectionem nobis peccatoribus ostendit. Et certè maiorem ostendere non potuit, nisi cum pro nobis mortuus fuit. Iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm, vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Et verè si talia beneficia cogitemus, & peccatorum nostrorum magnitudinem ponderemus, non est dubiũ. quin, si vsum rationis habemus, occasionem pœnitentiæ sentiemus. Quia dicit Augustinus: Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. *VI.* Peccatores in veste cilicina. Incitant ad pœnitentiã. *I.* Amor Christi.

Scribit Plinius in spec. nat. & alij naturales, quod Harpyia est auis à remotis mundi partibus habitans, iuxta mare, insatiabilis est, & crudelis: habens faciem quasi hominis, sed in se nihil habet humanum. Primum hominem quem in deserto inuenerit occidit. Cum autem sitiens casu fortuito in aquam prospexerit, faciemque suam contemplata fuerit, mox similem hominem se occidisse prospicit, tunc tanto dolore compatitur & tristatur, quod exinde quandoq; moritur. Harpyia.

MORALITER autem per hanc auem quilibet peccator mortalis intelligitur. *Primo*, sicut auis illa est in remotis mundi partibus, sic per peccatum peccator se à Deo elongat. Sicut figuratum est Lucæ 15. de filio prodigo, qui *petijt substantiam suam à patre suo, & abijt in regionem longinquam.* Sic etiam B. Augustinus: ante suam conuersionem inuenit se longè esse à Deo in regione dissimilitudinis. Ideo dixit Ps. 118. *Longè à peccatoribus salus.* Et Prou. 15. *Longè est Dominus ab impijs.* *Secundo*, sicut auis illa est insatiabilis, sic & peccatores peccatis nõ satiantur. Quia dicitur Sap. 31. *Tria sunt*

in satiabilia, & quartum nunquam dicit. sufficit. Et illud quartum est ignis auaritiæ in auaro, luxuria in luxurioso, & superbia in superbo. *Tertio*, sicut hæc auis habet faciem quasi hominis, nihil tamen habet de homine: Sic etiam peccator, licet secundum exteriorem faciem appareat homo, non tamen in anima, quæ est facies interior, quæ per peccatum deformatur, vt dicit Propheta Isa. c. 3. *Facies combustæ vultus eorum.* Et Naum. 2. *Et facies eorum sicut nigredo ollæ.* Ideo dicit B. Augustinus, lib. 14. de ciuitate Dei c. 14. Homo ad imaginem Dei factus, quantò plus se auertit à Deo per peccatum, tantò magis eius imago deformatur.

Auaritia insatiabilis.

Nos igitur peccatores per hanc autem designati, Christum verum hominem, propter peccata nostra, occidimus in deserto huius mundi. Iuxta illud Act. 3. quod dicit Petrus, *Auctorem vitæ interfecistis.* Et Actor. 5. legitur. *De Iesu quem*, inquit, *occiderunt suspendentes in ligno.* Si autem homo non peccasset, mortem Christus non sustinuisset. Ideo potest dicere homo cum B. Bernardo: Peccator ego perditus, tibi mitis agnæ fui causa penitus confusionis magnæ. Sed quid faciendum est peccatoribus? Debent inspicere aquam Sacræ scripturæ, & tunc vident, quod sibi similem occidunt, scilicet Christum hominem, qui *habitu inuentus est, vt homo.* Ad Philip. 2. Et tunc debent flere & pœnitere, iuxta illud Actuum 3. *Pœnitemini & reuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Et Marc. 1. *Pœnitemini, & credite Euangelio.*

II. Dolor propter gratiam amissam.

SECVNDVM incitamentum est dolor pro gratia, quam amisimus. Magnam enim gratiam dedit nobis Deus, per quam possumus filij Dei fieri. Ioan. 1. *Dedit*, inquit, *eis potestatem filios Dei fieri*, sed amissa hac gratia per culpam, de filijs Dei filij diaboli, de filiabus & amicis Christi, hostes, proditores, & æmuli: & de regni cœlestis hæredibus, efficimur & sumus exules, & proscripti. Vnde Richardus de sancto Victore: Propter peccatum homo obligatur ad duo: ad *culpam*, videlicet & ad *pœnam.* In vno obligatur vinculo captiuitatis: In altero verò debito damnationis. Et quia anima per culpam captiua tenetur, & damnationem incurrit, ideo plangere debet & pœnitere. Legitur enim in libro de natura rerum, quod sit quædam auis, quæ vocatur auis paradisi, quę propter insignem pulchritudinem ita vocatur. Est enim adeo pulchra & mirabilis, quod nullus ei color deesse credatur. Vox est ita dulcis & pia, quod possit in homine deuotionem & gaudium excitare. Hæc auis, si capta fuerit & illaqueata, irremediabiliter plangit & gemit, nec vnquam plangere desinit, donec reddita fuerit libertati.

Auis paradisi.

MORALITER. Ista auis est exemplum & figura animæ Christianæ. Hæc quando est in gratia, est auis pulcherrima, quia in ea relucet imago Trinitatis, quia ad imaginem Dei factus est homo. Iuxta illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Naturaliter habet anima sibi impressam imaginem Trinitatis, quæ est decorata virtutibus & gratia, vt nihil sibi desit quin sit filia Dei, & patriæ cœlestis incola gratiosa. Ista igitur illaqueatur, & captiuatur in laqueo dæmonis quando peccat. Quid ergo restat ei facere, nisi plangere & plorare, dolere & incessanter pœnitere, dum per gratiam reconciliationis in statum pristinum reducatur, & de bubone diaboli, fiat denuò auis paradisi? Ad quod hortatur sponsus Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis &c.* Quod sic exponit Richardus: O Sunamitis, id est anima captiua, quam diabolus propter malitias mundi captiuam trahit, reuertere à peccato prauæ cogitationis, reuertere à peccato locutionis, reuertere à peccato prauæ con-

Anima repræsentat imaginem Trinitatis.

sue-

ſuetudinis. Vel ſic. Reuertere per cordis contritionem, reuertere per oris confeſſionem, reuertere per operis ſatisfactionem, reuertere per bonæ vitæ continuationem, vt intueamur te, id eſt, vt ſic in te videre poſſimus imaginem & ſimilitudinem Dei, quam feruenti deſiderio optamus. Hanc igitur vocem ſponſi, vel etiam prædicatorum, debet audire captiua anima, quæ adhuc tenetur funibus dæmonum alligata, & debet reuerti per gemitum & planctum, quouſque introducatur in cœleſtem paradiſum. Sic fleuit & planxit ſanctus latro iuxta Chriſtum ſuſpenſus, donec audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Lucæ 23.

B

III. Horror pœnæ.

TERTIVM incitamentum pœnitentiæ eſt horror pœnæ, quam incurrimus. Iſtum enim horrorem ſatis ſibi impreſſerat Iob, quando dixit cap. 10. *Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Et Apoſtolus ad Heb. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Et B. Gregorius lib. 9. moral. Horrendo modo fit miſeris mors ſine morte finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit. Mors perimit, & non exſtinguit; dolor cruciat, ſed pauorem non fugat; flamma comburit, ſed tenebras non excutit. Hæc ille. Iſtud pœnitentiæ incitamentum multos mouit, quia à timore pœnæ, qui eſt timor ſeruilis & initialis, gignitur timor filialis, ſicut cera præcedit ſigillum, vel ſeta introducit filum ſecundum Auguſtinum. Sic incepit B. Ioannes prædicare Iudæis: *Progenies*, inquit, *viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira Dei? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.*

IV. Timor mortis.

QVARTVM incitamentum pœnitentiæ eſt timor mortis, ad quam tranſcurrimus. Hæc enim eſt ratio ſecundum Gregorium, quare Deus diem mortis nobis incertam eſſe voluit, vt dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur, & ita ſemper parati inueniamur. lib. 12. moral. Pœnitentia enim prope mortem eſt valde difficilis. Tum quia dolor languoris corporis, occupat totaliter vires mentis, & cum homo tantum cor vnicum habeat, non habet protunc, vbi pro culpa dolorem producat. Ex quo ad hoc dicit Auguſtinus contra Fauſtum. Planè non inuenio mortis inſtante tempore, te aliqualem poſſe pœnitentiam agere: tunc enim omnes potentiæ mortis vehementia ſunt occupatæ: diſcutite ergò interim, quæ ſunt in omnimoda libertate. Tum quia tunc homo non poteſt eſſe certus, an doleat pro peccato ſuo, ductus timore, an ductus amore. Ideo dicit idem Auguſtinus: in ſermone quodam, & ponitur de pœn. diſt. 7. c. Nullus. Quem morbus vrget & pœna terret, ad veram vix ſatisfactionem veniet, maximè cum filij, quos illicite dilexit, ſint præſentes, parentes, vxor & mundus ad ſe vocent. Multos enim ſolet pœnitentia ſerotina decipere. Tunc quia quando aliqua perſona nobilis grauiter infirmatur, vix inuenitur aliquis, qui de animæ ſuæ ſalute audiat ſibi loqui: Exſecutores enim ſollicitantur circa diuitias & theſauros; Medici circa corporis medicinas; vxor, filij & amici conſolantur infirmum, etiam contra conſcientiam mentientes, & ſic miſer non permittitur de peccatis ſuis cogitare, nec finem vitæ, & ſtatum ſuum ſalubriter ordinare: & ſic fortaſſis iuſto Dei iudicio damnationi exponitur. De hoc dicit deuotus Amandus in horol. Sap. lib. 2. c. 2. Sunt nonnulli, qui ſe diu viuere arbitrantur, & quia mortem indiſpoſitam non metuunt, ideo miſeri damna ipſius præuidere cō-

Cur pœnitentia prope mortem difficilis.

Sera pœnitentia multi decipiuntur.

temnunt. *Et subdit.* Cum nuntius mortis infirmitas adest, conueniunt amici & socij ad ægrotum, gratia visitandi. Omnes, quæ bona sunt prophetando promittunt, & nequaquam mortem adesse. Sed neque sibi omninò timendum esse, vel etiam periculum imminere testantur; sed fluxum transeuntem, vel qualemcunq; humorum deordinationem, aut membrorum ac neruorum opilationem, in breui transituram. Sic amici corporis, inimici fiunt animæ, & miserum negligunt, quia dum singulis momentis infirmitas ingrauescit, & ægrotus semper de conualescentia sperat, tandem exhaustus improuisè deficit, & sine fructu salutis spiritum infelicem exhalat. Hæc Amandus. Ideo dicit Sapiens Eccles. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum*, id est, sacramentum pœnitentiæ debito tempore non suscipimus, in manus Dei incidimus.

Ideo propter ista quatuor iam dicta, debent omnes peccatores Christo in veste cilicina veræ pœnitentiæ occurrere, & ipsum vt regem benignum suscipere, ne transito tempore gratiæ mereamur æternaliter puniri. Insuper debent peccatores cum veste cilicina pœnitentiæ & asperitatis, portare ramos deuotæ orationis. Est enim aloës arbor aromatica, quæ in India secundum Papiam inuenitur suauissimi odoris & fumi cuius particula loco thymiatis in altaribus adoletur & significat deuotam orationem pœnitentium. Quia cum purè orant & deuotè, quasi quendam odorem suauissimum & fumum Deo administrant. Huius ergo particula vna, est oratio mentalis: quia alia pars eius est oratio vocalis. *Prima*, ergo particula dum in altari cordis feruenter immolatur, ex ea ipse DEVS velut ex suauissimo thymiamate recreatur, vt dicit Anselmus lib. 3. cap. 56. Ideo dicit hic beatus Bernardus: Quid oratione pretiosius, quæ Domino est sacrificium, angelis organum, sanctis conuiuium, orantibus præsidium, contritis vnguentum, pœnitentibus remedium, hostibus iaculum, & tentatis omnibus firmamentum.

[Margin: Aloës arbor aromatica. — Orationis virtus.]

Item debent peccatores pœnitentes portare in manibus flores lauri, quæ quamdiu sunt in arbore, non deficiunt in virore, nec in hyeme, nec in æstate. Per quod designatur, quod debent esse perseuerantes in pœnitentia vsque ad finem, si volunt capere mercedem laboris. Ideo dicit Apostolus: *Bonum facientes ne deficiamus.* Ad Galat. 6. quasi diceret: Pœnitentes non debent cessare à bono opere, quia secundum Augustinum, homo non debet deficere operando. Si enim homo non posuerit finem operi, Deus non imponit finem remunerationi. Ideo necesse est, vt & pœnitentes portent in manibus, flores lauri finalis perseuerantiæ & stabilitatis; quia *qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Matth. 24.

[Margin: Flores lauri.]

FERIA QVARTA POST PALMARVM.

Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Isaiæ 53.

Diosco-

DIoscorides & Magister libro propriet. 16. dicunt Draguntea est herba, habens similitudinem serpentis, & tamen non est venenosa, imò est serpentibus contraria. Nam eius hasta ad modum colubri est respersa, habens similitudinem draconis. Et dicit Papias, quod dicta herba nata fuit de sanguine draconis, florem habet purpureum diuisum & apertum, sicut os serpentis, de cuius medio procedit lingua, quasi lingua serpentis, nigra & rotunda. Hæc autem herba odore suo serpentes fugat. Et dicit Papias: Si quis radices huius herbæ sanis confricet manibus, serpentes sine periculo perdet: quia est tyriacæ virtutis, si legatur in mense Iulio. Draguntea herba vn.

SPIRITVALITER. Huic herbæ assimilatur Christus, vt dicit Anselm. lib. 3. cap. 34. Quia ipse habuit similitudinem serpentis, quantum ad similitudinem carnis. Sed tamen in rei veritate caruit veneno, id est peccato, quod serpens antiquus, id est diabolus, sua tentatione humanæ naturæ immisit. Quod testatur Isa. 53. *Dat impios*, scilicet Iudæos, *pro sepultura sua, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit.* Et 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Et ad Heb. 4. dicit Apostol. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia per similitudinem absque peccato*: quasi diceret: CHRISTVS tentatus & passus est in carne passibili, non tamen pro peccatis suis, quia absque peccato fuit; sed pro peccatis nostris. Idem, inquam, Christus, vt dicit Anselmus, suæ passionis odore ipsos serpentes, id est dæmones fugauit, & nos ab eorum veneno liberauit.

Item lingua ipsius, id est doctrina, fuit serpentina, id est prudentissima, quod etiam *nemo ei poterat respondere*. Matt. 22. Propter quod dicit discipulis suis, Matt. 9. *Estote prudentes sicut serpentes.* Item lingua ipsius fuit nigra, id est humillima, quia humiliter doctrinas suas proposuit. Ideo dixit Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vel etiam fuit nigra, id est ardentissima. Res enim adustæ nigredinem habent. Ideo dicebant duo discipuli Cleophas & Almeon: *Nonné cor nostrum erat ardens in nobis*, dum loqueretur in via? quasi dicerent; vtique Lucæ vlt. Item fuit rotunda, per quod designatur, quod eius doctrina fuit perfectissima, propter quod dixerunt ministri Pharisæorū. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Ioan. 7. Et quia Christus ad modū huius herbę serpentes infernales fugauit, ideo attritus est manibus Iudęorū, vt & eosdem dæmones spoliaret. De qua attritione dicunt verba prophetiæ prælibata: *Attritus est propter scelera nostra*: in quibus duo tanguntur. *Primo*, passio pœnosa, ibi; *Vulneratus est propter, &c. Secundo*, passio Christi fructuosa, ibi; *Et liuore eius sanati.* Cleophas & Almeon.

Pro quo NOTANDVM, corpus Christi comparatur primò arbori, quæ dicitur balsamus. & per balsamum designatur sanguis Christi propter quinque. PRIMO, ratione originis. Dicunt enim naturales, quod balsamus est frutex, iuxta illud: Corpus Christi, cur balsamo arbori simile.

Balsamus est arbor, superbalsama dicta liquores.

Sed lignum dicitur *carpobalsamum*: succus autem dicitur *opobalsamum*. Vnde versus.

Arboris emanat opobalsama cortice cæsa.

Dicit enim Magister lib. 17. propriet. Quod cortex ligni ceditur, aut percutitur ferreis vngulis; & per cortices vulneratur, quasi per cauernas guttæ opobalsami eximiæ effluunt. De hoc dicit etiam Ambros. super *Beati immaculati*, quod in vineis Engaddi est arbor balsamus, quæ si pungatur, emittit vnguentum, quod dicitur

balsamum. Hæc arbor si non pungitur & inciditur, non redolet & fragrat. *Et subdit* hoc exponendo de Christo, dicit enim sic: Christus in ligno compunctus est lancea, & exiuit de eo sanguis, & aqua omni vnguento suauior. Accepta Dominus hasta, per totum mundum odorem sanctificationis effundens, & quasi balsamum ex arbore, sic punctus exiuit de corpore. Hæc Ambrosius.

Cur Christus voluerit vulnerari. I. Diceres. Quare Christus voluit vulnerari & sanguinem effundere? *Respondetur.* Huius multæ sunt causæ. PRIMO, vt vinctos in limbo liberaret. Refert enim Petrus Comestor in schol. histor. quod Salomon habuit struthionem habentem pullum, quem pullum Salomon in quadam cauea vitrea nutriebat. Cum verò pater struthio pullum suum liberare non posset, vermem quendam de deserto apportauit, cuius sanguine caueam liniuit, & continuò fracta fuit, & sic pullum suum liberauit.

MORALITER. Salomon interpretatur retributor, vel retribuens iniquis, & significat patrem, qui est retributor omnium bonorum. Quia *omne datum optimum, & omne domum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Iacobi 1. Et ipse retribuit omnibus iniquis pœnam æternam, iuxta illud Deut. 32. *Reddam vltionem* Struthionis significatio. *hostibus meis, & his retribuam in tempore.* Hic inquam verus Salomon habuit struthionem, per quem intellige primum hominem, scilicet Adam, cuius pullus erat totum genus humanum: significat tamen *spiritualiter*, quemlibet iustum ab eo descendentem, quem quidem pullum Deus Pater in cauea vitrea, id est in limbo nutriebat. Videns autem Adam, quod pullum suum quem de se genuerat, liberare non posset, volauit suis desiderijs & precibus in desertum cœli, quod desertum erat, id est, derelictum ab angelis malis, & tulit idem vermiculum Christum, qui secundum humanitatem se vermi comparauit, Psalm. 21. *Ego*, inquit, *vermis sum, & non homo:* & illius corpore vulnerato, sanguinem effudit, & cum eo inferni caueam, seu limbi liniuit, & inde pullum eduxit; & hoc virtute sanguinis Christi. Ideo dicitur Zachar. 9. *Tu*, inquit, *in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.*

II. SECVNDO, Christus ideo vulneratus effudit sanguinem, vt homines in peccatis mortuos viuificaret. Nam legitur, quod serpens multum persequitur Pelicanum, & cum abest intrat nidũ, & pullos occidit. Rediens Pelicanus tribus diebus pullos plangit. Deinde tertio die rostro se vulnerat, & sãguine suo pullos aspergit, quo viuificat.

Serpens inimicus Pelicani. MORALITER. Serpens est diabolus, qui *callidior erat cunctis animantibus.* Genes. 3. Hic odiuit verum Pelicanum Christum, qui dicit Psal. 101. *Similis factus sum Pelicano solitudinis.* Hunc quidem non solum persecutus est, quando voluit sibi sedem DEI vsurpare, nolens ei subesse, Isa. 14. cum dixit: *Ascendam in cœlum, & similis ero altissimo* sed etiam pullos eos scilicet Adam cum suis occidit. Ideo Christus non solum in Cur Christus quinq; vulnera acceperit. quinque partibus, sed etiam in toto corpore se vulnerauit, & vulnerari permisit, vt genus humanum viuificaret. Ideo dicit Isa. c. 6. *Viuificabit nos post dies duos, & tertia die suscitabit nos.* vbi dicit Glossa: Viuificabit nos prima die passionis, secunda die sepulturæ, sed die tertia resurrectionis sumus suscitati. De hac materia dixi suprà Dominica Iudica sermone 1. Z. S.

III. TERTIO, ideo vulneratus est, sanguinem copiosè effundendo, vt comprehensores Vsus balsami. beatificaret. Est enim illis sanguis Christi, sicut balsamum sanctificans. Est enim balsamus liquor suauissimus & pretiosissimus, ad vngẽdum aptus, quo sanctificabantur 1. vasa tantæ maiestati digna: sic sanguis Christi suauissimus & pretiosissimus, facit electos

ctos reges à regendo dictos. Propterea deuotus Amandus in horol. Sap. lib. 1. c. 11. alloquitur electos in patria dicens: O vos cœlestes principes, O nobilissimi reges, & Imperatores, O filij Dei excelsi, diuinæ consortes naturæ, quàm immensa hilaritate facies vestræ videntur perfusæ, corda vestra, quàm copiosè & supereminenter cernuntur supereffluere præ exultatione: Serta desertis aurea, ineffabiliter micantia, facie chorusci, & indumento splendidi, cantu iucundi, sertis redimiti. &c. Hæc ille.

Nec mirum si sancti sunt reges in cœlo, quia dum inter tot mundi pressuras regnauerunt in terris, fideles serui fuerunt Christi. Ideo constituit eos super omnia bona sua, quando dixit Matth. 25. Vnicuiq; electo: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Cur Sancti sint reges in cœlo.

Diceres. Quæ sunt illa bona, supra quæ Dominus eos constituit? *Respondetur.* Quod quilibet iustus propter excellentiam suæ conditionis, constituitur super bona naturalia, sed propter sapientiam & patientiam, constituitur super bona supernaturalia: propter temperantiam & castitatem, super bona corporalia: Propter sapientiam & stabilitatem, super bona spiritualia; & propter affluentiam felicitatis, constituitur super bona æternalia.

Diceres. Vnde merentur electi, vt fiant electi in patria cœli? *Respondetur.* Quod regnum cœli habent iure hereditariæ successionis: quod patet sic. PRIMO. Omnis enim legitimus filius, seruans voluntatem patris est & efficitur heres regni patris sui, quod sibi iure successionis debetur: Sed omnes sancti in patria de cœlo, sunt filij Dei Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et sunt coheredes Christi, Ad Roman. 8. *Quod si heredes Dei, coheredes Christi.* SECVNDO, habent hoc iure strenuæ adeptionis quia ad Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* TERTIO, ratione emptionis. Omne enim emptum transit in ius ementis: sed regnum cœlorũ emitur. quia Beatus Augustinus in persona Domini loquitur, dicens: Venale habeo. Quid? Regnum cœlorum. Quomodo emitur? Certè emitur paupertate, regnum; dolore, gaudium: labore, requies: Et morte emitur vita sempiterna: ergo ipsorum est regnum cœlorum. Sed ista hereditaria successio, emptio & virtuosa adeptio, vnde habetur? Certè, non nisi à morte & sanguine Christi. Quod pulchrè deducit B. Bernardus, dicens: Multos enim filios vnitos DEO Patri, dilexit. Emit sanguine suo inunctos, reprobauit reprobatos, redemit venditos, honorauit iniuriatos, viuificauit occisos, mortuus est innocens pro nobis, nihil quod amaret in nobis inueniens. Hæc ille. Quapropter omnes electi in patria, dant laudes CHRISTO de sua misericordia, dicentes: *Dignus es Domine DEVS quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes & regnabimus super terram.* Apocal. 5.

E
Sancti cur iure hereditario possideant cœlum.
I.
II.
III.

SECVNDO sanguis Christi, qui de eius fluxit vulneribus significatur per balsamum, ratione ponderis. Nam balsamum in aqua positum, statim fundum petit, nisi fuerit sophisticatum: sic sanguis Christi & gloriosa eius passio, posita per meditationem in aqua tribulationis nostræ, mox fundum petit: quia grauiorem se omnibus tribulationibus nostris ostendit. Iuxta illud Thren. 1: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* quasi diceret, nullus. Quapropter beatus Bernardus in quodam sermone loquens in persona Domini, deuotè, sic ait: O homo 2.

 vide,

vide, quæ pro te patior, non est dolor sicut dolor quo crucior; Ad te hodie clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus pro te afficior: Vide clauos, cum quibus fodior: Et cum sit dolor tantus exterior, intus tamen est planctus grauior, cum te iam ingratum experior. Hæc Bernardus. Cum igitur tantum dolorem in Christo perpendimus, cunctas nostras tribulationes, sui ponderis & grauaminis comparatione, leuiter ferimus. Ideo dicit Apostolus ad Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis vestris.* Et beatus Gregorius: Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil adeo durum, quod non æquo animo toleretur. Sicut de hoc legitur in Annulo aureo, parte prima, cap. 10. Quidam nouitius dum propter duritiam & insipiditatem ciborum vellet apostatare, quodam die ei in mensa sedenti Christus apparuit, aperto vulnere & latere, & dixit: Cur cibaria sunt tibi insipida? intinge in vulnere isto, & erunt dulcia & delicata: quod cum fecisset, miram dulcedinem sensit, & sic in Ordine in pœnitentia permansit.

Exemplum.

3. TERTIO, ratione incisionis. Nam in arbore, quæ dicitur balsamus, sola cortex exterior inciditur, lignum autem nullo modo tangitur ferro: sic in Christo, sola caro vulnerata est, & incisa atq; læsa: Sed lignum diuinitatis nullatenus sensit læsionem. Sicut figuratum fuit Gen. 22. vbi Dominus præcepit Abrahæ, *vt immolaret filium in vno monte*, qui dicebatur Morion. Non tamen Isaac, sed aries, qui inuentus fuit est immolatus pro Isaac, qui interpretatur risus & gaudium; atq; significat Deitatem, à qua electi in patria habent omne gaudium. Sed per arietem humanitas, quæ fuit in cruce immolata & vulnerata, Deitate illæsa permanente. Et hoc commemorat vna Glossa super cap. Firmiter. super hoc verbo *impossibilis*, dicens;

Aries humanitatē Christi denotat.

Nil Isaac patitur, aries fit victima Christus.
Nec Deitas patitur, cum moriatur homo.

Et est NOTANDVM secundum Magistrum, lib. 17. propriet. Æstiuo tempore leuiter inciduntur rami eius cum cultello osseo, non nimis acuto, ne lignum lædatur, quia tunc periret, sed sub cortice sic inciso vitreæ ampullæ ponuntur, in quibus guttæ stillantes colliguntur.

Anima comparatur vitro.

MORALITER, vitreæ ampullæ sunt animæ, aut mentes puræ, aut humiles. Et propter quatuor rationes anima vitro similatur, vt dicitur Feria IV. post Iudica sermone. 2. Aa. X. Et dicuntur etiam vitreæ ampullæ, quia sunt vacuæ per humilitatem, & vitreæ per puritatem, & debent colligere in se, commemorando, guttas sanguinis Christi, & pœnas corporis eius. Quia dicit Gregorius in Registro: Passio Christi mentis oculis seruata, omnem virtutem in præsenti, & in futuro causat, efficitque omnem salutem. Et Sedulius in carmine paschali. Cumque passionis Christi assumuntur insignia, mox cuncta fugantur dæmonia, & vniuersa alleuiantur supplicia.

4. QVARTO, sanguis Christi, qui de ipsius effluxit vulneribus, assimilatur balsamo ratione odoris. Quia secundum Plinium eius odor omnibus odoribus præfertur, secundum quod illud balsamum est optimum, quod est odoriferum, ponderosum, semine maximum, mordens gustum, in ore feruidum, in colore rufum.

MORALITER omnia prædicta conueniunt sanguini Christi, qui de vulneribus eius effluxit, aut passioni eius. Est enim *odoriferum*, per attractionis suauitatem. Ideo ipse

ipse dicit Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum.* ITEM fuit *ponderosissimus*, id est, grauissimus per doloris immensitatem, quia sanguis non exijt de corpore sine magno dolore. Item dixit Threnorum 1. *Videte si est dolor, sicut dolor meus.* ITEM. *Semine maximus*, per propagationis multiplicitatem: quia multi filij Dei, ex sanguine Christi, tanquam fruges ex quodam semine in terra semper spargendi sunt, propter quod Christus assimilat se grano frumenti in terram cadenti & morienti, quod multum fructum affert. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* ITEM debet *mordere gustum* animæ, per passionis dolorem, & debet feruere in ore per prædicationem sic, vt frequenter & feruenter CHRISTI passio prædicetur, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Nos*, scilicet Christiani, *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam:* quasi diceret: Iudæi ex hac prædicatione capiunt occasionem ruinæ, non ex natura rei prædicatæ, sed ex cœcitate eorum, quia Christum adhuc expectant futurum. Sed gentibus est talis prædicatio stultitia. Stultum enim videbatur eis mortuum fuisse Deum; quia nesciebant vtramque naturam in vno supposito considerare, quod tamen credunt ipsi Christiani, & confitentur, vt dicit Lyra. ITEM sanguis Christi est *colore rufus*, quia caritatis ardore, & cruciatus est dolore, vehementer contritus. Sic dicitur hic: *Attritus est propter scelera nostra.* Sāguis Christi ponderosus est.

Et est valde NOTABILE, quod balsamum licet sit iustum, vestem tamen mundam, quam tangit, non polluit, imò etiam immundas abluit. Iuxta illud ad Heb. 9. *Si sanguis hircorum aut taurorum*, scilicet, quod fiebat in festo expiationis, *& cinis vituli aspersus inquinatos sanctificauit ad emundationem carnis.* Quia dicitur Nu. 19. In aqua lustrationis, qua debebant immundi aspergi, ponebantur cineres vitulæ combustæ. Et si hoc fecit ad emundationis sanctificationem, *quantò magis*, inquit Apostolus, *sanguis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo viuenti, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est, peccatis mortalibus, quæ mortificant animam morte culpæ & gehennæ. Et Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* F

QVINTO, ratione virtutis: Valet enim balsamum ad multa. Nam fœtum mortuū adducit. & hoc signat, quod sanguis Christi, & passio eius benedicta, mediante pœnitentia, peccatum mortale euellit de conscientia, vt patuit ex verbis Apostoli. Nam pœnitentia & cætera sacramenta, in virtute passionis Christi operantur, & sunt instituta, vt testatur Hugo libro de Sacramentis. Omnia inquit, sacramenta in virtute passionis Dominicæ nouimus instituta. ITEM balsamum mortua corpora incorrupta custodit, quia quantum dissoluitur, tantum consumit: Similiter passio & sanguis Christi, carnalem, id est, carnalia vitia mortificat; sed mortificatos carne à peccatorum corruptione custodit. ITEM balsamus morsibus venenosis resistit. Quia passio Christi & sanguis eius pretiosus, tentationi dæmonum obsistit. sicut patet in hoc exemplo. 5. Virtus Balsami. I. Passionis Christi effectus. II. III.

Quidam enim consueuerat quoties lectum intrabat, & quoties de eo surgebat, semper memoriam passionis Christi habere, deprecansq; insuper, quod ille, qui est rex Iudæorū, id est confitentium, daret illi de hoc seculo migranti veram confessionem suorum peccatorū; & vt ostenderet, quod memoriam passionis Christi ageret,

semper

ſemper dicebat illum titulum IESV Nazarene Rex Iudæorum, miſerere mei; & crucem imprimendo cum pollice ſuper caput ſuum, & ſuper faciem eius, & ſuper pectus, & toties prædicta verba humiliter repetebat, & ſemper in fine in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, concludebat. Contigit autem Deo permittente, vt ſubita morte præoccupatus eſſet, & dœmones vellent eum recipere, vir lucidus ab eo fugit: & cum ducerent eum per medias tenebras, ſubitò diſparuit, & vbi ſignum Crucis imprimere conſueuerat, ſplendor nimius egrediebatur, qui eum in medijs tenebris illuminauit. Cum autem dœmones de abyſſo aſcenderent, eum rapere volentes, ſplendor eos ita terrebat, quod nullus ei imponere manum audebat. Tunc prædictus vir lucidus, ſubitò à longè apparuit, & ecce accedens dixitque ei ſummus iudex, quod licet eſſet condemnandus ſecundum exigentiam peccatorum ſuorum, tamen propter deuotionem quam habuit circa paſſionem eius, & nominis triumphalis tituli inuocationem, & crucis impreſſionem, parceret ei: volens, vt iret ad vitam priſtinam, & peccata confiteretur, & vitam in melius commutaret & emendaret, & ſic factum eſt laudabiliterque poſtmodum vixit, & in Domino quieuit. Ecce quod paſſio Chriſti pretioſiſſima ipſum à tentatione dœmonum liberauit.

Ex iam dictis patet, quod corpus Chriſti eſt velut pretioſa arbor balſamus, de qua effluxit ſanguis ſanctiſſimus, ad inſtar nobiliſſimi balſami, ad multa vtiliſſimus, vt patet ex prædictis.

II. Corpus Chriſti ſimile alabaſtro.

SECVNDO, corpus Chriſti ſimile eſt alabaſtro, pleno nobili vnguento. Eſt enim alabaſter, vt dicit Iſidor. lib. 17. ca. 5. lapis candidus & intrinſecus varijs caloribus, & vnguenta peroptima cuſtodit incorrupta. Et SPIRITVALITER ſignificat corpus Chriſti, qui dicitur *lapis exciſus de monte ſine manibus.* Dan. 2. Et de hoc lapide dicit Pſal. 11. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Eſt enim candidus propter innocentiæ puritatem; propter quod dicit ſponſa Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Et eſt intinctus varijs virtutum coloribus, vt nigro humilitatis; rubro caritatis, & albo caſtitatis, & flauo ſtabilitatis: quia vſq; ad mortem fuit ſtabilis in ſua paſſione.

Ex illo ſpirituali alabaſtro, videlicet corpore Chriſti, fecit Deus Pater vaſculum, & infudit vnguentum optimum, plenitudinis ſcilicet gratiarum Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritatis.* Sed homo erat vulneratus, quia vt dicitur Lucæ 10. *Ipſe cecidit inter latrones, qui vulnerauerunt eum, & ſeminiuo eo relicto abierunt.* Ideo voluit Deus Pater, vt illud alabaſtrum, videlicet corpus Chriſti, multis vulneribus frangeretur, quod inde exiret vngentum ſui ſanguinis pretioſum, quo vulneratus homo ſanaretur. Ideo iſta ſaluberrima vnguenta pretioſi ſanguinis, quæ fluxerunt de toto corpore Chriſti, petit deuota anima dicens: *Trahe me poſt te, & curemus in odore vnguentorum tuorum.* Cantic. 1.

III. Corpus Chriſti ſacco argento pleno ſimile.

TERTIO, corpus Chriſti ſimile eſt ſacco pleno argento. De quo quidem ſacco dicitur Prouerb. 7. *Sacculum pecuniæ ſecum tulit.* Et beatus Bernardus: Sacculum, inquit, plenum miſericordia ſua miſit Dominus Pater in terram. Et quare? Quia homo erat pauper, vt quilibet dicere poſſet cum Pſalm. 85. *Quoniam inops & pauper ſum ego.* Et iterum Pſalm. 83. *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Voluit igitur

igitur pater, vt sacculus plenus thesauro scinderetur, vt homo captiuus & pauper redimeretur. Ille thesaurus fuit sanguis CHRISTI, de quo 1. Petri 1. *Scientes quoniam non corruptibili auro vel argento redempti estis, de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso saguine agni incontaminati & immaculati IESV CHRISTI.* Ideo dicit Bernardus in meditat. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus nostri redemptoris, magna multitudo dulcedinis gratiæ, siue plenitudo & perfectio virtutum. *Et subdit.* Cum pulsat turpis cogitatio, recurre ad vulnera Christi, & fugiet à te. Cum me premit caro mea, recordor vulnerum Dei mei, & resurgo. Cum diabolus parat mihi insidias, fugio ad vulnera Dei mei, & recedit à me. In omnibus aduersitatibus meis non inuenio tàm efficax remedium, quàm vulnera Christi.

Ideo legitur in auctore Speculi magni Exemplorum. Iuuenis quidam ordinem intrauit, qui nutritus in seculo delicatè fuit, ideo vitam austeram difficulter sustinere potuit. Panis enim niger erat & durus, & vinum acre, & ideo quidem sibi grauia, quæ fuerunt ordinis, videbantur. Stimulatus enim de exitu, petiuit à Prælato licentiam recedendi, dicens se non posse sustinere ordinem. Cui Prælatus, sicut vir discretus, ait: Non inde licet tibi recedere, quia professus es in religione. Sed habe confidentiam in Deo, quia tentatio est. Et ille acquicuit ad tempus. Sed iterum tentatione inualescente, habitu mutato iuit ad seculum. Abeunti autem illi, apparuit Christus in specie iuuenis, sequens eum per eandem viam. Ille autem quasi desperatus, festinabat; nesciens quo ire debebat. Christus autem clamans post eum, vt se exspectaret, sed ille amplius currebat. Tunc Dominus vocauit eum nomine proprio dicens: Frater, exspecta me, & ibo tecum. Iratus igitur ille, quia vocauerat eum ex nomine, & fratrem, admirans quis ei dixisset nomen suum, fortius currebat, attamen tandem tædio clamantis affectus & victus, eum exspectauit. Cumq; Christus quæreret, quo namque iret? Ille respondit. Ego vado viam meam, quid ad te. Tandem victus precibus, dixit ei, quod religionem dimiserat, & ad seculum rediret. Tunc Christus eleuans vestem, viditque ex vulnere quasi sanguinem fluere, & dixit ei: Reuertere in locum tuum, & quando inuenies panem nimis durum, vel alia tibi grauia, intinge in latus illud, & erit tibi totum suaue. Tunc ille rediјt, & deinde sanctè vixit. Ecce, quod vulnus lateris Christi fuit sibi remedium salutare reuertendi, & in ordine vlterius remanendi.

Apostatare volens iuuenis, à Christo reuocatur.

QVARTO, corpus Christi similatur herbis odoriferis, quia dixit, Isa. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Sicut enim herbæ odoriferæ teruntur manibus, vt inde fiat emplastrum quo apostemata sanantur. Sic corpus Christi fuit attritum velut herbæ aromaticæ, vt tumor nostræ superbiæ sanaretur, vt homo Deo Patri reconciliaretur. Ideo dicit Anselmus in meditat. Iste formosissimus in stola sua, quàm deformis præ filijs hominum nimium factus; vulneratus est propter iniquitates, & attritus est propter scelera nostra, factus holocaustum suauissimum, vel arbor in continuo, vt Pater æternæ gloriæ, auerteret indignationem suam à nobis, & consedere nos sibi faceret in cœlestibus.

IV. Herbis odoriferis corpus Christi simile.

QVINTO, corpus Christi fuit tanquam columna, & velut aqua præclara. Circa quod NOTA pax olim tribus modis confirmabatur. *Primo*, percussione, quia ad inuicem manu percutiebant. *Secundo*, columnæ erectione: quia aliqui pro columna pilam aut lapidem erigebant, in signum pacis. De istis duobus modis habetur Iosue

V. Corpus Christi columna pax confirmatur. 1. 2.

cap. vltimo. quod in signum, quod Iuda teneret mandata Dei, percussit Iosuæ cum eo fœdus: qua percussione pacem inter Deum, & ipsos confirmabat. Et deinde subditur: *Tulit lapidem quendam erigens eum, dixit. Lapis iste erit nobis in testamentum.*

3. *Tertio*, per effusionem: quia aquam in conspectu Domini effuderunt, volentes per hoc significare, sicut de aqua effusa nihil remaneret, nec sapor, nec color, sic si quis pacem non seruaret, quod neq; de illo, neq; ad eum pertinentibus aliquid remaneret. De hoc 1. Reg. 7. *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.*

Non est pax impijs. Ad propositum. Homo Deum Patrem offenderat, quod pax inter ipsum, & hominem non erat. Propterea dicit Isa. cap. 44. & 58. *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Vt igitur Christus firmam pacem inter Deum Patrem & homines confirmaret, voluit percuti & disciplinari, sicut dicit hic Propheta: *Disciplina pacis nostræ super eum.* Vt enim pacem reformaret, fuit non solùm in manibus, vel in pedibus perforatus, sed etiam in toto corpore vulneratus & flagellatus. Hoc quo ad primum.

Christus columna. Fuit etiam velut columna in testamentum pacis erectus, & in ara crucis mortificatus. De hoc Chrysostomus in sermone de cœna Domini: Occisus præpositus Christus: & cur occisus est videamus, vt cœlestia pacificaret, & vt in terra reconciliaret vniuersa, vt denique hominem amicum constitueret amicum angelorum. Et hoc quoad secundum. *Insuper* Christus fuit sicut aqua effusus, quod nihil sibi remansit, nec sanguis, nec anima, nec vita, nec vestis, nec familia. Ideo dixit Psalm. 21. *Sicut aqua effusus sum*, &c.

Christus sicut aqua effusus.

H Pro MORALI doctrina est NOTANDVM. Ex quo Christus non peccauit, & tamen disciplinam patris sui non pro se, sed pro nobis sustinuit, vt nos liuore eius sanaremur. Idcirco nos, qui in multis offendimus omnes, libenter debemus disciplinam Dei sustinere, propter tria, quæ ponit Robertus Holkot lect. 107.

Cur disciplina sustinēda.

I. PRIMO, propter castigantis dilectionem. Ille enim qui disciplinat pater, noster est amicus, noster & redemptor. Ideo dicit Apostolus ad Heb. 12. *Quis est filius quem non corripit pater.* quasi diceret: Nullus loquendo de filio vero & dilecto. *Et subdit.* Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; Ergo sicut adulteri & non filij estis. quasi diceret: Omnes Dei amici facti sunt participes disciplinæ Dei; Sicut in matre Virgine, & in Apostolis suis patet, & generaliter in omnibus, qui filij Dei dicuntur. Non esset magnum, si homo reciperet vnum ictum paruum ab aliquo pro amore amici, qui pro eo fuisset acerrimè vulneratus. Christus pro nobis non solùm vulneratus, imò crucifixus & occisus fuit. Ipse enim, vt dicunt verba thematis: *Vulneratus est propter iniquitates nostras:* Ergo & nos pro amore suo, & pro peccatis nostris, disciplinari debemus secundum illud Heb. 12. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris.* Dicit Macrobius libro suo de lapidibus, cap. 19. Si maritus ponit magnetem sub capite mulieris dormientis, experiri poterit an sit fidelis; quia si sit fidelis marito, conuertet se ad ipsum; sin minus, statim cadet de lecto. Quamuis istud tanquam omninò superstitiosum absq; graui peccato fieri non possit, neque publicè euulgari.

Propter castigantis dilectionem.

MORALITER. Anima humana coniunx DEI potest dici, per fidem caritate formata secundum illud Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide.* Volens ergo Deus experiri, an anima Christiana sit vera sponsa, supponit magnetem, qui est lapis ferrei coloris, & trahit ad se ferrum, per quem significatur, magna tribulatio, qua

ferrei

ferrei homines & peruersi, durę ceruicis, propriè Halßstarrig domantur, & ad Deum trahuntur: & quid euenit? Certè, terrenæ & adulteræ coniuges cadunt de lecto caritatis, per impatientiam & murmurationem contra Deum. Et tales omnino perdunt omne meritum, sicut attestatur Cyprianus lib. de monastica vita: Murmurare namq; hominis perdit meritum, & vitæ validius infestatur. Sed deuotæ sponsæ Christi & fideles, conuertunt se ad Deum per humilitatem, dum sunt sub disciplina Dei, humiliter per orationem & deuotionem, dicentes. Rom. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Sicut scriptum est, Psalm. 43. *Quoniam propter te mortificamur*, &c. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Et talis fidelis sponsa fuit anima Pauli, qui dicit infrà. *Certus sum, quod neq; mors, neq; vita*, &c. poterit me separare à caritate Dei. Vnde Augustinus, in quodam sermone. Nullus seruus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Supponitur autem magnes iste disciplinæ Dei, sub capite sponsæ Christi quiescentis & dormientis. Quia quando homo ad maiorem tranquilliorem que conuersationem se disponit, tunc Deus sibi tribulationem & disciplinam, iniuriam & persecutionem immittit. Iuxta illud Iob 33. *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplina.* Super quo dicit Gregorius 26. moral. Aurem cordis tribulatio aperit, quam sanè mundi prosperitas claudit.

SECVNDO, disciplina est deuotè suscipienda propter peccatis correctionem. Vnde Psalm. 17. *Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.* Et Petrus Rauennas in quadam Epistola: Ideo, inquit, forsitan te temporaliter punit Deus, vt æternæ mortis ardores pœna temporalis redimat. Et hoc figuratum fuit, 3. Reg. 6. Cum Salomon ædificaret templũ Domino, de lapidibus quadratis & politis, *non audiebatur sonus malleorũ*, eò quòd extra templũ lapides fuerunt secti & politi. I / II. Propter correctionem peccantis.

SPIRITVALITER. Salomon interpretatur pacificus, vel susceptus, & Deum significat omnipotentem; quia omnes quos suscipit, pacificat, siue Iudæos, siue Gentiles. Propter quod dicitur Ephes. 3. *Ipse est pax nostra, qui facit vtraque vnum.* quasi diceret: Ex Iudæis & Gentilibus vnum faciens populum Christianum. Hic, inquam, volens ædificare templum cœleste, viuis ex lapidibus, prius hic secat & polit ferro aduersitatis, ne ibidem sonus tribulationis audiatur. *Et hoc est, quod addit* Petrus Rauen. In ædificatione, inquit, templi omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur. Nec in horreo Domini ponitur granum, donec flagellis attritum, aut pedibus fuerit excussum. Sic & viui lapides, qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem, *quæ ædificatur, vt ciuitas*, varijs infortuniorum concussionibus poliuntur, antequam ædificationi cœlestis habitaculi collocentur. Hæc ille. Et ideo ad correctionem & commodum nostrum ordinatur, quidquid in nobis de ista disciplina præstatur. Vnde ad Heb. 12. *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur gaudij esse sed mœroris: Postea autem fructum pacatissimum* id est, beatitudinem, quæ quietat totaliter appetitum, *exercitatis per eam reddet.* Et B. Gregor. Quare Dominus hic quibusdam parcit? ideo facit, vt illos in perpetuum feriat. Ideo autem hic ferit non parcendo, vt in æternum parcat. Hæc Gregorius. Ferrum aduersitatis & sonus tribulationis.

Et ideo sicut pater verberans filium cum virga, facit puerum verberatum cessare à

fletu, & ipsam virgam osculari, cum qua est benè disciplinatus. Sic Deus Pater verberans electos filios cum virga disciplinæ, facit eos cessare à fletu perpetuo. De quo Matth. 21. dicitur: *Ibi*, scilicet in inferno, *erit fletus & stridor dentium*. Ideo dicitur Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra quæ prima abierunt*. Virga autem cum qua Deus pater filios filiasq; suas interdum disciplinat, est infirmitas corporalis, interdum mors amicorum, interdum alius horror truculentus & impius, de quo dicitur Ezech. 7. *Floruit virga, germinauit superbia: iniquitas surrexit in virga impietatis*. Cumq; hac virga nos percutiet non vult Deus, vt ploremus per nimiam desolationem: immò vult, vt virgam nostram osculemur per dilectionem, cum dicit Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt*.

Virgæ quibus Deus homines castigat.

III. Propter tentantis deiectionem.

TERTIO, disciplina Dei est deuotè suscipienda propter tentantis deiectionem. Prosternitur namq; caro, mundus, & dæmon, cum disciplina Domini fortiter toleratur. Vnde etiam contra tentationem carnis, solent sancti sibiipsis disciplinam infligere. Sicut Greg. 2. dial. cap. 2. dicit de S. Benedicto, quod cum de quadam muliere quam prius aspexerat, tentaretur, exutus indumento, nudum se in spinarum aculeos & vrticarum incendia proiecit. Vanitas enim mundi contemnitur, dum sanctus homo persecutionibus agitur. Sicut enim nutrix filium suum volens ablactare, inungit mamillam aliqua amara re: Ita Deus huius mundi delitias, infinitis amaritudinibus ordinauit, esse respersas, ne eas nimis amaremus. Ideo Beatus Augustinus in lib. confession. regratiatur DEO omnipotenti, quòd resperserat semper amaritudinibus omnes illicitas delectationes suas. Et Boëtius de consol. lib. 2. prosa. 4. dicit: Quàm multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est: quæ si etiam fruenti iucunda esse videatur, tamen, quò minus, cum velit abeat, retineri non possit. Et de eodem loquens Augustinus de vera innocentia, propositione 226. dicit sic: In præsenti vita & delitiæ temporales dulces sunt, & tribulationes corporales amaræ sunt. Si quis non bibat tribulationis poculum, metuat ignem gehennarum. Et si quis non contemnat dulcedinem seculi, si inhæreat bonis vitæ æterna, quasi diceret: Omnes deberent hoc facere, si saltem essent bonæ mentis.

K. Disciplina: medicina præseruatiua contra tentationes.

Sunt ergo diuinæ disciplinæ quoddam medicamentum præseruatiuum à tentatione & putrefactione peccati. Dicit enim Aristoteles 4. Meteor. quod quinq; sunt, quæ impediunt putrefactionem. *Prima*, est causa *frigus circumstans* ad multos annos, & ideo minus putrescunt res in hyeme, quàm in æstate: quia calor naturalis per frigus exterius circumstans comprimitur, & in humido suo conseruatur. *Secunda* causa est, *excellentia caloris* intrinseci. Et ideo illa in quibus abundat calor igneus, vt piper, galganum, & huiusmodi, non citò putrescunt. *Tertia* causa est, *coagulatio* facta à frigido intrinseco. *Quarta, motus* moderatus. *Quinta*, est *magnitudo rei*. Vnde aqua diuisa per partes, citò putrescit: integra in sua magnitudine, non putrescit.

Putrefactionem peccati impediunt quinque.

Isto modo MORALITER quinq; sunt, quæ putrefactionem peccati impediunt. Quando enim calidum & humidum de re extrahuntur, citò putrescit. Sic quando humor gratiæ & calor caritatis ab homine extrahuntur, homo naturaliter putrescit. sicut conqueritur Dauid in Psalm. 37. *Putruerunt & corrupta sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.*

I. PRIMO, frigus circũstans; per quod significatur tribulatio & persecutio exterior, quæ

quæ conseruat à peccatis, sicut patet in Manasse, qui multa mala fecit, vt dicitur 4. Reg. 21. Cum autem tribulatio & persecutio venit super eum, pœnituit, & à multis peccatis, quæ adhuc facere potuisset, præseruatus fuit: vt habetur suprà Dominica II in Quadragesima serm. 2. V. Y. Ideo dicit deuotus Amandus li. 1. c. 13. O quanti sunt, qui grauissima commisissent peccata, qui multa crimina incurrissent, si non pia quadam dispensatione diuina, per tribulationes præseruati fuissent. Frigus circumstans.

SECVNDO, per excellentiam caloris naturalis ignis intrinseci, per quod significatur excellentia gratiæ Spiritus sancti, per quam multi seruantur, ne peccata committant, neque spiritualiter putrescant. Quia ipse Spiritus sancti nutrit ignem diuini amoris in cordibus nostris. De quo quidem igne Leuit. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos.* Vbi MORALITER, vt dicit Lyra, per altare significatur cor humanum, in quo debet offerri deuotionis & orationis holocaustum: & in hoc debet ignis caritatis semper ardere, per ardorem deuotionis diuinæ, quem nutriet sacerdos, id est, Spiritus S. qui dicitur sacerdos id est, sacra dans. Quia dat sacra septem dona; subijciens ligna, id est, diuina beneficia, & Sanctorum exempla, ad Dei dilectionem, & proximi inflammationem; & per hunc ignem caritatis & deuotionis, præseruatur quilibet homo à peccatis. *II.* Excellentia caloris naturalis.

TERTIO modo per coagulationem factam à frigido intrinseco, id est, per timorem diuini iudicij. & vltionis futuræ intrinsecus recogitati. Quia talis timor à peccato præseruat, iuxta illud dictum B. Hieronymi. Nulla res ab omni peccato ita nos seruat immunes, sicut timor iudicij, & timor supplicij. *III.* Coagulatio à frigore intrinseco.

QVARTO, per motum moderatum. quia dicit Metrista: *IV.* Modus moderatus.

Et vitium capiunt, ni moueantur aquæ.

Motus moderatus est variatio & continuatio sanctarum occupationum, quæ excludunt otium, quod inducit maximè putredinem libidinis, sicut patet de Sodomitis, Ezech. 16. *Saturitas panis & otium.* Ideo dicit Ouidius in lib. de remedio amoris: *Otia si tollas periere cupidinis arcus.*

QVINTO, impeditur putrefactio peccati per magnitudinem rei: quia res magna magis resistit putrefactioni quàm parua. Isto modo moraliter magna dignitas, gradus siue status personæ, debet eum præseruare à corruptione peccati, quando scilicet homo recogitat, quòd sit Prælatus, & quod habet curam animarum, recipit honorem à subditis, & beneficia quibus omnino est indignus, nisi benè viuat. Quia dicit Aristoteles 4. Ethic. Prauus non est honore dignus. Sicque ex ipsa suæ dignitatis magnitudine facit sibi stimulum bonæ vitæ. Inter ista quinq; putrefactionis impedimenta, præcipuum est disciplina, quæ vitam gratiæ à putrefactione præconseruat, iuxta illud Prou. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux & via vitæ increpatio disciplinæ.* Ideo dicit hic: *Disciplina pacis super eum.* scilicet hominem, vt eum à peccato præconseruet. *V.* Peccati magnitudo.

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Matth. 26.

L

Nimius cibus quid incommodi afferat.

ARISTOTELES de regimine principum ad Alexandrum, sic inquit. Semper tenera sic ponatur cibus corporis, vt appetitus cibi vlterior remaneat aliqualis. Cui concordat Ioannes Mesue in prima practica. Esurienti adhuc stomacho cessandum est à cibo. Et ratio est, quia nimius cibus naturam grauat, stomachum inficit, tortiones generat, malos humores augmentat, vomitum & fastidium prouocat, calorem naturalem suffocat, ossium & neruorum contractionem causat, vlcera & apostemata procurat, & mortem accelerat: & si tunc homo immoderatè manducat, non mortem effugiet, sed citius morietur. Quando ècontra cibus est nimis paucus, naturam debilitat, visum & sensum hebetat, fluxum capillorum, & caluiciem generat, tussim & hecticam accelerat, & corpus attenuat, peiores infirmitates, quàm repletio causat. Ideo dixit Hyppocras in aphorismis, quod in tenuibus dietis maximè peccant ægrotantes. Cibus igitur si medium inter hæc teneat, rem perditam restaurat, virtutem conseruat, calorē temperat, ingenium acuit, vires operandi tribuit, sanitatem perficit & custodit, & salubrem somnum inducit, vt dicit Anselmus, li. 6. c. 16. Et hoc fit cum homo tantum comedit, quòd cum appetitu à cibo cessat & desistit.

Cibi moderati vtilitas

SPIRITVALITER per cibum intelligit venerabile Christi sacramentum. De quo canitur:

Ecce panis Angelorum, | *Factus cibus viatorum,*
Verè panis filiorum, | *Non mittendus canibus.*

Quo desiderio sumenda Eucharistia.

Iste cibus saluberrimus sanctæ Eucharistiæ ita est sumendus à quolibet Christi fideli, vt in eo maneat desiderium felicitatis, & gaudium internum, & appetitus cœlestis secundum illud Cassiani in collat. Patrum: Præeunte & sequente animæ desiderio, cibus sumendus est Eucharistiæ huius sanctæ: Sicut sumpsit hunc cibum B. Monica, mater B. Augustini de qua legitur, quod quadam die post sumptionem huius sacramenti, tantus appetitus cœlestis in ipsa remansit, quod ad vnum cubitum à terra eleuata fuit, & in spiritu rapta, clamauit: Volemus ad cœlum. Quæ postea reuersa ad seipsam, interrogata ab Augustino filio, & alijs qui aderant, quidnam ei accidit, tacuit. Sed demum quasi compulsa respondit. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ecce cum quanto desiderio accepit, quantumque desiderium huius salutiferi cibi in ea remansit. Ita etiam in primitiua Ecclesia, magna desideria in sanctis hominibus remanserunt, qui quotidie hunc præcordialem cibum sumebant. Sicut adhuc fuit tempore Calixti Papæ, qui fuit Quartus post B. Petrum. Et dicitur de consec. dist. 2. c. Peracta, inquit, consecratione, communicent omnes, qui noluerint carere Ecclesiasticis liminibus. Sic enim Apostoli docuerunt, & sancta Romana Ecclesia tenet. Sed postea tepescente deuotione, quia ex frequenti sumtione huius benedicti cibi, nullum desiderium in multis remanebat; Statuit Fabianus Papa, vt habetur de consec. dist. 2. c. Etsi non frequentius, saltem ter in anno homines communicent; In Pascha, videlicet Pentecoste, & Natali Domini, vt sic desideria vlteriora in hominibus remanerent. Sic hodie sub præcepto statuit Innocent. III. vt semel in anno communicarent fideles; vt de pœnit. & remissi. c. Omnis vtriusq; sexus. Et ad hoc dicit hic Dominus præcipiendo, *Accipite & comedite; Hoc est corpus meum.* quæ sunt verba thematis præassumpta. In quibus inquam verbis Dominus prin-

Communio quotidiana.

A quotidiana communione quando cessatum.

Annæ communionis præceptum.

principaliter duo facit circa corpus suum gloriosum. *Primo*, allicit ad accipiendum, ibi; *Accipite & comedite. Secundo*, inducit ad credendum, ibi; *Hoc est corpus meum.*

De primo est NOTANDVM. Auicenna libro medicinalium dicit: Quod non est conueniens ambulare in hyeme ieiunio stomacho, sed bonum est prius prælibare triticeum panem, assatam carnem, & bonum vinum haustare. Quia, vt dicit Auctor propriet. lib. 9. In hyeme magis est appetitus cibariorum. Quia secundum Hypocratem ventres tunc sunt calidiores, & cum calidum non habet, in quod agat, agit in seipsum, & sic corrumpit stomachum.

MORALITER. per tempus hyemis, est tempus aduersitatis, vel tribulationis designandum, quam Christus habuit cum ad passionem suam appropinquaret. Ideo ad literam voluit prælibare de pane azymo & triticeo, & de carne assata agni paschalis, & de genimine vitis, id est, de vino, quod generatur de vite. Idcirco dicitur Matth. 26. *Prima die azymorum*, quæ erat quinta Feria hodierna, in cuius vespere agnus paschalis erat immolandus, vt habetur Marc. 14. *Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pascha*, id est, agnum paschalem. Nam propriam domum Christus non habuit, sicut conquerebatur Luc. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Ideo dixerunt: *Vbi vis*. quasi dicerent: Tu es Deus, cuius voluntati nemo resistere potest, vbi vis fiet tibi ibidem. Et dixit Petro & Ioanni Iesus Luc. 22. *Ite in ciuitatem*, scilicet Hierusalem, *& inuenietis hominem*, occurrere vobis, *amphoram* secundum Lucam, & secundum Marcum 14. *Baiulans lagenam*. Quod concordat Augustin. in concordia Euangelistarum, dicens: Terrea erat lagena, ideo amphora. vel lagena dici poterat. Amphora erat in materia, sed lagena in forma. Hunc igitur hominem lagenam portantem *sequimini quocunq; introierit, & dicite domino domus: Magister dicit; Tempus meum*, scilic. patiendi, quod est ab æterno à Deo ordinatum, in lege præfiguratum, & à me amore hominum desideratum, *propè est*, vt dicit Matth. 26. Quia in crastino; ideo *apud te*, in domo tua, *faciam pascha*, id est comedam agnum paschalem, *cum discipulis meis. Et ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum*, id est magnum & honorificè præparatum, *illic parate nobis*, vt dicitur Marci 14. & Lucæ 22. *Euntes autem discipuli*, scilicet Petrus & Ioannes, *inuenerunt sicut dixit illis Iesus, & parauerunt pascha*, id est, agni paschalis refectionem. Et dicit Marcus; *Vespere autem*, scilicet Feriæ V. *facto, venit IESVS & discumbebat cum duodecim discipulis suis*, sicut pius pater cum filijs. Et dicit Chrysostomus: Mirabile fuit valde, quod ille suscepit Christum, non solum ignorans, sed quasi nesciens consequi se inimicitias Iudæorum, sed contemsit odium eorum, diuinitus inspiratus. *Et edentibus illis*, Matth. 26. dicit Glossa, secundum consuetudinem & præceptum legis, Exod. 12. vbi sic dicitur: *Comedetis illum*, scilicet agnum paschalem, *renes vestros accingetis*. &c, vt infrà dicetur. Cum igitur sic comederent, ait illis, vt dicitur Lucæ 22. *Desiderio desideraui*, id est, valde desideraui, *hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Amodo dico vobis. Non manducabo vobiscum hoc*, scilicet pascha figuratum, *donec impleatur in regno Dei*, id est, donec sacramentum corporis & sanguinis mei, quod in hoc veteri pascha spiritualiter intelligitur, in regno Dei celebretur, vt dicit Glossa; quasi diceret: Non comedam amodo vobiscum in figura, sed in veritate

Tempus hyemis, tempus tribulationis.

Pro doctrina communicantium est NOTANDVM. Per agnũ paschalem *spiritualiter* figu-

M

Communicantes notêt figuratus est Christus. Quia sicut ille agnus paschalis, quem comedebant Iudæi, fuit agnus sine macula, Exod. 12. Sic Christus, qui sumitur à populo Christiano, est *agnus Dei tollens peccata mundi*. Ioan. 1. & sine macula, quia *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius*. 1. Pet. 2. Istum itaque agnum mundissimum quicunque sumere volunt, debent obseruare ritum comedendi. Iudæis præceptũ, vt agnum paschalem comedant *cum lactucis agrestibus*. & hoc literaliter fiebat ad seruandum amaritudinem, quam sustinuerunt in seruitute Ægypti.

Pœnitentiæ amaritudo quatuor facit. Sed MORALITER. in hoc significatur, quicunq; vult agnum paschalem Christum comedere, debet primò & principaliter amaritudinem de peccatis commissis habere. Iuxta illud Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudinibus animæ meæ.* quia amaritudo pœnitentiæ quatuor facit.

I. Christum reconciliat. PRIMVM est, quod Christum reconciliat. Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Ecce mirabilis modus reconciliationis tanti Domini, qui vult quasi ad paria iudicari, cum homine seruo suo. Si enim homo vult pœnitere, ipse quoque vult pœnitere, id est, ad modum pœnitentis se habere. Sic & nobiles temporales, pulchrum vindictæ genus reputauerunt ignoscere, noxijs & pœnitentibus concedere veniam post reatum, vt dicit Petrus Rauennas in quodam sermone.

II. Angelos lætificat. SECVNDVM est, quod angelos lætificat. Iuxta illud Lucæ 16. *Gaudium est angelis Dei super vno peccatore, pœnitentiam agente.* Et dicit Robertus Holkot super illud Sap. lect. 149. Gaudent angeli de pœnitentia peccatoris propter tria. *Primo*, quia vident suæ animæ custodem commissum, tam gloriosum fructum: Sicut medicus gaudet, quando videt suæ curæ commissum reparatum, & consuetæ valitudini restitutum. *Secundo*, quia vident ex peccatoribus conuersis suum adimpleri numerum & ruinam. *Tertio*, quia vident se ad laudandum Deum tale habere consortium.

III. Nos reformat. TERTIVM est, quod amara pœnitentia velut agrestis lactuca nosmetipsos reformat. Dicit enim Boëtius lib. 4. prosa. 3. Homo secundum varia vitia quibus indulget, ad naturam bestiarum transformatur: sicut inquietus in lingua, comparatur cani; callidus, vulpi; acediosus, asino; & sic de alijs. Ratio est: quia anima hominis est mollis sicut cera, quæ citò recipit effigiem illius rei cui imprimitur. Si enim applicatur sigillo, cui impressa est figura leonis, inducet cera effigiem leonis. Si verò cera applicetur sigillo, cui insculpta est figura lupi, vel vulpis, cera cõsimilem inducet formam. Isto modo anima rerum, quibus se per amorem applicat, effigiem induit, & in illas se transformat. Ideo dicit Hugo in solilo. de arrha animæ. Ea est vis amoris, vt talem te esse necesse sit, quale est illud, quod amas, & cui per affectum coniugeris: & in ipsius similitudinem dilectionis societate transformeris.

IV. Dæmones confutat. QVARTVM est, quod dæmones confutat. Vehementer enim confunduntur, quando eorum præuidemus consilium, & eorum euadimus laqueum, vel carcerem, quòd à suis principibus grauius affliguntur, sicut custos carceris pro euasione latronum punitur. Valdè igitur agitantur inuidia, quando vident nos eis similes & deformatos per peccatum, iterum per sacramentum pœnitentiæ restitutos, quod sacramentum pœnitentiæ nullo modo eis conceditur. Vnde de hominibus dicit Petrus 2.

Petr.

Petri 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed ad pœnitentiam reuerti.* Ideo necesse est, quod agnum paschalem Christum IESVM, cum lactucis agrestibus amaræ pœnitentiæ pro peccatis, præ cæteris reuerenter comedamus.

SECVNDO, fuit præceptum Iudæis, vt agnum paschalem comederent assum tantum igni, non crudum, nec coctum in aqua. In quo MORALITER instruimur, vt in vera dilectione Christum verum agnum sumamus. Quia dicit Glossa: Illi comedunt assum igni, qui habent cor excoctum per amorem, & sapidum per deuotionem. Illi comedunt crudum, qui habent cor crudum, id est, non coctum, qui habent cor insipidum, id est, non sapidum, sapore deuotionis. Ideo debent fideles hunc verum agnum comedere corde ignito ex vero amore, quia est sacramentum amoris. Vnde Clemens V. de reliq. & venerat. sanct. in Clement. Si dominum dicit. In institutione huius sacramenti dixit ipse Dominus Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt præcipuum in signum, memoriale sui amoris eximij, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum. Eucharistia quo affectu sumenda.

TERTIO, fuit eis præceptum, quod caput cum pedibus, & intestinis vorarent. N SPIRITVALITER. Caput agni Christi, est Deitas sua, qua similis & æqualis est Deo Patri. De quo 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus.* Sed per pedes significatur caro, quæ est infima in ipsa natura. Per intestina verò intelligitur anima Christi, & hæc omnia debemus nobis per fidem incorporare. Debet enim quilibet, volens manducare agnum hunc mitem Christum, credere quod in Sacramento hæc tria veraciter contineantur; Deitas, caro de virgine assumpta, & anima sanctissima. Quia dicit S. Ambrosius, lib. de sacram. & ponitur de consecr. dist. 2. c. Panis. 2. Idem allegat Magister lib. 4. dist. 9. cap. 4. Quod panis est in altari vsitatus ante verba sacra, vbi autem accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et B. Augustinus, in lib. sent. Prosperi, & de consec. dist. 2. Sacrificium. In specie, inquit, panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem Christi honoremus. Item Eusebius Emissenus de consecr. dist. 2. cap. Quia corpus. Inuisibilis, inquit, sacerdos, id est, Christus, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis verbo suo consecrata potestate commutat. Ex his, vt dicit Magister vbi suprà, constat verum corpus Christi, & sanguinem in altari esse, imò integrum Christum sub vtraque specie, & substantiam panis in corpus, viniq; substantiam in sanguinem conuerti.

Sed in hac fide multi errauerunt, quorum vnus principalis fuit Berengarius Ecclesiæ Andegauensis Diaconus, qui dixit, quòd post consecrationem non esset in altari verum corpus Christi & sanguinis, sed solum dixit ibi esse sacramentum, id est, speciem panis & vini, vt dicitur de consec. dist. 2. c. Ego Berengarius. Iste error fuit nimis detestandus, ex eo, quòd omnes adorantes idololatriam committerent; quia adorant verum corpus Christi, quod traxit de Virgine gloriosa; imò verum filium Dei, Dominum nostrum IESVM Christum, qui tamen ibidem in humana natura non esset, vt dicit illa hæresis. Et certè valde ridiculosum esset, quòd Deus faceret illud maximum miraculum quod transsubstantiaret substantiam panis in corpus suum, & vinum in sanguinem eius, ita quod accidentia remanerent. Ideoque victus dictus Berengarius de hæresi, coram Papa Nicolao, & centum tredecim Episcopis, istum errorē reuocauit. vt de consec. dist. 2. vbi ponitur forma reuocationis c. Ego Berengarius Error Berengarij. Reuocatio Berengarij.

rius indignus Ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis Diaconus, cognoscens veram Catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum; quæ astruere conatur, panem & vinum; quæ in altari ponuntur, post consecrationem solum modo sacramentū, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotū tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctę Romanæ Ecclesiæ, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ, eandem fidem me tenere, quàm Dñs & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit; scilicet, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; Iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia, eos qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & consectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando contra hoc aliquid sentire, aut prædicare præsumpsero, Canonum seueritati subiaceam.

Quam reuocationem diligens Lector attendere debet diligenter, ne incidat in errorem magis periculosum. Nam ex illa reuocatione quidam referebant, quod corpus Christi essentialiter frangitur, & diuiditur manibus sacerdotum, quod non est. Ideo quando dicitur in reuocatione sensualiter, *non sacramentum sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri*: hoc totum referri debet ad accidentia, scilicet ad ipsas species, quæ tractantur manibus sacerdotum, franguntur, & fidelium dentibus atteruntur. Et ibi sub illis speciebus fractū, totum corpus Christi existere integrum & perfectum est credendū, prout plenius docet Glossa super c. Ego Berēgarius. Et infrà c. Si docetur. Reprobatur etiam ille error, per illud, quod habetur in c. Si Dominum. in Clement. vbi suprà, vbi dicitur: In hac vera sacramentali Christi commemoratione, IESVS Christus præsens sub alia quidem forma, in propria autem substantia est nobiscum.

Narrat etiam sanctus pater Arsenius in Vitis patrum, lib. 4. cap. 17. de Prouidentia, alphab. 27. §. 5. & 6. quòd quidam pater sanctus magnæ vitæ, sed idiota & simplex, non per malitiam, sed ex simplicitate dicebat, quod in sacramento non erat corpus Christi verum, sed solū eius figura sub specie panis. Quod cum sancti duo Patres intellexerunt, ipsum arguebant dicentes: Nonné credere debemus secundum sedem Apostolicā, quòd panis quem sumimus, non secundū figuram, sed in veritate sit corpus Christi. Quia sicut Deus in principio de puluere terræ fecit hominem verum, & non secundum figurā tantum ad eius imaginem: ita credimus, quod quantumcumq; dixit: *Hoc est corpus meum*, verè & non secundum figuram fuit ibi corpus Christi. Qui cum per rationem senem de sua dubitatione trahere non possent, dixerunt ad eū: Deprecemur Deum communiter per istam hebdomadā, vt Deus huius rei aperiat veritatem. quod verbum Senex cum gaudio recepit, dicens: Domine tu nosti quod non per malitiam incredulus sum, sed per ignorantiam. Si erro, reuela mihi Domine, quod verum est. Omnibus autem illis orantibus diu, die Dominico iuerunt ad Ecclesiam, vt mysteria celebrarent. Visum est illis tribus solis, quod puerulus in altari iaceret, quod Angelus Domini in sacrificium obtulit, cum presbyter panem Deo offerret. Et

Miracula testantia verā præsentiam Christi in Sacramento Eucharistiæ.

eum

cum presbyter frangeret panem, Angelus puerum istum in frustra concidit, & cum senex ad communionem accederet, data est ei caro pueri cruentata. Tunc exclamauit, dicens: Credo Domine, quod panis hic in altari positus, sit corpus tuum, & in calice sit sanguis tuus. Et statim etiam illa caro versa est in panem secundum mysterium sacramenti, quem cum summa deuotione sumentes Deo gratias egerunt.

Sacerdos etiam quidam deuotus beatæ Virgini, de Sacramento altaris dubitauit. Vnde eam assiduè inuocauit, vt ei subueniret. Cui Missam celebranti, hostia ante Pater noster disparuit. Admiratus de hoc, & perterritus, B. Virgo ei apparuit, Filium tenendo in manibus. Cui etiam dicebat: Ecce eum quem puellula puerpera peperi. Ecce quem consecrasti. Ecce quem tuis manibus tenuisti, quem tangendo & leuando cunctis ostendisti, quem in sacramento manducas & bibis. Ecce filium meum tibi trado deuotè & reuerenter suscepturum; & sic deposuit puerum pulcherrimum, qui subitò transfiguratus est in hostiam panis, quem sacramentaliter sumpsit & sic omnis dubitatio in eo cessauit. *Aliud miraculum.*

Albertus in Prussia Episcopus refert, quod quædam mulier, cum ipse esset Episcopus, venit ad eum confitens, quod diabolus non permitteret eam credere in sacramento altaris quod ibi esset verum corpus Christi, & ergo cum accepisset ipsum ante porcum in siliquis posuisset. Ecce mirum, omnes porci flexerunt genua, & adorauerunt sacramentum. Volens autem misera experiri plus; posuit corpus Christi super veru, & assauit iuxta ignem, tanquam assaturam. Et ecce guttæ sanguinis abinde fluere cœperunt. Hoc autem facto, adhuc misera non contenta, corpus Christi fodit in terram, & sanguis super fossam cœpit emanare, quasi extra bulliendo. Ad quod tunc compuncta est, & credidit verum corpus Christi esse in altaris sacramento. Et Episcopo supradicto confessa est, & perpetuam pœnitentiam ab eo suscepit. *Aliud miraculum admirabile.*

His quidem sanctorum auctoritatibus & exemplis roborati sunt, instructiq; Christi fideles, nihil dubitent, nihil hæsitent, de sacramento altaris, sed veraciter credant ibi esse verum corpus Domini nostri IESV Christi, & sanguinem eius, animam & Deitatem. De hoc dicit sanctus Thomas in summa contra errores Gentilium lib. 4. cap. 49. In hoc sacramento aliquid est ex vi conuersionis, aliquid ex naturali concomitantia. Ex vi quidem *conuersionis* est in hoc sacramento illud, ad quod directè conuersio terminatur. sicut sub specie panis, corpus Christi in quod panis conuertitur, vt patet per verba consecrationis cum dicitur: *Hoc est corpus meum*. Similiter sub specie vini est sanguis Christi; vnde dicitur; *Hic est calix sanguinis mei*, sed ex naturali *concomitantia* sunt ibi omnia alia, ad quæ conuersio non terminatur. sed tamen ei in quod terminantur, sunt realiter coniuncta. *Et subdit.* Manifestum est enim, quod cõuersio panis non terminatur in diuinitatem Christi neque in animam eius, sed tamen sub specie panis, est anima Christi, & eius Diuinitas, propter vnionem vtriusque ad corpus Christi. Si enim in triduo mortis hoc sacramentum celebratum fuisset sub specie panis, non fuisset anima Christi. quia non erat realiter corpori Christi vnita: Similiter nec sub specie panis fuisset sanguis, nec sub specie vini corpus: propter separationem vtriusq; in morte. Nunc autem quia corpus Christi in sui natura non est sine sanguine, sub vtraque igitur specie est corpus & sanguis. Hæc S. Thomas. *Concomitantia.*

Ex his iam dictis elicitur breuiter, quod hæretici, qui Christi in sacramento Deitatem negant, caput agni non manducant. Qui verò dixerunt ipsum non habere

carnem veram, sed phantasticam, vel de cœlo asportatam, pedes agni non comedũt. *Alij autem*, qui negabant ipsum habuisse animam rationalem, sed diuinitatem loco animæ, intestina non vorabunt. Nos autem Christi fideles caput cum pedibus & intestinis voramus, quia de eius Deitate, vera carne, & anima rationali, catholicè sentire firmiterq; debemus credere; quia quamuis ex vi sacramenti solum est ibi corpus, cætera autem alia sunt ibi ex naturali concomitantia, vt etiam dicit ipse Doctor Ægidius in tractatu suo de corpore Christi, propositione quinta & vltima.

O

Puritas conscientiæ in communione requiritur.

QVARTO, fuit præceptum Iudæis, vt comederent agnum cum azymis panibus. Sed quid per azymos, certè pœnitentia & pura conuersatio fidelium, corpus Christi sumentium, designatur. Debent enim puri esse sine peccatis, qui saltem edere volunt de sacramento altaris, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 5. *Epulemur non in fermento veteri*, id est, peccato, quod animam inueterascere facit spiritualiter; *neque in fermento malitiæ neque nequitiæ*, id est, in peccato ex certa malitia facto *sed in azymis sinceritatis*, scilicet quantum ad puritatem affectus, *& veritatis*, quantum ad puritatem intellectus.

Et ratio est quare comedentes agnum paschalem Christum, debent esse puræ conuersionis, & sine peccato: quia sicut alimentum naturale & corporale non prodest corpori mortuo, sed viuo, sic alimentum spirituale corporis Christi, non prodest mortuo spiritualiter, scilicet existenti in peccato mortali, sed viuenti vita gratiæ & veritatis. Et non solum non prodest in peccato mortali existentibus, verùm etiam multum nocet. nam sicut panis naturalis vsui humano conueniens est, & nocet veneno nutritis, sic ille, *panis vitæ, qui de cœlo descendit*. Ioan. 6. multum nocet infectis veneno mortifero peccati mortalis. Vnde refert Aristoteles, in de regi. princip. quod Indi quandam puellam pulchram valdè miserunt regi Alexandro Magno, quam cum intueretur Aristoteles, dixit regi Alexandro. Priusquam te tali puellæ coniugas, da ei panem ad vescendum. Quod cum fecisset statim puella mortua fuit, & exstincta. Et ratio fuit, quia prædicta puella fuit veneno à iuuentute nutrita, & tantum erat veneno pro cibo vsa, quod venenum fuit ei cibus naturalis & humanus cibus letalis.

Panis naturalis nocet veneno nutritis.

MORALITER hæc puella est cuiuslibet hominis anima, quæ ratione creationis est valdè pulchra. Sed (heu) nutritur veneno peccati interdum per diabolum, cui consentit, quod alium omnem cibum spiritualem contemnit, sicut prædixit Dauid in Psalm. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum*. Hæc quidem puella mittitur Alexandro, qui interpretatur alleuians tenebras, & significat Deum, qui leuat & tollit tenebras peccatorum. Isa. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates vestras*. & mittitur ei per sacerdotes, qui habent discernere aptitudinem peccantium; Et si adhuc æstuans veneno peccati, audet accedere ad sacramentum panis cælici, mortem incurrit temporalem; si non pœniteat, æternam. Quia dicit Hilarius super Matthæum: Dominum ad vindictam excitat, sanctos à se fugat, hostem suum lætificat, vitam suam abbreuiat, qui corpus Christi indignè manducat.

Pœna indignè communicantis.

Miracula indignè sumẽtium corpus Christi.

Refert enim Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum, cap. 40. part. 6. quod sacerdos quidam lubricus & immundus, corpus Christi quasi quotidie polluto ore sumebat. Et vide vindictam Dei. Os enim circa nasum, & mentum, & lingua computruit, ita quod vix posset præ fœtore ab amicis suis sustineri. *Sed & alius* sacerdos in Gallia fuit, cuius manus in Missa super aram extensæ, igne cœlesti, vsque ad cubitos sunt combustæ & consumptæ. Qui-

Quidam etiam sacerdos vidit quendam peccatorem sibi confessum non verè contritum, qui non habuit voluntatem abstinendi à peccatis, & sacerdos prohibuit ei sacramentum: super hoc ille friuolè accessit. Cui dixit sacerdos; Iudicet Deus inter me & te,& dedit ei corpus Christi. Quia sacerdos non debet prohibere sic accedentes, quia dicit Augustinus de consec. dist. 2. c. Quotidie. Non prohibeat dispensator, id est sacerdos, qui corpus Christi dispensat populo, pingues terræ, id est, peccatores diuites in peccatis, si occulti sunt, ad mensam Domini manducare. sed moneat timere exactorem, id est, Deum, qui hoc exigit ab eis, quod patet de illo, de quo suprà, qui cùm sic sumeret indignè, statim guttur eius ruptum fuit, & exiuit corpus Christi, & illico expirauit. Ideo dicit Apostolus 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo &c. Qui enim manducat & bibit indigne &c.*

Diceret aliquis. Dicit Gregorius, quod hoc venerabile Sacramentum, est ablutio scelerum; Ergo videtur, quod sumens illud in peccatis, mortem non meretur, sed magis mundatur. *Ad hoc dicitur*, quòd beatus Gregorius non intelligit de ablutione peccatorum mortalium, sed venialium. Quidam tamen intelligunt de peccatis mortalibus,& tunc secundum Innocentium locutio talis est impropria. Quia sacramentum Eucharistiæ crimina abluere dicitur, in quantum ea impedit ne comitantur. Vel intelligitur de peccatis mortalibus oblitis, de quibus habet aliquis contritionem generalem. quia in sumente post esse tale peccatum mortale occultum, quod si eius cognitionem haberet in memoria, libenter vellet confiteri, & pœnitentiam pro eo acceptare. Talis si deuotè accedit ad Sacramentum Eucharistię, consequitur veniam de peccatis. Et ad hunc sensum dicit B. Augustinus: Cum corpus Christi manducatur, mortuus suscitatur. *Nesciens se in peccato mortali cōstitutum potest dignè cōmunicare.*

QVINTO præceptum fuit, vt comederent agnum paschalem accinctis renibus; quia dicebatur Iudæis Exod. 12: *Sic comedetis illum: Renes vestros accingetis.* Quod ad literam fuit eis præceptum, quia debebant esse parati ad eundum de Ægypto. Sed MORALITER significabatur in accinctione renum, quòd qui vellet de agno vero Christo Iesu comedere, deberet esse accinctus cingulo castitatis, iuxta illud Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti:* super quo dicit Gregorius: Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coartamus. Debent enim tàm coniugati, quàm soluti, castè viuere, cum volunt ad hoc Sacramentum Eucharistiæ sanctè accedere. Quia legitur quod quidam cognouit Sabbato paschæ vxorem propriam, & in die paschæ quando communicabatur, corpus Christi ex ore eius exsilijt.

P

Sed diceres. Vtrum pollutio nocturnalis impediat Eucharistiæ sumptionem. *Ad hoc dicitur*, quod pollutio quandoque prouenit ex præcedenti cogitatione, vel delectatione, vel consensu: Quandoque ex repletione nimia, vel crapula, & qualibet huiusmodi impedit. Vel, si aliquis probabiliter dubitat, quod peccatum mortale in ipso sit causa pollutionis, debet omnino abstinere ab Eucharistię perceptione. Quandoque autem contingit ex illusione diaboli, concitantis & volentis impedire communionem: Quandoque ex debilitate, cuius causa homo non potest semen custodire, & continere: Quandoque ex virtute naturæ excellentis superflua. Et de illa dicit Gregorius scribens Angelorum Episcopo, & ponitur dist. 6. cap. 1. Omnino hæc illusio non timenda, quia omnino nesciens pertulisse magis dolendus est quàm fecisse. Et si necessitas vrget, potest sacerdos celebrare, si deuotio exposcat. Similiter *Quānā pollutio impediat cōmunē.*

ter laica persona potest communicare, sed sine necessitate, aut speciali deuotione non debet: Si tamen celebraret, vel sacramentum acciperet, non per hoc mortaliter peccaret. In tali autem casu tutius est abstinere humiliter.

SEXTO præceptum est, vt haberent calceamenta in pedibus. MORALITER. Calceamenta pedum sunt exempla sanctorum patrum, quæ inspicere debemus, quantam reuerentiam circa hoc sacramentum venerabile sumendum habuerunt. Et certè pueri sumere debent hoc exemplum ab hoc puero, de quo scribit Cesarius in dialogis lib.9.c.44. qui cum infirmaretur Spiritu sancto afflatus, corpus Christi sibi dari fecit. Cumq; eum parentes sic prohiberent ille fortiter clamauit. Date mihi corpus Domini. Delatum est igitur verbum ad sacerdotem, qui cum diceret, non esse securum tali puero qui non intelligit quid sit, dare corpus Domini; Hostiam tulit ei non benedictam. Quam cum porrigere vellet ei, & diceret; Ecce hoc est corpus Domini. Vt igitur ex ore infantium Dominus perficeret laudem, & destrueret perfidiam multorum, qui de eodem sacramento malè sentiunt, inspirauit puero vt responderet. Quare me vultis decipere? Non est corpus Domini, quod mihi offertis. Ad quod verbum admirans & puero aliquid diuini inspiratum arbitrans ei sacram communionem attulit, quam ille deuotè satis accepit. Sic & pueri exemplo illius discretionem debent habere inter panem non consecratum & consecratum, quia sub specie panis à sacerdote consecrati, verum corpus Christi occultatur. Quare si reuerenter & deuotè, sicut ille puer, susceperit, calceamenta dicuntur spiritualiter in pedibus habere.

Puerulus hostiam non benedictam, non esse corpus Domini deprehendit

Sed adulti etiam & senes iam sumere debent exemplum à B.Hieronymo, qui cum infirmaretur, humiliter rogauit fratres suos, vt corpus Christi sibi ministrarent, vt habetur in Epistola Eusebij discipuli sui ad Damasum Portuensem Episcopum. Rogo, inquit, Domini mei, vt afferatis corpus Christi, quatenus in suo lumine videam lumen, & firmans super me oculos suos, det mihi intellectum, & sanet me in via qua nunc exiturus gradior. Cum autem dominum venire vidit, prostrauit se protinus in terra, voce & lacrymis, quantum poterat, clamans: Domine quis ego sum, vt sim dignus, vt intres sub tectum meum: meruit hoc peccator homo? quasi diceret: Certè Domine non sum dignus nunquit ego melior sum, quàm omnes patres mei? Tu Moysi noluisti vno ictu oculi monstrari, cur te tantum humilias, vt patiaris ad hominem descendere peccatorem & publicanum, & non solum cum illo manducare, sed teipsum præbere manducari nobis mandas & iubes. Cumque prope illum esset sacerdos, erigens se vir gloriosus, genibus flexis cunctis cernentibus magnis lacrymis & suspirijs clamauit, & pluries percutiens pectus suum dixit: Tu es Deus meus, qui pro me passus es. an forte alius? certè tu es ille. Qui cum Deus esses ante omnia tempora sine principio, genitus à Deo Patre æternaliter, & inestimabili generatione, qui ipso Patri & Spiritui sancto idem vnus Deus es, permanes idem, quod eras, es; & inter vnius puellæ corpusculum clausus, factus es homo. Et plura alia laude digna exorauit. Quibus finitis reuerenter accepit corpus Christi pretiosum. Hoc exemplum moneat quemlibet hominem ratione vtentem, vt humiliter petat, & reuerenter, cum fletibus & suspirijs corpus Christi suscipiat, & orationes deuotas dicat, & præmittat, vt sic calceamenta spiritualiter in pedibus habeat.

Senibus D. Hieronymi exemplum imitandum.

S. Hieronymi feruor & deuotio in communione.

SEPTI-

Septimo præceptum fuit Iudæis edendo agnum paschalem, vt haberent baculos in manibus. Et Moraliter per baculos custodia significatur pastoralis, quem quilibet subditus volens Eucharistiam sumere, debet in manibus tenere. Quia à suo pastore & proprio sacerdote, corpus Christi est sumendum, vt dicitur Extra de pœnit. & remiss. c. Omnis vtriusq; sexus. per Innocentium III. de quolibet parochiano, quod debet ad minus recipere reuerenter in Pascha Eucharistiæ sacramentum à proprio sacerdote, nisi de consilio sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.

Ad minus in Paschate à proprio pastore Eucharistia sumenda.

Ecce habes mentionem de proprio sacerdote, à quo tu parochiane debes agnum paschalem sumere; vel ab alio cui voluerit ille committere; nec debet se alienus sacerdos de subditis alterius eos communicando intromittere. Quia dicitur Extra de paroch. c. Vt Dominicis. Vbi Glossa præmittit. Statuimus vel præcipimus, vt Dominicis, vel festiuis diebus presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero, ibi Missam non velit audire; quem si inuenerit, statim ab Ecclesia abijciat. Et si alieno sacerdoti inhibetur ne admittat alienum parochianum ad Ecclesiam. Si hoc ex contemptu proprij sacerdotis fieret, fortius inhibetur ne admittat ad sacram Eucharistiam. Quia prohibito vno, omnia prohibentur, quæ sequuntur ex illo. dist. 4. c. Deniq; & 13. q. 5. c. Pœnale.

Octavo præcipitur, quòd in vna domo agnus Paschalis comedatur. Hæc domus est Ecclesia, de qua extra de sum. Trinit. & fid. Cathol. c. Firmiter. Vna est vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua quidem ipse Deus sacerdos est, & sacrificium, Iesvs Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur. In hac quidem domo sanctæ Ecclesiæ tradendum est sacramentum sanctæ Eucharistiæ, & non in conuenticulis hæreticorum. Et ideo canitur in historia corporis Christi & est sumptum ex Psalmo 42. *Introibo ad altare DEI,* & sumam Christum, *qui renouat iuuentutem meam.*

Vna est vniuersalis Ecclesia.

Nono & Vltimo præceptum fuit, vt comederent festinanter, in quo significatur, quod sumendo hoc venerabile Sacramentum, festinare debemus ad opus omne bonum. Vel etiam in hoc significatur, quod per virtutem huius sacramenti festinandum est ad patriam cœlestem. quia est viaticum perducens ad cœlum, sicut figuratum est 3. Reg. 19. de Elia, qui cibatus est *pane subcinericio, & aqua, & ambulabat in fortitudine cibi illius vsq; ad montem Dei Oreb.*

Eucharistia Sacramentũ perducens ad cœlum.

Spiritvaliter. Hic mons significat cœlum, quia Oreb interpretatur mensa, & significat mensam cœli. De qua Lucæ 23. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ad quam quidem mensam ambulant, qui hic dignè de vero agno paschali manducant. Quia dicit Ambrosius lib. de Sacramentis: Cum caro Christi dignè percipitur, vita vtique æterna in nobis reparatur.

Postquam igitur agnum paschalem cum discipulis comedisset, surrexit à cœna, vt dicitur Ioan. 13. *Et deposuit vestimenta sua,* id est, tunicam superiorem exuit, & inferiorem præcinxit, *& cœpit lauare pedes discipulorum.* Hoc figuratum est Gen. 18. vbi legitur, Abrahã sedenti in ostio tabernaculi apparuerunt ei tres viri, quos cũ vidisset

Q. I. Prima figura lotionis pedum.

eadem

cadens in terram, adorauit, & dixit: *Afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes vestri.* Abraham interpretatur pater videns, & significat Christum, qui videt omnia; & est, vt dicit Apostolus Hebr. 4. *Discretor cogitationum & intentionum cordis: Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.*

Per hoc autem, quod Abraham sedit in ostio, intelligitur exitus Christi de mundo, cum in breui exiturus esset de hoc seculo nequam ad patrem: accepit linteum, se cingendo. Denique *misit aquam in peluim,* & cadens humiliter ante pedes discipulorum, quod figuratur illo, quod Abraham adorauit in terra, *& cœpit lauare pedes eorum, & linteo extergere, quo erat præcinctus.* Et dicit Chrysostomus, quod à Iuda incepit lauare. Et hoc ideo, quia sicut bonus medicus, plurimorum ægrotorum curis intentus, ab his, qui magis indigent cura, incipit. Sic Dominus à Iuda incepit tamquam à magis indigente, vt per hoc ostenderet nobis, inimicis nostris officium beneficentiæ & humilitatis nos debere exhibere. Ideò dicit Origenes: Dominus cœpit lauare pedes discipulorum, ab vltimis incipiens: Et quia (vt creditur) Iudas fuit vltimus; igitur &c.

Christus Iudæ proditoris pedes primo lauit.

II. Secunda figura.

SECVNDO, figurata est hæc lotio, Genes. 19. Vbi legitur; Vespere sedente Lot in foribus ciuitatis, venerunt duo angeli Sodomam. *Quos cum vidisset, adorauit cadens in terra, & dixit: Obsecro, Domini declinate in domum pueri vestri, & lauate pedes vestros. Qui dixerunt. Minime.* Et sequitur. *Compulit eos oppido,* id est valdè. Ad literam enim erat vespere, quando hanc lotionem peregit, quia dicitur Marci 14. *Vespere autem facto, venit IESVS cum duodecim discipulis.* Sed quod Angeli dixerunt, *Minimè,* nolentes sibi lauari pedes, figuratur, quod Petrus, & fortè alij, nolebant, quod Christus verus Lot lauaret eorum pedes. Ideo dicit Euangelista. *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Quia dicit Augustinus, quod primo incepisset à Petro, tanquam à digniori, qui ait ei: *Domine tu mihi lauas pedes?* quasi diceret: Tu creator mihi creaturæ; tu Domine mihi seruo? Cui ille. *Quod ego facio, tu nescis modo scies autem postea. Dixit ei Petrus. Non lauabis mihi pedes in æternum.* Cui Christus. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Per quod compulit eum ad consentiendum lotioni. Et denotatur in hoc, quod Lot compulit angelos valde, vt ad eum intrarent, & pedes eorum lauari permitterent. Sic si Petrus vellet in domum Domini intrare necesse foret, vt permitteret sibi pedes lauare. Ideo dixit: *Domine non tantum pedes, sed & manus & caput. Cui IESVS. Qui lotus est, non indiget nisi, vt lauet pedes, sed est mundus totus.* Per hoc corripuit eum asserens, quod non indigeret, vel egeret lotione capitis nec manuum, sed tantum pedum.

Per caput MORALITER intelligitur intentio, per manus operatio, & per pedes affectio. Duo prima videlicet *intentio & operatio* in Petro erant munda; quia in omnibus habuit intentionem rectam, & operationem bonam, propter quod lotione capitis & manuum non indigebat. Sed affectus in Petro & in cæteris, sæpe aliquo puluere terrenæ affectionis poterant maculari & aspergi, sicut patet Lucæ 22. quando simul discipuli contendebant, quis eorum post discessum Christi videretur esse maior, propterea arguebat eos Christus, dum dixit: *Qui inter vos est maior, fiet sicut minor.* Ideo necesse erat, vt talis affectio in eis lauaretur. Propter quod dicit beatus Augustinus: Ipsi humani affectus, quibus in hac vita viuitur, quasi pedes sunt vbi &

Humani affectus.

huma-

humanis rebus afficimur, vt si dixerimus, *quod peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus.*

Pro doctrina mortali NOTANDVM, Dominus noster IESVS Christus, ideo lauit pedes discipulorum, vt ipsi Prælati lauarent sordes subditorum suorum. Tunc enim pedes & caput lauant, quando verbo & exemplo subditorum intentionem malam purgant, & affectus emendant. Sæpius enim contingit, quòd pedes non lauantur, quando manus est inquinata, aut quando aqua est turbida, aut quando immunditia in pedibus est inueterata. His tribus de causis subditi non lauantur. Prælati bonum exemplum vtile subditis.

PRIMO, quando manus id est, opera Prælatorum sunt immunda. Iuxta illud Eccles. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* quasi diceret; nullus, sed magis inquinatur. Ideo dicit Gregorius in Registro, & habetur 1. q. 1. c. Necesse est, vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida sequens lutea tenet. Scriptum est enim Isa. 43. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et exponit hoc, *Vasa* etenim Domini ferunt, qui proximorum animas ad interiora & spiritualia cœlestia perducendas, in conuersationis suæ exemplo suscipiunt. Cui dicto alludit Gregorius Nazianzenus: Mundari, inquit, prius debet & sic alios mundare. Sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes: lumen effici, & sic alios illuminare: accedere ad Dominum, & sic alios ducere ad Dominum: sanctificari, & sic alios sanctificare: manus rectas habere, & sic dare rectum consilium. Opera Prælatorum debent esse munda.

SECVNDO, quando aqua est turbida & immunda. MORALITER. aqua turbida est amor mundi. De qua Ierem. 2. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* talis enim aqua non lauat, sed inquinat. Et de hoc Augustinus: Quisquis es, qui es in mundo, ad te venit, qui fecit mundum, vt eripiat te de mundo. Quod si adhuc dilectio retinet, mundus non es. Si tamen aliqua necessitate te retinet mundus, habitat in te, qui mundat immundos. Amor mundi est aqua turbida.

TERTIO, quando ipsa macula pedum ex nimia frequentatione, efficitur nimis tenax & inueterata. Per hoc intellige, quando aliquis nimium peccata frequentat, talis difficulter potest lauari. Quia dicitur Eccles. 34. *Qui baptizatur a mortuo*, id est peccato mortali, *Et iterum tangit, quid prodest lauatio illius*; quasi diceret, parum vel nihil. III. Tertia figura.

TERTIO, lotio pedum figurata est. Genes. 24. vbi dicitur. Laban *dedit aquam ad lauandum pedes camelorum, quos secum adduxerat seruus Abrahæ*, non solum dedit aquam ad lauandum pedes camelorum, sed etiam virorum, qui cum eo erant. Laban interpretatur candidus, & significat Christum, de quo dicit sponsa Canticorum 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Iste, inquam, candidus & rubicundus, & absque omni peccato, dedit aquam ad lauandum pedes camelorum & virorum, id est Apostolorum, qui dicuntur cameli & viri. Cameli quidem propter mansuetudinem, & onerum supportationem. Sicut enim cameli sunt animalia onerifera & mansueta, ad portandum hominem & onera deputata, vt dicit Auctor propriet. lib. 12. Sic Apostoli fuerunt oneriferi & mansueti, hominum onera supportantes, vt adimplerent illud ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate.* Laban significat Christũ. Apostoli cur camelis similes.

Sunt & viri propter virtutum germinationem, quia germinauerunt in virtutibus, sicut sancti & electi DEI. Istis quidem dedit aquam ad lauandum pedes verus Laban Christus, vt sic mundi essent ab affectibus mundanis. Ideo post lotionem dixit Apostoli, quare viri?

xit eis Ioan. 13. *Iam vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat namq; quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit. Non estis mundi omnes. Postquam autem lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset, iterum dixit eis. Scitis*, id est, scire debetis, *quid fecerim vobis?* quasi diceret; Feci hoc in exemplum humilitatis. *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Postquam hoc fecisset continuò instituit duo veneranda Sacramenta.

Christus instituit hoc die duo Sacramenta.

R

1. Eucharistiæ.

PRIMVM in memoriam suæ passionis, & hoc fuit Eucharistiæ Sacramentum. De quo Matth. 26. *Accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis*; & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Deinde *accipiens calicem*, id est, vinum mixtum cum aqua in calice; ad transsubstantiandum in sanguinem suum, *benedixit, & gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est calix noui testamenti*, id est, *sanguinis* secundum Marcum 14. *qui pro multis effundetur*, id est, extra corpus fundetur, *in remissionem peccatorum*, scilicet per sufficientiam, licet non per efficaciam; quia multi amore peccatorum se tali effusione faciunt indignos.

Figuræ Sacramenti altaris in veteri testamēto.

I.

Melchisedech.

Hic quæruntur plura. PRIMO, quibus figuris in veteri lege hoc sacramentum est figuratum. *Ad quod dicitur*, quod multis. PRIMA habetur Genes. 14. *Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum* Abrahæ; *erat enim sacerdos DEI altissimi.* Melchisedech enim interpretatur rex iustus, rex pacificus, rex pacis, aut rex iustitiæ; quæ quidem omnia Christo rectè conueniunt, qui obtulit panem sui sanctissimi corporis, & vinum sanguinis sui pretiosissimi Abrahæ, qui interpretatur pater multitudinis, & significat quemlibet Apostolum, quia quilibet excepto Iuda fuit pater multitudinis, propter collisionem multorum populorum. Nonnè Petrus fuit pater multitudinis, qui *conuertit vno die tria millia hominum*. Act. 2. & alio die *quinque millia*, Act. 3. Quos conuertit de gentibus? Nonnè Andreas fuit pater multitudinis, qui conuertit viginti millia hominum? Et sic de alijs.

II.

Abraham.

SECVNDA figura Genes. 18. vbi Abraham lauit pedes trium virorum, scilicet Angelorum, ait: *Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Et similiter Genes. 19. Post lotionem pedum duorum Angelorum, appositus erat in conspectu eorum panis. Sic verus Abraham Christus, postquam lauit pedes discipulorum suorum, qui similantur Angelis, Isa. 33. *Angeli pacis amare flebunt*, scilicet in passione Domini, apposuit eis verum panem sui pretiosissimi corporis.

III.

Manna.

TERTIA figura habetur Exod. 16. *Pluit Dominus manna filijs Israël in deserto, quod cum vidissent, dixerunt; Man-hu*: & sunt duæ dictiones, quæ significant, quid hoc scilicet est. Sic exponit Iosephus. Sed Rabbi Salomon & Hebræi moderni exponunt Man-hu, id est, præparatum à Deo pro refectione nostra.

SPIRITVALITER. Per Manna in sacra scriptura figuratur singulariter Eucharistiæ Sacramentum, vt dicit Holkot lect. 183. Dicit enim. Filij Israël per desertum transeuntes versus terram, eis à Domino repromissam, tali refocillabantur alimento: Ita nos per mundum ad cœlum pergentes, corporis & sanguinis Christi quotidiano viatico recreamur. Et sicut Manna sapiebat vnicuique, sicut affectus eius dispositus fuit, & sicut volebat; quamuis Magister historiarum super eodem dicit, quod non sit valdè authenticum. Credo tamen quod sit authenticum propter

ver-

verbum Sapientis, quia dicit Sap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem, quam habebas in filios ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat.* Et loquitur Sapiens ad literam, de manna quod fuit figura verissima huius Sacramenti, vt dicit Ambrosius, & Magister lib. 4. distinct. 8. cap. 1. Dicit etiam Beatus Augustinus, de Ecclesiasticis dogmatibus, & ponitur de consecrat. distinct. 2. c. Quotidie, in fine. Quia manna, secundum voluntatem filijs Israël in deserto, sicut volebant sapiebat. Quod tamen dictum, & Sapientis, & Augustini, vniuersaliter non de omnibus verè est intelligendum. Vnde idem B. Augustinus in lib. retract. dicit: Si itaque ille panis vnicuique sapuit sic voluit, dixissent aliqui: *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo*, sed solùm intelligitur, quòd apud sectatores diuini beneplaciti, iste panis conuertebatur in gustum, quem quilibet talium appetebat, qui secundum diuinum beneplacitum tunc viuebat. Sic sumentes Eucharistiæ Sacramentum, si post sumptionem sentiunt amorem, id est, saporem diuinæ dulcedinis, coniecturando possunt se scire dignè sumpsisse. Ita è conuerso, qui spiritualem saporem diuinæ dulcedinis, post sacramenti sumptionem non sentiunt, possunt timere se indignè sumpsisse. Ecce, hunc angelicum cibum dedit Christus discipulis suis in deserto huius mundi.

Signum dignè sumptionis Eucharistiæ.

IV. Arca Dei.

QVARTA figura habetur 2. Reg. 6. Cumq; Dauid reduxisset arcam in tabernaculum, deinde *benedixit populo, & partitus est vniuersæ multitudini Israël singulis collyridam panis, & assaturam bubalæ.* MORALITER. Per arcam intellige Virginem MARIAM, quam, vt piè creditur, verus Dauid Christus reduxit in tabernaculum suæ habitationis, antequam iret ad locum esus agni paschalis. Deinde benedixit, intellige panem; & sic partitus est omnibus Apostolis collyridam: & est panis triangulus, & significat corpus Christi in quo hæc tria sunt, Deitas, anima, & caro: & assaturam bubalæ, id est carnem assam in ara crucis.

Arca est B. Virgo.

V. Assueri conuiuium.

QVINTA figura habetur Esther 1. vbi legitur, quod Rex Assuerus *tertio anno imperij sui, grande fecit conuiuium cunctis principibus & pueris suis.* Per Assuerum, qui interpretatur beatus, intelligitur CHRISTVS, qui tertio anno, id est tertio tempore, scilicet gratiæ, magnum fecit conuiuium; quia tunc instituit Eucharistiæ sacramentum cunctis principibus & pueris suis, id est, Apostolis. De quibus Psalm. 44. *Constitues eos principes super omnem terram; Vt ostenderet gloriam regni sui.* Tunc enim ostendit fidelibus cibum pretiosissimum, quo reficiuntur angeli in sua specie: Fideles autem in hoc sacramento, in specie aliena. Et inuitauit insuper omnem populum, quia *vult omnes homines saluos fieri*, & ad hoc sacramentum admitti: & hoc septem diebus, id est, toto tempore, quod septenario dierum reuoluitur spatio: *in vestibulo horti*, id est, in Ecclesia militante, de qua Cantic. 4. *Hortus conclusus, soror mea sponsa*, sicut exponit hanc figuram Nicolaus de Lyra in Glossa morali.

SECVNDO, si quæritur: Quando hoc sacramentum fuit institutum? *Ad hoc dicitur*, quod facta est huius institutio post esum agni paschalis, vt satis clarè patet ex prædictis. Idem testatur Magister lib. 4. distinct. 8. cap. 4. Dominus, inquit, IESVS ad inuisibilia paternę maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis suis typico pa-

Quando, Sacramentum altaris institutum.

schate, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis & vini, corpus & sanguinem eius tradidit eis. Idem probat Eusebius Emissenus, & ponitur de consecrat. dist. 2. c. Quia corpus. Dicit: Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat, vt in die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Idem patet in Clementinis de reliq. & venerat. sanct. c. Si Dominum, vbi dicitur: Transiturus de hoc mundo ad Patrem, Saluator Dominus noster IESVS Christus, cum passionis suæ instaret hora, sumpta cœna in memoriam mortis suæ, instituit summum ac magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in potum tribuendo.

Cur post cœnam Sacramentum institutum.

TERTIO quæritur. Quare hoc sacramentum post cœnam fuit institutum. *Ponit de hoc* Magister lib. 4. distinct. 8. cap. 4. tres causas. *Prima*, vt ostenderet legis veteris sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, terminari in morte sua, & nouæ legis sacramenta substitui, in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. *Secundam* tangit, cum dicit: Idcirco etiam post alia dedit, vt hoc vnum scilicet sacramentum, arctius memoriæ discipulorum infigeretur. *Tertiam* tangit, cum concludit: Et ab Ecclesia deinceps frequentaretur.

An post cibum sumptum sit cõmunicandũ.

Ex illa oritur alia quæstio. Ex quo, Christus hoc suum sacramentum post agnum paschalem instituit, & discipulis ad sumendum dedit, Nunquid & nos post alios cibos hoc sacramentum sumere debemus? *Respondet* Magister lib. & distinct. vbi suprà dicens: Non exinde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur, sed potius à ieiunis summi oportet. Glossa; nisi necessitas vrgeat. Et B. Augustinus in lib. responsionum ad Ianuarium, & habetur de consecrat. distinct. 2. c. Liquido, dicit: Apparet enim primò, cum discipuli acceperunt Eucharistiam, non eos accepisse ieiunos; non tamen ideo calumniandum, id est, apponendum ad crimen est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper sumitur. Placuit enim Spiritui sancto, vt in honore tanti Sacramenti primò in os Christiani, Dominicum corpus intraret, quàm alij cibi: Ideoq; mos est iste, & consuetudo secura &c.

Vtrum Christus omnibus discipulis dederit Eucharistiã.

QVARTO. Si quæritur. Vtrum Christus discipulis suis omnibus dedit Eucharistiæ Sacramentum. *Ad hoc dicitur*, quod sic. Et potest hoc ostendi per hoc, quod dixit Dominus, Matt. 26. *Bibite ex hoc omnes*. Et Marci 14. dixit: *Biberunt ex hoc omnes*. Ex quo patet, quod nullum excepit. Et est argumentum, Extra maior. & obedi. c. Solitè, vbi tractat Dominus Innocentius illud verbum Christi, *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. dicens: Nihil excipit, qui dicit, *quodcunque*. Nam si alicui discipulorum non dedisset Christus Sacramentum sui sanctissimi corporis, hoc maximè videretur de Iuda, cui tamen Dominus tradidit sicut & alijs, sicut testatur B. Augustinus, & ponitur 1. q. 1. c. Christus. Christus, inquit, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primam Eucharistiam confectam manibus, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet.

5

An Christus corpus passibile dederit discipulis

QVINTO, Si quæritur; Quale corpus Christus discipulis suis tradidit. *Respondet* S. Thomas & Magister, quod Christus tale corpus dedit discipulis, quale tunc habuit, id est, passibile & mortale; nec tamen impassibile maiorem habet efficatiam. Hugo verò de Sacramẽto pœnit. c. 8. dicit, quod Christus dedit eis impassibile. Christus, inquit, diuersis temporibus oẽs dotes assumpsit, quia in natiuitate assumpsit subtilita-

tilitatem, cum reseratis virginalibus claustris exiuit de vtero Virginis. In transfiguratione autem assumpsit claritatem. Cum autem ambulasset super mare, assumpsit agilitatem. Cum tradidit corpus suum cœnantibus discipulis suis sub specie panis, assumpsit impassibilitatem. Ergo videtur, quod corpus impassibile dedit discipulis suis.

Sed qualiter verba Hugonis sunt intelligenda, potest haberi ex verbis ipsius, cum subdit. Quomodo impassibiliter non datur, qui inuisibiliter sumebatur, & incorruptibiliter manducabatur. Vult dicere Hugo, quod licet fuit passibilis, & dedit discipulis suis passibile, dedit tamen illis impassibiliter, id est, eo modo quo pati non potuit: quia Christo, vt existit sub hostia, dolor inferri non potest, vt pulchre declarat Ægidius Romanus in tractatu de corpore Christi, propositione 16. NOTA.

Et similiter legitur in dicto Hugonis, & in alijs Doctoribus reperitur, quod Christus dedit discipulis suis corpus impassibile, quod dando corpus suum assumpsit impassibilitatem & incorruptibilitatem, hoc non debet referri ad rem, se ad modum, & declarat sic: Sicut, inquit, si corpus Christi fuisset reseruatum in hostia cum patiebatur in cruce, & separata fuit anima eius à corpore, tunc mortuus fuisset in cruce, fuisset etiam mortuus in hostia. Non enim est intelligibile; quòd idem corpus numero simul sit viuum & mortuum, & simul sit animatum & inanimatum. Sic omnis dolor, qui inferebatur Christo in cruce, fuisset in eo in hostia. Non tamen fuisset in eo in hostia, vt habet esse in hostia. Et hoc est, quod dicit idem Doctor, quòd ille dolor fuisset differenter in Christo existente in cruce, & existente in hostia. quia in cruce vbi erat corpus passibile, & passibiliter fuisset in eo dolor per illationem. Sed in hostia licet esset corpus passibile, tamen quia ibi erat impassibiliter, non fuisset ibi dolor per illationem. Licet Christus in hostia doluisset, quia dolor iste fuisset in corpore Christi, propter identitatem corporis, & naturalem concomitantiam. Quia, vt Christus existit sub hostia, non potest dolorem sustinere. Et ad hunc sensum corpus fuit impassibile, quod discipulis ministrauit.

SEXTO si quæritur; Vtrum Christus corpus suum sumsit in Cœna? *Ad hoc dicitur* quod sic. Quod probat B. Hieronymus: Et ponitur de consecrat. distinct. 2. c. Nec Moyses, inquit. Nec Moyses dedit vobis panem verum, sed Dominus noster IESVS Christus, ipse conuiuia & conuiuium, ipse comedens, & qui comedit. Et de consec. dist. 2. c. Nec Moyses ponuntur in Glossa versus: Christus corpus suum in cœna sumsit

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena.
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Et super eodem c. Accipite, dicit: Comedit Christus seipsum, sed non quoad effectum. quia non indigebat; rectè sicut de baptismo. *Sed quærit* Glossa: Quare sumsit corpus suum, qui non indigebat? *Et respondet*, quod hoc ideo fecit, vt daret eis exemplum sumendi, sicut est per aquam baptizatus.

SEPTIMO, si quæritur: Quid per illud pronomen (Hoc) demonstretur. Cum sacerdos dicit: *Hoc est corpus meum.* Ad hoc *respondet* B. Hieronym. in suo libro de officio Missæ, & multi alij, quod ista verba consecrationis panis, & similiter consecrationis sanguinis, non dicuntur significatiuè, sed tantum recitatiuè. Dicunt enim quod Christus sic instituit, vt Apostoli & septuaginta duo discipuli, scirent, quod Dominus in cœna ordinauit eos in sacerdotes, nec non & eorum successores, dicendo ista Quid per pronomen HOC demõstretur.

verba supra narrata, quæ cum intentione consecrandi conficiunt Eucharistiæ sacramentum, & ostendunt duplici ratione: *Prima,* quia sacerdos dicit ea in persona Christi, & non sua; nec loquitur de corpore suo, sed de corpore Christi. & dicit Glossa de consecrat. dist. 2. c. Timorem. Si sacerdos proferret illa verba significatiuè mentiretur. *Secunda ratio:* Sacerdos ante verba consecrationis narrat aliqua, quæ Christus dixit, non significatiuè, sed recitatiuè dicendo, *Accipite & comedite: Hoc est corpus meum.* Et sicut sacerdos dicit recitatiuè aliqua verba, quæ præcedunt verba consecrationis, & aliqua quæ sequuntur: ita etiam dicit recitatiuè verba consecrationis.

Quis sensus verborum. Hoc est corpus meum.

Sed Thomas de Argentina dicit, quod sacerdos dicit non solum verba illa recitatiuè, sed etiam significatiuę. Et dicit, quòd illud pronomen (Hoc) sit partim demõstratiuum ad sensum, & partim ad oculum, seu ad intellectum. Vt sit sensus istius propositionis: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc illud, quod est præsens, scilicet transsubstantiandum est corpus meum. Et sic ad sensum demonstratur per illud pronomen (Hoc) substantia panis; quia ibi est panis, sub proprijs speciebus. Ad intellectum autem, corpus Christi, quod ibi erit sub accidentibus panis, in fine prolationis verborum consecrationis, istius opinionis est Doctor Hugo de sancto Victore, in libro de sancta Trinitate, dicens: Quando sacerdos dicit cum intentione consecrandi, *Hoc est corpus meum*, per illud pronomen (Hoc) non demonstratur corpus Christi præsentialiter, sed demonstratur id, quod erit ibi, dummodo substantia panis fuerit transmutata.

T II. Sacramentũ Ordinis sacerdotalis.

SECVNDVM sacramentum, quod Deus instituit post esum agni paschalis, fuit sacramentum Ordinis sacerdotalis, quia per illa verba. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos in sacerdotes ordinauit. Vt habetur ex Glossa de consecrat. distinct. 2. c. Timorem in Glossa super verbo, Corpus. Et huius quidem, vt ipsi & eorum successores debitè ordinati, possent conficere Eucharistiæ sacramentum. Et non solum per ista verba ordinauit Dominus Apostolos in sacerdotes, verum etiam septuaginta duos discipulos, in eodem cœnaculo, licet in alia mensa, vt potest patere ex decreto distinct. 93. c. Dominus. vbi dicitur, quod Dominus per duodecim Apostolos, tanquam maiores sacerdotes, & per septuaginta duos discipulos, quasi minores, instituit sacerdotium. Petrum verò in summum sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus claues regni cœlorum tribuit.

Apostoli quando à Christo in Episcopos ordinati.

Et circa hoc est NOTANDVM, quod Dominus per ista verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, non ordinauit duodecim Apostolos in maiores sacerdotes, scilicet in Episcopos, & septuaginta duos in minores, sed per resurrectionem suam Apostolos in Episcopos ordinauit, & hoc fuit factum vndecim discipulis post resurrectionem Domini quando *abierunt in Galilæam, in montem quem constituerat illis IESVS*; & fuit hic mons Thabor, vbi videntes eum Apostoli, *quidam adorauerunt, quidam dubitauerunt*. Marci vlt. Et videtur esse illa visio de qua loquitur Apostolus 1. Corinth. 15. *Visus est plus quàm quingentis fratribus*; Et benedixit eis cum manuum impositione, vt patet ex dictis Augustini, quæ inferius statim ponentur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et per illa verba eos Dominus in Episcopos ordinauit, vt dicit Leo Papa scribens Episcopis Siciliæ; Et ponitur de consecrat. dist. 3. Postquam Dominus resurrexit à mortuis, disci-

discipulis suis in quibus omnes Ecclesiarum Præsules dicebantur, & formam & potestatem tradidit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ideò patet per B. Augustinum lib. 29. veteris Testamentis: Nemo, inquit, ignoret Episcopos Saluatorem instituisse, scilicet priusquam ascenderet in cœlos, imponens manus Apostolis, ordinauit eos Episcopos. Ex quibus liquet, quamuis Iudas fuit sacerdos ordinatus, cum alijs Apostolis, non tamen fuit cum eis Pontificalem adeptus dignitatem.

Sed diceres: Tamen de Iuda dicitur Psal. 108. *Episcopatum eius accipiet alter*, scilicet Matthias, qui non accepit Episcopatum Iudæ, quia Episcopus non fuit, quem habuisset Iudas si stetisset, & non à collegio Apostolorum cecidisset. Et ita dictum Prophetæ est intelligendum, quia Matthias fuit vnus de septuaginta duobus discipulis, & per Christum in sacerdotem ordinatus, ipsum postea Apostoli in Episcopum ordinauerunt. vt dist. 21. c. Clerus, vt ei esset æqualis in honore. Item B. Iacobus Apostolus licet cum alijs fuit Episcopus à Domino ordinatus tamen postea ab Apostolis fuit Archiepiscopus ordinatus, vti 45. dist. porro.

Matthias ab Apostolis Episcopus ordinatus.

Iacobus ab Apostolis Archiepiscopus ordinatus.

Postquam igitur Christus hæc duo instituit sacramenta, ait Matth. 26. & Marci 14. *Amen dico vobis, non bibam amodo de genimine*, id est degeneratione vel fructu, *vitis donec bibam illud nouum*, id est, nouo modo, *in regno Dei.* Et hoc cum dixisset, vt dicitur Ioan. 13. *Iesus turbatus spiritu & protestatus est dicens: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me in ista nocte.* Hæc quidem turbatio figurata fuit Danielis 5. vbi legitur, quod Balthasar rex facit *grande conuiuium optimatibus suis. Eadem hora apparuerunt digiti scribentes in superficie parietis aulæ regiæ. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes turbarunt eum.* Balthasar interpretatur absorbens diuitias Domini, & significat CHRISTVM in quo sunt omnes diuitiæ, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hic cum fecisset magnum conuiuium sui sanctissimi Sacramenti, corporis & sanguinis, electis Apostolis suis, qui erant ex omni populo primates, apparuit manus Iudæ scribens contra ditionem Christi; propter quod Christus turbatus, magis quidem propter Iudæ deceptionem; quàm sui traditionem & passionem imminentem. Ideo dicit Matth. 26. *Vnus vestrum me traditurus est.*

Sed quare Dominus suam traditionem in cœna reuelauit. *Respondetur*, propter tres causas. *Prima*, vt magis appareret malitia & nequitia traditoris, qui cum eo edebat, & tamen eum tradere volebat. *Secunda.* vt reuelaret se esse DEVM, qui futura præuidebat. *Tertia*, vt proditor pudefieret, qui se Christum latere æstimabat. Audientes autem boni discipuli, contristati, id est, simul tristati sunt valde, non solum propter Magistri mortem, sed etiam quilibet pro se timebat, ne ipse esset qui CHRISTVM traderet. Ideò inceperunt singuli, id est sigillatim dicere. *Nunquid ego sum Domine*, scilicet, qui te traditurus sum? quasi diceret quilibet: Tu scis omnia antequam fiant, qui nosti melius quid sit in homine, quàm homo in seipso. Si cognoscis me futurum esse talem, dicas mihi, quia volo libens, vt alij omnes me occidant. *IESVS autem respondens ait: Qui intingit mecum manum in parapside* secundum Matthæum, sed secundum Marcum *in catino, me tradet.* Et ponit hic præsens pro præterito intingit pro intinxit. quia dum edebant agnum paschalem Iudas semper impudentior misit manum cum CHRISTO in vas fictile, in

V

Cur Christus suam traditionem in cœna reuelauit.

quo

quo fuit succus lactucarum agrestium, qui necessarius erat ad esum agni paschalis, quod alij propter reuerentiam CHRISTI non faciebant, licet vsi fuissent de lactuca.

Sed hoc alij boni discipuli non notabant, Domino sic volente, vt dicit Hieronymus. Ideo aspiciebant inuicem, hæsitantes de quo diceret. Erat autem vnus recumbens supra pectus IESV, quem diligebat IESVS, scilicet Ioannes, cui Petrus annuit, vt interrogaret quis esset? Cui IESVS secretè dixit. *Ille est, cui intinctum manu porrexero.* Et cum ille intinxisset manum, dedit Iudæ. Et tunc *post buccellam in eum Sathanas introiuit*, secundum Glossam., vt eum plenius possideret, instigando ipsum, vt proditionem inceptam non omitteret, sed citius adimpleret. Ideo dixit Origenes: Attende quidem, quòd primò non intrauit Sathanas in Iudam, sed immisit in cor eius solum, vt proderet præceptorem. Post panem autem in ipsum ingressus est. Quamobrem timendum est ne intrudat in cor nostrum quasi aliquod ignotorum suorum telorum. Nam si intruserit, insidiatur, vt & ipse introeat. Iudas autem ne tacendo se reum ostenderet: quia dicit regula iuris, lib. 6. Qui tacet consentire videtur; ideo dixit: *Nunquid ego sum Rabbi?* id est, Magister: non enim dixit sicut cæteri discipuli, Domine, sed Rabbi. quia iam fuit seruus diaboli. Cui IESVS: *Tu dixisti*, id est, teipsum manifestasti, ego non. Et non Christus eum coram omnibus discipulis manifestare voluit propter duo.

Quare Christus Iudam coram discipulis manifestare noluit.

Primo, ne Iudas à Christo turbatus diceret se ad tradendum motum fuisse. Ex eo quod Christus ei traditionem imponeret. *Secundò*, vt nos doceret non loqui de peccatis aliorum occultis ea reuelando, ne esset contra commune bonum. Quia sicut dicit B. Augustinus: Sicut peccatum est mortale innocenti imponere crimen, sic peccatum mortale est occultum crimen proximi, si etiam verum esset, reuelare. quia esset contra caritatem proximi, quem quilibet debet sicut seipsum diligere. Matth. 22. vbi dicit Dominus; *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Et postea dixit Christus, Lucæ 22. *Filius quidem hominis vadit*, scilicet, voluntariè ad passionem pro humana salute, *sicut definitum vel scriptum est de eo.* Isa. 54. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et iterum. *Sicut ouis ad occisionem ductus est.*

Et dicitur NOTANTER. *Filius hominis*, scilicet Virginis; quia licet sit DEVS & homo, non tamen tradebatur & patiebatur secundum Deitatem in qua impassibilis est. vt de summa Trinitat. & fide Catholica c. Firmiter. Sed secundum humanam naturam, patiebatur; tradebatur, & capiebatur. Ideo væ, id est, æterna damnatio fiet illi homini, *per quem filius hominis tradetur. Melius enim erat illi, si homo natus non fuisset.* Et dicit Magister: Bonum illi esset, quasi diceret, multo melius esset omnino non esse, quàm morte æternaliter malè esse.

Christus diuersimode traditus est.

Circa quod NOTANDVM. Ex quo fit hic mentio de traditione, Christus multipliciter est traditus. *Primo*, à Patre ex feruentissima dilectione. Iuxta illud Apostoli ad Rom. 8 *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Secundo*
I. tradidit semetipsum ex humilitate obedientiæ, iuxta illud ad Eph. 5. *Tradidit seipsum*
II. *pro nobis hostiam & oblationem Deo, in odorem suauitatis.* Et 1. Petr. 2. *Tradebat se iudi-*
III. *canti iniuste. Tertio*, tradidit eum Iudas ex cupiditate auaritiæ suæ, sicut hic; *Væ illi, per quem filius hominis tradetur.* Et infra Matth. 26. *Qui tradidit eum, dedit eis signum.*
IV. *Quartò*, tradiderunt eum Iudæi ex iniquitatis inuidia. quia Lucæ 23. dicitur. *Sciebat Pila-*

Pilatus, quod propter inuidiam tradidissent eum. *Quinto*, tradidit eum Pilatus ex peruersitate iustitiæ, iuxta illud Lucæ 23. IESVM *flagellatum tradidit voluntati eorum.* *Sexto*, vt dicit Origenes, tradidit eum diabolus ex timore, timens amittere genus humanum, propter eius doctrinam si amplius viueret: non aduertens, quod magis erat eripiendum genus humanum ab ipso, propter mortem eius, quàm propter doctrinam. Quia igitur voluntariè semetipsum Christus tradidit, debemus & nos spontè tradere ei ad seruitium suum: Iuxta illud Psal. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Sed sunt (heu) multi, qui se Domino non tradunt, sed potius seruitio diaboli, ad modum Iudæorum Christum crucifigentes, sicut dicit Ambrosius in sermone Dominicæ Passionis; Quod fecerunt tunc Iudæi Christum crucifigentes, hoc faciunt modò mali Christiani, lapidant & occidunt. *Et subdit.* Quid est Christus? Respondet: Veritas, pax, & iustitia. Qui ergo pro falsitate veritatem derelinquunt, pro discordia pacem, pro temporali pretio iustitiam, nihil aliud videntur facere, quàm lapidare, crucifigere, & occidere Christum. quia ipsius dona exstinguunt in seipsis. *Et subdit.* O quàm pauci sunt in tanta multitudine Christianorum, qui Christum non persequuntur, lapidant & occidunt. Illi non aduertunt, quod Dominus dicit de eis per Prophetam: Psal. 62. *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam.* quasi diceret; vt trahitur ibidem ex Glossa Magistri: Licet ipsi quærant animam, id est vitam meam in quo omnes viuunt, nihil tamen mihi faciunt, sed sibi ipsi vitam subtrahunt: Ideo *Introibunt inferiora terræ*, id est infernum, qui dicitur esse in medio terræ, *& tradentur in manus gladij*, id est potestatem diuinę sententię & vindictæ; *& partes vulpium erunt*, id est dæmonum. Post hoc vt dicit Lucas 22. *Facta est contentio inter discipulos IESV, quis eorum videretur esse maior*, &c. Deinde, vt ait Ioan. 13. dixit Dominus Iudæ; *Quod facis*, scilicet in te iam cogitando, quomodo promissam Iudæis traditionem facias & perficias, hoc *fac citiùs*, ne diutina in humana salute fiat mora. Et dicit Glossa, quod Christus hoc non dicit imperatiuè, sed pronunciatiuè, quasi diceret: quod facere iam intendis, citò perficias. Et dixit Ioannes: *Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei IESVS: Eme, ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut vt egenis aliquid daret. Cum igitur Iudas accepisset bucellam, exiuit continuò*; abijtque à Christo & à discipulis eius ad Principes sacerdotum, vt cum eis tractaret, *quomodo ipsum traderet eis sine turbis. Erat enim nox*, quando Iudas abijt, vt dicit Ioan. 13. Ecce habes breuiter, quæ gesta sunt à Christo Feria Quinta. Nunc sequitur de passione Domini.

Christiani lapidant Christum.

IN DIE PARASCEVES.

Passio Domini.

Cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccauimus. Thren. 5.

FLos rosarum inter alios flores habilior est ad faciendum serta capitis, aut coronas, quia præ alijs floribus caput hominis fulcit decentius & ornat. Et quamdiu durat flos rosarum, vt in vere, tamdiu sunt homines lętiores, capita sua rosis coronantes, ac se inuicem exhortantes: *Venite coronemus nos rosis antequā marcescant, & non prætereat nos flos campi.* X

Sap. 2. Cum autem deciderit flos & marcescit, statim euanescit naturalis lætitia, vt homines non tam læti sint, & occupat hominem magis tristitia & cantus auium, vt communiter conticescit.

SPIRITVALITER. Per florem rosarum intellige Christum Dominum nostrũ qui ortus est à radice virginea, & benedicta Virgine Maria. Iuxta vaticinium Isaiæ 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Iste flos Christum figurat, vt dicit B. Bernardus: Flos est virginis Filius, flos candidus & rubicundus, ex millibus electus. Est flos in quem desiderant angeli prospicere, & est flos ad cuius odorem reuiuiscunt mortui. Hæc Bernardus. Iste igitur flos delicatissimus est Christus IESVS, corona & sertum capitis nostri, quia per ipsum sancti Apostoli coronati sunt, martyres inuicti laureati, Virgines castæ exornatæ sunt. Propter, quod deuotus Doctor Amandus loquens ad electos in horol. Sap. lib. 1. cap. 11. dicit: Serta desertis aurea, ineffabiliter micantia; facie chorusci, & indumento splendidi, cantu iucundi, & sertis redimiti. Et verè, quia omnes electos iam per semetipsum coronauit, vt de quolibet dici posset illud Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Etiam & nos omnes coronabit. Iuxta illud Isaiæ 28. *In die illa*, scilicet vltimi iudicij, vel cum anima exierit de corpore *erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residui populi sui.* Ecce homo, corona hæc & flos electis, decidit hodie per mortem acerbissimam, sicut prophetauit Isaias 40. *Exsiccatum est fœnum, & decidit flos.* Quid autem sit fœnum, exponit idem Propheta. *Verè*, inquit, *fœnum est populus*, scilicet Iudaicus, qui totaliter erat exsiccatus ab humore misericordiæ & pietatis, quod videlicet Christo nullam misericordiam demonstrauit, sed totaliter in cruce contriuit, vt impleretur illud Iob 14. *Quasi flos egreditur & conteritur.* Egressus est enim Christus, vt flos albus ex vtero Virginis, per puritatem; & rubricatiuus ex flagellis & plagis, per Iudæorum crudelitatem, sed demum contritus per crucis asperitatem.

Cecidit corona Tristitia occupauit. Et quia hodie cecidit flos & corona nostra. Ideo cor virginis benedictæ eius matris, tristitia occupauit, & lætitia ab ea euanuit primò præ omnib', vt dicat illud Thren. 2. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, & conturbata sunt viscera mea: effusum est iecur meum super contritione filij mei.* MARIA enim velut rosa florida, quantò lætior fuit

1. B. Virginem in huius floris parturitione, tantò fuit tristior afflicta in eius passione, ita vt desideraret mori pro eo dicens 2. Reg. 18. *Fili mi: quis mihi tribuat*, quasi diceret vtinam placeret maiestati tuæ, *vt ego moriar pro te?* Libentius enim prius mortua fuisset, vt mortem hanc ignominiosam filij sui non vidisset.

2. Apostolos. Deinde Apostoli, qui in præsentia Christi læti exstiterunt. Quia Matth. 9. *Num sponsi filij lugere possunt, quamdiu cum illis est sponsus?* Postquam Christus verus flos ab eis est raptus, & ablatus, tristes & dolorosi sunt facti, & quilibet potuit congruè dicere cum Dauid 2. Reg. 1. *Doleo super te frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.*

3. Sanctam Ecclesiam. Deinde sancta Ecclesia in casu huius floris Christi tristata est, dicens; Iob 30. *Versa est in luctum cithara mea,* & gaudium meum, *& organum meum in vocem flentium.*

Et demum tu homo peccator, prospice de fenestra domus tuæ conscientiæ, & vide iuuenem triginta trium annorum, & trium mensium, secundum Chrysostomum, quomodo transiuit per plateas Hierusalem vinctus, & ligatus, & liuore verberum immutatus. Quo viso, exue vestes iucunditatis, & lætitiæ, & induere vestibus lugubrita-

britatis & tristitiæ: quia facti sumus hodie sine consolatore & patre: quoniam iam *defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum Chorus noster.* Thren. 5.

Scindite igitur, ô peccatores, corda vestra per compunctionem, & matris dignissimæ portate mœrorem, Apostolorum dolorem: quia peccata nostra filium amantissimæ Virginis, & Magistrum Apostolorum occiderunt. Dicat enim quilibet cum Anselmo in oratione ad Dominum IESVM Christum. Cur tu, ô anima mea, non es compassa castissimæ Virgini, dignissimæ matri eius, benignissimę Dominæ tuæ! quasi diceret propter peccata tua orbata est filio suo carissimo, propter te patitur. Ideo merito fratres secum passiones & mœrores sustineamus. Proijce igitur à te, ô peccator homo, cor lapideum, & assume compassibilem carnem; *luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Ierem. 6. quia peccata tua Christum occiderunt, vt dicitur in Psalm. 68. *Propter te sustinui opprobrium*, &c. Idem patet in verbo præassumpto; *Cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccauimus.* quasi diceret; propter peccata nostra cecidit in tàm acerbissimam pœnam & passionem. De qua quidem passione, vt dignè loqui valeamus, matrem mœstã salutemus, dicentes: Salue Regina misericordiæ, &c. Hæc quidem passio licet sit longa, tamen duntaxat & principaliter in duo diuiditur, scilicet in noctem Iudaicæ punitionis, & in diem gentilicæ examinationis. Diuisio passionis.

PRIMO, igitur passio præsens diuiditur in noctem Iudaicæ punitionis, quia in ista nocte IESVS malè tractatus est à Iudæis, & punitus sicut prędixit Iob, c. 30. in persona Christi. *Nocte os meũ perforatur doloribus, & qui me comedũt non dormiũt. In multitudine eorũ consumitur vestimentũ meũ Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.* Y

Circa quod NOTANDVM. Dicunt Doctores super 4. lib. sententiarum distinct. 44. quod Christus vicesimo quinto die Martij est conceptus, & eodem die completis triginta tribus annis, & tribus mensibus passus est & mortuus, vt tenet Chrysostomus & Hieronymus, & tunc, vt dicunt Doctores fuit æquinoctium vernale, in quo nox habet duodecim horas, & quid in qualibet hora cum Saluatore actum sit, vel quid fecerint, secundum ordinem & concordantiam Euangelistarum, & impletionem scripturarum & figurarum cum Dei adiutorio quo possum breuius enarrabo.

PRIMA igitur hora noctis discipulus Magistrum vendebat Quia vt dicit Hieron. Licet ante factum fuit pactum venditionis, tamen in illa hora pecunia fuit recepta, & proditio ratificata. Nam cum IESVS dixisset, Ioan. 13. *Quod facis, fac citius. Statim exiuit Iudas ad principes sacerdotum, tractans cum eis, quomodo Christum traderet eis sine turbis.* Hic verificata est prophetia Psal. 40. *Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Hic etiã impleta est figura Genes. 37. vbi legitur, quod fratres Ioseph ex inuidia moti, vendiderunt eum Ismaëlitis in Ægyptum. Ioseph interpretatur domini iustus, & significat Christum, qui secundum Psal. 10. *est iustus Dominus, & iustitias dilexit.* Et hunc vendidit ex inuidia frater suus spiritualis Iudas, sicut fratres carnales ipsum Ioseph. Et sicut Ioseph venditus fuit triginta argenteis, vt Nicolaus de Lyra dicit; ita & Christus triginta argẽteis. Quid prima hora noctis factum sit. I. Ioseph venditus, figura venditionis Christi.

Sed quare vendidit Christum triginta argenteis? *Responde ad hoc*, quod consuetudo fuit Christi, quòd decimam partem eorum, quæ dabantur sibi, iussit dari pauperibus, quam Iudas, qui fuit fur, furabatur, & vxori dabat. Sed quia Maria Magdalena, vt habetur Ioan. 12. *Attulit alabastrum vnguenti, vnxit pedes IESV, & capillis suis extersit*, & inuidens Iudas dixit: *Quare hoc vnguentum non veniit*, id est, venditum est, Quare Christus triginta argenteis venditus.

Contra Vsurarios.

trecentis denarijs, & datum est pauperibus? Dixit autem hoc, non quia egenis prætendebat dare, quia de pauperibus non curabat, *sed fur erat.* Et quia triginta sunt decima pars de trecentis, visum fuit Iudæ, quod triginta argenteos perdidisset. Et ab illa hora Christum vendere cogitabat vt pecuniam perditam recuperaret. Contra quem inuehitur Bernardus: O Iuda, quid fecisti? Nonnè verecundaris exhibere venalem, cuius vna sanguinis gutta dignior est, omni auro & argento, & ponis in optione Iudæorum, & triginta argenteis contentaris? O crudelis impietas. O fraudulenta nequitia. Creatura vendit creatorem suum, discipulus Magistrum, seruus Dominum, & familiaris amicum.

Christus à Iuda quando proditus. Simon sacerdos figura Christi.

Sed quando hæc proditio facta est à Iuda. *Responde*, quod cum adhuc Christus in cœna resideret, vt impleretur figura 1. Machab. vltimo. vbi legitur, quod Simon sacerdos summus proditur in conuiuio. Nam Ptolomæus Dux, *qui habebat aurum & argentum, & erat gener Simonis, cogitabat dolos aduersus eum, & in conuiuio occidit eum: fecitque deceptionem magnam in Israël, reddens mala pro bonis.* Ptolomæus interpretatur deducens, & significat Iudam, qui valorem vnguenti effusi duxit ad mensuram trecentorum argenteorum, Matt. 26. cum dixit: *Vt quid perditio facta est vnguenti. Poterat enim venundari plus quàm trecentis denarijs:* & sic vlterius deduxit, quasi triginta perdidisset. Propter quod cogitauit dolum, vt Simon qui interpretatur obediens, significans Christum, qui *obediens factus est patri vsque ad mortem crucis.* Philip. 2. in conuiuio proderet & necaret, pro bonis mala reddendo.

II. *Secundo*, in hac prima noctis hora discipulos Christus consolabatur, & docebat, quia, vt habetur Ioan. 13. *Cum exisset Iudas, ait IESVS. Nunc clarificatus est filius hominis.* quasi diceret: Eiecto tenebroso, remanserunt solùm mundi cum suo mundatore. Deinde dixit, scilicet ipsis vndecim. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum: quæritis me.* & sicut dixit Iudæis, Ioan. 12. *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Sed vobis modò dico: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Sed quia discipuli tristabantur, de recessu suo, ipse tanquam consolator mœstorum, dulcissimè cœpit eis prædicare. Ioan. 14. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei mansiones multæ sunt,* &c. Et promisit eis Spiritũ sanctum consolatorẽ destinare, & longum sermonẽ fecit de dilectione, quẽ solus Ioan. scripsit 14. 15. 16. & 17. ca.

III. *Tertio*, in hac hora Christus cum discipulis peracta cœna gratias agebat, dans nobis exemplum, vt post cibi sumptionem Deo agamus gratiarum actiones. Quia dicit Hugo de sancto Victore: Cibo illo tàm caro, quàm anima reficitur, quæ cum benedictione & gratiarum actione manducantur. De hoc vide supra Dominica II. post Epiphaniam sermone 1. M. E.

Quid secunda hora noctis factum.

I.

Dauid ascendens cliuum Oliuarum, figura Christi.

SECVNDA hora noctis hæc acta sunt. PRIMO, cum discipulis Christus montem Oliuarum ascendebat. Et hoc figuratum est 2. Reg. 15. Cum Absalon persequebatur Dauid patrem suum. Dauid se abscondebat cum *cliuum Oliuarum scandens, & flens operto capite; nudis pedibus incedens, & omnis populus, qui cum eo erat operto capite ascendebat plorans.* Absalon interpretatur patris amaritudo, & significat Iudaicum populum, qui amariuicauit patrem suum Christum, sicut conqueritur Thren. 3. *Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absynthio.* Hic inquã populus crudelis, cũ persecutus esset Christum, ascendit ipse tantũ cum discipulis suis, plorans in monte Oliuarũ,

Iuxta

Iuxta illud Threnor. 1. *Ego plorans, & oculus meus deducens lacrymas, quia & longe factus est à me consolator, & facti sunt filij mei perditi, quia praualuit inimicus.* Præuidit enim Christus perditionem nullorum hominum, in quibus perdita fuit sua amara passio, de illis dixit: *Facti sunt filij mei perditi*; & negationem discipulorum, ideo plorauit. Et hunc ascensum tangit Euangelista Matth. 26. & Marc. 14. *Et hymno dicto*, id est postquam gratias egerunt, *exierunt in montem Oliuarum*, qui distat ab Hierusalem miliare vnum dicitur Actuum 1. Mons distat ab Hierusalem *Sabbati habens iter:* quia in Sabbato non licuit Iudæis ire, nisi mille passus, qui faciunt milliare.

Sed quare IESVS exijt obuiam traditori? *Responde. Primo*, vt ostenderet se voluntariè velle pati. *Secundo*, vt vitaret contentiones & guerras. Si enim capi debuisset in domo hospitis: hospes, si bonus esset, hospitem suum quem sciebat probum, totis viribus defendisset, & sic de familia hospitis fortassis aliqui malè tractati fuissent per ministros Iudæorum. Hoc Christus præcauere volens exijt in montem Oliuarum.

SECVNDO, in hac hora secunda Christus discipulos præmonebat, & vt quidam volunt, cum esset in via eundo ad montem Oliuarum dixit, Lucæ 22. *Quando misi vos sine calceamentis, pera, & tunica, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil* scilicet defuit. *Et dixit eis. Qui habet sacculum tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam & emat gladium, Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me*, scilicet Isa. 53. *Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ de me scripta sunt finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic; A ille dixit eis, Satis est.* II.

MORALITER. Duo gladij hi significant gladium *spiritualem*, quem habuit Petrus, & hunc nunc habet Papa, Episcopi, & cæteri Prælati; & gladium *materialem* quem habuit, scilicet Ioannes, & nunc Imperator habet, & alij domini seculares. vt habetur dist. 96. c. Duo. Qui quidem primus gladius *spiritualis*, scindit animam, & separat à Deo, & ab omni bonorum consortio. De homi. in L. Hi qui sanctam. c. de Aposta. vbi dicit lex. Maioris pœnæ visum est non versari inter homines, & hominum carere suffragijs, quàm eijci extra ciuitatem, puta in exilium deserti, id est nemotis. *Secundus* gladius *materialis* scindit corpus. De quo Ambrosius super Epistolam ad Romanos & ponitur 23. q. 5. c. Non solum. vbi dicit: Non sine causa gladium portant, quia tales scelera iudicant, scilicet, qui non habent iudicare spirituales. *Et subdit:* Sunt enim maximè constituti propter homicidas, raptores, vt etiam illos damnent, & alios suo timore compescant. Z Gladius spiritualis & materialis. 1. 2.

TERTIO, in hac hora secunda casum discipulis prædicebat, quia cum esset in monte Oliuarum, dixit eis. Matth. 26. *Omnes vos scandalum*, id est ruinam, vel casum in peccatum, *patiemini in me*, scilicet recedendo à me, *ista nocte*, propter timorem humanum & mortis. Est enim scriptum Zach. 13. *Percutiam*, id est, percuti permittam, *pastorem*, id est Christum, qui dixit Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus: & dispergentur oues gregis*, id est Apostoli. *Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam:* Glossa, prædixit eis scandalum affuturum, vt post euentum non desperarent, sed per pœnitentiam emendarent. III.

Postquam autem casum Apostolorum in generali prædixisset, deinde diuertit sermo-

monem spiritualiter ad Petrum, vt dicit Lucas c. 22. *Ecce*, inquit, *Sathanas expetiuit*, id est valde desiderauit, vel per permissionem à Deo obtinuit, *vt cribaret*, id est tentaret *vos sicut triticum. Ego autem pro te* singulariter semper *rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus*, ad fidem scilicet, *confirma fratres tuos*, scilicet alios discipulos. Quod audiens Petrus, qui erat feruentior cæteris ait. *Et si omnes alij scandalizati fuerint* discipuli *in te, ego nunquam scandalizabor.* Matth. 26. Et hoc dixit, quia præ cæteris dilexit. Ideo dicit Chrysostomus. Quid dicis, ô Petre, Propheta dixit: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Christus prædixit, Timuisti dictū de traditione, & tunc dicis; *Ego nunquam scandalizabor.* Et hic dicit Glossa: Hoc verbum Petri non mendacium, vel temeritas est, sed eius fides & ardens desiderium & affectus. Cui dixit IESVS: *Amen dico tibi antequam gallus bis vocem dederit, ter me negabis.* Hic dicit Hieronymus & Remigius, Euangelista non attendit quando complenda, sed quando inchoanda erat trina negatio. Vnde ante primum gallicantum, & ante secundum negauit eum bis. Ideo Marcus in prædictis verbis notat completionem trinę negationis: Alij verò inchoationem. *Tum ait Petrus* Matt. 26. *Si oportuerit me mori tecum, te non negabo.* Ecce figuratum est 2. Regum 15. vbi legitur, quod Dauid ad Ethai Gethæum dixit: *Ego vadam quo iturus sum; reuertere; & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam. Et respondit Ethai: Viuit Dominus. & viuit anima tua, in quocunque loco fueris Domine mi rex, siue in morte, siue in vita; ibi ero.*

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur aspectu desiderabilis, & significat Christū. Ethai interpretatur formidans, & significat Petrum, qui ex formidine Christum negauit. Cum ergo Christus diceret, Ioan. 13. *Quo ego vado, vos non potestis venire. dixit ei Petrus: Domine quo vadis? Respondit IESVS, Quo ego vado, non potes me modo sequi.* quasi diceret: Reuertere tu in errorem in quem citò cades, & confirma reducendo fratres tuos cæteros Apostolos. Vel etiam ad literam voluit Christus, vt Petrus reuerteretur ad negotia sua: quia nondum venit hora vt pateretur. Petrus autem dixit. Ioan. 13. *Animam meam ponam pro te.* Et Lucæ 22. *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire.* quasi diceret cum Ethai. *Domine mi rex in quo loco fueris, siue in morte. &c.* & vt dicit Marcus. Hoc omnes alij discipuli dixerunt.

Tertia hora noctis gesta.

TERTIA hora noctis hæc gesta sunt. PRIMO, per fluuium Cedron hortum subintrant, sicut narrat Ioan. 18. *Hæc cum dixisset,* intellige cum fecisset eis in monte longum sermonem. Ioan. 15. *Ego sum vitis vera, vos palmites. &c.* Et illam dulcissimam orationem, scilicet, *subleuatis oculis in cælum dixisset: Pater clarifica filium tuum, &c.*

I.

Dauid transiens torrentem Cedrō, figura Christi.

Ioan. 18. *Statim egressus est IESVS cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Et hoc figuratum est 2. Regum 15. vbi legitur, quod rex Dauid transgrediebatur torrentem Cedron, *& omnes viri, qui cum eo erant flebant voce magna*: quia ad literam discipuli Christi erant gementes & tristes. Iuxta illud Threnorum 1. *Omnes viri gementes.*

ET NOTA. In radice montis Olueti, vt dicit Magist. libr. 14. propr. erat riuulus dictus torrens Cedron, propter arbores plantatas in monti pede cedrinas, inter cuius ripam & montem fuit hortus, quem Dominus orationis gratia & quietis, sæpe intrauit. Ideo dicit hic: *Vbi erat hortus,* scilicet villa Gethsemani. Hunc locum sciebat Iudas, *quia frequenter conuenerat illuc IESVS cum discipulis suis.*

Sed

Sed si quæratur. Quare IESVS transiuit torrentem Cedron, & intrauit hortum deliciosum. *Responde*, propter triplicem rationem. *Primo*, vt designaret, quod ad delitias paradisi cœlestis venire non possumus, nisi torrentem pœnitentiæ prius transeamus. quia dicit Hieronymus: Impossibile est de delitijs ad delitias peruenire. Ideo *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Act. 14. *Secundo*, quod in hortis & solatijs huius mundi designaret esse periculum, quia sicut ipse captus fuit in horto, sic adhuc multi in hortis delitiarum in peccato capiuntur. *Tertio*, vt satisfaceret peccato primorum parentum, qui in horto amæno terrestris paradisi sic deliquerunt. Genes. 3. &c.

Cur Christus intrauerit hortum. 1. 2. 3.

SECVNDO, Christus discipulos à se segregauit, dicens: *Sedete hic, donec vadam illuc. & orem. &c.* Matth. 26. In hoc docuit nos secundum Chrysostomum, vt tempore orationis turbas fugiamus. Quia dicit Matth. 6. *Tu cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Et dicitur Marci 14. *Assumpsit secum Petrum, Ioannem, & Iacobum, & cœpit pauere & tædere.* In hoc MORALITER nos informans, quos comites secum debet habere, qui vult orare. *Primo*, debet habere Petrum, qui interpretatur cognoscens, & significat firmitatem fidei, vt scilicet postulet in *fide firma nihil hæsitans* de impetrando. *Secundo*, debet assumere Iacobum, qui interpretatur supplantator. quia omnia terrena debet supplantare, qui vult benè orare, vt tempore orationis de eis non cogitet. quia dicit Ambrosius: Illam orationem Deus non exaudit, quam ille, qui orat non attendit. *Tertio*, debet assumere Ioannem, qui interpretatur, in quo est gratia; per quod significatur, quod homo volens, fructuosè orare, debet per humilitatem & dilectionem se ad gratiam parare; Quia Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et propterea sumpsit secum hos tres discipulos. Sed Rabanus & Theophylus dicunt, quod assumpsit eos tanquam suos secretarios, vt quibus prius ostenderat gloriam diuinitatis, Matth. 17. ostenderet & nunc tristitiam humanitatis. Ideo dicit Matth. *Cœpit contristari & mæstus esse.* vt ostenderet assumptæ humanitatis veritatem in qua mortem horrebat. *Et ait*, scilicet *illis* tribus: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* quasi diceret; Tristitia, quæ est in me pro proditione impiorum, durabit in me donec mortuus fuero, & non extendetur vltra mortem, sed cum morte morietur & finietur.

A II. Comites in oratione. S. Petrus. S. Iacobus. S. Ioannes.

Hic eliditur error dicentium, secundum similitudinem ad imaginem passionis & doloris, Christum hominem pertulisse, sed nullum omninò dolorem veraciter & passionem sensisse. Quem errorem tractat Magist. lib. 3. sentent. dist. 15. c. 32. destruens eum auctoritatibus scripturæ Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Et Matt. 26. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Et Psal. 87. *Repleta est malis anima mea.* quod exponit Augustinus: Non malis culpæ peccati, sed humanis malis, id est, doloribus repleta fuit anima Christi.

Contra eos qui negant Christum veraciter passum.

TERTIO, Christus per trinam orationem ad Patrem exorauit. Ideo dixit ad tres discipulos Matt. 26. *Sustinete hic* pondus, scilicet tribulationis, *& vigilate mecum*, videlicet fideles mei, & spirituales mei amici, qui in angustijs assistere debent, *donec vadam illuc & orem.* Super quo dicit Hieronymus: Pariter eis vigilias imperauit, quibus simul passio imminebat. *Et progressus ab eis pusillum, quantum est iactus lapidis, & positis in terrâ genibus*, vt dicit Lucas, & addit Matt. quod *procidit in faciẽ suam* & hoc ideo fecit, vt dicit Hier, vt humilitatem mentis, habitu ostenderet corporis. Hic imple-

Elias figura Christi.

impletur figura 1 Reg. 18. quod Elias ascendit in montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam, inter genua sua, orans pro pluuia. Elias interpretatur robustus dominator, & significat Christum, qui figuratus est per Eliam. Quia sicut per orationem Eliæ, nubes dedit pluuiam, sic ad orationem Christi caro dedit sudoris affluentiam. Et sicut Elias orauit in monte Carmeli, ita Christus in monte Olìueti: sicut heri cantatum est, & sunt verba Christi: *In monte Olìueti oraui Patrem; Pater si fieri potest &c.* Ideo dicit Marci 14. quod orabat dicens: *Abba Pater, tibi possibilia sunt omnia.* Et secundum Matth. orabat: *Mi pater, si possibile est.* Glossa: si genus humanũ aliter redimere possum, quàm quod ego moriar, *transfer calicem hunc*, scilicet amarę passionis, *à me.* quasi diceret; Fac, vt me non moriente, mors moriatur, homo redimatur, & cœlum aperiatur.

Sed Nota, quod hæc est petitio sensualis timentis mortem naturaliter, & mouentis rationem ad petendum, ideo format petitionem: & est sensus; *Transeat calix à me*, id est, maneat in me: Sed citò transeat dolor mortis in gaudium resurrectionis; Vel, *transeat à me*, id est à membris, scilicet discipulis, & eorum sequacibus, vt non timeant, sed audacter & lætanter sustineant.

Quis modus saluandi genus humanũ magis fuerit possibilis aut côueniens.

Hic incidentaliter oriuntur quæstiones. Ex quo enim dicit Christus: *Si possibile est*, scilicet si est alius modus redimendi hominem, quàm quod ego patiar, & moriar. Ideo quæritur: An ad saluandum genus humanum, fuerit possibilis, vel magis conueniens modus alius, quàm passio & mors? *Et videtur*, quod non fuit possibilis alius modus redemptionis. Quia super isto verbo Apostoli ad Heb. 2. Dicebat n. eum per passionem consumari; dicit Glossa: Nisi Christus pateretur, non homo redimeretur. Et Anselmus in lib. Cur Deus homo. dicit de Christo. Non potuit transire calix nisi biberet. non quia mortem vitare nequiuerat, sed quia aliter mundus saluari non posset. Ex quibus videtur, quod alius modus saluandi genus humanum non fuit possibilis. Sed in contrarium est beatus Gregorius 26. moralium, qui dicit: Qui fecit nos de nihilo, etiam sine morte & sua passione potuit nos redimere. Ex quibus videtur, quod alius modus fuisset conuenientior. Et probat. Sed nihil conuenientius videtur, quàm quòd vis vi repellatur, vt habetur de sent. excom. c. Dilecto filio. li. 6. Omnia iura vim vi repellere, cunctisque se defendere permittunt: Ergo videtur, quod conuenientius fuisset, vt nos per pœnitentiam eripuisset & potentiam.

Ex parte Dei.

Ad hanc quæstionem dicunt Dd. Quantum est ex parte Domini, fuit alius modus possibilis nostræ liberationis; quia eius potentia limitata non est, quemadmodum si Deus aliud elegisset, conuenientius fuisset; non tamen habuisset rationem redemtionis, quæ includit satisfactionem, scilicet liberationis terminum; quia liberatio non fuisset facta per pretij solutionem. Ex parte autem hominis, non fuit alius modus possibilis, nisi quod Deus ei dedit, quia homo per se satisfacere non potuit, sed diuino munere. *per viscera misericordiæ Dei, Christus nos visitauit oriens ex alto; & ita fecit redemptionem plebis suæ* Lucæ 1. Sed similiter ex parte Dei, & ex parte nostri, possibilis quidem fuit alius modus, sed tamen nullus ita decens. Hæc est sententia beati Augustini, qui lib. 13. de ciuitate Dei, dicit: Sanandæ nostræ miseriæ nullum conuenientiorem modum fuisse. Idem Anselmus in lib. Cur Deus homo. & beatus Bernardus, serm. 11. super Can. dicit: Quis dignè exprimet, quantæ fuit mansuetudinis & humilitatis, & dignationis, Dominum maiestatis carne indui, & mortali morte turpari.

Ex parte hominis.

Ad

Ad obiectionem primam dicunt Dd. quod secundum potentiam ordinatam Dei loquitur Glossa super Epistolam ad Hebr. Vnde rectè dicitur: Nisi Christus pateretur, &c. quia redemptio satisfactionem includit, nihilominus homo aliter non potuisset liberari. *Ad secundum dicunt*, quod Anselmus loquitur quantum est ex parte nostra, Dei tamen ordinatione præsupposita. Responsio ad obiectiones.

Sed ad *obiectionem* propositam de modo conuenientiori dicunt: Quamuis nos diabolus iniustè detineret, nos autem iustè detinebamur, eius patientes tyrannidem, propter culpam nostram voluntariam. Et ideo ex parte nostra congruum fuit, vt nos iustè per satisfactionis viam eriperemur, propter quod & Christus voluntatem suam Patris voluntati conformauit, cum dixit, Matt. 26. *Veruntamen non sicut ego volo*, scilicet secundum infirmæ humanitatis affectum; *sed sicut tu vis* Pater, scilicet secundum tuæ ordinationis præsuppositum. B

SECVNDA quæstio. Quare Christus mortem timuit, cum tamen multi martyres gaudenter sustinuerunt. Sicut B. Georgius: de quo canitur, quod lætus sustinuit supplicium mortis: Et beata Agatha de qua legitur; Agatha lætissima & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata. Et sic de alijs. Quare Christus mortem timuerit.

Ad hoc respondetur, quod delectatio dulcedinis, quam Deus tempore passionis mentibus martyrum instillauit, dolorem in eis & timorem, propter fidei confortationem & exaltationem mitigauit, quia delectatio secundum cursum naturalem minuit mortis dolorem. vt dicitur 7. Ethi. Delectationi intellectuali, non est tristitia admixta. Iste autem cursus naturæ, mirabiliter fuit mutatus in CHRISTO tempore Passionis. Nam etiam eius ratio humanitatis cum Deitate, summum habuit gaudium & exultationem; cognoscens ex hac passione redemptionem humano generi euenire. Sed ista delectatio non fuit impartita corpori, nec rationi animæ inferiori, sed sensualitati. Ergo anima CHRISTI tempore passionis, pro tunc habuit summum gaudium, & summam tristitiam. Quare secundum rationem habuit gaudium, & secundum sensualitatem tristitiam. Et quoad hoc dicit Magister lib. 3. distin. 15. habuit Christus verum timorem, & amorem, & tristitiam, in naturam hominis. Sed non sic nos, qui sumus membra eius; nos enim causa peccati nostri his defectibus necessariò subiacemus, & in nobis sunt isti defectus, secundum propassionem & passionem, sed in Christo non nisi secundum propassionem.

Et subdit ostendendo quid sit passio, & quid sit propassio, dicens: Afficitur enim quis interdum in timore, vel tristitia, ita vt mentis intellectus non inde moueatur à rectitudine, vel Dei contemplatione; & tunc propassio est. Aliquando verò turbatur, & mouetur intellectus à rectitudine sua, & tunc passio est. Christus non fuit ita turbatus in anima timore, vel tristitia, vt à rectitudine, vel Dei contemplatione aliquatenus declinaret, secundum quem modum intelligitur Christum timuisse, vel tristem fuisse. Et allegat Magister Hieronymum, qui exponit illud Matth. 26. *Cœpit contristari & mæstus esse*. Vt, inquit, veritatem comprobaret, assumpti hominis, verè contristatus est, sed non passio eius dominatur animæ eius, verùm propassio est. Vnde ait: *Cœpit contristari*, Aliud est enim contristari, aliud incipere cõtristari: quod est, aliter contristatur quis per propassionem, aliter per passionem. Ideo secundum hanc distinctionem aliquando dicitur Christus non verè timuisse, aliquando verè timuisse; quia verum timorem habuit & tristitiam; sed non secundum passionem, neq; ex necessitate conditionis. Hæc Magister. Passio & propassio quid?

 Sed

Sed diceres. Quare Christus tristatus est? *Respondet* Chrysostomus. Propter quinque causas, id est, propter suæ passionis imaginationem; Iudæ damnationem, discipulorum dispersionem, Iudæorum excæcationem, & eorundem destructionem. Et addit Bernardus. *Secundo*, propter maternorum viscerum conquassationem cui, scilicet matri Dominus compatiebatur maximè.

O IV. QVARTO, in hac hora tertia Dominus discipulos super dormitionem increpauit. Et hoc figuratur 1. Regum 26. vbi legitur Dauid quadam nocte venit in tentorium Saul, & inuenit Abner, & populum dormientem; non enim erat quisquam, qui vigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor irruit super eos. *Cumq; transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, clamauit ad Abner, & ad populum dicens. Non respondes Abner? Numquid nonnè vir tu es? Et quis alius tui similis in Israël? quare non custodisti Dominum regem tuum? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem Dominum tuum. Non est bonum, quod fecisti.*

Dauid in tentorio Saul, figura.

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur fortis manu, & significat Christum, qui solus secundum Bedam in homilia, fortem & superbissimum Goliam diabolum vicit. Hic, inquam, nocte suæ passionis intrauit tentorium Saul, qui interpretatur exspectans, & significat Deum in cuius tentorium, id est hortum, intrauit, quia *Domini est plenitudo & terra*. Psalm. 23. Inuenitq; Abner & populum dormientem. Abner interpretatur lucidus pater, & significat B. Petrum, qui adeo lucidus fuit, quod diuinitatem in Christo cognouit, cum dixit: *Tu es Christus filius Dei viui*. Matth. 16. Is, inquam, cum alijs Apostolis dormiuit. Et hoc est, quod dicit Lucas 22. *Cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis. Surgite, & orate, vt non intretis in tentationem.* Quod autem dudum solum Abner arguebat, figurabatur, quod Christus Petrum singulariter sub dormitione increparet, dicens. Matth. 26. *Non potuisti vna hora vigilare mecum*. quasi diceret: Iam apparet tua infirmitas. Nunquid tu es vir ille, qui promisisti mecum in carcerem, vel in mortem ire? & quis est similis tui in Israël? quasi diceret. Tu es princeps in populo, qui videt Dominum per fidem. & quare non custodisti me regem tuum, quem hactenus dilexisti, dicens: *Animam meam pro te ponam*. Ioan. 13. Ecce ingressus est pronus, scilicet Iudas & principes sacerdotum, vt interficerent me regem tuum. Ideo non est bonum, quod fecisti taliter dormiendo, quasi diceret: Siccine ostendis virtutem tuam, quam promittebas? Deinde dixit omnibus: *Quid dormitis? Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. quasi diceret: Spiritus vester promptus fuit ad promittendum, caro autem vestra infirma est ad bonum operandum, & malum sustinendum. *Secundo*, abijt à discipulis ad eundem locum, & dixit, Matth. 26. *Pater mi, si non potest hic calix*, scilicet, amaræ passionis, *transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. quasi diceret: secundum Hieronymum: Si non potest saluari genus humanum, nisi me occiso fiat beneplacitum tuum.

Abner denotat S. Petrum

Dicunt enim Doctores, quod alius quàm Christus, præsertim de lege ordinata, pro homine satisfacere non potuit ideo Christum necesse pati fuit. De hoc dicit Anselmus libro, Cur Deus homo. Deus satis potuit facere pro homine, sed non tenebatur. Homo enim tenebatur satisfacere, sed non potuit. Ideo necesse fuit, quod esset Deus & homo, scilicet Christus, qui satisfacere potest, quia Deus: & tenebatur, quia homo. Cumque Deus sic orasset secundo, vt ait Lucas, *Apparuit ei Angelus Domi-*

Alius quam Christus pro homine satisfacere nō potuit.

Domini confortans eum. Quod figuratum fuit olim 2. Paralip. 20. vbi legitur. *Congregati sunt filij Moab & filij Ammon ad Iosaphat, vt pugnarent contra eum. Quod cum didicisset, rex perterritus est & totum se contulit ad rogandum Dominum, qui confortans eum, dixit: quod non timeret, nec paueret multitudinem hanc, quia non est pugna eius, sed Dei.*

SPIRITVALITER. Moab interpretatur ex patre, & significat filios Israël, quibus dixit Dominus Ioan. 18. *Vos ex patre diabolo estis*. Sed Ammon interpretatur populus murmurans, & significat Iudæos qui semper murmurauerunt contra Christũ, quia Ioan. 7. *Multum erat murmur de Christo in turba*. Cum igitur illi congregati essent contra Iosaphat, qui interpretatur iudicium Dei, significans Christum, *cui pater dedit omne iudicium*. Ioan. 5. Territus ille secundum sensualitatem, contulit se ad rogandum Deum Patrem, dicens in Psalm. 87. *Intret in conspectu tuo oratio mea: quia factus sum, sicut homo sine adiutorio*.

Cumq; sic oraret, venit ad eum spiritus Domini, & hic fuit Michaël Archangelus, qui iussu Dei assumpsit corpus humanum, confortans eum aliqualia verba consolatoria sibi dicendo. Et fortè confortauit eum, ne multitudinem Iudæorum timeret, quia Dei esset pugna, & non hominis. Et certè nisi Deitas humanitatem adiuuisset, nunquam talem pœnam sustinere potuisset. Tunc enim *positus in agonia* (propriè Angst) *prolixius orabat: Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*. Causa huius sudoris fuit imaginatio suæ passionis; quia secundum Auicennam lib. 6. naturalium; Vehemens imaginatio de facili mutat corpus. Sed Christus vehementissimè imaginabatur de sua passione, ita quod secundum Franciscum Maronis illa hora vidit totum processum, non solum suæ passionis, sed nostrum omnium, qui passuri erant pro Christo, vsque ad nouissimum diem: propter quod tantus horror inuasit eum, vt tota medulla ossium moueretur, & omnia membra quassarentur exterius, cor & anima & interiora tremere cœperunt, & ex tali motu & concussione, sudor sanguinis causabatur. Sed quod ille sudor fuit sanguineus, fuit hoc ratione bonitatis suæ complexionis. Quia adeo bonæ complexionis fuit & claræ, quòd nullam superfluam humiditatem habuit, ideo sanguinem sudauit. Deinde rediјt ad discipulos scilicet tres, *inuenitq; eos dormientes*, & vt ait Marcus: *Erant oculi eorum grauati*. Et dicit Chrysostomus, quod eos non arguit, quia subuersi erant præ tristitia, vt neque præsentiam eius sentirent. Ideo non excitauit eos, nec rursus increpauit, vt non magis stupefaceret stupefactos. Ideo relictis illis, *iterum abijt, & orauit tertio eundem sermonẽ*. Luc. 22. *Pater si vis, transfer calicem hunc à me. Veruntamẽ non mea voluntas, sed tua fiat.*

Quare Christus sanguinem sudarit.

Quare autem ter orauit, illius sunt tres rationes. *Primam* ponit Hugo, dicens: Ter orauit Dominus, vt dirigeret orationem ad Trinitatem, ad quam est dirigenda, & tria in oratione sunt petenda, scilicet, culpæ remissio, gratiæ collatio, & gloriæ adeptio. *Secundam* ponit Rabanus: Ter orauit, vt doceret nos tria in oratione petere, scilicet propter peccatorum præteritorum veniam, propter præsentium tutelam, propter futurorum cautelam. *Tertio*, propterea, vt tres vires exerceamus in oratione vocali, scilicet, quod rationalis vis sit sollicita in meditando, concupiscibilis sit feruens in desiderando, & irascibilis fortis mala detegendo. Et post trinam orationem, *venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes*, & stans contra eos, vt ait Matth. 26. & Marc. 14. *Dormite iam, & requiescite*. Quia, vt Deus cognouit eorum infirmitatem, quod cum eo non adhuc poterant vigilare, permisit eos dormire. Et hoc fecit Christus in quar-

Quare ter orauerit Christus.

quarta noctis hora. Quia post hanc permissionem, Apostoli quasi ad vnam horam dormierunt, quia dicit Chrysostomus: Interposito aliquo interuallo quasi horæ vnius dixit. *Sufficit*, scilicet, quod iam dormiuistis. *Ecce*, scilicet, iam *appropinquat hora* meæ passionis & salutis humanæ.

D Qvinta hora hæc facta sunt, Primo. Inimicis suis Christus obuiauit. Quod

I. figuratum est 4. Regum 6. Vbi legitur, quòd ministri regis Syriæ cum quærerent Eliseum ad occidendum, ipse eis obuiauit, dicens: *Venite, ostendam vobis virum quem quæritis*, & sic eos in ciuitatem Samariæ introduxit. Eliseus interpretatur Devs meus Saluator, & significat Christum, qui est Saluator noster, & Devs: quia *saluum fecit à peccatis populum suum*. Matth. 1. Sed Syria interpretatur sublimis, & significat Synagogam Iudaicam, cuius filios sublimes fecit Dominus: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Isa. 1. Illius Synagogæ reges fuerunt Pharisæi & Sacerdotum Principes, qui cum mitterent ministros suos ad capiendum Christum, ipse ostendens se voluntariè velle pati, eis obuiauit & occurrit. Ideo dicit Apostolis, Matth. 26. *Surgite, eamus*, scilicet obuiam traditori & persecutoribus, vt non latentes & timentes nos inueniant, sed vt passionem meam voluntariam & non coactam sentiant & sciant. *Ecce enim ipse est*, scilicet Iudas, *qui me tradet.* Ecce quam feruens desiderium habuit Christus ad nostram redemptionem, quod miratur Chrysostomus dicens: O mira bonitas Dei & clementia, cum voluerunt eum regem facere fugit; cum autem in cruce suspendere vellent, occurrit sicut bonus miles, vel rex; non exspectat hostem venturum, ne eum inueniat desperatum, vt ex hoc fortificetur, sed occurrit hosti, vt eum prosternat occursu magnifico, prosternendo & occurrendo.

Quinta hora facta.

II. Secvndo, in hac hora, turba ministrorum Christum occurrentem, cum armis circumuallauit; quod figuratum est 4. Reg. vbi suprà; Vbi legitur, quòd ministri regis Syriæ circumdederunt ciuitatem; in qua fuit Eliseus. Et quid in hoc significabatur, nisi quod Christus ministris Iudæorum circumuallaretur. Et hoc ostendit Euangelista Matth. *Adhuc eo loquente*, scilicet cum discipulis suis, *venit Iudas, & cum eo turba multa*, scilicet ex Iudęis & gentibus, *cum gladijs, & fustibus, & armis*, qui missi erant à sacerdotum principibus & senioribus populi. Hic dicit Augustinus & Nicolaus de

1. Lyra, Iudas muniuit se *Primo* societate magna, forti, & authentica, cõtra populi multitudinem, ne impedirent eius traditionem. Accepit n. ministros vtriusq; potestatis, spiritualis videlicet & secularis, vt nemo resistere auderet videns vtramq; potestatẽ.

2. *Secundo*, venit cum luminibus & facibus, quia Ioan. 18. *nox erat*, ne in tenebris Chri-

3. stus abiret, aut se alicubi absconderet. *Tertio*, cum armis, vt si quis traditioni resistere vellet ipsi, defensaret, Cumque irent adhuc in via, traditor eis dedit signum dicens: *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum*, Matth. 26. & Marc. 14. dixit: *Ducite eum cautè.* Et dicit Chrysostomus: quod ideo dedit eis signum, quia multoties detentus ab eis, pertransijt nescientibus eis; Sicut cum quadam vice duceretur ad supercilium montis, vt præcipitaretur, ipse *transiens per medium illorum ibat.* Lucæ 4. Vel ideo dedit eis signum secundum Origenem, ne Iacobum minorem loco Christi caperent, quia ei similis in facie aliqualiter erat; Vel ideo dedit eis signum, vt dicit Thomas in Glossa continua. Putabant enim Christum in Beelzebub eijcere dæmonia. Ideo arbitrati sunt eum artibus maleficis posse euadere.

III. Tertio, Christus hos qui venerant, quẽ quærerent interrogauit. De hoc Ioan. 18.

Iesvs

IESVS *autem sciens omnia*, scilicet, vt Deus, iuxta illud Augustini in sermone de assumtione: Scimus, inquit, DEVM omnia nouisse, quæ futura essent super eum, processit eis obuiam, scilicet magis eis appropinquando, & dixit: *Quem quæritis? &c.* Dicit enim Glossa, quod virtute diuina factum, vt eum non noscerent, nec etiam Iudas, de quo dicit Euangelista: *Stabat autem Iudas cum ipsis*, scilicet, qui Christum capere volebant, licet eum non nouerant. Quia secundum Chrysostom. Christus duas formas habuit. *Vnam* secundum quam omnes viderunt eum: *Aliam*, quam habuit *in transfiguratione* coram discipulis tantum in monte Thabor Matth. 27. Imò eis apparebat secundum, quod digni fuerunt, sicut de manna scriptum est Exod. 15. quod vnicuique sapiebat secundum, quod dignus fuit. Ideo dixit eis: *Quem quæritis?* Illi autem dixerunt, *Iesum Nazarenum* quærimus, scilicet. Vide quod non cognouerunt eum, quia si cognouissent eum non dixissent, IESVM Nazarenum quærimus, sed te quærimus. Respondit. *Ego sum*, scilicet qui creaui cœlum & terram. Ego sum, qui cœcos vestros illuminaui, mortuos suscitaui, & leprosos mundaui. Ego sum, qui iudicaturus sum seculum per ignem. *Vt ergo dixit, Ego sum abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.* Hic dicit beatus Augustinus. O si vna vox in tantum terruit Iudæos, quòd ceciderunt in terram, quid erit in iudicio peccatoribus, de quibus dicetur Matth. 26. *Ite maledicti in ignem æternum.* Cui consonat Chrysostom. O quantum iudicaturus poterit, qui tantum potuit iudicandus? Quia dicit beatus Augustinus. Quod quiddam igneum vel flammeum apparens in eius oculis, ipsos tanquam tonitruo prostrauit. Cumque surrexissent volente Christo, iterum secundò interrogauit eos. *Quem quæritis?* Hoc fuit post aliquod interuallum à prima interrogatione: quia quamdiu iacuerunt prostrati, non mouit se de loco, vt magis eius captio voluntaria declararetur. Illi autem dixerunt: *Iesum Nazarenum. Respondit autem eis Iesus. Dixi vobis, quia ego sum.* Et dixit Glossa, cum hoc dixisset tunc ipsius notitiam habuerunt, & capiendi licentiam ab eo receperunt, & dicit Christus. *Si*, id est, quia *me quæritis, sinite hos abire.* quasi diceret: Sic do vobis potestatem me capiendi, vt tamen meis discipulis non faciatis quicquam mali. Hoc dixit IESVS, vt impleretur sermo quem dixit IESVS Ioan. 17. *Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam nisi filium perditionis.* Et dicit Augustin. Faciunt, quod iubet, sinunt abire quos vellet abire; debebant enim pro conuertendis gentibus manere in mundo.

Christus habuit duas formas.

QVARTO, in hac hora Christum Iudas ad occidendum osculo propalauit. Hoc figuratum fuit 2. Regum 20. Cum Abisai ad persequendum Seba, cum robustis Israël, Amasa occurrens eis. Ad quem Ioab accedens, ait: *Salue mi frater.* quia erat eius cognatus germanus. Erant enim de duabus sororibus, (vt dicitur 2. Regum 18.) Ideo vocauit eum fratrem, *tenuitq; manu dextra mentum eius, deosculans eum: & Amasa non obseruabat gladium, quem ille tenebat, percussitq; eum in latere, & effudit intestina eius.* E IV.

SPIRITVALITER. Amasa interpretatur gentem sustollens, & significat Christum, qui omnem populum manu misericordiæ sustollit. Hic cum occurreret robustis de Hierusalem accessit ad eum Ioab, qui interpretatur mutus, & significat Iudam qui factus fuit mutus in laude Dei, & ait: *Aue Rabbi, & osculatus est eum* Matth. 26. quasi diceret: Ego sum cum illis armatis, qui te quærunt capere, attamen sicut Ioab accessit ad Amasan, vt amicus, & fuit inimicus, Sic Iudas, vt dicit Glossa accessit, vt do-

Ioab figura Iudæ.

mesticus, & fur erat; salutauit, vt discipulus, & traditor erat; osculatus est, vt amicus, inimicus autem erat. Ideo dixit Bernardus: Infelix signum, vbi per pacem bellum, per osculum homicidium, per salutationem inimicitia comprobatur. Deinde dicit Christus: *Amice ad quid venisti?* quasi diceret; Si quæris gratiam inuenire, poteris. quia dicit Bernardus, quod per hoc à malo retrahere voluit proposito, vt recordaretur prioris amicitiæ, quanta sit sibi exhibita. Ideo dixit: *Ad quid venisti?* Vbi dicit Canon de pœn. dist. 1. §. Item his. Iudas à venia exclusus non fuisset, si ipsam à Christo postulasset, sed quia Iudas non osculo amicabili fungebatur, quando tradidit, ideo dixit ei Lucæ 22. *Iuda*, osculo illo *filium hominis tradis?* quasi diceret; Humanitatem quam sumpsi ab homine, trades.

V. QVINTO, in hac hora peruersitas ministrorum Christum captiuauit. De hoc Matt. 26. *Tunc accesserunt*, scilicet, qui missi erant, *& manus iniecerunt in Christum, & tenuerunt eum*, scilicet vnus cum crinibus, alter cum brachio, alter antrorsum, alter retrorsum trahentes. Tunc verificata est scriptura Psalm. 58. *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.* Et iterum Psal. 93. *Captabant*, id est captiuabant; *in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabant.* Et similiter scriptura illa Threnorum 3. *Venatorie ceperunt me, quasi auem inimici mei.* Ecce hic verus Ioseph, scilicet Christus, à fratribus suis capitur, & in Ægyptum, qui interpretatur angustia, ducitur, vt dicitur Genes. 37. Hic impletur figura etiam ista 1. Reg. 4. vbi legitur, Philistiim *pugnauerunt contra Israël, & victus est Israël, & arca, Dei capta.* Philistiim interpretatur ceciderunt, vel cadentes, & significat ministros Iudæorum, qui ad vocem Domini dicentis: *Ego sum, in terram ceciderunt.* Hi pugnauerunt contra Israël, id est, Apostolos, & Apostoli contra eos, cum dixerunt Lucæ 22. *Domine, si percutimus in gladio. Et vnus ex eis*, scilicet Simon Petrus, qui erat ardentior cæteris, *exemit gladium & percussit seruum principis*, quia prius extendebat manum ad capiendum Christum, *& abscidit auriculam eius dextram.* Nam secundum Chrysostomum putauit amputare ei caput. Ecce pugnauerunt Philistiim, & Israël. Sed sic Deo volente præualuerunt Iudæi ministri missi, & captatur arca Domini. Arca Domini est humanitas Christi, in qua erat manna suæ diuinitatis absconditum, & vrna aurea suæ mundissimæ animæ: quia diuinitas non capiebatur, sed tunc occultabatur, sicut dicit Magister lib. 3. dist. 21. cap. 1. Humanitate immolata, diuinitas in solitudinem abijt, id est, in cœlum occultauit potentiam suam, vt non exhiberet auxilium, vt dicit Glossa.

VI. Apostoli à Christo increpati.

SEXTO. In hac hora quinta Christus Apostolos paternè increpauit, Luc. 22. Et hoc figuratum fuit 2. Reg. 16. Cum Dauid transisset Iordanem, occurrit ei Semei, & maledixit illi, vocansque eum virum sanguinum, & iactauit lapides contra ipsum. Quod videns Abisai dixit. *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo regi? Vadam, & amputabo caput eius.* Increpauit autem eum Dauid dicens: *Dimitte eum, vt maledicat.* quasi diceret; Eius maledictio est mihi necessaria ad exercitium pœnitentiæ. *Dominus enim præcepit ei.*

SPIRITVALITER autem Dauid gerit figuram Christi, qui cum transisset torrentem Cedron occurrit ei Semei, qui interpretatur auditio mea, & significat audientiam Iudæorum ministrorum, qui sæpe Christum prædicantem audiuerunt, & hæc congregatio Iudæorum, ad instar Semei, Christo maledixit, cum in eum manus sacri-

crilegas misit. Quod videns Abisai, qui interpretatur pater salutis, & significat B. Petrum, qui voluit amputare caput præsertim Malchi, qui fuit vnus de congregatione illa. Sed Dominus increpauit illum, scilicet Petrum, dicens. *Sinite vsq; huc*, id est permittite præualere malitiam eorum, vsque ad captionem, & vsque ad mortem meam. quia Dominus præcepit eis, id est permisit. Vel, sinite, id est, permittite eum ire vsque huc ad me, scilicet Malchum, cui amputasti auriculam; *& cum tetigisset eius auriculam sanabat eum.* Et hoc fecit propter plura. *Primo*, propter astantium & videntium conuersionem. *Secundo*. propter discipulorum in fide diuinitatis confirmationem. *Tertio*, propter nostram instructionem, vt benefaciamus inimicis nostris. Chrysostomus: Sanabat eum, qui paulò pòst alapam daturus erat, in exemplum nobis secundum illud, *Benefacite illis, qui persequuntur vos. Quarto*, propter suæ potestatis ostensionem, scilicet ad ostendendum, quod non de necessitate captus esset, sed voluntariè. *Quinto* hoc etiam ideo fecit. ne Iudæi causam haberent eum accusandi coram iudice, quod discipulus suus eum vulnerasset. Deinde specialiter corripuit Petrum, Matt. 26. *Mitte*, inquit, *gladium tuum in vaginam*, quasi diceret; quia gladio nolo me defendere. Et Ioan. 15. dixit: *Calicem quem dedit mihi. Pater, non vis. vt bibam illum?* quasi diceret; Passionem quam ordinauit Pater meus cœlestis, ad salutem humani generis, debeo & volo patienter tolerare. Ideo cesset vindicta & exhibeatur patientia. Deinde Matt. 26. ait: *Omnis qui accipit gladium*, scilicet, ad vindictam propria auctoritate, *gladio peribit. Anputas* Petre; si vellem me defendere possem rogare patrem meum, *& exhiberet mihi in adiutorium plus quam duodecim legiones Angelorum* quasi diceret; secundum Hieronymum. Non indiges auxilio duodecim Apostolorum, cum possem habere duodecim legiones Angelorum. Et legio continet sex millia sexcenta & sexaginta sex.

Cur Christus Malchi auriculam sanauerit.

1. 2. 3. 4. 5.

SEPTIMO. in hac hora Christus persecutores suos mansuetè exprobrauit, id est, redarguit dicens: Marci 14. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me*, scilicet innocentem sine culpa mea, sed ex malitia vestra, & ego *quotidie coram vobis eram docens in templo*, scilicet, manifestè, vt Magister verus, & de salute vestra sollicitus, *& me non tenuistis.* Glossa, quia adhuc teneri nolebam, sed modo tenetis me, & hoc est de arbitrio voluntatis meæ, vt impleantur scripturæ Prophetarum. Matth. 26. VII.

SEXTA hora noctis hæc gesta sunt. Et PRIMO, Christus à ministris ignominiosè vinculatur. De hoc Ioan. 18. *Cohors ergo, & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt.* Et hoc figuratum fuit Genes. 22. Abraham volens immolare Isaac filium suum, ligauit eum. Isaac interpretatur gaudium, & significat Christum, qui secundum Bedam in homilia quadam, suorum gaudium est factus populorum. Quem ligauit, id est ligari permisit Abraham, qui interpretatur pater multitudinis, & significat cœlestem Patrem. Hic etiam impletur figura Iudicum 16. vbi legitur, quod Dalila ligauit Samsonem, & tradidit vinculatum Philistæis. Dalila interpretatur paupercula & significat gentem Iudaicam, quæ pauper est, eo quod fide caret, quàm si haberet diues esse posset. Et hæc ligauit Samsonem; qui interpretatur illuminans eos, & significat Christum, qui *illuminat omnes homines in hunc mundum venientes*, Et hæc ligatio facta in gremio horti, id est medio.

F

Sexta hora noctis gesta. I.

Isaac figura Christi.

Samson ligatus.

Et

Et dicunt aliqui Doctores, quod cum peruenisset ad finem horti, versus ciuitatem, vbi currebat torrens, siue fluuius Cedron, ministri per ponticulum transierunt, sed Christum ligatum per aquam traxerunt, vt aquæ etiam in os eius intrarent. Tunc ad literam impletæ sunt Scripturæ, Psalm. 68. qui in persona Christi dixit: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.* Et iterum Psalm. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

II. Apostoli Christo relicto fugiunt. SECVNDO, in hac hora sexta chorus Apostolicus à Magistro, & à Domino suo elongatur. Tunc verificata est scriptura. Iob. 19. *Obsederunt in gyro tabernaculum*, id est corpus meum, *fratres mei longe steterunt à me.* Et iterum, cap. 19. *Noti mei quasi alieni recesserunt à me.* Et Threnorum 1. conqueritur Christus. *Abstulit*, id est auferri permisit, *Dominus omnes magnificos meos de medio mei, vocauit aduersum me tempus*, vt contereret electos meos: scilicet Apostolos. Tunc impleta est figura Hierem. 52. Sedecias figura. Vbi legitur, quod *exercitus Chaldæorum persecutus regem Sedeciam, & apprehenderunt eum in deserto, iuxta Hiericho, & omnis comitatus fugit ab eo.* Sedecias interpretatur iustitia Domini, & significat CHRISTVM, quem persecutus est exercitus Iudæorum, & tunc fugit ab eo comitatus Apostolorum. Ideò dixit Matthæus 26. *Tunc discipuli relicto eo, fugerunt.* Significatio nudationis altarium. Ista fuga nunc significatur in nudatione altarium. Nam altare significat Christum, sed ornamenta altaris significant Apostolos, qui fuerunt prima Christi vestimenta. Significatur etiam in extinctione duodecim candelarum, quia Apostoli æqualiter tunc à fide recesserunt, & Magistrum solum in manibus inimicorum reliquerunt, & dimiserunt: quod significat candela sola remanens post exstinctionem aliarum. Et dicit Marcus 14. *Adolescens quidam sequebatur Christum amictus Sindone super nudo,* scilicet corpore, *& tenuerunt eum*, scilicet per Sindonem, *& ille relicta Sindone nudus profugit*, id est pronus, & citò fugit ab eis, qui IESVM Christum duxerunt. Quidam dicunt hunc fuisse Iacobum minorem; alij quendam adolescentem de domo in qua Christus cœnauerat. Sed Gregorius & Beda tenent hunc fuisse Ioannem Euangelistam, qui etsi caritate non repletus, vt ad mortem tunc Christum sequeretur, tamen vsque ad detentionem paratus fuit Christo assistere.

Acta Septima hora noctis. SEPTIMA noctis hora hæc acta sunt. PRIMO, Christus in domo Caiphæ ducitur ligatus, & tunc impletur figura cum Ieremias ductus est ligatus in Babilonem. Ille per Chaldæos, Christus verò per Iudæos. Et hoc tangit Euangelista Ioan. 14. cum
I. dicit: *Adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim Annas socer Caiphe, qui erat Pontifex anni illius.* Cur Christus primo ductus ad Annam. Quare autem ductus est primum ad Annam, ibi triplex est ratio. *Prima.* Quia eundo ad domum Caiphæ habebant ire ante domum Annæ. Ideò propter eius reuerentiam domum eius intrauerunt, eò quod anno præcedenti Pontifex summus fuit, & sic quia senior fuit, honorauit eum Caiphas, vt primò ab eo iudicare-
1. tur. *Secunda* ratio est. Quia Pontificatus singulis annis vendebatur. Et isti duo, An-
2. nas & Caiphas, quasi alternatis vicibus erant Pontifices, propter quod quasi Pontifex habebatur: quia anno preterito fuerat, & anno sequenti erat futurus. Et hoc procurauit Caiphas, ne tanquam iunior, solus videretur reus in sanguine Christi. Ideo voluit habere consectantem, vt qui per simoniam iuncti erant, & in crimine sanguinis simul iungerentur. *Tertia* causa, vt Christus coram iudicibus pluribus condem-
3. natus, magis dignus morte videretur.

SECVN-

SECVNDO, in hac hora à Petro Christus est negatus. Dicunt enim omnes Euangelistæ, quod *Petrus sequebatur eum à longè, vt finem videret*. Glossa, causa deuotionis & feruoris. Sed quia à longè hoc erat timoris, & dicit Ioan. 18. quod *& alius sequebatur à longè*, & fuit ipsemet, qui sequebatur. Quia dicitur in Euangelio Nicodemi, quod Petrus & Ioannes sibi de inconstantia timentes, secuti sunt Dominum à longè in domum Annæ. Erat enim Ioannes notus Pontifici, quasi indigena & conciuis, & intrauit in atrium, id est in domum Pontificis, scilicet Annæ, vt videret quid de passione Christi scriberet. Chrysostomus: Hoc Ioannes, inquit, non causa iactantiæ, quasi magnum esset se dicere notum Pontifici, sed hoc solum ponit, ne quis credat eum ex magnitudine cordis, sed propter solam eius notitiam, intrasse. *Petrus autem stabat foris ad ostium*. scilicet pauidus. *Exiuit ergo alius discipulus*, scilicet Ioannes, *& ostiariæ* aliqua benigna & rogatoria verba *dixit, & introduxit* Petrum timidè intrantem, dixit ostiaria. *Nunquid tu ex discipulis es hominis istius?* scilicet, qui stat ante dominum meum Annam. II.

Cur Ioannes se dicat notũ Pontifici.

Quærit Ambrosius. Cur ancilla primum prodit, quàm viri, cum magis poterant cognoscere. *Prima* ratio est, vt sexus iste videatur in necem Domini peccasse, & quod etiam per passionem Domini redemptus sit, videlicet sexus fœmineus. *Secunda* ratio, quia hoc fuit in primæ præuaricationis Adæ memoriam, secundum illud Eccl. 25. *A muliere initium omnis peccati. Tertio*, in communis deceptionis sequelam, quia secundum Augustinum: Vsitatus sexus est ad decipiendum. Per mulierem enim diabolus eiecit Adam maximum, Samsonem fortissimum, Dauid sanctissimũ, Absalonem pulcherrimum, Salomonem sapientissimum. Iuxta illud Prouerb. 8. *Multos enim vulneratos deiecit, & quinque fortissimi interfecti sunt ab ea*. Sic ad negationem hic, & mulier Petrum perduxit. Qui dixit: Non sum, scilicet discipulus eius, quia recessit ab eo. Beda dicit Petrus columna fortissima ad vnius auræ ventum totus contremiscit. *Et statim* post Petri negationem, *gallus cantauit*, scilicet prima vice. Sed hoc Petrus non aduertit, nam ex verbis ancillæ attonitus fuit.

Cur ancilla primum prodit, quàm viri. 1. 2. 3.

TERTIO, Christus fuit ab Anna interrogatus, & hoc de duobus, scilicet discipulis suis, & doctrina eius. Ioan. 17. De discipulis omninò tacuit, quia tunc de illis nihil boni loqui potuit, eò quòd principaliorem de illis in præsentia sua se negare audiuit. Attamen malum de eis loqui noluit, vt doceret nos, quòd malum proximorum omninò taceamus. Sed de doctrina respondit: *Ego palam locutus sum mundo*, id est hominibus in mundo, *Ego semper docui*, sicut Magister verus *in Synagoga*, id est, in templo, *quo omnes conueniunt Iudæi*, pro maiore parte; *In occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui à me audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quid dixerim ipsis ego*. Glossa, & illi possunt tibi dicere. III.

Malum de proximo tacendum.

QVARTO, fuit Christus à seruo Annæ alapatus, vt scribit Ioan. 18. Cum Christus hæc dixisset: *Vnus assistens ministrorum*, scilicet Malchus, *dedit ei alapam*, scilicet IESV, *dicens. Sic respondes Pontifici?* Hic verificata est Scriptura. Threnor. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs*. Et impleta est figura 3. Regum 22. Cum loqueretur Propheta Michæas cum Achab rege veritatem, & diceret ei: *Vidi cunctum populum Israël dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem*. Per quæ verba prædixit eius mortem, quæ & secuta fuit. *Dixit Achab rex Israël ad Iosaphat regem Iuda. Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* IV.

Cumq; hoc dixisset Michæas, accessit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam. Et ait Michæas. Visurus es in die illa, &c.

SPIRITVALITER. Michæas interpretatur; Quis est ille? & significat Christum, cui dixerunt angeli Isa. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Et Psalm. 23. dixerunt: *Quis est iste rex gloriæ?* &c. Hic cum diceret veritatem coram Pontifice, quod non in occulto, sed in publico prædicasset: Tunc accedens minister Pontificis filius Chanaana & percussit Christum in maxillam, quod sonus in toto palatio insonuit, & quod vestigia digitorum in maxilla remanserunt. Et ille percussor fuit Malchus, vt quidam volunt, cuius sanauit auriculam per Petrum amputatam. Sed Glossa vult, quod percussor ille fuit paraliticus, *quem IESVS sanauit circa piscinam.* Ioan. 5. Et sicut Michæas respondit patienter. *Visurus es in die illa.* Sic & Christus cum magna patientia respondit: *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, cur me cædis?* id est, percutis manu & lingua. Chrysostomus. Corrigit peccantē, vt faciat pœnitentem ipsius arguit conscientiam, vt de suo peccato agat pœnitentiam. Idem Chrysostomus: O dulcis, inquit, IESV, quàm patienter sustines in te ipso, quod tamen punis in seruo tuo. Nam Apostolo Thomæ alapam datā, sic durè puniuit, quod canis manum eius, qui eum percussit, in medio aulę laceratā, per Leonem apportauit.

Octaua hora acta. OCTAVA hora hæc facta sunt. PRIMO, Christus de domo Annæ ad domum Caiphæ portabatur & ducebatur. Quia dicitur Ioan. 18. *Tunc Annas misit eum ligatum ad Caipham Pontificem* scilicet anni illius. Et tunc impleta est figura illius, Genes. 28. Vbi legitur, quod Iacob mutatus est in domo Isaac, ad domum Laban, & iuit Iacob solus sine socijs. Sic & Christus verus Iacob supplantator omnium vitiorum, mutatus est de domo Annæ, ad domum Caiphæ. Et sicut Iacob fuit sine socijs, sit Christus sine discipulis.

I. Iacob figura Christi.

II. SECVNDO, in hac hora CHRISTVS à Petro bis fuit negatus. Dicit enim Matthæus. *Petrus sequebatur à longè, vsque in atrium principis sacerdotum, vt videret finem,* scilicet totius negotij, & quomodo Pontifex de IESV iudicaret. Et dicit Lucas 22. *Accenso igni in medio atrij assedit.* & Ioan. 18. *Stabant ministri & serui ad prunas, & calefaciebant se, quia frigus erat. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se,* scilicet exterius, quia ignis diuini amoris extinctus fuit in eo interius. *Quem cum vidisset* quædam ancilla, vt dicit Lucas, sedentem ad lumen, *& eum fuisse intuita, dixit. Et hic cum illo erat: & ille negauit, dicens. Mulier nescio quid dicis,* id est, hominem hunc de quo dicis tu, non agnosco. In hoc ostenditur magnitudo timoris, quia non tantum negauit fidem Christi, sed etiam notitiam personæ Christi, Ioan. 18. *Dixit vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam. Nonne te vidi in horto cum illo?* Ad hanc allocutionem tacuit Petrus, magis pauore perterritus. *Et post pusillum.* Matth. 26. *accesserunt, qui stabant ad ignem, dixerunt: Verè & tu ex illis es,* scilicet, qui cum IESV Nazareno erant: *nam & Galilæus es, nam loquela tua manifestat te*; quia, vt dicit Glossa, differentia erat idiomatum Galilæorum & Hierosolymitanorum, sicut idiomata Saxorum & Prutenorum. *Audiens hoc Petrus.* Marci 14. *cœpit anathematizare*, id est excommunicare & iurare, *quia non nouisset hominem, & statim gallus cantauit bis.* Quia secundum communem cursum, secundus cantus gallorum fit in hora octaua noctis.

Sed

G

Sed diceres. Quare Dñs Petrum cadere permisit, *Responde*, huius tres sunt causæ. *Prima*, vt nullus de se præsumeret, cum Principem Apostolorum cecidisse, videt. *Secunda*, vt nullus desperaret, cum Petrus post tantum peccatum factus sit ianitor cœli, dum tamen homo facit sicut sanctus Petrus: Nam dicit Lucas: *Conuersus respexit Petrum*. qui respectus fuit diuinus. *Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixit: Postquam gallus bis vocem dederit, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare.* Non pro tunc solùm, sed quamdiu vixit, quando gallum cantare audiuit, vt dicit Leo Papa, trepidationem discipuli Dominus diuino vidit intuitu, & pauentis animum, mox vt aspexit, erexit, & in fletum pœnitendo excitauit. *Tertio*, cum cadere permisit, vt cum postea esset prælatus alijs, sciret misereri. De hoc dicit Gregorius, distinct. 5. c. Considerandum. Factum est magnæ pietatis dispensatione, vt qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa, disceret qualiter alijs misereri debuisset.

III. TERTIO, in hac hora octaua à falsis testibus accusatur. De hoc Matth. 26. & Marci 14. *Conuenerunt* interim *Principes sacerdotum & seniores populi, & inierunt consilium aduersus Christum*, in domo, scilicet Caiphæ, vt impleretur illud Psal. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominũ, & aduersus Christum eius.* Et ideò couenerunt, *vt eum morti traderent, & quærebant falsum testimonium contra IESVM*, quia verum inuenire non potuerunt. Et dicit Marcus 14. *Multi falsum testimonium dicebant aduersus IESVM, & conuenientia testimonia non erant. Vt impleretur illud.* Psalm 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Et iterum Psalm. 108. *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.* Et ideo dicit Marcus: *Nouissimè* quidem *duo falsi testes surgentes*, falsum testimonium ferebant aduersum eum dicentes: *Audiuimus eum dicentem: Possum destruere templum Dei, & in triduo reædificare illud. Et eorum testimonium non erat conueniens.* Et hoc patet secundum Glossam ex tribus. *Primo*, ex mutatione; quia Dominus non dixit, possum destruere: sed dixit, *Soluite.* Nec dixit reædificare; sed *excitabo illud.* Et Ioan. 2. quod templo viuenti, scilicet corpori suo & non materiali conuenit. *Secundo*, ex additione, quia addiderunt, quod Dominus non dixerat. *Tertio*, ex intentione, quia non eodem sensu quo Dominus dixerat, retulerunt. Nam Dominus dixit *de templo corporis sui*, Ioan. 2. prænuncians suam passionem, Iudæi autem accipiebant de templo materiali lapideo, à Salomone ædificato. *Quarto*; in hac hora Christus inquiritur à Pontifice, & adiuratur. De hoc Marcus 14. *Tunc exurgens summus Pontifex Caiphas in medium, & interrogauit: Non respondes quicquam ad ea, quæ tibi obijciuntur?* Dicit Rabanus: Ira præceps & insaniens, non inueniens locum calumniæ, excutit principem de solio, vt insaniam mentis motu corporis denunciaret. Et Beda dicit: ad responsum Christum prouocat, vt ex actione sermonis locum accusandi inueniat, & ideo IESVS tacebat. & hoc propter tria. *Primo*, quia iudex iniquus, & eius testes iniqui, accusationem quærebant. Ideo non respondebat, iuxta Prouerb. 21. *In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciunt doctrinam eloquij tui. Secundo*, quia iniusta contra eum proposita fuerunt, & secundum Augustinum, Aperta mendacia non sunt responsione digna. *Tertio*, vt scriptura impleretur, quia dicit Isaiæ 53. *Quasi agnus coram tondente se obtumescet.* Et Psalm. 37. *Factus sum sicut homo non audiens.*

Testimoniũ contra Christum cur nõ conueniens. 1. 2. 3. 4.

IESVS propter tria tacet. 1. 2. 3.

Hic etiam impletur figura. Genes. 39. Cum domina Ioseph coram Principe Putiphare accusaret, ille tacens missus est in carcerem. Cum igitur Christus nihil responderet, dicit Matth. 26. quod ille clamans ait: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei viui*, scilicet, vt quidam credunt & dicunt. Tunc IESVS propter diuini nominis inuocati reuerentiam dixit. *Tu dixisti*, scilicet veritatem de me; quasi diceret. Cum sis summus sacerdos, in lege discere potuisti, quod ego sum filius DEI viui. Et vt habetur Lucæ 22. ait: *Si vobis de me veritatem dixero, non creditis mihi.* quia veritatis estis inimici, & filij diaboli. *Et si interrogauero, non respondebitis mihi*, scilicet per veritatis consensum, quia estis in malo obstinati. *Neque me dimittetis*, & hoc facit vestra malitia indurata. *Veruntamen videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem*, scilicet ad iudicium *in nubibus cœli*. Nunc iudicandus est filius DEI ab hominibus, tunc autem iudicaturus veniet. Et licet me ignominiosè tractetis, tamen iudicem me vestrum videbitis. Tunc dixerunt ei omnes. *Tu ergo es filius DEI? Dicit eis. Vos dicitis, quia ego sum. Princeps autem sacerdotum*, vt dicitur Matthæi 26. *scidit vestimenta sua*, in signum doloris exterioris, quo veritatem à Christo prolatam blasphemiam reputauit. Et secundum Chrysostomum. Hoc ideo fecit, vt accusationem redderet grauiorem. Sed scissio vestis figura est 1. Regum 15. vbi legitur. Cum Samuel vellet orare pro Saul: *Et conuersus est Samuel, vt abiret, Saul apprehendit summitatem pallij eius, quæ scissa est. Et ait ad eum Samuel. Scindet Dominus regnum tuum, & tradet illud proximo tuo meliori te.* Quia in hac scissione vestis ad literam, Pontifex significabat, quod regnum Iudæorum scinderetur, & Christianis daretur. Iuxta illud Matthæi 21. *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus eius.* Et non solum vestimenta sua scidit, sed in CHRISTO blasphemiam posuit, dicens: *Blasphemauit. Ecce omnes audistis blasphemiam, quid adhuc egemus testibus? ipsi audimus de ore eius. Quid vobis videtur?* Cuius pœnæ sit dignus, aut qua pœna plecti debeat. *At illi dixerunt. Reus est mortis.* Secundum Rabanum, quia cum blasphemum putabant, sequuntur arbitrium Principis sacerdotum condemnantis eum morte, quia dicitur Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Dei morte moriatur.*

Scissio vestis quid denotet.

Nona hora quænam acta.

NONA hora hæc acta sunt. PRIMO, in facie conspuitur, quia dicitur Marci 14. *Conspuerunt in faciem eius.* Et impleta est Scriptura Iob 23. *In faciem meam conspuerunt*, id est, simul spuerunt, & Isaiæ 5. *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Et hoc figuratum est in Hur. vbi legitur in Glossa Hebræorum, super Exodi 34. Qui nolens populo in peccato idololatriæ consentire in faciem eius conspuerunt, & sputo occiderunt.

I. Hur figura.

II. SECVNDO, colaphis cæditur. De hoc iterum Matth. *Colaphis eum ceciderunt.* Vt impleretur illud Isa. 50. *Corpus meum dedi percutientibus.*

III. TERTIO, in maxillam percutitur. Vt impleretur illud Isa. 5. *Genas meas dedi vellentibus.* Et illud Michææ 6. *Percusserunt maxillam iudicis.* Et hoc tangit Marcus. *Alij palmas in faciem eius dederunt dicentes. Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* quasi dicerent. Tu dicis te esse Christum, ideò bene potes scire percussorem tui, & ideo vindica te de ipso si vis.

IV. QVARTO, facies eius cooperitur. Figura Exodi 34. Vbi Moyses facie velabatur. Tunc.

Tunc impletum est illud Psalm. 68. *Quoniam propter te* scilicet ô homo, *sustinui opprobrium, & operuit confusio faciem meam.* Dicunt enim Doctores, quod ita desiderabilis fuit aspectus eius, & facies eius plena gratiarum, vt quicunque accedens, & percutere eum volens, præ nimia gratia & delectabilitate, quæ in facie eius resplendebat, eum percutere non valebat, sed manus pronus retrahebat. Vt ergo maiori audacia eum percutere possent, faciem eius velauerunt. Ideò dicit Bernardus. Vultum tuum Domine IESV Christe desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cœlos impleuit lætitia quem deprecantur omnes diuites plebis, pollutis suis labijs, sputis inquinauerunt, manibus sacrilegis cooperierunt & deriserunt, & te Dominum vniuersæ creaturæ, tanquam seruum contemptibilem colaphizantes.

QVINTO, caput eius benedictum feritur, id est, percutitur. Lucæ 22. *Alij caput eius percutiebant, & multa alia blasphemantes, in eum dicebant.* Peractis igitur his Principes sacerdotum, & seniores populi, ad lectos transierunt: & IESVM per alias tres horas noctis in garcisorio, in custodia garcionum reliquerunt, à quibus deinceps vsque ad diem malè & viliter eum tractauerunt, licet de hoc Euangelistæ tacuerunt. Nam in his tribus horis, vt creditur, impleuerunt hoc dictum Psalmum 55. *Conculcauerunt me inimici mei,* quia ad terram CHRISTVM proiecerunt, & super corpus eius benedictum saltauerunt. Tunc impletum est illud Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Et illud Ezech. 22. quod prædixit Pater de Filio suo Christo. *Dabo te in manibus fabricantium.* Et dicit Hieronymus: Passio quam CHRISTVS in illa nocte sustinuit, & præsertim in illis tribus horis à generationibus pessimis, nunquam reuelabitur nisi in extremo iudicio. Iuxta illud Naum. 3. *Reuelabo cunctis gentibus iniquitatem tuam.* V.

Ecce homo DEI, Pharisæis dormitum euntibus, Christus cum delusione noctem duxit insomnem Esther. 6. Et in Psal. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Et iterum Psal. 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* Ideo dicit Bernardus, in libro de conuiuio Crucifixi: Erubescat miser Christianus qui nocte ista requiescit, scilicet in lecto, cum rex suus vigilet, & pugnet pro eo in campo. Erubescat, qui nocte ista lætatur, cum rex suus timeat & tristetur. Erubescat, qui dormit & solaciatur, cum rex suus sic super nudam terram pro salute prosternitur.

PARS SECVNDA PASSIONIS.

QVANTVM ad SECVNDVM, diuiditur hæc passio in diem gentilicæ examinationis. Quia cum Christus tota nocte à Iudæis esset passionatus, in hac die est ab Herode & Pilato, gentilibus, & seruis suis examinatus. Ideo dicit Matth. 27. *Mane facto,* scilicet prima hora diei Veneris, *consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersum IESVM, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt, & tradiderunt Pilato præsidi.* Hic impletur figura, Iudicum 15. Quia Samson inimicis traditur in manus H

nus Philisthinorum, traditur & Christus in manus paganorum. Ille vinctus, hic ligatus. Ille per Dalilam meretricem, hic per Synagogam præuaricatricem.

I. Et dicitur NOTANTER, quod Christus traditus est in manus paganorum, quia dicit Magister in histo. Pilatus Lugdunensis fuit paganus, qui à Romanis primus in Pontianam insulam missus fuit, à qua Pontius dicebatur. Sed postea custodiuit Iudæam & Hierusalem ex parte Romani Cæsaris. Et hic Pilatus, secundum Glossam, in domo Caiphæ habuit mansionem. Et ideo hinc Christum portauerunt, propter quatuor causas. *Primo*, vt ignominiosior mors esset Christi, eò quòd Iudæum gentilis ad mortem condemnaret. *Secundo* ne sibi viderentur vsurpare iudicium Romanorum. *Tertio*, quia timebant ne plebs eriperet eum, vbi non esset auctoritas Romanorum. *Quarto*, quia suam per hoc voluerunt malitiam occultare, & Pilato culpam imponere. Ideo dicit Ioan. 18. quod *Iudæi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur*, id est macularentur, sed vt mundi permanerent & manducarent pascha, id est azymos panes, non agnum paschalem, vt Græci dicunt, & malè; quia præcedenti die comederunt illum. Chrysostomus dicit: O impia cœcitas Iudæorum, quia contaminari timent alieno habitaculo, & sanguinem innocentis effundere non verentur. Sic multi sunt qui sibi conscientiam faciunt de leuibus peccatis, & ad grandia incidere nihil curant, *excolantes culicem, camelum verò deglutientes*. Matthæi 23. Et primò hoc factum est in prima hora diei, quod Synagoga CHRISTVM Pilato præsentauit.

Pilatus natione Gallus

II. SECVNDO, in hac hora prima Iudas desperauit. De hoc Matthæus 27. *Videns Iudas, qui tradidit eum, quia damnatus esset*, id est, quod traditus esset Christus iudicio seculari, *pœnitentia ductus*, id est, quadam pœnitentiæ angustia & tristitia ob peccati magnitudinem, *retulit triginta argenteos principibus sacerdotum*, scilicet à quibus eos receperat dicens: Tradens sanguinem iustum peccaui, id est, hominis iusti. De quo Psalm. 144. *Iustus dominus in omnibus vijs suis*. Glossa dicit, & sunt verba Hieronymi. Licet dolor fuit cordis in Iuda, confessio oris, & satisfactio operis, tamen non fuit pœnitentia vera & fructuosa; quia defuit spes salutis. Nam dicitur de pœnitentia dist. 3. c. Inter &c. In salicibus. Iudas infructuosè pœnituit, quia laqueo se suspendit.

Confessio Iudæ quare inualida.

I. Omnia peccata confitenda.

Et NOTA, quod ista confessio non valuit ei propter tria. PRIMO, ex parte illorum quibus fiebat; quia non proprio sacerdoti & fideli, cui tamen est de iure facienda. de pœnit. & remiss. c. Omnis vtriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia solus sua peccata, saltem semel in anno fideliter proprio confiteatur sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere. Iudæi enim proprij sacerdotes non erant, quia officium sacerdotum amiserunt, nec erant fideles, quod patet ex illo. Nam quando dixit Iudas; *Peccaui*. Illi dixerunt. *Quid ad nos?* scilicet pertinet de facto tuo, quasi dicerent, certè nihil. quia non habemus te absoluere de peccato tuo, *tu videris*. Tu nosces in pœna, quid fecisti in culpa. Ideo dicit Augustinus. Et ponitur de pœn. distinct. 1. c. Quem pœnitet. Qui vult peccata sua confiteri, vt quærat gratiam, veniat ad sacerdotem scientem ligare & soluere, ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.

Qualis Confessarius eligendus.

SECVN-

SECVNDO, ex parte eius à quo fiebat, quia desperatus erat: quod patet ex illo: quia cum audiret, quòd deriderent eum, lapsus est in extremam desperationem, & *proiectis*, vt dicit Matth. 27. *argenteis in templo, recessit & abiens laqueo se suspendit.* Hoc figuratum fuit 2. Regum 17. *Porro Achitophel strauit asinum, & abijt in domum suam, & disposita domo sua, laqueo interijt.* Achitophel interpretatur frater meus cadens, & significat Iudam, qui fuit frater noster ratione generationis, qua *omnes fratres sumus.* Matth. 23. Sed strauit asinum, quando asininè vixit, abiens à venia laqueo interijt. Et rupto laqueo, cadens in terram, *crepuit medius; & diffusa sunt omnia eius viscera.* Actor. 1. Propter hoc dicitur frater cadens, vel dicitur frater cadens in desperationem. De qua Augustinus 23. q. 5. c. Si non licet. Iudas plus peccauit desperando, quàm Christum tradendo. Et rationem ponit Hieronymus, quia in traditione Christi peccauit in eius humanitatem directè, sed in eius desperatione peccauit directè contra eius diuinitatem; quia contra infinitatem diuinæ misericordiæ. *II.* Achitophel figura Iudæ.

TERTIO, non profuit ex parte professionis; quia diminuta & insufficiens. Ideò dixit suprà Decretalis, Omnis vtriusque. quia omnia peccata sua debet confiteri. Sed NOTA de pœnitentia dicit Matthæus. *Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet nobis mittere in corbonam*, id est, in locum oblationibus deputatum ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, *quia pretium sanguinis est*, id est pretium datum pro sanguine effundendo. *Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum*: quod fecerunt non in misericordiam pauperum, sed ad infamiam Saluatoris, vt longè lateque diffamaretur illa emptio. Et Beatus Augustinus libr. de passione. Prouidentia diuina factum puto, vt pretium Saluatoris non peccatoribus sumptum prębeat, sed peregrinis requiem subministret. *Propter, quod vocatus est ager ille Haceldama: hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.* Et dicit Thomas in Glossa continua. Hoc referendum est ad tempus, quo Euangelista hoc scripsit. Deinde confirmat prophetico testimonio Ierem. 31. & Zachar. 11. qui prædixerunt: *Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*, scilicet Iudæ, *& dederunt eos in agrum figuli*, quia ille ager erat figuli; *sicut constituerat Dominus.* *III.*

TERTIO, in hac hora CHRISTVM Synagoga perfidia accusauit. De hoc habetur figura Dan. 6. vbi legitur, quod *Principes & satrapæ quærebant, vt inuenirent occasionem Danieli, & nullam causam, aut suspitionem inuenire potuerunt, eo quòd fidelis esset, & omnis causa & suspicio non reperiebatur in eo. Dixerunt enim viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem nisi forte in lege DEI sui: sicque accusabant eum, quod tribus temporibus per diem oraret DEVM suum. Quod rex Darius audiens, satis contristatus est; & pro Daniele posuit cor suum, vt liberaret eum. Viri autem intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex quia lex Medorum atque Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. Tunc præcepit rex, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum.* *III.* Christus perfidiæ accusatur.

SPIRITVALITER. Daniel interpretatur, iudicat me Deus, & significat Christum, quem Deus Pater iudicauit ad hanc acerbissimam mortem, pro peccatis nostris sustinendam. Ideo Principes sacerdotum & seniores populi quæsierunt occasionem mortis, sed non potuerunt, quia fidelis fuit in omnibus verbis suis, & sanctus in

omni-

omnibus suis operibus, vt inquit Psalm. 144. Nec etiam Pilatus potuit in eo causam mortis inuenire cùm esset cum eo in prætorio, propter quod, vt dicit Ioan. 18. exiuit foras, & dixit: *Quam accusationem affertis contra hunc hominem*, scilicet innocentem, siue mitem, quem mihi vinctum, & à vobis malè tractatum, nihil tamen contra vos conquerentem præsentastis. *Responderunt Iudæi & dixerunt: Si non esset hic malefactor non tradidissemus eum tibi.* Ecce qualis sententia. quasi dicerent; Quia scilicet tibi eum tradidimus, ergo est malefactor præsentatus; quasi dicerent: Ergo à te iudicari debet. Augustinus dicit: Respondeant pro Christo ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, mortui resurgentes, stulti facti sapientes, vtrum Christus sit malefactor, qui tanta fecit bona miseris & oppressis. *Pilatus enim videns, quod propter inuidiam tradidissent eum*, id est, sine omni culpa, *dixit: Quid enim mali fecit?* quia eum malefactorem dicitis. *Tunc*, vt habetur Lucæ 23. *accusabant eum in tribus*, quæ significantur per tria tempora orationis, de quibus Principes Persarum Danielem accusabant. Vnde dicebant: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram*, scilicet cum sua falsa doctrina, *& prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Introiuit ergo iterum in prætorium*, scilicet, postquam audiuit inculpationes eorum. Et *primam* accusationem non curauit, quia gentilis erat, & de lege eorum non curabat. De *secunda* etiam non curauit, quia secundum Bernardum audierat, quod ad interrogationem Iudæorum Christo de tributo factam, sic respondit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Matth. 23. Sed de *Tertio* dicit Ioan. 18. *Tu es rex Iudæorum.* quasi diceret; hoc est verum, quod tibi à Iudæis imponitur, quod tibi vis vsurpare nomen regium contra regis Romanorum decretum, & statutum. quasi diceret; in hoc malè facis. Respondit IESVS Pilato: *Hoc à temetipso dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Hoc IESVS non dixit, quod ignorantes, scilicet Iudæi, sibi hoc nomen imposuerunt, sed per interrogationem Pilato factam, magis detegere volebat nequitiam Iudæorum, quia mentientes imposuerunt sibi. Nam cum voluerunt eum regem facere, *fugit in montem ipse solus*. Ioan. 6. Hęc autem Iudæorum malitia detecta fuit in responsione Pilati, cum dixit. Nunquid ego Iudæus sum? quasi diceret; A me ipso hoc non dico, nec tibi hoc nomen impono, sed Iudæi hoc tibi imposuerunt, qui te coram me, quod velis te regem facere, accusauerunt. *Nam gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti?* Scilicet propter quid te accusant, quasi diceret; videtur, quod in aliquo sis culpabilis. Et ad hoc non respondit quia si debuisset respondisse, veraciter dixisset: Omnem ab ipsis fugaui tribulationem, cœcos illuminaui, &c. & illud Ioan. 10. *Multa bona opera feci eis à Patre meo.* & sic occasionem dedisset Pilato suæ liberationis, quod noluit, *quia oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. Sed respondit de regno. *Regnum meum*, inquit, *non est de hoc mundo*, scilicet quantum ad hæc temporalia loquendo. Sed si hoc modo esset regnum meum, *ministri mei certaret pro me*, scilicet, contra te, *vt non traderer Iudæis.* Ex hoc patet, quod eum Pilatus traditurus esset perfidis Iudæis. *Nunc ergo regnum meum non est hinc*, id est, in hoc mundo & temporale. *Dixit ei Pilatus. Ergo rex es tu*, scilicet illius regni cuius dominium non pertinet ad Imperatorem Romanorum. *Respondit IESVS. Tu dicis, quia rex sum ego*, quasi diceret; Nonné annuo ergo quod dicis, sed tamen non veni ad regnandum temporaliter. *Ego in hoc mundo natus*, scilicet de Virgine, *& de hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veri-*

tatis,

tati, vt doceam veritatem. *& omnis qui ex veritate est*, id est, ex me, qui sum veritas, Ioan. 14. *Audit vocem meam*, id est obedit voci meæ & doctrinæ. *Tunc dicit Pilatus. Quid est veritas.*

Ad hanc interrogationem nihil respondit, multiplici ratione. PRIMA, quia longa ratione indiguit, qualiter sit triplex veritas creata. *Prima* veritas doctrinæ, in mundo obscura. *Secunda* veritas iustitiæ obliquata. *Tertia* veritas vitæ penitus annihilata. Quam triplicem veritatem CHRISTVS voluit restaurare, sed non respondit, quia ipsemet erat veritas. Etiam quia Pilatus non erat dignus audire. Tertio non respondit, quia cum dixisset Pilatus; iterũ ad Iudæos exiuit, & responsioné non exspectauit. Quia, secundum Augustinum, subitò venit sibi in mentem consuetudo Iudæorum, quia solebat eis vnum ex vinctis in pascha dimittere in memoriam liberationis, qua DEVS eos liberauit de captione Ægyptiaca, de manu tribulantis Pharaonis. I

Quare Christus Pilato interroganti de veritate nihil responderit.

Alia causa, secundum Nicolaum de Lyra, quare non exspectauit responsionem, sed statim exiuit: quia verbum CHRISTI fuit de regno spirituali, quo ad Pilatum non pertinebat, sed solum cura temporalis. Ideo non exspectauit, ne mora fieret in Christi liberatione. *Et cum exiuisset, dixit eis: Ego in eo nullam inuenio causam*, scilicet mortis. Ecce qualiter laborauit Pilatus ad similitudinem Darij regis, vt verum Danielem Christum liberaret. Sed sicut Principes Medorum & Persarum instabant, vt Daniel occideretur, sic & Iudæi, vt dicitur Luc. 23. *Conualescebant*, id est simul valescebant in malo, dicentes secundario clamando. *Commouit vniuersum populum*, scilicet falsè & iniquè docens, *per vniuersam Iudæam incipiens à Galilæa vsq; huc.*

SECVNDA hora diei hæc acta sunt. PRIMO, Christus ad Herodem tanquam malefactor mittitur, quia dicitur Luc. 23. *Pilatus audiẽs Galilæã, interrogauit*, scilicet alios, non Christum, *si Galilæus esset. Vt autem cognouit, quod de Herodis potestate esset*, quia de Nazareth conceptus, & educatus fuit, quæ erat ciuitas Galilææ Lucæ 1. Ideo remisit eum Herodi, qui Hierosolymis erat his diebus, quia dicit Iosephus conuenit ad esum agni paschalis, eò quòd Iudæus erat. Nam pater eius Herodes senior, scilicet Ascalonita; qui pueros in Bethleem propter Christum occidit; eum circumcidere permisit, vt rex Iudæorum in Galilæa esset, & fieri posset aliàs ad festum Iudæorum non venisset, sicut nec cæteri gentiles. Herodes autem viso IESV, vt dicitur Lucæ 23. *gauisus est valdè. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eò quod audierat multa de illo, & sperabat ab eo aliquod signum fieri. Et interrogauit eum in multis sermonibus.*

Hora secunda diei acta. *I.* Christus mittitur ad Herodem.

Et volunt quidam, quod dixit ad eum. Es tuné ille, propter quem pater meus occidit pueros in Bethleem? Es tuné ille, ad cuius aduentum simulacra Ægypti corruerunt? Es ne ille, qui peccata Mariæ Magdalenæ dimisisti, & cœcum illuminasti? Es ne qui Lazarum suscitasti? *IESVS autem nihil respondit*, scilicet ad illas interrogationes, & hoc propter duas causas. *Primo*, quia Herodes erat indignus, vt audiret verbum eius. *Secundo*, quia si dixisset. Sum ille, de quo interrogas. Tunc eum, vt rex potens, de manibus Iudæorum liberasset; & sic genus humanum redemptum non fuisset. Sed quia liberare voluit, ideo tacuit.

De quibus rebus Herodes IESVM examinarit. Quare Christus Herodi nihil responderit.

SECVNDO, in hac hora etiam IESVS accusabatur apud Herodem. De hoc Lucæ 23. *Stabant etiam Principes sacerdotum constanter accusantes.* His etiam nihil *II.* IESVS accu-

satur apud Herodem. Ab Herode spernitur. respondit, vt impleretur illud Psalm. 37. *Sicut mutus non aperiens os suum.* *Tertio*, ab Herode spernitur & illuditur. Spreuit enim eum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, remisit eum ad Pilatum. Hic impletur figura 2. Reg. 3. Cum verus Dauid Christus spernitur, & illuditur à Michol, qui interpretatur aqua omnis. significat enim Herodem cum suis, in quo fuit aqua omnis vanitatis. Quia vanè Christum spreuit & illusit, & sic *illusum ad Pilatum emisit, & facti sunt amici Herodes & Pilatus in illa die*, scilicet per Christum. *Nam ante erant inimici ad inuicem.* Cuius quidem inimicitiæ duæ erant causæ. *Primam*, ponit historia Tripartita. Cum à Cæsare Tiberio esset super Iudæam, Hierusalem & Galilæam constitutus. Herodes autem de Pilati versutia & astutia nescius, eum ad se vocauit, & sibi vices suas super Iudæam & Hierusalem commendauit. Pilatus autem in suo officio congregata pecunia, nesciente Herode, clam Cæsarem adijt, & ab ipso Tiberio regnum Iudæorum quod prius ab Herode detinebat, precibus & muneribus impetrauit. Hæc causa fomitem inimicitiæ inter eos seminauit. *Secunda* causa, quia postquam Pilatus esset super Iudæam constitutus, multos de iurisdictione Herodis occidit, sicut Theodam & Iudam Galilæum.

Causæ inimicitiarum Herodis & Pilati.

1.

2.

Iudæi petūt, vt Christus crucifigatur.

TERTIA hora diei hæc facta sunt. *Primo*, à Iudæis crucifigendus proclamatur. Nam cum Christus remissus esset ad Pilatum, dicit Lucas cap. 23. *Pilatus conuocatis Principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc quasi auertentem populum*, & quasi morte dignum. *Ecce ego coram vobis interrogans illum nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis*, scilicet falsè & mendaciter. *Sed neque Herodes*, scilicet inuenit. *Nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil morte dignum est actum ei. Emendatum ergo eum* id est, correptum *dimittam*, scilicet in vestra solennitate paschali. Quasi diceret; si non vultis eum innocentem dimittere, saltem eum, vt condemnatum festiuitati dictæ dimittatis, & in hoc estote contenti, quod eum corrigam super vestra quærimonia. Principes autem sacerdotum suscitauerunt, vt clamarent, quod crucifigeretur. Cumque hoc *vidisset Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis accusantium tumultus fieret*, dicitur Ioan. 18. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*, id est, damnate & occidite, quasi diceret: Ego talis propter vos non efficiar, vt iustum condemnem sine culpa. Illi autem responderunt. *Nobis non licet interficere quenquam.* quasi dicerent; Ad te spectat causam huius cognoscere, vtrum sit reus mortis, an non. Hoc, vt dicit Augustinus, ideo dixerunt, vt totam culpam mortis contra DEVM, in ipsum iudicem retorquerent, & ipsi impunè pertransirent, sed per hoc non excusantur. Quia secundum Augustinum, Iudæi Christum occidebant, eò quòd gentibus ad occidendum offerebant, & tamen benè dicebant: *Non licet nobis interficere quenquam.* Quia iurisdictio per Romanos dudum est eis ablata, & gentilibus data, vt sermo IESV adimpleretur, quem dixit IESVS Matt. 20. *Tradetur autem gentibus.*

Secundo, homicida ab ipsis postulatur, quia dicitur Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 15. & Ioannis 18. *Pilatus dixit. Est autem consuetudo vobis, vt vnum vinctum dimittam vobis in pascha*, scilicet in memoriam vestræ liberationis, quando agnum paschalem comedentes de Ægypto exiuistis. Et dicit Matthæus. *Habebant tunc vnum vinctum, qui dicebatur Barrabas*, & secundum Marcum, *in seditione fecerat homicidium*,

dium, propterea meritò mori deberet, iudicio & iustitia condictante. *Congregatis ergo illis* vt dicit Matthæus: *dixit Pilatus, Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an IESVM, qui dicitur Christus?* Cogitabat enim, quod Barrabam peterent & necarent, quia pessimus erat. Interim iterum deliberabant, quem peterent, dicit Matthæus: *Sedente Pilato pro tribunali*, scilicet exspectando Iudæorum responsionem, quem inter duos eligere vellent, *misit ad eum vxor sua, dicens: Nihil tibi & iusto illi*, quasi diceret: Nullo modo condemnes eum, sed magis dimittas eum, quia iustus est. *Multa enim passa sum per visum hodie propter eum*. Quia fortè dormierat ad similitudinem pigrarum mulierum vsque in clarum diem. Hic dicit Glossa. Diabolus, qui captionem Christi procurauerat per Iudæos, per aliqua signa perpendit eum esse Christum; & *Primo*, ratione patientiæ. *Secundo*, ex scripturarum cognitione. *Tertio*, ex Patrum in lymbo exultatione. Timens ergo spoliari infernum per mortem suam, vxorem Pilati pigram, cuius preces efficaces credebat apud virum, conuenit, mouens eum terroribus ad liberandum Christum. Et sicut prius per mulierem deceperat genus humanum, ita voluit iam per ipsam redemptionem impedire.

Quare diabolus mortẽ Christi impedire voluerit.

Cumq; hæc agerentur, *principes sacerdotum*, vt dicit Matthæus, *& seniores persuaserunt*, scilicet malitiosè, *populo, vt peterent Barrabbam, IESVM vero perderent*. Ideo venientes ad Pilatum, qui sedens exspectauit responsionem, dixit eis: *Quem vultis de duobus vobis dimitti. Illi autem dixerunt Barrabbam*, scilicet, volumus dimitti, quasi dicerent: Da nobis pro IESV latronem, pro Saluatore interfectorem, pro auctore vitæ mortis actorem. Vnde Augustinus: O cæcitas Iudæorum, ô furia phreneticorũ, non dimittas nobis Christum, sed Barrabam. Quid aliud est dicere, nisi quod occidatur ille, qui suscitauit mortuos, & viuat Barrabas, vt iterum occidat viuos. Meritò ergo Iudæi patiuntur, quod filium diaboli elegerunt pro filio Dei mortem elegerunt, & vitam occiderunt, ideo salutem & vitam æternam perdiderunt. Cum igitur peterent Barrabam, dixit Pilatus. *Quid ergo faciam de IESV, qui dicitur Christus? At magis*, scilicet quam prius *clamabant* illi: *Crucifigatur*. O magna impietas, quod non solum occidere, sed & crucifigere quærunt, ne eius mors citius finiatur.

Iudæi filium diaboli pro filio Dei eligunt.

TERTIO, in hac hora Christus à militibus flagellatur. *Videns autem Pilatus*, secundum Matthæum, *quod nihil proficeret, dicit*, Lucæ 23. *Corripiam eum & dimittam.* Et sicut dicit Ioan. 19. *Apprehendit Pilatus IESVM, & flagellauit eum*, non per se, sed per seruos, & hos, vt dicit Glossa Iudæi pecunia corruperunt, vt eum nudum ligarent ad vnam columnam, siue statuam. Et hoc ideo factum, vt impleretur figura Iudith 6. Vbi Holophernes præcepit seruis suis, vt apprehenderent Achior. *Quem cum apprehendissent, ligauerunt eum ad arborem manibus & pedibus*. Holophernes interpretatur infirmitas discretionis, quæ scilicet fuit in Pilato, qui præcepit militibus suis, vt apprehenderent Achior, qui interpretatur fratris mei lumen, & significat Christum, quem apprehendentes ligauerunt non solum manibus, sed etiam pedibus. Et dicit Glossa quod hæc statua erat tam spissa, quod manibus & brachijs Christi cingi non posset; ipsi verò cum chordis brachia eius extenderunt. Quo facto, congregauit omnem cohortem, videlicet quingentos milites, vt quidam dicunt, qui ipsum sic ligatum & nudum, cum virgis nodatis iuncisque marinis inhumaniter verberauerunt, quod à planta pedis vsque ad verticem, non erat in eo sanitas. Quod figuratum fuit Iob 2. *vbi Sathan percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsq; ad verticẽ.*

III. Flagellatur Christus à militibus.

Achior figura Christi.

Ecce inaudita sæuitior.

Et tunc impleta est Scriptura. Isa. 53. *Verè languores pertulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum, quasi leprosum, percussum à Deo, & humiliatum.*

IV. Christus spinis coronatur.

QVARTO, in hac hora spinis coronatur. Ioan. 19. *Tunc milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput eius.* Et dicunt quidam, quòd cum magna pertica impresserunt capiti eius. Et istæ spinæ non fuerunt de spinis terræ huius, sed de iuncis marinis, qui habent aculeos acutissimos, ad instar colubri duros, & exterius porosi sunt, & habent naturaliter virtutem extrahendi humorem. Et ideo ista corona non solum caput eius perforauit, sed & sanguinem & humorem capitis totaliter extraxit. Ideo dicit B. Bern. O homo vide quo amore dilexit te Deus. Pro te ligatus est, vt te à vinculis peccatorum solueret. Pro te flagellatus est, vt te à flagellis iræ æternæ liberaret. Pro te coronatus est spinis, vt te coronaret in cœlis. Pro te vulneratus est, vt te sanaret. Pro te lacrymatus est, vt semper gauderes. Pro te mortuus est, vt te à morte suscitaret. Hæc Bernardus.

V. Induitur Christus veste purpurea

QVINTO, post flagella in veste purpurea vt rex; derisoriè adoratur. Dicitur enim Matth. 27. quod *chlamide coccinea*, id est tunica rubea *induerunt eum*, scilicet post flagellationem, & *plectentes coronam de spinis*, scilicet de iuncis marinis aculeatis, ad modum spirarum, *& imposuerunt super caput eius, & dederunt arundinem in dextra eius*, scilicet sceptri loco & locantes eum super folium, *& genu flectentes ante eum, illudebant ei dicentes: Aue rex Iudaeorum.* quasi dicerent Tu dixisti te esse regem Iudæorum modo coronatus & vestitus purpura, sceptro ornatus es, vt verè talem decet regem. Et Ioan. 19. dicitur; quod *dabant ei alapas.* Et secundum Matthæum & Marcum, *exspuentes in eum, & acceperunt arundinem*, scilicet de manu eius, *percutiebant*, scilicet cum ea *caput eius.* Et dicit Chrysostomus, quod milites hoc non solum fecerunt iussu Pilati præsidis, sed magis corrupti pecunia Iudæorum. Bernardus. O bone IESV quid fecisti, quod sic tractaris? quasi diceret, nihil. Sed ego sum causa tui doloris. Idem dicit, amor tuus, & iniquitas nostra, te fecit flagellari.

K Acta quarta hora diei.

I. Christus saturatur opprobrijs.

QVARTA hora diei hæc facta sunt. PRIMO, Christus saturatus opprobrijs demonstratur Iudæorum. Videns enim Pilatus quòd opprobrijs multis fuit punitus, introiuit prætorium, & manu eum suscipiens erexit, sed IESVS supra pedes stare vix potuit. Exiuit ergo Pilatus foris ad Iudæos, ducens secum IESVM, & dixit eis. Ioan. 19. *Ecce adduco eum foras.* Glossa sic malè tractatum, sic debilitatum, totum aculeis perfossum, qui stare vix potest, vt ipsi videtis, miseremini ipsius *& cognoscatis, quia nullam causam in eo inuenio. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum.* Et erat vestis purpurea mala & corrupta, qua rex olim vtebatur, qua induerunt eum pro derisu. Et hæc propter subtilitatem ipsius vulneribus eius adhęsit, & dorso lacerato. Et dixit Pilatus: *Ecce homo*, quasi diceret: O Iudæi, lapidibus duriores, videntes sic vulneratum, *Ecce homo*, quem regem dicitis Iudæorum, frater vester, & rex vester est, secundum Beatum Augustinum. Non clarus imperio, sed repletus opprobrio. Quem regem dicitis, vix homini est similis. *Ecce homo*, non irrationalis bestia, sed imago DEI, sicut & vos; ei compatiamini, quia caro vestra est. Si regi inuidetis, parcite ei, quæso, quia deiectum & despectum videtis. Ipse enim flagellatus, spinis coronatus, & alapis cœsus, ideo contenti in his eum amplius viuere permittatis. Et dicit Ioannes. *Cum vidissent eum Pontifices & ministri eorum, clamabant: Crucifige, crucifige eum.* Ecce quanta crudelitas in eis

eis fuit, quòd nullam pietatem & compassionem cum Christo habuerunt. Ideo dicit deuotus Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap 15. Qualiter, ô cruentæ bestiæ, leonibus ferociores, lupis rapacibus sæuiores, agnum illum mansuetissimum, speciosumque forma præ filijs hominum nobilem ac delicatum, pium & mansuetum, sic crudeliter torquere potuistis? O Deus meus, vtinam tunc fuisset famulus tuus præsens, dum hæc agebantur, vt pietas & compassio, quæ eis deficit, per me suppleta fuisset salua humani generis redemptione, ego animam meam pro vita tua exposuissem, vel cum dilecto pariter occubuissem, vel certè si hoc fuisset negatum, saltem præ dolore prostratus, pedem crucis in qua dilectus moriebatur, brachijs affectuosissimæ compassionis strinxissem. Hæc Amandus. Cum igitur clamarent, quod Christus crucifigeretur dixit illis Pilatus, Ioan. 19. *Accipite eum vos & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam.* quasi diceret; Ego nolo esse iniquus iudex propter vos, ego non crucifigam eum, quia non inuenio in eo causam crucifigendi. Tunc dixerunt Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum hanc debet mori, quia filium Dei se fecit.* Falsum enim dixerunt, quia non fecit se filium Dei, sed erat filius verus Dei, quasi dicerent; dicendo se filium Dei in hoc blasphemauit, & sic debet mori secundum legem. Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Domini, moriatur.*

SECVNDO, in hac hora Pilatus timore circumdatur. Quia *cum Pilatus* (vt dicit Ioannes) *audiuisset hunc sermonem magis timuit.* Glossa, non propter legem Iudæorũ. sed propter factum enorme, quod filium Dei sibi oblatum, flagellari fecisset, & spinis coronari. Et etiam timuit, ne apud Cæsarem accusaretur de crimine læsæ maiestatis. Ideo ingressus est prætorium, iterum cum IESV, scilicet, vt commodius posset eum interrogare. Et dixit ad IESVM: *Vnde es tu?* Per hoc, vt dicit Glossa, quæsiuit suam generationem, aut origenem, vtrum esset DEVS, vel vtrum tantum esset homo terrenus. *IESVS autem responsum non dedit.* Et hoc propter duas caussas. *Primò*, propter difficultatem quæstionis, cuius solutionem Pilatus non intellexisset. Quia dicitur Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit? Secundo*, vt dicit Augustinus, tacuit, vt ostenderet suam patientiam, quia *coram tondente tanquam ouis obmutescet.* Isaiæ 53.

II. Pilatus cur timore corripiatus.

Cur IESVS Pilato non responderit.

ET NOTA. Ter tacuit Christus. *Primo* coram Pontifice, & hoc contra contumelias, vt nos patientiam doceret. *Secundo* coram Herode, contra quæstiones curiosas, vt nos non vana doceret, sed vera inuestigare. *Tertio* coram Pilato. contra laudes. quia voluit gloriari de Deitate, vt nos veram laudem sequi doceret. Voluit etiam tacere, ne mortem suam impediret Iam enim nimis passus fuerat, quia totam noctem in passione expenderat, & partem diei, & iam non restabat nisi crux. Et dicit Chrysostomus: Gratis quærebat Pilatus, *Vnde es tu?* quod signis & veritate poterat prius audire, vnde esset. Cumque ita taceret commotus Pilatus ait. *Mihi non loqueris.* quasi diceret; Erras qui quæstionem tibi à me propositam soluere contemnis, cum potius meam captare deberes beneuolentiam, tanquam qui es in manibus meis. *Nescis, quod potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Hoc solo verbo vt dicit Chrysostomus: Pilatus condemnauit seipsum. Quia si totum in potestate sua positum erat, nullam causam excusationis in nouissimo die habebit, si innocentem non dimittebat. Sed ad hoc, quod Pilatus se de potestate iactabat, respondit IESVS. *Nullam potestatem haberes super me*, scilicet quantumcunque modicam, *nisi datum esset*

Christus cur tacuit.

tibi desuper, id est, à superioribus, scilicet à Deo permissiuè, aut à Romano principe commissiuè, quasi diceret: Ego sum DEVS, nisi permissiuè tibi dedissem, eam non haberes. *propterea, qui tradidit me tibi*, scilicet Iudas & Iudæi, *maius peccatum habent*, quàm tu habes. Quia secundum Augustinum de peccato originali: Qui ex auaritia seu ex inuidia delinquit, peccat magis, quàm qui ex timore. Modo Iudas ex cupiditate, Iudæi verò ex inuidia, Pilatus ex humano timore, Christum occiderunt.

Grauius peccatur ex inuidia quam ex timore.

Et exinde quærebat Pilatus dimittere IESVM, scilicet, ne Pilatus hoc peccatum faceret, occidendo innocentem. *Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* quasi dicerent; scribemus contra te Cæsari, & sic perdes amicitiam suam, quia nos dimittis sine iure, & publicum aduersarium foues. *Quia omnis, qui se regem facit*, scilicet propria auctoritate, iste *contradicit Cæsari*, & potestatem eius vilipendit. Ista commutatio traxit eum à bono proposito, quo eum intendebat liberare. Quia Pilatus cum audisset hos sermones, plus timuit, secundum Chrysostomum regem Romanorum, quàm cœlorum, propter quem timorem à liberatione CHRISTI cecidit. Iuxta illud Prouerb. 29. *Qui timet hominem, citò corruit à iustitia.* Et Chrysostomus. Facilè deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed hominem timet.

III. Christus ad mortem crucis adiudicatur.

TERTIO. In hac hora Christus ad mortem crucis iudicatur. *Pilatus* enim, vt dicit Ioannes, *adduxit IESVM foras*, scilicet ad Iudæos, qui foris exspectabant, *& sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos*, scilicet Græcè à λίθος, quod est lapis, & στρωτὸν, id est, stratum quasi lapideum stratum. Sed Hebraicè Golgatha, scilicet idem locus dicebatur. Erat autem, dum scilicet hæc fierent, parasceue, id est, præparatio Sabbati, hora quasi sexta. Quia Iudæi Sabbato non præparabant cibos, nec colligebant die Sabbati manna; Sed per duos dies colligebant in parasceue, scilicet feria sexta.

Pilatus autem sedens pro tribunali: dixit Iudæis: *Ecce rex vester*, quasi diceret; Videte qualiter est tractatus. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Regem vestrum crucifigam.* quasi diceret; De hoc erit vobis magna verecundia & dedecus, si sic moriatur rex vester morte abiecta. *Responderunt Pontifices. Regem non habemus, nisi Cæsarem.* quasi dicerent; Non est iste rex noster, ideo non est nobis ignominia si crucifigatur. Sed Cæsar Tyberius est noster rex. Per hoc, vt dicit Glossa, perpetuæ subiectioni & seruituti se subdiderunt. Et sic secundum Chrysostomum: quia voluntariè negauerunt regem CHRISTVM cœlestem, iusto DEI iudicio facti sunt serui potestatis terrenæ. *Tunc* dicit Glossa, *Pilatus* videns, quod sic se subijcebant Romanorum potestati, cui aliquando contradicebant, & specialiter in soluendo tributo, *accepta aqua lauit manus*, scilicet exterius; quia intus à culpa non erat lotus. Lauit inquam se coram populo, vt coram ipsis innocens appareret, qui tamen coram Deo reus fuit & laudans se dixit: *Innocens ego sum*, id esse volo, *a sanguine*, id est, sanguinis effusione *iusti huius. vos videritis*, scilicet, quid continget vobis, quantum ad supplicium, pro culpa quam committitis in hoc homine iusto: ego sum minister legis. Attendite qualem mihi traditis ad occidendum, quia ex allegatis, non ex conscientia, oportet me proferre sententiam.

Sed

Sed ipse Pilatus mentiebatur. *Primo*, quia ipse sciebat, quod per inuidiam tradidissent eum. Matthæi 27. *Secundo*, quia dixit: *non inuenio in eo causam mortis*. *Tertio*, quia habebat potestatem dimittendi eum, ideo dimittere tenebatur. Ideò illa lotio, etiam omnium aquarum super eum effusio, non profuisset sibi. *Et respondens omnis populus, dixit. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Super quo dicit Hieronymus: Optimam hæreditatem dimiserunt filijs suis. Verbum optimum & salutiferum responderunt Iudæi, scilicet voluntate pessima, ac intentione peruersa denotabant, quasi dicerent, peccata & pœna effusionis sanguinis eius sit super nos. Hinc dicit beatus Augustinus, in sermone quodam, qui sic incipit: In cruce, innui videtur, quod ex maledictione parentum currat adhuc in filios vena facinoris, per maculam sanguinis; vt per hanc importunè fluidam proles impia inexpiabiliter crucietur, quousque se ream sanguinis recognoscat penitus, & sanetur. Præterea. Audiui quendam litteratissimum Iudæorum nostris temporibus ad fidem conuersum, dixisse: quendam quasi prophetam eorum in extremo vitæ prophetasse Iudæis. Certifico vos, inquit, nullo modo vos sanari posse, ab illo quo punimini verecundissimo cruciatu, nisi solo sanguine Christiano. Quod verbum cœci semper Iudæi & impij rapientes induxerunt omni anno, in omni prouincia fundendum sanguinem Christianum, vt tali sanguine conualescant. *Et addidit*. Malè intellexerunt verbum, sanguinem intelligentes cuiuslibet hominis Christiani; sed prorsus illum sanguinem, qui in salutem peccaminum quotidiè funditur in altari; quem, quicunque nostrum conuersus ad fidem Christi, sumserit vt decuit, mox sanatur ab illa maledictione paterna. Hæc in Thoma Cantipratensi li. 2. Apum. c. 29. part. 17. Cumque sic clamarent sanguis eius super nos &c.

Pilati mendacium.

Nullus extat in operibus Augustini Sermo hoc initio.

Tunc, vt dicitur Matth. 27. & Ioan. 19. Pilatus *dimisit eis Barabbam, & Iesum tradit, vt crucifigeretur. Et hoc* secundum Lucam 23. *fecit ad petitionem eorum*, ne scilicet apud Cæsarem accusaretur: *& milites* Pilati *exuerunt eum*, scilicet cum impetu, *purpura, & induerunt eum vestimentis suis*. Marci 15. & hoc Iudæi procurauerunt, vt à populo magis cognosci deberet, & sic traditus est eorum voluntati.

QVINTA hora hæc gesta sunt. PRIMO quidem CHRISTVS ducitur cruci adiudicatus. Et hoc dicit Matthæus & Marcus, *& educunt eum, vt crucifigerent eum*. Et dicitur Ioan. 19. *Et baiulans sibi crucem exijt in eum locum, qui dicitur Caluariæ locus. Hebraicè autem Golgotha*, Quia, secundum Glossam, imposuerunt in humeris suis trabem sanctæ crucis, quindecim pedum in longitudine, excepto ligno transuersali, vt portaret ad locum passionis. Tunc verificatur illud Isa. 9. *Factus est principatus eius super humerum eius*. Et similiter illa Scriptura Psal. 68. *Factus sum illis in parabolam, aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* Quia ad literam, cùm CHRISTVS exeundo baiularet crucem, hi qui in tabernis manebant, & bibentes in hospitijs, deridebant eum. Et qui sedebant in porta Hierusalem, cum esset dies festiuus, contra ipsum per portam extra ciuitatem euntem ad supplicium, similiter derisoriè loquebantur.

Acta hora quinta diei I. Christus educitur.

Hic etiam implentur hæ figuræ. Nam hic verus Isaac Christus, in humeris suis ad montem Caluariæ, *ligna holocausti portauit*. Genes. 22. & Ezech. 9. *Vir quidam vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius, & vocauit eum* Dominus, dicens:

dicens: *Transi per mediam ciuitatem* Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium. Quid per vestes lineas albas, nisi puritas & innocentia CHRISTI intelligitur, qui habuit atramentarium scriptoris. quia nomina sanctorum suorum & electorum scripsit iam in libro vitæ æternæ, & hunc vocauit hodie Deus Pater, vt transiret per mediam ciuitatem Ierusalem, & signaret cum Tau sanctæ crucis gementes de morte sua, dolentes de sua sanctissima passione.

II. Simon Cirenensis angariatur.

SECVNDO, in hac hora est Simon Cirenensis, pater Alexandri & Ruffi, ad portandum crucem Christi angariatus. Quia, vt dicunt quidam: Cum Dominus crucem suam in dorso suo, vsque ad portam ciuitatis baiulasset, vltra propter pœnas, & labores quos sustinuit, non potuit baiulare: quia maior virtus corporalis exhausta fuit, & sic CHRISTVS in terram declinauit. Ideo dicit Matthæus & Marcus. *Exeuntes inuenerunt hominem Cirenensem.* scilicet Dei ordinatione, *de villa, nomine Simonem, hunc angariauerunt, vt tolleret.* id est portaret *crucem Domini IESV.* Et hoc non fecerunt ob reuerentiam CHRISTI, sed vt citius venirent ad locum crucifixionis.

Alia item causa fuit; quia tanti opprobrij pro tunc erat crux, quòd nullus Iudæorum eam contingere voluit, sed gentilis angariatus est, per Iudæorum coactionem. Tunc verificatum est dictum Psalm. 17. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi.* Et tunc impleta est etiam figura illa Num. 13. Vbi legitur, quod duo viri *portabant vectē de terra promissionis*, quæ ad literam fuit Ierusalem, de qua duo viri, scilicet CHRISTVS, & Simon Cirenensis portabant vectem sanctæ Crucis. In vecte pendebat palmes diuinitatis, vna cum palmite humanitatis, quæ in torculari sanctæ Crucis vndique fuit circumpressa, & vinum nostræ redemtionis expressum.

III. Mulieres lamentantur. Figura 1.

TERTIO, in hac hora Christus est à mulieribus lamentatus & lacrymatus. Et hoc factum est, vt implerentur figuræ infrà. 2. Reg. 1. Vbi filiæ Sion plangebant Saulem. Nam cum Saul & Ionathas in montibus Gelboe mortui essent, plangebant eum Dauid, & viri eius vsque ad vesperam, & similiter mulieres.

2. *Secunda* figura ponitur 4. Reg. 23. & expressius in scholast. historia vbi legitur: Cum rex Ægypti Pharao Nechao procederet ad bellum contra regem Assyriorum, nomine Andremon, transibat ad portam regni Iudæ, Iosias nolens hoc sustinere, timens ne ingressus terram caperet, vel saltem spoliaret. & dum pugnaret contra eum, occisus est in Mageddo à sagittarijs, dum transiret de curru in currum, qui sequebatur eum more regio. Et traditur, quod iuxta fontem & arborem occisus est, quæ statim aruerunt; & planxit eum vniuersus populus Iudæ & Israël. & maximè Ieremias, qui super eius exsequias scripsit Threnos lamentabiles, vt dicit Vincent. in speculo histor. lib. 3. cap. 8. Et hos Threnos cantatrices per longum tempus decantabant, & replicabant, vt dicit Magister in scholast. histor. Quis per Andremon, qui transiuit per portas Iudæ, intelligitur, nisi dæmon, qui ante passionem transibat per terras hominum confitentium Deum, & hos cœpit, & deuastauit. Sed Iosias, qui interpretabatur salus Domini, & significat Christum, nolens hoc sustinere, assumendo humanitatem. venit sibi obuiam pugnando contra diabolum à ministris suis iniquis Iudæis; occisus est. Ideo filiæ Ierusalem replicabant lamentationes super eum, de quibus dicitur Lucæ 23. *Sequebatur eum multitudo populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum:* & hæ fuerunt, quæ eum viuum dilexerunt, & colebant. Quia secundum Glossam tristabantur de corporali vita, quæ morte finienda erat, ideo

Threni à Ieremia in morte Iosiæ scripti.

ideo corripuit eas. Nam conuersus ad eas dixit: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros*, quæ cum alijs hominibus estis causæ meæ mortis seu passionis, & super filios vestros, qui me ex odio & malitia cordis eorum, adduci ad mortem, & occidi procurauerunt. *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicetis. Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Quod tempore Titi & Vespasiani impletum est, quando miserabiles dies venerunt super eos. Nam triginta vno nummo vendebantur, vt dicit Iosephus de Iudaico bello. *Tunc*, scilicet in illis diebus, *incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, cooperite nos. Quia si in viridi*, id est, in me, qui totus sum viridis sine peccato, *hoc faciunt, in arido quid fiet?* id est, quanta mala facient? Titus & Vespasianus in ipsis Iudæis, qui sunt arida ligna sine humore gratiæ. Vel, *in arido quid fiet*, id est, in Apostolis meis, qui aridi fuerunt respectiuè & comparatiuè ad Christum. — Triginta Iudæi vno nũmo venditi.

QVARTO, in hac hora Christus fuit iniquis sociatus. quia Lucæ 23. *Ducebantur cum eo alij duo nequam, vt interficerentur.* Quia principes sacerdotum procurauerunt hoc, vt eorum societate diffamaretur. Sed hoc fieri voluit, vt ostenderet, quod pro peccatoribus moreretur. — IV. Christus cũ iniquis deputatur.

Et dicitur NOTANTER: *ducebantur cum eo.* Hæc eductio Christi figurata est. PRIMO, Gen. 4. Vbi Cain seduxit Abel dicens: *Veni, egrediamur in agrum, & occidit eum.* — L

SECVNDO, figurata est Num. 19. Per vaccam rubeam quæ immolabatur. Hæc quidem debebat esse sine macula & rufa, per quod significatur Christi caro, & passio sanctissima, quæ fuit à sanguine suo rubricata; & debebat esse integræ ætatis, quia anno ætatis suæ XXXIII. pro nobis fuit immolatus. Debebat insuper extra castra immolari, quia Christus fuit extra Hierusalem passus, comburebantque eam ad designandum, quod Christus ex magno feruore caritatis fuit passus. Per hoc autem quod cineres vaccæ, aquis viuis commixtæ, purgabant immunditias, significabatur, quod virtus passionis Christi in aquis baptismi purgaret immunditias mentis, & in aquis pœnitentiæ immunditias peccatorum post baptismum perpetratorum. — Explicatio figuræ Nu. 19. de vacca rufa.

Per hoc autem, quod in combustione vaccæ ponebantur ligna cedrina, hyssopus, & coccus significabatur, quod tres personæ cum Christo passæ sunt per compassionem. *Prima* persona fuit Beata Virgo MARIA, quæ per hyssopum, quæ est humilis herba, significatur Lucæ 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. *Secunda*, fuit sanctus Ioannes: designans Cedrum, quæ est arbor alta, quia ipse eleuatus fuit ad videndum secreta cœlestia. *Tertia*, fuit latro Christum confitens, significatus per coccum bis tinctum quia compatiebatur Christo corpore & mente. Lucæ 22. *Hic nihil mali fecit.* Hæc Lyra in Glossa morali. — Cum Christo, quæ personæ passæ per compassionem.

TERTIO, fuit figurata Genes. 22. Vbi Abraham nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens filium suum in montem, vt eum immolaret, & sumpsit secum duos iuuenes, quibus dixit: *Exspectate hic cum asino, cum adorauerimus reuertemur ad vos. Tulitq; ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: Ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* Quam figuram exponit Nicolaus de Lyra, quod per Abraham intelligitur Deus Pater, qui de nocte surrexit, quando vetus Testamentum quoad legalia reliquit. Et strauit asinum, id est, Iudaicum populum parauit, scilicet permittendo eos occidere, ducens filium suum super montem Caluariæ, & sumpsit secum duos iuuenes, scilicet Petrum & Ioannem, qui in passione secuti sunt Christũ. Et dicuntur — Figura de Abraham & Isaac. Pulchra explicatio figuræ Abrahæ.

mi immolãtis filium suum.

tur iuuenes, eò quòd de nouo renati sunt per baptismum. Sed quia nondum erant perfecti cum Christo pati. Ideo subditur: *Expectate hic cum asino*, id est, manete interim cum Iudaico populo, *& cum adorauerimus, reuertemur ad vos*, scilicet in resurrectione, quando Christus reuersus est ad eos, eis apparendo. Et iungitur hic Pater cum Filio, quia sunt inseparabiles. Ioan. 14. dixit IESVS: *Qui videt me, videt & Patrem meum. Tulitq́; ligna*, &c. quia ex dispositione Patris Christus exeundo portauit crucem suam, ipse verò portauit ignem & gladium. Per ignem verò intelligitur ardor Iudæorum ad occidendum Christum, per gladium verò lancea militis, qua perforatum fuit latus eius, scilicet Christi. Hæc Deus Pater portauit in quantum ea fieri permisit. Et cum venisset ad locum immolationis, Isaac non fuit immolatus, sed aries. Quia diuinitas non fuit passa, sed solùm humanitas.

Hora sexta diei gesta.

I. Christus nudatur & crucifigitur.

SEXTA hora diei hæc facta sunt. PRIMO, Christus nudus cruci affigitur, Lucæ 23. *Postquam venerunt ad locum, qui dicitur Caluaria, ibi crucifixerunt eum*. Et dicit Glossa, quod nudauerunt eum ad pudoris spectaculum, vt ventis & frigori nudus exponeretur, & *exuentes eum vestibus suis*, cum tali impetu, vt cum vehementia exuitionis vulnus vulneri ingeretur, & verificaretur illud Isaiæ 1. *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Vbi dicit Bernardus: Volue & reuolue, huc & illuc, Dominicum corpus, vbique inuenies dolorem, vbique cruorem. *Et addit*, quod Christus pro nobis pertulit in toto corpore, quinque millia, ducenta, & quadraginta vulnera. Vnde versus.

Quot vulnera Christus in corpore suo pertulerit.

L. X. & duo CC. superaddito millia quinque.
Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.

Redde ô homo vulneribus gratias, quotidie cum deuotione quindecim paternoster dicendo, per integrum annum: tunc cuilibet vulneri Christi, vnum tantum dixisti Pater noster.

Quomodo Christus crucifixus.

Quomodo autem crucifixus est Christus, dicunt aliqui, quod crucem in ciuitate parauerunt, in monte eum super terram posuerunt, & Christum super eam cum violentia proiecerunt; & percusserunt vnum clauum per vnam manum, adeo spissum, quod sanguis emanare cœpit, sed non potuit, quia vulnus clauo implebatur. Sternentes autem aliud brachium, vsque ad foramen factum extendere non poterant. Tunc ministri Pilati funes ad brachia ponentes, ipsum ad foramen factum vi traxerunt, & vi grandem clauum incusserunt. Tandem quia foramen pedum longius erat, quàm Christi magnitudo & longitudo, similiter pedes fune traxerunt, ita, quod omnia ossa possent numerari, vt impleretur illud Psalm. 21. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Tunc crucem cum Christo impetuosè sustulerunt, propter corporis ponderositatem, omnia sunt vulnera eius lacerata: & hoc factum fuit, vt dicitur Ioan. 19. hora sexta, & Matth. dicit, quod fuit hora tertia. Vbi dicit Augustinus in origi, quod crucifixus est hora tertia linguis Iudæorum, hora sexta manibus paganorum.

Alius crucifixionis modus, ex reuelatione S. Brigitæ.

Sed sancta Brigita libro 7. reuelationum cap. 15. ponit alium modum crucifixionis dicens. Ad montem Caluariæ dum essem mœstissima plorans, vidi Dominum nudum & flagellatum ductum per Iudæos ad crucifigendum, qui diligenter ab eis custodiebatur. Vidi quoque tunc foramen quoddam excisum in monte; & crucifixores in circuitu paratos, ad operandum crudelitatem. Dominus autem conuersus ad me dixit: Attende tu, quia in isto foramine petræ infixus fuit pes crucis meæ, tempore

porę passionis, & statim vidi qualiter ibi crux eius à Iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis, cum lignis confixis, cum malleo, validissimè circumquaque, vt crux solidius staret, ne caderet. Cum igitur crux ita solidè firmata esset ibidem; statim adaptantur tabulæ ligneæ in circuitu stipitis crucis, per modum graduum, vsque ad locum vbi pedes eius crucifigi debebant, vt possent per illos tabularum gradus, tàm ipse, quàm crucifixores, & super tabulas illas aptiori modo stare, ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi per illos gradus, ducentes eum cum irrisione & vituperio maximo; qui gratanter ascendens, velut agnus mansuetus ductus ad immolandum. Cum esset iam super tabulas illas, non coactus, sed statim voluntariè extendit brachium suum, & aperta manu dextra deposuit eam in cruce, quam illi sæui tortores inhumaniter crucifixerunt, id est, perforabant eam clauo per illam partem, qua os solidius erat. Tunc etiam trahentes fune vehementer manum eius sinistram, crucifixerunt eum simili modo. Deinde extenso corpore vltra modum in cruce; posita fuit vna tibia eius super aliam, & sic iunctos pedes super affixerunt in cruce duobus clauis, & in tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce vehementer, quòd quasi omnes venæ & nerui eius rumpebantur. Quo facto, coronam de spinis, quam deposuerant de capite eius cum crucifigeretur, iterum imposuerunt & aptauerunt capiti suo sanctissimo, quæ tam fortiter pupugit reuerendum caput eius, quod oculi sui repleti fuerunt illico fluente sanguine, aures quoque obstruebantur, & facies ac barba quasi tegebantur, & intincta erant illo roseo sanguine. Et statim illi crucifixores & milites amouerunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant cruci, & remansit crux sola & alta, & Dominus meus crucifixus in illa. Hæc Brigita. Tunc impleta est Scriptura: Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et similiter figura Numeri 21. vbi legitur, quod Moyses suspendit serpentem æneum in ligno, vt sanarentur filij Israël aspectu illius à morsibus serpentum in deserto. Per hunc serpentem figurabatur Christus multipliciter, vt dicit Holkot lectione 178. Figuræ serpentis ænei explicatio.

M

PRIMO, enim quantum ad morum innocentiam: quia sicut illa figura serpentis venenosa apparuit, & tamen nullum venenum habuit, ita Christus in carne peccati apparuit, & tamen nullum peccatum habuit, nec inuentus est dolus in ore eius. I.

SECVNDO, quantum ad vitæ carentiam. Sicut enim serpens ille vitam non habuit, & tamen de materia maximè duratiua fuit: quia est inter omnia metalla, durabilius est: Ita Christus verè mortuus est secundum humanitatem, & verus, & æternus, & immortalis, secundum diuinitatem & Deitatem. II.

TERTIO, quantum ad situs eminentiam: quia sicut serpens ille positus erat super perticam longam, in qua à toto populo conspici potuit: Ita etiam Christus in cruce exaltatus in monte Caluariæ, à Iudæis & gentibus videbatur, vbi etiam à deuotis mentibus per fidem & amorem conspicitur. III.

QVARTO, quantum ad salutis efficaciam. quia sicut omnis à vero serpente percussus, si in serpentem æneum aspiceret, sanabatur: Ita quilibet à diabolo vulneratus, si Christum in cruce consideret per fidem, & compatientiam sanatur. Ideo Augustinus, super Ioannem homilia 12. dicit. Mordebantur homines, & sanabantur. Quid autem sunt serpentes mordentes, nisi peccata carnis. Quid est serpens exaltatus? mors Christi in cruce. *Et subdit*. Igitur fratres, vt à peccatis sanemur, IV. Serpēs mordens est peccatū carnis.

 Chri-

Christum crucifixum intueamur, quia qui intuebantur illum serpentem æneum, morsibus non peribant serpentum. Sic, qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à morte ad vitam temporalem. Illi autem, vt habeant vitam æternam.

II. Latrones cũ Christo suspenduntur.

SECVNDO, in hac hora sexta ad quodlibet latus latro suspenditur. Ideo dicitur Marc. 15. *Cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & vnum à sinistris eius.* Et volunt quidam, quod primò crucifixerunt illos duos latrones, scilicet Disman & Gesman, vt ipse Dominus videns eorum pœnam & audiens, gemitu in corde sibi imminente passione cruciaretur. In medio autem crucifixerunt Dominum, vt omnium peior videretur. Tunc verificata est Scriptura, Isa. 53. *Cum iniquis reputatus est.* Et impleta est figura Genes. 40. Vbi legitur, quod Ioseph fuit in carcere cum duobus ministris, quia peccauerunt. Vnus fuit pincerna, alter pistor Pharaonis. Pincerna saluabatur, pistor suspendio condemnabatur. Sic verus Ioseph Christus, fuit in carcere crucis cum duobus latronibus, quorum, scilicet vnus à dextris saluatus est, & alter à sinistris condemnatus.

III. Titulus triumphalis in cruce ponitur.

TERTIO, in hac hora titulus triumphalis in cruce ponitur, Ioan. 19. *Scripsit autem, & titulum Pilatus, & posuit super crucem:* quia mos erat Romanorum causam mortis scribere super caput interfectorum. Hoc autem fecit Pilatus ad erubescentiam Iudæorum, qui tantam exercuerunt crudelitatem in regem ipsorum. *Erat enim scriptum* (vt dicit Ioannes) *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* IESVS sicut proprium nomen, Nazarenus sicut cognomen, quia in Nazareth conceptus & nutritus, Rex Iudæorum, quasi causa mortis. *Hunc titulum multi legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus erat IESVS; & erat scriptus Hebraicè, Græcè & Latinè*, vt scilicet à diuersis posset legi. Credibile enim est, vt ait Chrysostomus, multos & Gentiles simul cum Iudæis conuenisse. Ideo, vt nullus ignoraret diuersis linguis conscriptus erat.

Hunc ergo titulum cum legissent principes Iudæorum, Pilato dixerunt: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. In hoc enim dicto nitebantur Christo mortuo auferre famam, cui abstulerant vitam. Vel ideo hoc dixerunt, quia videbant, quod talis modus Scripturæ in eorum confusionem redundabat, propter gentiles, qui hoc verbum per vniuersi mundi partes erant portaturi, quòd videlicet Hierusalem Iudæi regem suum sine omni causa interfecissent, quod scripturæ interpretatio ostendebat. Nam IESVS, Saluator, Nazarenus, floridus interpretatur. quasi diceret Scriptura; Iudæi regem suum & saluatorem suum floridum; innocentem, sine omni causa interfecerunt. Ideo voluerunt, vt Pilatus titulum corrigeret. Sed ille constanter respondit: *Quod scripsi, scripsi.* quasi diceret; non delebo propter vos, quòd scripsi, sed hæc scriptura æternaliter manere debet, in vestram ignominiam & confusionem, secundum illud, Eccli. 29. *Non recedet memoria eius.* In hoc, quod Pilatus noluit mutare Scripturam suam, præualet alijs Dominus terræ, qui aliquando aliquid dicunt, & suis literis confirmant, & sigillis roborant, & mox Scripturam rumpunt & infringunt.

IV. Vestimenta Christi diuiduntur.

QVARTO, in hac hora vestis Christi diuiditur, Ioan. 19. *Milites cum crucifixissent eum, fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem*, scilicet tunicæ. Nam secundum Augustinũ, quatuor fuerunt milites, qui in Christi crucifixione pręsidi paruerũt. Qui

Qui cum fecissent quatuor partes de vestimentis Christi, vnicuique militi dederunt partem. Ad cuius euidentiam NOTA. Christus per se habuit duas tunicas. Vnam videlicet cum tunica inconsutili, & tertiam tunicam rubeam in flagellatione, & pallium croceum, id est glaucum, in coronatione, & albam vestem Herodis: & sic ex quatuor vestibus, pars militibus cessit. Sed quia tunica inconsutilis superstes fuerat, quæ scindi non potuit, & diuidi commodè; quia vt dicit Chrysostomus; Facta fuit opere reticulato, sicut vestimenta Palestinorum, Quam, vt dicit Anselmus, mater MARIA IESV puero in iuuentute fecerat, quæ secum crescebat. Ideò dixerunt ad inuicem. *Non scindamus eam, sed sortiamur pro ea cuius sit: vt impleretur Scriptura: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Psal. 21. Tunica Christi inconsutilis.

SEPTIMA hora hæc facta sunt. Quæ hora Septima diei gesta.

PRIMO, Christus à prætereuntibus blasphemabatur. Matth. 27. & Marci 15. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.* vt impleretur illud Ps. 21. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et iterum Ps. 108. *Factus est opprobrium illis. Viderunt*, inquam, *me, & mouerunt capita sua, dicentes: Vah, qui destruis templum DEI, & in tribus diebus reædificas illud.* Et *Vah*, secundum Isidorum & Britonem, est interiectio insultantis, vel deridentis, ideo ironicè, & derisoriè dixerunt; *Vah qui destruis templum Dei &c.* N I. Prætereuntes Christū blasphemāt

SECVNDO, à principibus sacerdotum, Scribis & senioribus deridetur, Matth. 27. Marci 15. & Lucæ 23. *Alios*, inquiunt, *saluos fecit, & seipsum non potest saluum facere.* quasi dicerent; Non est verum quod alios saluos fecit, quia si talia posset facere, vtique saluaret seipsum in tam sæuissima tribulatione. Et iterum. *Si rex Israël est*, Glossa, Non quicunque, sed Messias in lege promissus, *descendat nunc de cruce, & credimus ei &c.* Falsè dicunt, *descendat nunc de cruce &c.* quia maiora fecit quando Lazarum de monumento suscitauit: quare fraudulenta erat eorum promissio. Magis enim fecit surgens post mortem, quàm si viuus descendisset de cruce. Propter quod B. Ambrosius: O stulte, inquit, & cæce grex sacerdotum; nunquid tua vincula possunt tenere, quem cælum & terra non potest capere? Non impossibile est de paruo stipite descendere, qui descendit de cæli altitudine. Ideo maledixerunt: *Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult: Dixit enim; quia filius Dei sum.* Matth. 27. Nam eum liberare potuisset, & Christus seipsum, si voluisset. II. A Scribis & senioribus deridetur.

TERTIO. in hac hora à latronibus vituperatur. quia Matth. 27. *Idipsum autem, & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, vt impleretur illud* Ierem. 20. *Omnes maledicunt mihi.* Sed istæ maledictiones & blasphemationes fiebant instinctu diaboli, qui tunc super brachium crucis existens, considerabat si in Christo aliquid suum inueniret. De quo Augustinus. Diabolus vires suas confractas sentiens, suscitauit Iudæos ad istam blasphemiam. III. A latronibus vituperatur.

QVARTO, à Christo Pater exoratur Luc. 23. *Pater*, inquit, *ignosce illis*, scilicet simplicibus, *non enim sciunt, quid faciunt*, sed bonum mihi, malum sibi. Et dicit Nicolaus de Lyra, quod solum pro simplicibus exorauit, & non pro literatis: quia tales ex inuidia & malitia eum occidere procurauerunt, & simplices persuasionibus & minis, vt Christum ad mortem coram iudice peterent induxerunt. Et beatus Bernardus super hoc verbo, *Pater ignosce*, in sermone Parasceues. Respice, inquit, Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso habitaculo intuere hanc sacram- IV. Christus Patrem exorat.

hostiam, quam offert tibi summus pontifex noster sanctus puer tuus, Dominus noster IESVS Christus pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super malitiæ nostræ multitudine. Ecce quia sanguis viri Abel clamat pro nobis de terra, dicens: *Pater ignosce illis.*

V. Latro Deum pro regno exorat.

QVINTO in hac hora latro à dextris pro regno deprecatur. Nam vt dicitur Lucæ 23. Cum vnus qui pendebat cum Christo, blasphemaret dicens: *Si tu es Christus, saluum te fac ipsum & nos. Respondens secundus, increpauit eum, dicens. Neque tu times Deum,* scilicet adhuc? quasi diceret: licet non timueris in latrocinio, tamen modo Deum deberes timere, maximè in articulo mortis, quia *in eadem damnatione es. Nos quidem iustè,* scilicet hoc patimur, quod crucifixi sumus. *Nam digna* scilicet stipendia *recipimus pro peccatis nostris, hic nihil mali fecit* quasi diceret; Iste mortuus suscitauit, nos verò viuos occidimus. Et dicebat ad IESVM; *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Hic dicit Gregorius 18 moral. Nihil in latrone liberum nisi cor & lingua remanserat, & ipse Domino inspirante, totum Deo obtulit, quod liberum habuit, vel inuenit. Et ergo data fuit ei culpæ remissio & pœnæ, quod patet ex verbo Christi. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* scilicet in fruitione Deitatis æternæ, & beatæ visionis. Quia immediatè mortuo Christo, anima eius cum Deitate descendit ad Patres in limbum, quantum ad locum tantum, non quo ad pœnam; & tunc ibi existentes habuerunt beatitudinis suæ præmium, sed non locum. Et quia anima latronis eo die descendit illuc, ideo particeps beatæ visionis & diuinæ fruitionis fuit.

Quænam hora Octaua acta.

OCTAVA hora acta sunt hæc. PRIMO mater mœstissima cum cæteris mulieribus cruci appropinquauit, quia propter terribilem conflictum Iudæorum ante appropinquare ausa non fuit. Ideo dicit Ioannes 19. *Stabant autem ante crucem mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe,* scilicet filia Cleophe, quæ fuit vxor Alphei, *& mater Iacobi;* scilicet minoris, *& Maria Magdalena.*

I. Mater appropinquat Cruci.

Hic dicit Brigita in suis relationibus libr. 7. cap. vbi suprà. Cum ego repleta doloribus, respicerem crudelitatem Iudæorum. Vidi tunc eius matrem mœstissimam in terra iacentem, & quasi trementem & semimortuam, quam consolabantur Ioannes, & aliæ sorores eius, quæ tunc stabant non longe à Cruce ad eius partem dextram. Dolor igitur nouus compassionis illius sanctissimæ matris, in tantum transfixit me, vt sentire viderer, quod cor meum transiret quidam gladius acutus importabilis amaritudinibus. Surgens tandem tunc illa mater eius dolorosa quasi exinanita corpore, respexit ad filium suum, & sic stabat sustentata à sororibus tota stupore suspensa, & velut mortua viuens, doloris gladio transfixa. Quam cum filius respexisset, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Ioanni, qui turbatissimus fuit; & benè cernebatur in gestu eius & voce, quod cor eius ex compassione matris penetrabatur acutissimè sagitta doloris immensi. Hæc Brigita.

Et de hac cõmendatione dicit Euangelista Ioannes. *Cum vidisset ergo IESVS matrẽ,* scilicet, secundum humanitatem. Et secundum Bernard. Meritò videbat, quia quod pati poterat, de ipsa accepit, & eam sicut matrem fidelissimam dilexit, *Et discipulum stantem quem diligebat* scilicet Ioan. *Et dicit matri suæ. Mulier ecce filius tuus*, scilicet, pro humana salute pendit in cruce. Ergo deinceps Ioañes tuus filius sit, quasi diceret: O ma-

O mater, vſque modo tui curam habui, Sed me mortuo iſtum loco mei relinquo. Et nominauit eam mulierem propter aduenas Iudæos. qui ita malitioſi fuerunt, ſi eam Chriſtus matrem cognominaſſet, eam maledixiſſent. Ideo dixit *mulier*, quod non ſonat in virginitatis corruptionem, ſed ſolum ſexus diſcretionem. Etiam, vt dicit Anſelmus, ſi eam matrem nominaſſet, cor ipſius virginis præ dolore & triſtitia medium crepuiſſet. Et beatus Bernardus dicit: O bone IESV, tuam dulciſſimam matrem; quæ ita dulciter te lactauit, diligenter nutriuit, ita durè alloqueris? *Et ſubdit.* Non erat hic tempus dulciter loquendi, nec matris nomen exprimendi. Credo ſi dulcius locutus fuiſſet, cor virginis crepuiſſet. Mulier, inquit, quaſi diceret Chriſtus; Dixiſti aliquando. *Vinum non habent.* Et ego reſpondi. *Quid mihi & tibi mulier.* Mulier quidem ſexu ſcilicet, virgo in ſtatu. *non dum venit hora mea.* Ecce nunc venit hora. Ecce hoc habeo à te, quod nunc patior. *Ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.* Hic dicit Gloſſa. Ita eam diligas & cuſtodias, & eius curam habeas, vt matrem, & ipſa te vt filium diligat. Super quo dicit Bernardus. O qualis commutatio! Ioannes ei traditur pro IESV, diſcipulus pro Magiſtro, ſeruus pro Domino, Filius Zebedæi pro filio Dei. Attamen hęc commendatio prouocat nos ad honorem parentum. Ideo dicit Auguſtinus in originali. Lignum crucis, ſignat cathedram Chriſti docentis. Exemplo enim ſuo omnes inſtruit, vt filijs pijs datur ipſa cura de parentibus. *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, ſcilicet habitacula, vel cuſtodiam, vt de ea curam haberet & gereret. — *Cur Chriſtus matrem ſuã mulierem vocarit.*

SECVNDO, in hac hora ſol lumen ſuum obſcurauit, quia dicitur Matth. 27. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Tales tenebræ, vt dicit Gloſſa fuerunt, vt ſtellæ viderentur, velut in nocte. Tunc impletum eſt illud Amos 8. *Occidet ſol in meridie & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* De his enim tenebris dicunt Doctores. *Hieronymus.* Quod factæ ſunt per retractionem radiorum ſolis. *Origenes* autem per interpoſitionem denſarum nubium. Sed in hoc magis credendum eſt *Dionyſio*, qui dicit in Epiſtola ad Polycarpum, hoc fuiſſe factum per interpoſitionem lunæ inter terram & ſolem, ſicut fit in eclipſi ſolis. Et quia iſta obſcuratio facta fuit per vniuerſam terram, Philoſophi Athenis hoc videntes, dixerunt: Aut Deus in natura patitur, aut elementa ſibi compatiuntur, aut tota mundi machina diſſoluetur. Vnde aram ignoto DEO fabricauerunt, quem Paulus veniens poſtea eis prædicauit, ſcilicet Chriſtum, qui erat illis ignotus. — *O II. Sol obſcuratur.*

ET NOTA, quod hæ tenebræ propter duas cauſas factæ ſunt. *Primo* ne lux ſolis luceret impijs. *Secundo* autem, ne Chriſtus in cruce pendens nudus videretur. *Tertio*, ſecundum Hieronymum: ſol non emiſit radios ſuos verſus nos, ad condolendum creatori noſtro, ſicut & aliæ creaturæ. — *Cur tenebrę factæ.*

Hora NONA hæc geſta ſunt. PRIMO, Chriſtus præ doloris magnitudine exclamauit, Marci 15. *Hora nona exclamauit IESVS voce magna*, ſcilicet præ doloris magnitudine. *Eloi, Eloi, Lamma ſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* quaſi diceret. O pater tantum diligis homines in mundo, quod pro ipſis me amaræ pœnalitati tradis, & propter eos me ſine iuuamine Iudæis derelinquis. — *Quæ hora Nona geſta. I. Chriſtus pręe dolore exclamat.*

Hic dicit Brigita lib. 7. cap. vbi ſuprà. Oculi eius amabiles & decori, apparebant

ſemi-

semimortui, Os eius erat apertum & sanguinolentum, vultus pallidus & submersus, totusque liuidus & intinctus sanguine; Corpus quoque totum erat quasi liuidũ & pallidum, & languidum valde, ex continuo fluxu decurrentis sanguinis; Cutis etiam & caro illa virginea sanctissima corporis eius, ita delicata erat & tenera, quod ex modica percussione illata, signum liuidum exterius apparebat. *Aliquando* verò conabatur ipse extensiones facere in cruce, præ amaritudine nimia, quam sentiebat intensi doloris acutissimi. Nam quandoque dolor de membris eius, & venis perforatis ascendebat ad cor, & vexabat eum crudeliter intenso martyrio: Et sic mors eius prolongabatur & dilatabatur, cum tormento graui & ingenti amaritudine. Tunc igitur ille anxius præ doloris nimiæ angustia, & vicinus iam morti, ad Patrem clamauit alta voce & flebili, dicens: O Pater quare dereliquisti me? Habebat tunc labia pallida, & sanguinolentam linguam, ventrem submissum, cohærentem dorso, ac si nulla habuisset intus viscera. Hæc Brigita.

Et dicit NOTANTER, quod *voce magna clamauit*; quia hæc vox etiam erat supernaturalis. alioquin ita cruciatus nullo modo potuisset sic clamasse, nisi ex virtute diuinitatis. Quia secundum Augustinum, tantam fortitudinem voluit seruare vsq; tunc; vt ostenderet se Deum & hominem. Nam alij taliter suspensi citò deficiunt in extremis. Et dicit Chrysostomus: Per hoc ostenditur, quod ille clamor fuit miraculosus, per quod se non solum Deum, sed etiam hominem ostendit.

P Quare Christus clamauerit.

Et NOTA, quod Christus propter quatuor clamauit. *Primo*, ad insinuandum humanæ naturæ veritatem, contra Manichæos, qui dixerunt eum corpus fantasticum habere. *Secundo*, ad ostendendum suæ passionis magnitudinem Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam. &c. Tertio*, ad ostendendum Deitatis cum humanitate coniunctionem. *Quarto*, vt astantes, & etiam nos recordantes deinceps inuitaret ad cõpassionem. Cum autem Christus sic clamaret *quidam astantes*, Glossa non intelligentes linguam Hebraicam *dicebant*; *Eliam vocat iste*, scilicet ad iuuandum eum, vel ad deponendum. *Sinite*, id est sustinere, *videamus si veniat Elias liberans eum*, scilicet de manibus nostris. Vel, hoc dixerunt Iudæi in infamiam Christi, tanquam Eliæ auxilio indigeret: sed mentiebantur, quia Christus liberatione non indiguit, quia ipse erat liberaturus Eliam.

II. Christus sitiuit.

SECVNDO, in hac hora Christus sitiuit Ioan. 19. *Sciens IESVS autem, quia omnia consumata sunt dicit. Sitio.* De hac siti dicunt Doctores quidam, quod sitiebat corporaliter, quia humor sanguinis ratione pœnalitatis omnino exhalatus fuit. *Alij dicunt*, quod pendebat in calore solis & auræ, ratione cuius sitiebat. *Tertij dicunt* & verius, quod hæc sitis nihil aliud fuit, quàm ardens desiderium pro salute humani generis. Ideo dicit Bernardus: Domine plus te cruciat sitis, quàm crux. De cruce siles, de siti clamas, quia omnium salutem exspectas & affectas, omnium gaudium procuras. Iudæi & Gentiles sitiunt sanguinem tuum te occidendo, tu sitis eorum salutem pro eis moriendo. quasi diceret, in persona Christi, plus animarum vestrarum salus, quàm corporis mei cruciatus me tenet.

III. Felle & aceto potatur.

TERTIO, vnus militum eum felle & aceto potauit. Matth. 27. & Marci 15. *Vnus militum impleuit spongiam aceto & vino cum felle mixto, & hyssopo circumponens, imposuit arundini & obtulit ori eius.* Super quo dicunt Glossa, vt diffusè inuenitur in Alex. super Ioannem, quod vinum, quod apud se habebant milites, Christum custodientes

tes & obseruantes, ne quis eum viuum de cruce deponeret à calore solis, acetosum factum fuerat, quod felle & myrrha, quæ est amarissima, mixtum in spongia, cum arundine ori eius porrexerunt. Et hic impletum est, quod dictum fuit in Ps. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Ecce qualis crudelitas Iudæorum, quod talem potum morienti porrexerunt cum tamen sit scriptum. Prouer. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* Item secundum illud Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Vnde Augustinus: Ori mellifluo, quo salutaris fluxit doctrina, fel pro cibo impij porrexerunt. Ideò *cum accepisset* secundum Ioannem, *& gustasset* secundum Matthæum, *noluit bibere.* Et dicit Beda, quod non accepit, vt biberet, sed vt Scripturam adimpleret.

QVARTÒ, Christus spiritum in manus Patris commendauit, quia secundum Ioannem *cum accepisset acetum felle mixtum dixit. Consummatum est*, scilicet opus de humana redemtione, quasi diceret: Totum feci pro homine, quod pro eo fieri debuit. Et dicitur Lucæ 23. *Clamans voce magna IESVS ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Chrysostomus: Ascendens in altum, vt longius audiretur; clamauit fortiter, vt nullus excusaretur; clamori lacrymas addidit, vt homo sibi compateretur. Et secundum Ioannem. *Inclinato capite emisit spiritum*, id est animam tradidit quando voluit. Et dicit Chrysostomus. Non quando Dominus expirauit, inclinauit caput, sed quando inclinauit caput, tunc expirauit. Hic dicit S. Brigita, vbi supra. quod Christus clamauit cum maximo dolore & anxio: O Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & tunc caput eius erigens se, aliquantulum inclinauit, & sic emisit spiritum. Quod mater eius tunc videns, tota contremuit præ immensa amaritudine, volens cadere in terram, nisi quod sustentabatur ab alijs mulieribus. In illa igitur hora manus illius aliquantulum se traxerunt à loco perforationis clauorum, præ nimio pondere corporis, & sic corpus eius quasi sustentabatur à clauis, quibus pedes crucifixi erant. Digiti autem, & manus & brachia magis iam extensa erant, quàm ante. Scapulæ verò & dorsum eius quasi constringebantur ad crucem. Tunc denique circumstantes Iudæi irridentes, clamabant contra eum & matrem eius, multa dicentes: *Alij enim* dicebãt. MARIA, filius tuus est mortuus. *Alij verò* dixerunt, alia verba irrisoria.

IV. Spiritum in manus Patris commẽdat.

QVINTÒ, omnis creatura Christo mortuo compassa est. Et *Primò* velum quod erat in introitu templi, *scissum est medium à summo vsq; deorsum*, & factum fuit in signum reuelationis veritatis & intelligentiæ, ac sacramenti nouæ legis, quæ completa est in morte Christi. *Secundò, terra mota est*, quasi non valens mortem Christi sui creatoris sustinere. *Tertiò, petræ scissæ sunt*, ostendentes se compati morti Christi creatoris sui, in signum, quod humana corda quantumcunque dura, hodie compati debent Christo pro eis morienti. 1. *Quartò, monumenta aperta sunt*, scilicet ex terræ motu, 2. propter acerbitatem mortis Christi. Cor ergo peccatoris lapide est durius, & monumento fœtidius, & terra ponderosius, quod compassione non mouetur. 3. Ideò dicit 4. Hieronymus: Ecce omnes creaturæ Christo morienti compatiuntur, solùm homo non; pro quo tamen Christus patitur. Qui ergo hodie non frangitur, nec per compassionem mouetur, lapide est durior, terra ponderosior, monumento fœtidior, mortuo miserabilior. *Quinto, multa corpora mortuorum, qui dormierunt*, scilicet somno mortis naturalis & corporalis *surrexerunt*, scilicet de monumentis apertis, *& venerunt in sanctam ciuitatem*, scilicet Hierusalem, quæ sancta propter templum sanctũ

V. Christo cõpatitur omnis creatura.

 diceba-

Corpora mortuorum quãdo emonumentis egressa.

dicebatur, *& apparuerunt multis*, & principaliter Caiphæ, Annæ, vt dicit Nicodemus. Et dicit Hieronymus, quod non tunc quando monumenta aperta sunt, scilicet in hora mortis CHRISTI, sed postea quando CHRISTVS resurrexit tanquam testes suæ passionis & resurrectionis.

VI. Centurio custodit IESVM.

SEXTO, Centurio, & qui cum ipso erant custodientes IESVM, ex iussu Pilati, scilicet quousque moreretur, *viso terra motu*, & alia signa, quæ fiebant, *dixit: Verè filius DEI erat iste*. Matth. 27. & Lucæ 23. qui *glorificauit DEVM dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui simul ad spectaculum istud aderant, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur.*

VII. Noti stant à longè.

SEPTIMO, vt dicit Lucas: *Stabant noti eius à longè, & mulieres, quæ secutæ sunt eum à Galilæa, hæc videntes.* Nec est contra illud Ioannis, qui dicit, quod *stabant ante Crucem*. Quia Augustinus libro de concordia Euangelistarum dicit, quod primò steterunt propè Christum, ita quod eis loqui poterat. Postquam autem Christus commendauit matrem discipulo cœperunt se elongare, & segregare à turba & multitudine Christum irridentium. Et à longè stantes intuebantur, quæ fiebant. Chrysostomus. Discipuli fugerant, mulieres astiterant, & omnia considerabant compatiendo. *Inter quas*, vt dicit Matthæus, *erat Maria Magdalena, Maria Iacobi minoris & Ioseph, & mater filiorum Zebedæi.*

Quid in his tribus mulieribus exprimatur.

Hæ solum nominantur, quia in istis exprimitur triplex status animæ procedentis de virtute in virtutem. In Maria Magdalena, exemplum causæ pœnitentis. In Maria Iacobi & Ioseph, qui augmentum interpretatur, notatur augmnentatio & processus virtutum. In matre filiorum Zebedæi, exemplum animæ perfectæ; quia hæc *regnum filijs postulauit*, Matth. 20.

Latus Christi lancea perforatur.

NOTA, in hac hora miles latus lancea perforauit. De hoc Ioan. 19. *Iudæi autem, quia parasceue erat*, scilicet feria sexta, in cuius vespere incipiebant solennitates Sabbati sequentis, quæ feria sexta parasceue, id est, præparatio dicitur, quia in ea tunc præparabantur & coquebantur ea, quæ comedi in Sabbato debebant, *Rogauerunt Pilatum, vt frangerentur crura eorum, & tollerentur*, scilicet ne in die Sabbati remanerent. Et hoc petebant propter legem, Deut. 2. vbi dicitur. *Cum peccauerit homo morte plectendus, & cum adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non remanebit cadauer in ligno, sed eodem die sepelietur.* Vel ideo petebant, vt citiùs morerentur, & ne festum eorum fœdaretur. Idcircò Pilatus annuit. *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.* Et adhuc viuebant. *Ad IESVM autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, vt impleretur Scriptura*: Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, scilicet ex agno paschali, qui fuit figura passionis Christi, *sed vnus militum lancea latus eius aperuit*, vt impleretur illud Psalm. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Et continuo exiuit sanguis & aqua:* miraculosè tamen, quia sanguis in corpore mortuo statim induratur, & congelatur. Et dicit Gregorius: Sanguis exiuit in pretium, & aqua in lauacrum. Et B. Augustinus, lib. origi. tenet, quod sanguis de latere Christi, tangens latronem adhuc parum videntem baptizauit eum; sicut Longinum in vno oculo modicum videntem, in corde & corpore illuminauit.

De hac etiam lanceatione dicit S. Brigita lib. 7. c. 15. Stantibus turbis in circuitu, venit vnus occurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in latere eius dextro, tàm vehementer & validè; quod quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire.

ire. Quod cum extraheretur lancea de corpore, statim abundanter exiuit de vulnere illo cum impetu, quasi quidam fluuius sanguinis. Ferrum verò lanceæ, & aliqua pars hastæ rubicunda exibat de corpore, & intincta sanguine. Quæ videns mater, ita vehementer contremuit cum amaro gemitu, quod benè cernebatur in eius facie & gestu, quod anima eius tunc penetrabatur acuto doloris gladio.

Hora Decima diei gesta.

DECIMA hora diei hæc gesta sunt. Nam Ioseph Christi corpus ad deponendum à Pilato postulauit. De hoc Matthæus & Marcus. *Cum enim sero factum esset, quidam homo diues, Ioseph nomine, qui erat nobilis decurio*, id est, vnus de curiensibus, *bonus & iustus*, vt dicit Lucas, qui fuit *ab Arimathia*, quæ fuit ciuitas Helcanæ & Samuelis, 1. Reg. 12. *Hic non consenserat*, secundum Lucam, *consilio & actibus*, videlicet Iudæorum, *eò quod esset discipulus IESV*, non ex duodecim, sed ex multis alijs credentibus in eum. Omnes enim credentes in principio discipuli dicebantur. Et dicit Ioannes, quod erat *occultus propter metum Iudæorum*. Quia Iudæi dederant mandatum, vt *si quis confiteretur ipsum esse CHRISTVM*, id est, vnctum regem, deberet priuari corpore & omnibus rebus suis, *& extra Synagogam fieret*, Ioan. 9. Sed post mortem Christi Ioseph feruens fuit in amore, cogitans: Si enim Magister passus esset, qua ratione etiam discipulus non pateretur? Ideo tunc *audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus IESV*, videlicet, vt illud de cruce deponeret & sepeliret. Quia secundum leges humanas corpora damnatorum non potuerunt sine licentia iudicis sepeliri. Si autem dignè pœnituerunt, non est eis neganda Eucharistia, neque Ecclesiastica sepultura: quia tale supplicium cedit eis ad pœnæ remedium, 13. q. vlt. c. Si fur. Attamen semper necesse fuit, vt cum licentia iudicis secularis deponeretur. Et dicitur Marci 15. *Pilatus autem mirabatur, quod tàm cito obijsset. Et accersito Centurione, interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph.* Et secundum Matthæum. *Iussit reddi corpus*: tum propter petentis reuerentiam, tum propter Christi innocentiam, quam ipse Pilatus cognouerat. Tulit ergo Ioseph corpus IESV de cruce, & vt dicitur Ioan. 19. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte*, scilicet Ioan. 3. *Ferens mixturam mirrhæ* & aloës, id est, vnguentum factum ex his, quæ possunt corpus à putrefactione conseruare. Et secundum Chrysostomum. In hoc apparet, quod adhuc de Christo non habebant veram fidem resurrectionis. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linientes cum aromatibus, sicut mos est Iudæos sepelire, quasi diceret; Sepelierunt eum quasi non damnatum, sed vt consuetudo est Iudæis, scilicet multum honorificè. Propterea statutum est, quod corporalia super quibus conficitur corpus Christi, debent esse de panno lineo, & non serico, vt habetur de Consecrat. dist. 1.

I. Pilatus corpus Christi ab Cruce deponi permittit.

Dignè pœnitentibus non neganda Eucharistia aut sepultura.

Hic dicit S. Brigita, vbi suprà. His autem expletis, cum turbæ multæ recederent, deposuerunt Dominum quidam amici eius. Quem tunc mater recepit inter sua brachia sanctissima, & reclinauit eum sedens in gremio suo, totum vulneratum, dilaceratum & liuidum. Et tunc tersit eius mater mœstissima cum linteo suo, totum corpus ipsius & vulnera, clausitque eius oculos, deosculando eos, & inuoluit eum in sindone munda; & sic duxerunt eum cum planctu, & dolore maximo, & posuerunt eum in sepulchrum. Et hoc piè credendum est, licet aliqui improbent ita factum, atque negent.

Vbi a. sepelierunt eum, dicit Ioan. *Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in*

horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceue Judaeorum, quia propè erat monumentum, posuerunt eum. Dominus enim IESVS CHRISTVS mortuus fuit hora nona. Deinde accedentibus ad Pilatum, & procurantibus ea, quæ sibi necessaria fuerunt ad sepulturam, dies decursus erat, & vesper imminebat. Vnde propter Sabbatum minimè operari licebat, & sic propter breuitatem temporis vrgebatur Christum ponere in sepulchro propinquo. Et dicit Matth. 27. *quod posuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petra, & aduoluit magnum saxum ad ostium monumenti & abijt*.

Et diuina ordinatione factum est, vt dicit Chrysostomus, quòd positus est in sepulchro, in quo nondum quisquam positus fuerat, ne alterius alicuius, qui cum eo iaceret æstimetur resurrectio facta. Et dicit Matt. c. 27. *Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.* Et hoc ideo secundum Ambrosium, vt viderent quomodo & qualiter possent reuerti ad ipsum vngendum. Et dicit Rabanus: Alijs notis IESV ad sua redeuntibus, solæ mulieres, quæ ardentius amauerunt, obsequium funeris inspiciebant, exspectantes quod promiserat. Et ideò post resurrectionem primò mulieres, quæ ministrauerunt viuenti astiterunt; & morienti obsecutæ sunt sepulchro, & sic gauisæ sunt resurgenti.

Alia autem die, quæ est post parasceues, id est, in vigilia Paschæ, conuenerunt Principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, vocantes eum dominum. Quia rege suo domino interempto, in seruitutem alienigenarum redacti sunt, dicentes: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens; Post tres dies resurgam.* Ex inuidia *enim*, vt dicit Hugo, noluerunt Christum proprio nomine nominare, sed dicebant *seductor. Iube ergò custodiri sepulchrum vsq; in diem tertium; ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi. Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.* Ignoranter verum dicunt, quod peior erat error, & infidelitas resurrectionis, quàm crudelitas passionis. *Ait illis Pilatus. Habetis custodiam; ite custodite sicut scitis*, quasi diceret secundum Rabanum: Faciatis sicut vultis vos pessimi, ego doleo, quod vos secutus sum tantum. Illi autem abeuntes, scilicet à Pilato, accepta licentia, & habita custodia de gentibus *munierunt sepulchrum*, scilicet custodia hominum, *signantes*, scilicet, sigillis siue annulis suis, *lapidem*, qui erat in ostio monumenti *cum custodibus*. Et pro conclusionibus dicit B. Hieronymus: Diligentia eorum, nostræ fidei profuit. Quia quanto amplius seruatur, tantò magis virtus resurrectionis ostenditur. In vanum autem custodiunt sepulchrum ne exeat de morte viuus, quem mors tenere non poterat, nec infernus claudere valebat, &c.

Finit pars hyemalis huius operis, &c.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
IN SERMONIBVS MEFFRETH
PARTIS HYEMALIS.

OBSERVET LECTOR, LITERA PRIMA, VEL SINE PVNCTO DVPLICATA, DESIGNARI EAM, quæ in cuiusq; folij frontispicio habetur, adiuncta verò eam, quæ in margine ponitur.

A.

Blasphe-

Com-

Crux

Eccle-

Falc

duo

Incuria

Lati-

Panis

Phæni-

Signa

T.

FINIS INDICIS PARTIS HYEMALIS.

IHS